Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8 41 13

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

32-A-12

Digitized by Google

8-41-I-13

Digitized by Google

8-41-I-13

IHS

IOA. HIERONYMI

SOPRANI

GENVENSIS

E SOCIETATE IESV,

Bibl. Secv.

APPENDIX AD OPVS MORALE VINCENTII FILLIVCII

eiuſdem Societatis.

Coll. Rom. Soc. Ieſu

Quæ eſt de ſtatu Clericorum; in quinque tractatus diuiſa.

De
- Beneficiis Eccleſiaſticis.
- Penſionibus,
- Spoliis Clericorum.
- Alienatione rerum Eccleſiaſticarum.
- Simonia.

NVNC PRIMVM PRODIT.

Cum priuilegio Regis.

LVGDVNI,

SVMPTIBVS
IACOBI CARDON
M.D C. XXVIIII.

C. Audran. Fecit.

Ex legato Ill.mi Coccini

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLMO ET REVMO DOMINO,

D. IO. BAPTISTÆ

COCCINO,

S. ROM. ROTÆ DECANO,

ET APOSTOLICÆ POENItentiariæ Anteceſſori digniſſimo,

IO. HIERONYMVS SOPRANIS Soc. Ieſu Theologus S. D.

DIv eſt, PRÆSES AMPLISSIME, cùm tibi munus aliquod obſeruantiæ meæ debeo, nec tamen ſoluo: vtriuſque cauſa, merita tua, & vires meæ; illa ingentia, iſtæ exiguæ; illa in me non ſolùm, ſed in ordinem noſtrum vniuerſum, qui tibi ita obſtrictus, vt alumnus eius non ſit, qui ſi te norit, ſimul debere tibi plurimum non fateatur. Publico ergo & priuato meo nomine tibi deuinctus, quid aliud in tanta tenuitate poſſum, quàm publica aliqua ſignificatione teſtari, me ſoluendo non eſſe? & hoc nunc facio, dū munus hoc tibi defero; quod quale ſit paucis accipe. Vincētius Filliucius inſigni opere de Chriſtiani hominis officiis exponere aggreſſus, duo volumina abſoluit; tertium quod variis hominum ſtatibus eorúmque muneribus explicandis addixerat, adūbrare tantùm cogitatione potuit, non perficere. Plerique ergo, quibus mirificè probabantur, quæ ab Auctore perfecta, Doctorum iam omnium manibus teruntur; tertium hoc de ſtatibus volumen à Societate flagitabant. eorum vt votis annueret Mutius Vitelleſcus vniuerſæ noſtræ Societatis Moderator, optimum factu iudicauit Auctoris aduerſaria conquiri; quæ de hoc argumento affecta iam vel perfecta in illis eſſent, ſeponi, ſuóque ordine digeſta, vulgato iam operi adiungi, & publicè edi. feci quod iuſſus ſum; ſchedas Auctoris euolui: nihil ad hoc argumentum reperi, præter tra-

ctationes duas,alteram de Beneficiis,alteram de Simonia. Cùm ergo viderem Chriſtianam Rempublicam vniuerſam duas in hominum claſſes eſſe diuiſam, Populum nempe, & Clerum; ſimul etiam aduerti,quæcunque ad ſtatus varios hominum popularium pertinent, abundè iam à Filliucio duobus voluminibus explicata. reſtare ergo tantùm quæ propria ſunt Clericorum. Quare de horum ego ſtatu, officiis & vario nexu quo ex ſuo munere tenentur, ſi diligentiùs quid exponerem, ſatis me aliorum deſiderio facturum putaui,& Filliucij ipſius iam defuncti fidem liberaturum. Appendicem ergo hanc concinnaui. in ea quæ de Beneficiis & Simonia diſſeruntur, Filliucij labor ſunt à me recognitus: cætera de meo adiunxi; & quia de meo, fortaſſe non ad aliorum guſtum; nec eiuſdem cum reliquis coloris aut ſucci. Qualiacunque ſint,tibi ego ea ſacro,dicóque;tum voto & propoſito meo,tum illius voluntate,qui mihi & Societati noſtrę præeſt vniuerſæ. Et maluiſſet ille quidem digniora offerri, ſtudio iſto quo teneris rerum grauiſſimarum & altiſſima eruditione qua polles:fidem tamen nobis facit animi magnitudo & ſuauitas morum tuorum, vt benignitate ſuſcipientis, ipſius rei quæ offertur exilitas augeatur. Ad me quod attinet, ſi liceret ingenium cum voluntate coniungere, merita in nos tua fortaſſe ſic illuſtrarem, vt gratia mihi nonnulla à te deberetur,gratiam perſoluenti. VALE Romæ XI. Kal. Nouemb. M. DC. XXIV.

TYPO

Digitized by Google

TYPOGRAPHVS LECTORI.

AMICE & erudite Lector. Quæ de operis argumento & diuiſione docendus eras, ea in epiſtola habes, qua Auctor Appendicis opus Illuſtriſſimo Coccino mancipauit. Hîc tantùm breuiter monendus es, manuſcripta exemplaria, neſcio quibus litterarum notis, adeò intricata fuiſſe & mutila (ſit venia dictis,) vti ea omnia adæquare, vel etiam aſſequi, operariis certè non licuerit. Rogaris igitur, vt ſicubi legendo hæſeris, in quemquam ne priùs indigneris, quàm ſeriem ipſam conſulas, vel, ſi tantum nobis otij, erratorum Indicem. Cæterùm ne gratis hanc à te veniam impetremus, damus tibi viciſſim Auctarium operis quamuis exiguum; nempe ſchematiſmum De Irregularitate, *ab eodem Io. Hieronymo Auctore Appendicis iam priùs compoſitum, & aliàs Romæ editum; quo ſub vnum aſpectum quæcumque ad argumentum perdifficile de natura, effectibus, diſpenſatione Irregularitatis pertinent, breuiſſima methodo, & maximè perſpicua, proponuntur.* ***VALE.***

Digitized by Google

Facultas R. P. Prouincialis Societatis IESV in Prouincia Lugdunenſi.

IOANNES FORERIVS Prouincialis Societatis IESV in Prouincia Lugdunenſi, iuxta priuilegium eidem Societati à Regibus Chriſtianiſſimis Henrico III. 10. Maij. 1583. Henrico IV. 20. Decembris 1606. & Ludouico XIII. nunc regnante, 14. Februarij 1611. conceſſum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne libros ab eiuſdem Societatis hominibus compoſitos, abſque ſuperiorum permiſſione imprimant: permittit IACOBO CARDON & PETRO CAVELLAT, Lugdunenſibus Bibliopolis, vt librum hunc inſcriptum, *Vincentij Filliucij Soc. Ieſu, ad duos priores tomos Quæſtionum moralium Appendix poſthuma de ſtatu Clericorum*, ad ſex primos annos imprimere, ac liberè diuendere poſſint. Datum Lugduni 12. Nouembris 1624.

I. FORERIVS.

APPROBATIO THEOLOGORVM.

NOS infraſcripti ſacræ Theologiæ Doctores fidem facimus, nos librum qui inſcribitur, *Vincentij Filliucij Soc. Ieſu, ad duos priores tomos Quæſtionum moralium Appendix poſthuma de ſtatu Clericorum*, perlegiſſe, in quo nihil fidei orthodoxæ Catholicæ, atque Apoſtolicæ contrarium animaduerſum. Lugduni 14. Nouembr. 1624.

Fr. ROBERTVS BERTHELOT Epiſc. Damaſci.

DE VILLE.

R. D. D. Thomæ de Meſchatin la Faye huius libri imprimendi facultas.

THOMAS DE MESCHATIN LA FAYE, Comes, Canonicus, & Camerarius Eccleſiæ Lugdunenſis, & Vicarius Generalis in Archiepiſcopatu Lugdunenſi: Opus inſcriptum, *Vincentij Filliucij Soc. Ieſu, ad duos priores tomos Quæſtionum moralium Appendix poſthuma de ſtatu Clericorum*, à Theologis approbatũ vt in lucem edatur, facultatẽ concedo. Lugduni 20. Nouembr. 1624.

MESCHATIN LA FAYE.

Summa Priuilegij à Chriſtianiſſimo Galliarum Rege conceſſi.

LVDOVICI XIII. Galliæ & Nauarræ Regis Diplomate ſancitum eſt, ne quis in regno ſuo, aliiſve locis ditioni ſuæ ſubiectis, intra decem annos, à prima editionis die computandos, excudat, vendat, excudendum, vendendúmque quouis modo, & ratione curet librum, qui inſcribitur, *Vincentij Filliucij Soc. Ieſu, ad duos priores tomos Quæſtionum moralium Appendix poſthuma de ſtatu Clericorum*; præter IACOBVM CARDON & PETRVM CAVELLAT, Bibliopolas Lugdunenſes, aut illos, quibus ipſimet conceſſerint. Prohibitum inſuper eâdem auctoritate Regiâ omnibus ſuis ſubditis, eundem librum extra regni ſui limites imprimendum curare, vel quempiam, vbicumque fuerit, ad id agendum impellere, ac inſtigare, ſine conſenſu dictorum IACOBI CARDON & PETRI CAVELLAT. Idque omne ſub confiſcatione librorum, aliiſque pœnis originali Diplomate contra delinquentes expreſſis. Datum Pariſiis die 11. Decembris 1624.

De mandato Regis,

Signatum

RENOVARD.

Digitized by Google

INDEX TRACTATIONVM, CAPITVM, ET QVÆSTIONVM, HOC tertio volumine contentarum.

Prior numerus paginam, alter columnam, tertius marginalem eiuſdem columnæ numerum denotat.

TRACTATIO XLI.

De Beneficiis Eccleſiaſticis.

CAP. I. *De Beneficiis, corúmque diuiſione in genere & in ſpecie.*

Quæſt.1. Quid ſit beneficium. 1.2.1
2. Quotuplex ſit beneficium. 2.2.6
3. De prima ſpecie beneficij, h.e. de regulari. 3.1.8
4. De ſecunda ſpecie, h.e. de beneficio ſæculari ſimplici. 4.2.13
5. De tertia ſpecie, nempe de beneficio ſimplici curato inferiori. 7.1.19
6. De quarta ſpecie, h. e. de officio. 7.2.22
7. De quinta ſpecie, h. e. de perſonatu. 8.1.24
8. De ſexta ſpecie, id eſt, de dignitate. ibid. 26
9. De ſeptima ſpecie, h. e. de Epiſcopatu. 9.2.32
10. De octaua ſpecie, h. e. de Cardinalatu. 11.1.38
11. De nona & vltima ſpecie, quæ eſt Papatus. 11.2.40

CAP. II. *Penes quos ſit poteſtas conferendi beneficia.*

Quæſt.1. Quo iure beneficia ſint inſtituta. 11.2.6
2. Quid iuris habeat Sum. Pontifex in beneficia. 12.1.5
3. De iure quod habent Concilia generalia in beneficia. 14.1.13
4. De iure quod habent Cardinales in beneficia. ibid.2.18
5. De iure quod habẽt Ordinarij in beneficia. 16.2.23
6. Quid iuris de poſſeſſore iuris conferendi. 18.1.35
7. Quid iuris de ſequeſtro ad conferendum beneficia. 19.1.38
8. De iure quod habet Capitulum Sede vacante in beneficia. ib.2.40
9. De iure quod habet Vicarius Epiſcopi in beneficia. 21.1.47
10. An laici habeant ius conferendi beneficia. ibid. 2.54

CAP. III. *Quot modis beneficia conferantur; & de forma ſeruanda in iis conferendis.*

Quæſt.1. De electione. 23.2.1
2. De præſentatione & inſtitutione. 24.2.8
3. De collatione. 25.1.10
4. De prouiſione quæ fit per Papam. ib.2.13
5. Quibus modis acquiratur ius in re in beneficio. 34.1.89
6. Quibus modis acquiratur ius ad rem in beneficio. ib.2.94
7. De deuolutione. 35.1.95
8. De translatione, mutatione, erectione & ſuppreſſione, quid iuris, & quomodo per ea beneficia acquirantur. 36.1.104
9. De vnione, quid iuris, & quomodo per eam beneficium acquiratur. ibid.2.120
10. De commendatione, quid iuris. 37.2.126

CAP. IV. *De ſecunda parte capitis præcedentis, nempe, de forma ſeruanda in prouiſione beneficiorum.*

Quæſt.1. De forma in cõmuni ſeruanda in prouiſione beneficiorum. 38.2.133
2. De forma ſeruanda in prouiſione parochiali. ib.134
3. De forma ſeruanda in prouiſione ſimplicium. 40.2.162
4. De forma edicti ſeruanda in inſtitutione. 41.1.164

† 4 De

Digitized by Google

5. De tempore intra quod debet fieri prouiſio. ibid.166
6. De tempore intra quod debet fieri inſtitutio, confirmatio & collatio neceſſariò. 42.1.171.
7. De collatione quæ fit indignis, quid iuris. ib.172
8. De collatione quæ fit dignioribus. ibidem. 176
9. De collatione quæ fit digniſſimis. ibid.2. 177
10. Quando debeat fieri reſtitutio, ſi non habeat beneficium is, qui dignior eſt. 43.1. 182

CAP. V. *Quinam capaces ſint beneficiorum, quáſve conditiones habere debeant.*

*Quæſt.*1. Quinam ſint iure naturali, vel diuino incapaces ad beneficia. 43.2.1
2. De incapacibus iure Canonico, & irregularibus ex defectu. 44.1.4
3. De irregularibus ex delicto. 46.1.12
4. De iis qui cenſura aliqua irretiti ſunt. ibid. 2.15
5. De coniugatis. 47.2.15
6. De clericatu & ordine prærequiſito. 48.1. 21
7. De ætate requiſita ad beneficia. 49.2.27
8. De ſcientia requiſita ad beneficia. 50.2.34
9. De probitate neceſſaria ad beneficia. 51. 2.40

CAP. VI. *Quæ iura ſeruare debeant beneficiarij vt in iis adeptis conſeruentur.*

*Quæſt.*1. De ſcriptura ſeu litteris requiſitis ad poſſeſſionem beneficij. 53.1.1
2. De fidei profeſſione facienda. ibid.2.5
3. De geſtatione habitus clericalis. 54. 2. 14
4. De penſionis ſolutione. ibid.16
5. De recitatione horarum canonicarum. 55.1. 18
6. De reſidentia in beneficiariis requiſita. 56. 1.25
7. De iis à quibus cauere debet beneficiarius ne beneficium amittatur. 58.1.31
8. De fructibus quos percipiant beneficiarij, quid iuris de illis. ibid.2.39
9. De diſtributionibus, quid iuris de illis. 60. 1.45
10. De annatis, quæ à beneficiariis pendi ſolent vt conſeruentur in beneficiis adeptis. 61. 1.54
11. De quibuſdam reſcriptis, quibus ſe tueri ſolent beneficiarij. 61.1.61.
12. De duplici regula Cancellariæ, qua beneficiarij tueri ſe ſolent, nempe de annali & trienniali poſſeſſione. 64.2.88

CAP. VII. *De pluritate beneficiorum in vno eodémque beneficiario.*

*Quæſt.*1. Quo iure pluralitas damnata ſit, & an conſuetudo poſſit inducere contrarium. 66.2.1
2. Quibus ex cauſis pluralitas hæc prohibita ſit iure Canonico, quibúſve concedatur. 68.2.14
3. An ſint aliqua beneficia incompatibilia in genere, & quæ. 69.1.16
4. Quódnam dicatur beneficium ſufficiens, & an plura ſufficientia haberi iure poſſint. 69. 2.19
5. In particulari de incompatibilitate ſimplicis cum quolibet alio. 70.2.23
6. De incompatibilitate duplicis, quod curatum ſit cum quolibet alio. 71.1.26
7 De incompatabilitate dignitatis cum quolibet alio. 72.1.28
8. De incompatibilitate Abbatiæ cum quolibet alio. ib.2.30
9. De incompatibilitate Epiſcopatus cum quolibet alio. ib.32
10. De incompatibilitate beneficiorum ſub eodem tecto. 73.2.34
11. Quæ beneficia ſint compatibilia, & quibus modis multa haberi poſſint. 74.1.36
12. Cuius ſit diſpenſare in beneficiorum pluralitate. 75.1.37
13. De pœnis contra pluralitatem beneficiorum. ibid.2.41

CAP. VIII. *Quibus modis beneficia obtenta, & ob quæ crimina amittantur.*

*Quæſt.*1. Quid ſit vacatio beneficij. 76.2.1
2. Quot modis contingat hæc vacatio. ibidem.2
3. Quot modis dicatur vacare ipſo iure. ibidem.3
4. De modis quibus vacat ſine delicto, & de primo modo per matrimonium, quid iuris de illo. ib.4
5. De ſecundo modo per adeptionem beneficij incompatibilis, quid iuris de illo. 77. 2.9
6. De tertio modo, quando parochus intra annum non ordinatur, quid iuris de illo. ib. 11
7. De quarto modo, quando vacat per tranſlationem beneficij ad aliam Eccleſiam, quid iuris de illo. 78.1.13
8. Quot modis vacet beneficium ipſo iure per delictum. ib.15
9. De effectibus conſequentibus priuationem ipſo iure. ibid.2.16
10. Quot modis vacet beneficium per ſententiam iudicis. 78.2.18

CAP. IX. *De permutatione beneficiorum quæ eſt vnus ex modis quibus amittantur.*

*Quæſt.*1. Quid ſit permutatio, & quæ ad eam requiſita. 79.1.1
2. An prohibita ſit priuatis perſonis, & quo iure. ib.2.3
3. Cuius auctoritate facienda ſit permutatio beneficiorum. 80.1.5
4. De permutatione vnius beneficij cum pluribus. 81.1.8
5. De permutatione inæqualium; & quæ beneficia ſimul permutanda. 81.1.11
6. De permutatione beneficiorum cum penſionibus & iuribus. ib.2.13

7. De

Digitized by Google

7. De perſonis permutantibus quales eſſe debeant. 82.1.15
8. Quæ ſeruanda ſint in permutationibus. ib, 19
9. De tempore in quo debeat fieri,& an per interualla fieri poſſint. ibid.2.82.
10. De fraudulenta permutatione. ibid.22
11. De cauſis,ex quibus facienda eſt permutatio. 83.1.24
12. De effectis permutationis. ibid.2.26

CAP. X. *De reſignatione beneficiorum, quæ eſt alius modus vacationis.*

Quæſt. 1. Quid ſit reſignatio, quotuplex, & quæ ad eam conſequantur. 84.1.1
2. De cauſis requiſitis ad reſignandum. 85.1.10
3. Quis poſſit reſignare, & quibus conferri. ibid.2.13
4. Quomodo reſignatio facienda ſit per Procuratorem. 86.1.18
5. De reſignatione cum reſeruatione fructuum. 87.1.25
6. De reſignatione cum regreſſu, acceſſu & ingreſſu. 87.2.28
7. De reſignatione in fauorem alterius. ibid. 2.32.
8. Quæ debeat ſeruare reſignatarius. ibid. 33
9. Quæ beneficia dimitti debeant per reſignationem. 88.1.34
10. De reſignatione facta per metum, aut dolum. 89.1.40
11. De promulgatione reſignationis. ibid. 2. 43
12. De regula Cancellariæ pro infirmis reſignantibus. 91.1.49

CAP. XI. *De confidentia in beneficiis.*

*Quæſt.*1. Quæ & quotuplex ſit confidentia. 91. 2.1
2. Quid de ea decernant conſtitutiones Pontificiæ Pij I V.& Pij V. ibid.2.3
3. Quæ confidentiæ in vtraque conſtitutione comprehendantur. 92.2.5
4. An confidentiæ præteritæ puniantur in Bulla;& quæ de iis quæ bona fide factæ ſunt. 93.1.6
5. An in foro etiam interno prohibitæ ſint confidentiæ. ibid.2.8
6. De pactionali & mentali confidentia. ibid.9
7. De quibuſdam particulis Bullæ, quomodo intelligantur. 94.1.13
8. De quibuſdam dubiis ex iis conſurgentibus. ibid.2.15
9. De pœnis contentis in prædictis Bullis.95. 1.16
10. De tempore,à quo obligant pœnæ confidentiæ. ibid.2.17
11. De confidentia in penſionibus,& aliis rebus 96.1.21
12. De comparatione conſtitutionum inter ſe,& aliis ad eas pertinentibus. ibid.23

TRACTATIO XLII.

De Penſionibus.

CAP. I. *Penſio Eccleſiaſtica quid,& quotuplex ſit.*

Quæſt. 1. QVid nomine penſionis intelligatur. 97.1.1
2. Quid ſit penſio Eccleſiaſtica latiſſimè ſumpta. 98.1.2
3. Quotuplex ſit penſio Eccleſiaſtica hoc modo ſumpta. ibid.3
4. Quid ſit penſio Eccleſiaſtica laicalis. ibid.4.
5. Quid ſit penſio Eccleſiaſtica clericalis. ibid.5
6. An penſio laica ſit inter corporalia, & temporalia, an inter ſpiritualia vel annexa connumeranda. ibid.2.6
7. An clericalis penſio ſit quid ſpirituale. ibid.7.
8. An penſio clericalis ſit beneficium Eccleſiaſticum. ibid.8

CAP. II. *A quo poſſint Eccleſiæ penſiones imponi.*

Quæſt. 1. Quis poſſit de iure communi abſolutè loquendo, penſiones imponere. 99. 2.1
2. Qui Prælati, & in quibus caſibus ab hac communi lege iure antiquo excepti ſint. ibid.2
3. Qui ſint caſus, in quibus iure antiquo poſſint Epiſcopi penſiones imponere. 100. 1.3
4. An huic antiquo iuri ex noua conſtitutione Pij V. aut aliter ſit derogatum. ibid.4
5. An Legatus poſſit imponere penſiones. ibid. 2.6
6. An omnis Legatus hoc poſſit, an tantùm Legatus à latere. ibid.2.7
7. An ad penſionem imponendam iuſta cauſa ſemper requiratur. ibid.8
8. An in Papa requiratur iuſta cauſa. 101. 1.9
9. An poſſit quis propria auctoritate in ſuo beneficio penſionem conſtituere. ibid. 10

CAP. III. *Qui ſint capaces, ſeu quibus poſſint penſiones conferri.*

*Quæſt.*1. An reſpectu Papæ detur exceptio perſonarum non habilium ad Eccleſiaſticas penſiones. 101.2.1
2. Qui ſint regulariter inhabiles ad penſiones obtinendas. ibid.2
3. An laicales penſiones poſſint omnibus conferri. ibid.3
4. An excommunicatus capax ſit penſionis de nouo obtinendæ. ibid.4
5. An omnis habens actuale impedimentum vitæ clericalis ſuſcipiendæ ſit regulariter incapax penſionis Eccleſiaſticæ. 102. 1.5
6. An laico poſſit validè clericalis penſio conferri. ibid.6

7. An

Digitized by Google

7. An qui impedimentum habet officium recitandi, capax ſit clericalis penſionis obtinendæ. ibid.2.7
8. An Pontifex ſciens impedimentum vitæ clericalis, aut officij recitandi, eo ipſo cenſeatur diſpenſare ſi nihilominus penſionem conferat. ibid.8
9. An impeditus per irregularitatem, aut aliter, à vita clericali, peccet tacito impedimento penſionem poſtulans, & admittens. ibid. 9.
10. An inferior Papa peccet conferendo ſcienter penſionem irregulari cum quo ipſe diſpenſare non poſſit. ibid.10
11. An irregulares penſiones conſequutus obtenta diſpenſatione, rehabilitatione & noua collatione indigeat. ibid.11

CAP. IV. *Quæ cauſæ ſint penſionis conſtituendæ & conferendæ.*

Quæſt. 1. An ſemper requiratur cauſa in conferente, vt penſio validè ſit collata. 103. 2.1
2. Quæ ſint cauſæ in vniuerſum imponendæ penſionis. ibid.2
3. Quæ ſint cauſæ lucratiuæ. ibid.3
4. Quæ ſint cauſæ oneroſæ imponendi penſiones. ibid.4

CAP. V. *Quibus beneficiis, & quomodo penſio poſſit imponi.*

Quæſt. 1. An in omnibus beneficiis poſſit penſio conſtitui. 104.1.1
2. In quibus beneficiis imponatur penſio. ibid.2
3. Quid ex dictis in vniuerſum ſtatuendum ſit de beneficiis, quæ poſſunt regulariter penſionibus aggrauari. ibid.2.3
4. An impetrans penſionem debeat facere mentionem alterius ſi quam habet. ibid.4
5. An ſit facienda mentio penſionis alterius ſuper eodem beneficio iam conſtitutæ. ibid. 5
6. An ſi reſignans neſciat beneficium iam grauatum, & alteram penſionem impetret ſibi reſeruari, validéne in beneficio iam grauato reſeruentur. ibid.6
7. An mentio penſionis primæ ſit ſpecificè facienda. 105.1.7
8. An requiratur conſenſus beneficiatij in penſione imponenda. ibid.8
9. Quouſque duret penſio ab Epiſcopis imponi ſolita, an vſque ad mortem penſionarij, ad quemcunque beneficium transferatur, an tantùm durante vita beneficiarij grauati. ibid.9
10. An reconuentione interueniente inter partes poſſit penſio ab Epiſcopo, vel inferiori Papa validè & licitè reſeruari. ibid. 10

CAP. VI. *De obligationibus titularis penſione grauati.*

Quæſt. 1. An beneficiarius teneatur ſoluere penſionem nondùm habita beneficij poſſeſſione. 105.2.1
2. An cùm fructus non percipiantur penſio ſit in conſcientia ſoluenda. ibid.3.
3. An qui obligauit ſe in forma Cameræ, & cum iuramento penſionem ſoluere de fructibus beneficij, data etiam cautione bancaria, poſt reſignationem factam, & admiſſam teneatur ampliùs ad illam. ibid. 4
4. An poſſidens beneficium ſine iuſto titulo, vel inualidè reſignatum, vel excommunicatus teneatur ad penſionem ſoluendam. 106. 1.5
5. An cùm in prouiſione apponitur clauſula, *etiamſi fructus non percipiantur*, beneficiarius ad penſionem teneatur fructibus quocunque caſu non perceptis. ibid.6
6. An clauſula in prouiſione appoſita, dummodo penſio medietatem non excedat, aut dummodo remaneant 100. &c. conditione, vel modo illo non ſubſiſtente teneatur beneficiarius ad penſionem, & quomodo, aut ad quantum. ibid.7
7. An prædictis & ſimilibus clauſulis non ſubſiſtentibus penſio ſit nulla, vel reducenda. ibid.8
8. An reductio penſionis ſit regulanda iuxta fructus, & valorem beneficij tempore datæ, an iuxta quantitatem fructuum, qui in toto progreſſu ſubinde percipiuntur. ibid. 2.11
9. An cùm fructus ſunt ita diminuti, vt tota ſolutione penſionis exhauriantur, titularis teneatur. 107.1.12
10. Per quem poſſit fieri reductio penſionis. ibid.13
11. Quas pœnas incurrat penſionem non ſoluens. ibid.14
12. An beneficiarius grauatus ære alieno, debeat quibuſcumque creditoribus ex conſcientia penſionarium præferre. ibid.15
13. An ſucceſſor in beneficio teneatur in conſcientia ſoluere penſiones decurſas tempore prædeceſſoris. ibid.16

CAP. VII. *Ad quid teneatur penſionarius.*

Quæſt. 1. An penſionarius ſit tutus in conſcientia ſine cauſa penſionem exigens. 107.1.1
2. An cauſa expreſſa non ſubſiſtente penſionarius tutus ſit, & quaſi debeat ea certificari. ibid.2
3. An teneatur penſionarius ad horas canonicas. ibid.3
4. An penſionarius teneatur ad ſoluenda onera ſuperuenientia fructibus ab eo, qui poteſt imponere. 108.1.9
5. An teneatur penſionarius ad tonſuram, & habitum clericalem. ibid.5

CAP. VIII. *De ceſſatione penſionis.*

Quæſt. 1. Quot modis ceſſent penſiones. 108. 1.1
2. Cuius morte regulariter penſiones expirent. ibid.2
3. Penſio reſeruata ſuper capite vnius ad vtilitatem alterius, vt ſunt penſiones Hiſpanæ, cuius morte vacent. ibid.3
4. Ex quibus cauſis penſio priuatione finiatur. ibid.4

5. An

5. An per promotionem amittatur penſio. ibid. 2.5
6. Quomodo per ceſſionem expiret penſio. 109. 1.6
7. De tranſlatione penſionis, à quibus & quomodo fiat. ibid. 7
8. Quis poſſit dare facultatem transferendi. ibid. 8
9. Quibus ſoleat ordinariè facultas iſta concedi. ibid. 9
10. In quos poſſit transferri. ibid. 10
11. An tranſlatio poſſit fieri ſub conditione. ibid. 2.11
12. An tranſlatio penſionis vendi poſſit, aut pro ea pretium aliquod ex pacto accipi. ibid. 12
13. Quomodo per extinctionem penſio ceſſet. ibid. 13
14. Quando penſio conceditur in vnius vtilitatem & commodum, & in alterius perſona & capite conſtituitur, & denique alterius intuitu & contemplatione reſeruatur, cum facultate transferendi, ad quem facultas hæc ſpectet. ibid. 14

CAP. IX. *De peccatis, quæ in materia penſionis committi poſſunt.*

Quæſt. 1. Quæ peccata contra iuſtitiam à titulari, & penſionario committi poſſint circa penſiones. 110.1.1
2. Quæ peccata committantur à penſionario contra æquitatem. ibid. 2
3. Quæ ſimonia & quomodo poſſit in penſionibus interuenire. ibid. 3
4. An ſimonia commiſſa in penſionibus vllas pœnas inducat. ibid. 2.6
5. Quando & quomodo ſimonia purè committatur circa penſiones, & non circa beneficia. ibid. 7
6. An liceat ſine auctoritate Papæ penſionem ſpiritualem redimere, vel aliter de illa paciſcendo contrahere. ibid. 8
7. An liceat ſine auctoritate Papæ penſionem mixtam redimere. 111.1.9
8. An penſio poſſit ſimpliciter emi, aut aliter in contractum paciſcendo deduci ſine aſſenſu Papæ. ibid. 11
9. An qui poteſt transferre penſiones, poſſit id facere accepto pretio. ibid. 2.15
10. An idem dicendum ſit de cedente penſionem adquirendam. ibid. 16
11. An poſſit id fieri auctoritate ſuperioris. ibid. 17
12. An quando penſio ceditur, transfertur, confertur cum confidentia vitioſa interueniente pacto, de exactione omnium, vel partis fructuum in fauorem conferentis, vel alterius, committatur confidentia ſimoniaca prohibita conſtitutionibus Pij IV. & Pij V. 112.1.18
13. Quando penſio conſtituitur in caput vnius, vt Hiſpani, ad fauorem, & commodum alterius, vt Itali, ad quem ſpectet obligatio vitæ clericalis, & officij recitandi. ibid. 19
14. An abſolutè loquendo poſſit penſionarius pro libito ſuo quacunque ratione diſponere & contrahere, de commodo & vtilitate penſionis ſine labe ſimoniaca. ibid. 2.20

TRACTATVS XLIII.

De ſpoliis Eccleſiaſticis.

CAP. I. *Quid & quotuplex ſit ſpolium Eccleſiaſticum.*

Quæſt. vn. Quæ ſit Eccleſiaſtici ſpolij definitio. 113.1.1

CAP. II. *Ex quibus perſonis ſpolia Eccleſiaſtica capiantur.*

Quæſt. 1. Qui hoc nomine intelligantur, an ſolum Clerici. 113.2.1
2. An Regulares etiam hoc nomine comprehendantur reſpectu ſpoliorum. 114.1.2
3. An conuerſi oblati Deo in monaſteriis, nomine perſonæ Eccleſiaſticæ ad hunc effectum ſpoliorum contineantur. ibid. 3
4. Quæ ergo perſonæ, vniuerſè loquendo, ſpolio Eccleſiaſtico ſubiectæ ſint. ibid. 4
5. Quæ perſonæ Eccleſiaſticæ ſpeciali conceſſione ſint exceptæ. ibid. 5

CAP. III. *Quæ bona ſpoliis Eccleſiaſticis ſint addicta.*

Quæſt. 1. An bona patrimonialia ſpolio Eccleſiaſtico ſubiecta ſint. 114.2.1
2. Quæ ſint bona patrimonialia. ibid. 2
3. An de bonis quaſi patrimonialibus ſpolia fiant. ibid. 2.3
4. Quæ ſint bona quaſi patrimonialia Eccleſiaſticorum. ibid. 2.4
5. An fructus beneficij à beneficiario percepti, & reliquis illius bonis incorporati, fiant illius quaſi patrimonialia. ibid. 2.5
6. An fructus beneficij, qui debentur beneficiario pro iuſta & rationabili ipſius ſuſtentatione, fiant illius quaſi patrimoniales. 115. 1.6
7. An ſi beneficiarius habeat patrimonium vnde ſuſtentetur, nihilominus partem fructuum rationabili ſuæ ſuſtentationi conuenientem ſuam propriam faciat, & quaſi patrimonialem. ibid. 7
8. An beneficiarius non ſeruiens, ſed de beneficio ſimplici ſine vlla aſſiſtentia prouiſus, poſſit alimenta & alia iuſtæ ſuſtentationi congrua ſuſcipere, ſi ex patrimonio vel aliunde habeat vt ſuſtentetur. Ratio dubitandi eſt, quia huic nec ob egeſtatem ſubleuandam, nec ob ſeruitium & laborem, pars vlla fructuum debetur. ibid. 8
9. An ergo poſſit beneficiarius, cui aliunde ſine ex propria induſtria ad commodam ſuſtentationem & ſtatui congruentem ſufficit, de ſolo beneficio viuere, totum patrimonium integrum reſeruando. 115.2.9
10. An poſſit eſſe beneficiarius qui fructus omnes ſui beneficij quaſi bona patrimonialia poſſideat. ibid. 10
11. An diſtributiones quotidianæ quæ dantur interuenientibus & præſenti obſequio ſeruientibus, inter bona quaſi patrimonialia cenſeantur. ibid. 11
12. Quæ bona Eccleſiaſticorum vniuerſè loquendo inter illorum patrimonialia cenſeantur. ibid. 12

CAP. IV.

Digitized by Google

9. An omnes prælati hoc priuato iure teneantur, quod oritur ex iureiurando. ib.13
10. Quid hoc iuramento contineatur. ib.14
11. Quare hoc iuramentum inductum ſit. ib.15
12. An ad aliquid amplius obliget iuramentum quàm Paulina. ib.2.16
13. An alienationes ſine conſenſu Romanæ Sedis contra iuramentum à prælatis factæ, validæ ſint. ib.17

Cap. II. *Quid nomine alienationis intelligatur, & quæ alienationis ſpecies prohibeantur.*

*Quæſt.*1. An alienationis nomen latè vel ſtrictè ſumatur in iure, cùm de rebus Eccleſiaſticis agitur alienandis. 138.2.1
2. Quot ſint ſpecies alienationis quæ prohibentur fieri niſi cum cauſa & ſolemnitatibus requiſitis. ibid.2
3. An omnis venditio, donatio & mutatio rei Eccleſiaſticæ prohibita ſit, niſi facta certa de cauſa, & cum certa ſolemnitate. ibid.3

De locatione.§.1.

*Quæſt.*1. An omnis locatio rei Eccleſiaſticæ prohibeatur. ib.2.4
2. An omnis locatio vltra triennium prohibeatur. ibid.7
3. An poſſeſſio & prædium Eccleſiæ, quod iuſtum fructum reddere quotannis non ſolet, vltra triennium locari poſſit. 139.1.8
4. An poſſint plures locationes triennales eodem tempore validè celebrari. ibid.9
5. An locatio vltra triennium ſuſtineatur, ſaltem pro parte quæ triennium non excedit. ib. 10
6. An eodem tempore tres locationes triennales celebrans Paulinæ pœnas incurrat. ib.2.13
7. An locatio ad tempus incertum, puta donec bellum hoc perduret, vel ad vitam conductoris aut locatoris, hac conſtitutione prohibeatur. ib.14
8. An poſſit fieri promiſſio de locatione facienda vltra triennium. 140.1.19
9. An vbi conſuetudo eſt fieri locationes vltra triénium non requiſito aſſenſu Sedis Apoſtolicæ ſucceſſor in beneficio teneatur ſtare locationi. ibid.2.22

De aliis ſpeciebus alienationis non gratuitis. §.2.

*Quæſt.*1. An permutatio bonorum Eccleſiaſticorum prohibeatur. ib.23
2. An hypothecatio ſiue obligatio, per quam transfertur ius aliquod in re prohibeatur. ibidem.24
3. An tranſactio & compromiſſum prohibeatur. ibid.25
4. De impoſitione ſeruitutis. 141.1.26

De alienationibus gratuitis.§.3.

*Quæſt.*1. An donatio in ſe ſpectata ſit prohibita. ibid.27
2. An ceſſiones iurium, actionum, ex hac prohibitione includantur. ib.28
3. An poſſit beneficiarius alteri liberalem ceſſionem facere redituum ſuorum pro toto tempore vitæ ſuæ. ib.29

Cap. III. *Quæ perſonæ poſſint aut non poſſint res Eccleſiaſticas alienare.*

Penes quem ſit dominium bonorum immobilium Eccleſiarum, & quatenus alienandi facultas illi coniuncta. §.1.

*Quæſt.*1. Quæ ſint celebriores ſententiæ de dominio bonorum Eccleſiæ, penes quem illud ſit. 141.2.1
2. Quam probabilitatem habeat ſententia quæ aſſerit beneficiarios eſſe dominos bonorum immobilium beneficij. 142.2.5
3. De opinione quæ vult Deum & Chriſtum Dominos eſſe horum bonorum, quantam probabilitatem habeat. 143.2.6
4. De dominio penes Eccleſiam & communitatem, quàm probabiliter id aſſeratur. 145.1.8
5. Quid cenſendum de opinione quæ dominium ſtatuit penes Pontifices. 146.1.10

De prohibitione alienandi reſpectu Summi Pontificis: an hic & quatenus & reſpectu quorum bonorum ille teneatur. §.2.

*Quæſt.*1. An Summus Pontifex teneatur ex prohibitione ſacrorum canonum non alienare. 147.1.16
2. An & quatenus Summus Pontifex ex lege naturali teneatur res Eccleſiæ non alienare. 148.1.17
3. Ex quotuplici capite teneatur Sum. Pontifex de iuſtitia non alienare. ib.2.18
4. Ad quam alienationem non faciendam Pontifex ex iuſtitia teneatur. 149.2.19
5. An omnis alienatio merè gratuita & non compenſatiua rerum immobilium Eccleſiæ à Pontifice facta, ſit contra iuſtitiam. 151.1.22
6. Quæ ſit differentia inter abſolutum dominum, & limitatum, ſiue etiam tantùm adminiſtratorem, in facultate alienandi. ib.23
7. Quæ cauſa requiratur & ſufficiat vt dominus non abſolutus iniuſtè non alienet. 152.1.27
8. An cùm Summus Pontifex aliquid alienat, ſemper præſumendum ſit iuſtam cauſam ſubeſſe alienandi. 153.2.29
9. Quid operetur cùm iuſta cauſa in Summi Pontificis alienationes aut alia diſpoſitione dicitur præſumenda, aut non præſumenda. 156.1.32
10. An alienatio compenſatiua, ſiue titulo oneroſo, fieri ad libitum poſſit à quocumque domino non abſoluto. 157.1.35
11. An quatenus Summus Pōtifex bona vni Eccleſiæ attributa, poſſit in alteram Eccleſiam non alienare. 158.2.37
12. An cùm Summus Pontifex ab vna in aliam Eccleſiam ſine cauſa alienat, iniuſtitia committatur. 160.2.41
13. Cui aut quibus fiat iniuria, cùm ſine cauſa quid ab vna in aliam Eccleſiam alienatur. 162.1.44
14. An poſſit Summus Pontifex pro arbitrio benefi-

Digitized by Google

beneficium vni auferre, & alteri tribuere. ib. 2. 49
15. An ſemper Pontifex licitè poſſit beneficiarium inuitum ſine ipſius culpa bonis beneficialibus priuare, modò id quod abſtulerit compenſet. 163.2.52
16. Quæ alienatio facta à Summo Pontifice valida ſit, aut inualida, iuſta, vel iniuſta. 164.1.53
17. Quæ alienatio Pontificis ſit valida, iuſta & licita, & quæ tantùm valida, licèt iniuſta. 165.2.54
18. An omnis alienatio rei prohibitæ alienari, ſit eo ipſo inualida, nec transferat dominium rei alienatæ. 167.2.56
19. Qualis ſit alienatio bonorum Eccleſiaſticorum ſine cauſa facta in laicos; & an per illam iniuſtitia propriè dicta in Chriſtum committatur. 169.1.57
20. Quid obligatio ex iniuſta bonorum Eccleſiaſticorum in laicos alienatione, tam in alienãte quàm in recipientibus oriatur. ib. 2.61
21. Ad quid in conſcientia teneantur in quos aliquid à Pontifice ſit ex bonis Eccleſiaſticis alienatum. 171.1.67
22. An & quomodo poſſint alienationes à Pontifice factæ, cùm validæ fuerint reuocari. 173.1.72

De iure ſpeciali quoad non alienandum Pontifex obligatur ex iuramento. §. 3.

Quæſt. 1. An ſpeciali obligatione iuramenti Pontifex ad non alienandum obligetur, & quod illud ſit. 174.2.74
2. An poſſit Summus Pontifex ab hoc iuramento ſe abſoluere. 175.1.75
3. Ad quid per hoc iuramentum Pontifex obligetur. ibid. 76
4. An procurantes, conſulentes, verba facientes pro huiuſmodi alienatione, & infeudatione promouenda pœnas vllas incurrant. ib. 77
5. Qui pœnis iſtis contra tractantes de infeudatione impoſitis teneantur. ib. 2.78

De Cardinalibus, & aliis Prælatis, an & quomodo prohibitione alienationis contineantur. §. 4.

Quæſt. 1. An Cardinales legibus de non alienando comprehendantur. ib. 2.79
2. An Cardinales teneantur ſpeciali ratione priuati iuramenti bona Eccleſiaſtica non alienare. 176.1.80
3. An omnes Eccleſiaſtici tam regulares, quàm ſæculares hac probatione teneantur. ib. 2.81
4. De perſonis in quas alienatur, & ſpecialis difficultas eſt de Principibus, an in hos poſſint res Eccleſiæ diſpoſitione oneroſa alienari. ib. 82
5. An ratione iuramenti præcisè ad quid non alienandum teneantur qui illud emittant. ib. 83

CAP. IV. *Quid rerum Eccleſiaſticarum nomine intelligatur in prohibitione alienationis, ſeu, quæ res poßint, aut non poßint alienari.*

Quæſt. 1. An reditus Eccleſiaſtici quos beneficiarij tit. ſui officij & beneficij præcipiunt nomine rerum Eccleſiaſticarum, cùm de alienatione agitur intelligantur. 177.1.1
2. An diſtributiones quotidianæ poſſint alienari. ib. 2.2
3. An omnis res Eccleſiæ immobilis prohibeatur alienari. ib. 3
4. Quæ ſit cenſenda res exigua, aut parui valoris. ibid. 4
5. An huiuſmodi res exiguæ pro libito & arbitrio ſine vlla reſtrictione poſſint à beneficiario alienari. ib. 6
6. An arbores quæ ſolo cohærent incidi prohibeantur per canones de non alienãdo. 178.1.7
7. Quid nomine arborum in re præſenti intelligatur. ib. 2.8
8. An omnes arbores excidi prohibeantur. ib. 9
9. An arbuſculæ ſiue arbores paruæ liberè excidi permittantur. ib. 10
10. Quæ ſint arbores cæduæ. 179.1.11
11. An omnis inciſio in arboribus cæduis liberè permittatur. ib. 12
12. Arborũ inciſio quibus tam ciuili, quàm Eccleſiaſtico iure prohibeatur. ib. 2.13
13. Quid & quantum peccent beneficiarij arbores incidendo. 180.2.16
14. An poſſit beneficiarius arbores non cæduas ſiue frugiferas, ſiue infrugiferas ſecare vt vtiliores & fructuoſiores reponat. 180.2.17
15. An poſſit beneficiarius propria authoritate arbores incidere quando nocent fundo. ib. 18
17. An bona locorum piorum licèt non Eccleſiarum, hac prohibitione contineantur. 181.1.19
18. Quando pia loca cenſeantur, aut præſumantur auctoritate Epiſcopi fundata, ad hoc vt aſſenſus Apoſtolicus requiratur, ſi ſint illorum bona alienanda. ib. 20
19. An non ſolùm Eccleſiæ bona, ſed Eccleſiaſtica ipſa materialis & Oratoria, hac alienationis prohibitione contineantur. ib. 21
20. De bonis mobilibus, an & quomodo prohibeantur alienari. 181.2.22
21. An mancipia, iumenta, &c. poſſint alienari. 182.1.27
22. An iura, actiones & nomina debitorum inter res cõputentur quæ alienari nõ poſſunt. ib. 28
23. An donata Eccleſiæ, cum ea conditione vt pro arbitrio Rectoris ſine alia ſolemnitate poſſint alienari, conſtitutione Paulinæ contineantur. ib. 29
24. An ſi apponatur contraria conditio rei donatæ, vt nunquam liceat illam vllis de cauſis alienare, num poſſit Eccleſia vrgente caſu etiam ſeruatis ſeruandis de illa alienando diſponere. ibid. 30
25. An quando adiecta eſt pœna caducitatis rei donatæ, ſaltem illam Eccleſia & rector incurrant cùm ſine cauſa alienarunt. ibid. 31
26. An relicta Eccleſiæ quæ non eſt capax retentionis dominij, poſſint ſine alia ſolemnitate alienari. ibid. 32
27. An Paulina & alia iura procedant non ſolùm in iam acquiſitis, ſed etiam in acquirendis; nempe vt non poſſint alienari, aut non aliter quàm cum cauſa & ſolemnitate. ib. 2.33
28. Quæ ſint acquirenda ipſo iure ad Eccleſiam tranſeuntia. ibid. 34
29. An poſſit hæreditatem cedere in fauorem alterius. 183.1.35
30. An bona in Emphyteuſin dari ſolita poſſint ſine ſolemnitate iterum concedi. ib. 36

Digitized by Google

CAP. V. *Quid requiratur ad iuſtam & validam rei Eccleſiaſticæ alienationem.*

De cauſa requiſita in alienatione. §.1.

*Quæſt.*1. Quot ſint cauſæ, quarum quælibet ſufficit & ad minimum requiritur in alienatione Eccleſiaſtica. 183.2.1
2. Qualis & quotuplex ſit neceſſitas, quæ iuſtam cauſam præbet alienandi. 184.1.2.
3. Qualis & quotuplex vtilitas requiratur in iuſta alienatione. ibid.3
4. An in alienatione maior ſemper vtilitas Eccleſiæ reſpicienda ſit, ita vt ſi aliter fiat, contra vtilitatem peccetur, & ex hac parte claudicet contractus. ibid.4
5. De cauſa pietatis, qualis ea & quotuplex ſit. ibid.2.5

De forma alienationis. §.2.

*Quæſt.*1. Quæ ſolemnitas ex iure antiquo in alienatione requiratur. ibid.6.
2. Quæ ſolemnitas præterea in alienatione ex nouo iure Pontificio requiratur. ibid.7
3. An ſi alia omnia ſeruanda ex antiquo iure, ſeruata fuerint, nihilominus etiam conſenſus Sedis Apoſtolicæ requiratur. ibid.8
4. An aſſenſus Apoſtolicus ſolus ſufficiat ſine alia ſolemnitate. ibid.9
5. Quid requiratur vt habita conceſſione Sedis Apoſtolicæ alienatio valida ſit. 185.1.10
6. Quid intelligatur nomine auctoritatis, & cuius auctoritas in alienatione requiratur. ibid.11
7. Qualis & quorũ tractatus requiratur. ibid.13
8. Quæ ſit cenſenda euidens vtilitas, & reſpectu cuius temporis æſtimanda. 185.2.14
9. An decretum Commiſſarij, qui conſenſum præſtare debet alienationi, faciat eo ipſo præſumptionem pro vtilitate Eccleſiæ. ibid.15.
10. An valeat contractus alienationis ſub conditione aſſenſus Apoſtolici requirendi & impetrandi. 186.1.10
11. An in aliquo caſu valeat alienatio ſine aſſenſu Apoſtolico. ibid.11
12. An conſenſus Apoſtolicus ſicut ſupplet antiquas ſolemnitates, ita etiam ſuppleat cauſas ex communi iure requiſitas. ibid.12.

CAP. VI. *De pœnis contra malè alienantes conſtitutis.*

De pœnis perſonalibus malè alienantium & contrahentium. §.1.

*Quæſt.*1. Quas pœnas incurrant malè alienantes ex Paulina Ambitioſæ. ibid.2.1
2. An malè alienantes alias pœnas incurrant ex Concil. Trid. & quæ illæ ſint. ibid.2
3. Per quos poſſint abſolui. ibid.3
4. A quibus & quando pœnæ iſtæ à malè alienantibus, & recipientibus incurrantur. 187.1.4
5. An ad incurrendas pœnas huius conſtitutionis requiratur realis alienatio, vel ſufficiat attentatio per celebrationẽ inſtrumenti. ib.2.6
6. An pœna priuationis beneficiorum incurratur ipſo facto in conſcientia. ibid.7

De pœnis realibus ipſorum contrahentium in mala alienatione. §.2.

*Quæſt.*1. quot modis alienationes rerum Eccleſiaſticarum, illarúmque contractus inualidi reddantur. 188.1.8
2. An & quando deficiente cauſa poſita tamen ſolemnitate requiſita alienatio inualida ſit. ibid.2.9.
3. Ad quid teneantur contrahentes, ſi contractus inualidus ſit, initus tamen ab iſtis bona fide. ibid.10
4. An alienatio inualida ex defectu cauſæ, vel ſolemnitatis, talis ſit, quia ipſo iure nulla, aut quia reſpicienda & annullanda. 188.2.11

TRACTATVS XLV.

De vitio Simoniæ.

CAP. I. *Quid & quotuplex ſit ſimonia, & de prima eius diuiſione in ſimoniam de iure diuino & humano.*

*Quæſt.*1. QVid nominis de ſimonia. 191.1.1
2. Quid ſit ſimonia. ibid.3
3. Sitne aliqua ſimonia iure diuino prohibita. 192.1.4
4. Quo iure diuino talis ſimonia prohibita ſit, naturali, an poſitiuo. ibid.5
5. An in lege gratiæ ſit latum ſpeciale præceptum diuinum poſitiuum, ſimoniam prohibens. ibid.2.8
6. Qualis malitia ſit, & in ſuo genere mortalis. ibid.11
7. An eiuſmodi malitia ita intrinſeca ſit, vt diſpenſari in ea non poſſit. 193.1.14
8. An ſit in ſimonia malitia contra religionem. ibid.2.16.
9. An ſit etiam malitia contra iuſtitiam proximi in ſimonia. ibid.18
10. An ſimonia ſit vitium proprium legis gratiæ, an verò etiam in veteri committi potuerit. 194.1.20
11. An in lege naturæ fuerit vitium ſimoniæ. ibid.2.26
12. An detur aliqua ſimonia ſolo iure humano prohibita. ibid.28

CAP. II. *De ſecunda diuiſione ſimoniæ in ſimoniam: de materia naturali, & de materia ſupernaturali; & de ſupernaturali per eſſentiam.*

*Quæſt.*1. An detur ſimonia in materia purè naturali. 195.2.1
2. An ſit ſimonia velle vẽdere doctrinam etiãſi intendatur venditio veritatis naturalis. ibid.3
3. An qui auget pretium ſuæ doctrinæ ſimoniacus ſit. 196.1.5
4. An qui vendit doctrinam carius, quàm par ſit, ſimoniam committat. ibid.8
5. An ſi præceptor nolit vacare à legendo, niſi accepto pretio à diſcipulis, ſimoniacus ſit. ibid.2.10
6. An dare licentiam docendi ob pretium ſimonia ſit. ibid.12
7. An bona naturalia moralia ſint materia ſimoniæ. 197.1.13
8. An pro dando conſilio pecuniam accipere, ſimonia ſit. ibid.15
9. An ſit ſimonia, pretium accipere ob exhortationem ad virtutem moralem. ibid.16
10. An vendere opera miſericordiæ pertineat ad ſimoniam. ibid.2.17

11. An

Digitized by Google

11. An ſit ſimonia dare alteri pecuniam vt omittat opus bonum. ibid.19
12. An in materia Religionis naturalis poſſit dari ſimonia naturalis. ibid.20
13. An vendere Sacerdotium in pura natura, ſimonia fuiſſet. ibid.21
14. An gratia vnionis poſſit eſſe materia ſimoniæ. 198.1.22
15. An gratia ſanctificans poſſit eſſe materia ſimoniæ. ib.23

Cap. III. *De materia ſupernaturali ſimoniæ, quæ dicitur ſupernaturalis ex cauſa, hoc eſt, de Sacramentis.*

Quæſt. 1. An Euchariſtia qua ſacramentum eſt permanens poſt conſecrationem ſit materia ſimoniæ. ib.2.1
2. An cætera ſacramenta vt dicunt totum quid conflatum ex materia & forma, ſint materia ſimoniæ. 199.1.4
3. De matrimonio in particulari, an poſſit eſſe materia ſimoniæ. ibid.6
4. An poſſit exigi pretium, pro re quæ eſt materia ſacramenti. ib.2.8
5. An in neceſſitate poſſit emi ſacramentum ab eo, qui non vult aliter miniſtrare. ib.11
6. An ſi petatur pecunia in pretium ſacramenti dari poſſit abſque ſimonia. 200.1.14
7. An liceat pretio inducere ad dandum baptiſmum, eum qui non vult dare ex odio. ibid. 2.15
8. An idem dicendum ſit de ſacramento Pœnitentiæ, & de Euchariſtia pro viatico. ib.16
9. An ſacramentalia ſint materiæ ſimoniæ. 201.1.18
10. An res conſecratæ vendi poſſint ratione materiæ non obſtante conſecratione. ib.21
11. An ſit admittenda aliqua exceptio, vel limitatio ad regulam generalem iam datam. ibid. 2.23
12. An reliquiæ Sanctorum poſſint vendi abſque ſimonia. 202.1.27

Cap. IV. *De eadem materia ſupernaturali in ſpiritualibus ex effectu.*

Quæſt. 1. An actus ordinum procedentes à poteſtate ordinis generatim ſint materia ſimoniæ. ib.2.1
2. De actibus ordinum in ſpecie, an ſint materia ſimoniæ. 203.1.3
3. De diuinis officiis, an ſint materia ſimoniæ. ib.2.7
4. De actibus ſpiritualibus qui ſoli operanti vtiles ſunt, an licitum ſit dare pecuniam, vt quis Chriſtianus fiat, vel religionis, vel frequentet ſacramenta. 204.1.12
5. Quid iuris, quando fieret pactum expreſſum vel tacitum, do vt facias. ib.2.14
6. An ingreſſus religionis ſit materia ſimoniæ. 205.1.18
7. An doctrina Theologiæ ſit materia ſimoniæ in ordine ad illam docendam. ibid.2.25
8. An eadem doctrina ſit materia ſimoniæ in ordine ad dandum conſilium ex ea, & concionandum. 206.1.30
9. An actus iuriſdictionis fori interni ſint materia ſimoniæ. ib.2.34
10. An actus iuriſdictionis fori externi ſint materia ſimoniæ. 207.1.37
11. An labor & defatigatio in operibus ſpiritualibus ſit materia ſimoniæ. 208.1.44
12. An omiſſio ſpiritualium actuum ſit materia ſimoniæ. 209.1.50

Cap. V. *De eadem materia ſupernaturali, in rebus ſpiritualibus per adnexionem, qualia ſunt beneficia Eccleſiaſtica.*

Quæſt. 1. In quo poſita ſit hæc adnexio cum rebus ſpiritualibus. 210.2.1
2. Quæ dicantur adnexa intercedenter & conſequenter. ib.3
3. Quæ dicantur adnexa concomitanter. 211.1.7
4. An id quod ſpirituale non eſt, niſi per adnexionem, ſit materia ſimoniæ. ib.8
5. Quæ ſint certa in materia beneficiorum pertinentia ad ſimoniam. ib.2.10
6. Quæ ſint controuerſa, & quæ DD. ſententiæ ea de re, hoc eſt, an vendere beneficium tantùm ratione temporalis commodi, vel incommodi ob eius priuationem cum reſignatione, ſit ſimonia contra ius diuinum, an verò tantùm contra Eccleſiaſticum. 212.1.13
7. An Papa poſſit præbendam ſeparare ab officio ſpirituali, & ſic eam vendere ſine ſimonia. ib.2.14
8. An Papa poſſit æſtimare valorem penſionis quam beneficio imponit; & eum ſimul accipere. ibid.16
9. An Papa media ſeparatione præbendæ poſſit dare beneficium exhibenti pecuniam. 213.1.18
10. An Epiſcopus non obſtante iure poſitiuo poſſit imponere onus pecuniæ accipienti beneficium. ibid.2.20
11. An in priuata perſona ſimonia ſit aliquid poſtulare ab eo, cui beneficium confert. ib.23
12. Quid dicendum ſit de Præſtimoniis, an ſint materia ſimoniæ. 214.1.26

Cap. VI. *De aliis beneficiis Eccleſiaſticis, an ſint materia ſimoniæ.*

Quæſt. 1. De commendis clericalibus, an ſint materia ſimoniæ. ib.2.1
2. De commendis militaribus. ib.4
3. De Coadiutoriis, an ſint materia ſimoniæ. 215.2.6
4. De Hoſpitalibus, an ſint materia ſimoniæ. ib.7
5. De iuriſpatronatu, an ſit materia ſimoniæ. ib.19
6. An ſimonia admiſſa in venditione eius ſit contra ius diuinum. 216.1.10
7. An poſſit transferri ius patronatus, & transire cum re vendita, in qua fundatum eſt. ibid. 2.12
8. An in beneficio litigioſo aliquem præſentare cum conditione, vt ſuis expenſis litiget, ſimonia ſit. ibid.13
9. Quibus modis ius patronatus in alium transferri poſſit. ibid.14
10. De temporalibus officiis, quomodo ſint materia ſimoniæ. 217.1.17
11. An peccatum cõtra eiuſmodi prohibitionem cõmiſſum ſimonia ſit, vel aliud vitiũ. ib.2.20
12. Quæ officia temporalia comprehendantur ſub prohibitione. ibid.21
13. De officio Sacriſtæ, & Primicerij in particulari. ib.22

Digitized by Google

14. An vendere functiones eiuſmodi officiorum, vel bona Eccleſiæ ſimonia ſit. 218.1.24

Cap. VII. *De ſimonia in permutationibus beneficiorum.*

Quæſt. 1. Quid requiratur ad rationem pretij. ib. 2.1
2. An res ſpiritualis ſtando in ſolo iure diuino poſſit habere rationem pretij. ibid.3
3. An in permutatione ſpiritualium poſſit eſſe ſimonia contra ius Eccleſiaſticum. 219.2.9
4. An permutatio ſacra in prouiſionibus beneficiorum ſit ſimonia contra ius Eccleſiaſticum. 220.1.12
5. An extra beneficia permutatio ſpiritualis cum ſpirituali ſit ſpecialiter prohibita. ib.2.14
6. An Prælati auctoritas neceſſaria ſit ad euitandam ſimoniam in beneficiis. ib.16
7. An liceat ſe mutuò obligare ad perſeuerandum in conuentione, donec ſuperior deneget conſenſum. 221.1.18
8. Quis ſit ſuperior, cuius auctoritate facienda permutatio eſt. ib.2.20
9. An aliquando licitè fieri poſſit, abſque auctoritate ſuperioris. ib.23
10. An beneficia permutari poſſint cū penſione, & quis poſſit facere hanc permutationē. ib.25
11. An permutatio inæqualium beneficiorū poſſit fieri facta temporali recompenſatione abſque ſimonia. 222.2.29
12. An ſi cōpenſetur exceſſus pecunia, poſſit fieri interuenientia ſuperioris auctoritate. ib.33
13. An permutatio beneficiorum imponenda alteri penſionem ſimoniaca ſit. 223.1

Cap. VIII. *De ſimonia in penſionibus, & reſignationibus beneficiorum.*

Quæſt. 1. De penſionibus quæ dantur laicis, an ſint materia ſimoniæ. 224.1.1
2. De penſionibus Clericalibus, an ſint materia ſimoniæ. ib.2.5
3. An ſint redimibiles propria auctoritate abſque ſimonia. 225.1.8
4. De penſionibus Clericalibus, quæ dantur pro munere ſpirituali, an vendi poſſint. ib.11
5. De penſionibus quæ dantur pro beneficio, an vendi & redimi poſſint. ib.2.14
6. De reſignatione pura & abſoluta, & de pura, ſed ſub conditione ſuſpenſiua. 226.1.16
7. An peccatum commiſſum contra eiuſmodi prohibitionem contineat ſimoniam contra ius diuinum vel humanum tantùm. ib.2.28
8. An Epiſcopus poſſit acceptare illam reſignationem abſque ſimonia; & quid agere debeat, ſi illam acceptet. ib. 21
9. De reſignatione pura, ſed ſub conditione in vim modi. 227.1.25
10. An reſignationes reciprocæ habeant locum coram ordinariis. ibid. 2.30
11. An liceat fingere permutationes vt reſignatio acceptetur. ibid.32
12. De reſignatione facta cum onere penſionis. 228.1.33
13. An qui beneficium habuit litigioſum, & fecit in eo multas expenſas, poſtea pacificè poſſidens poſſit reſignare cum pacto vt prouiſus ſoluat expenſas. ibid. 35

Cap. IX. *De tertia item diuiſione ſimoniæ ex parte pretij.*

Quæſt. 1. Quibus modis abſque ſimonia, temporalis res dari poſſit. ib.2.1
2. Qua ratione id quod datur conſtituatur in ratione pretij in foro interiori. 229.1.2
3. Qua ratione res temporalis conſtituatur in ratione pretij in ordine ad forum externum. ib.4
4. De diuiſione pretij in munus à manu, à lingua, & ab obſequio, an ſit ſufficiens. ib.2.6
5. An datio beneficij ob timorem ſimonia ſit. ibid.8
6. De tribus aliis quæſtionibus ad idem facientibus. 230.1.10
7. Quid intelligatur per munus à manu. ibid. 2.12
8. Quid intelligatur per munus à lingua, & an dare beneficium ob preces ſimonia ſit. 231.1.13
9. An dare rem ſpiritualem ob alia genera verborum, ſimonia ſit. ibid.1.19
10. Quid intelligatur per munus ab obſequio, & quid iuris de obſequio temporali. 232.1.21
11. Quid iuris de obſequio ſpirituali. 233.1.28
12. An ſpirituale obſequium poſſit adnecti temporali. Quod eſt quærere, an res temporalis, Eccleſiæ relinqui poſſit cum onere præſtandi aliquid ſpirituale. ib.30

Cap. X. *De quarta diuiſione ſimoniæ, in mentalem, conuentionalem, & realem.*

Quæſt. 1. An prædicta diuiſio ſufficiens ſit. ibid. 2.1
2. An ſimonia ficta diſtincta ſpecies ſimoniæ ſit, an verò ad prædictas referenda. 234.2.6
3. De ſimonia confidentiali, an comprehendatur ſub prædicta diuiſione. 235.1.11
4. Quæ intentio neceſſaria ſit ad mentalem ſimoniam. ibid.15
5. An intentio remunerationis ex pura gratitudine ſufficiat ad ſimoniam mentalem. 236.1.20
6. An ſit licitum deducere in pactum antidoralem obligationem. ibid. 2.23
7. An deducere in pactum ſtipendium ſuſtentationis pro ſpirituali functione ſimonia ſit conuentionalis. 237.1.26
8. An eiuſmodi ſtipendium poſſit lege taxari. ibid.29
9. An exigere ſtipendium pro functione ſpirituali debita ex officio, vel beneficio pertineat ad ſimoniam conuentionalem. 238.1.31
10. An peccatum contra prohibitionem Eccleſiæ commiſſum, in eiuſmodi exactionibus, pertineat ad ſimoniam. ib.2.34
11. An exactiones temporalium pro ſpiritualibus honeſtari poſſint conſuetudine. ibidem. 36
12. Quæ conſuetudo probanda, quæ verò reprobanda ſit. 239.1.39
13. An poſsit eſſe ſimonia realis abſque conuentionali. ibid.42

Cap.

Digitized by Google

CAP. XI. *De nonnullis aliis modis pactionum qui excuſare poſſunt à ſimonia.*

*Quæſt.*1. Quæ regulæ ſint ad cognoſcendam ſimoniam in paciſcendo, vel tribuendo aliquid temporale pro ſpirituali. 240.1.1
2. Quid iuris de prima regula. ibid.2
3. Quid iuris de ſecunda regula. ib.2.6
4. Quantum extendatur hæc ſecunda regula in beneficialibus. 241.1.8
5. An ſecunda regula patiatur aliquam exceptionem in iure nondum acquiſito. ib.2.11
6. An liceat ſubornare aliquem, vt dignior eligatur. ib.12
7. An in aliis electionibus, & in actibus præter electionem, prohibeatur redemptio vexationis, vel non. 242.1.14
8. An tranſactio ad componendam litem habeat locum in ſpiritualibus abſque ſimonia. ib.17
9. De tranſactione in qua ius ſpirituale remittitur pro temporali. ib.2.23
10. De tranſactione in materia non beneficiali, cùm compenſatur per largitionem iuris ſpiritualis proportionati. 243.1.24
11. De tranſactione in materia beneficiali. ibid. 2.25
12. An auctoritate Epiſcopi poſſit fieri prædicta tranſactio. ibid.27
13. An alij ab Epiſcopo id etiam poſſint. ib.29

CAP. XII. *De perſonis in quas poteſt cadere vitium ſimoniæ, atque adeò de eius cauſa ſufficiente.*

*Quæſt.*1. An Summus Pontifex ſimoniam committere poſſit. 244.2.1
2. Quibus modis vitare ſimoniam poſſit. ib.3
3. An ſi committeret Papa ſimoniam, incideret in pœnas contra ſimoniacos. 245.1.4
4. De inferioribus generatim. ib.6
5. De Epiſcopis in particulari, quomodo ſimoniam committant in exercitio Pontificalium. ib.2.8
6. Quomodo ſimoniam committat in iudiciis. ibid.10
7. Quando ſimoniam committat in conferendis beneficiis. 246.2.12
8. De clericis, quomodo ſimoniam committant. ib.2.13
9. De Religioſis, quomodo ſimoniam committant. ib.15
10. De laicis, quomodo ſimoniam committant. 247.1.17
11. De communitatibus & Capitulis, quomodo ſimoniam committant. ib.19

CAP. XIII. *De variis pœnis ſimoniæ.*

*Quæſt.*1. An pro ſimonia in quacunque materia incurratur aliqua pœna. ib.2.1
2. An pro quocunque modo ſimoniæ incurrantur pœnæ. 248.1.4
3. An ſit neceſſe ad incurrendas pœnas, vt ſimonia committatur per largitionem rei temporalis, an verò ſufficiat etiam permutatio rei ſpiritualis prohibitæ pro re ſpirituali. ib.2.6
4. Quæ cenſuræ incurrantur per ſimoniam. 249.1.9
5. Quando incurrantur hę pœnæ quas diximus excommunicationis, & ſuſpenſionis. ib.2.14
6. Quæ priuationes incurrantur, & primò an actio ſacra & functio ſpiritualis valida ſit. 250.2.19
7. De irritatione in rebus permanentibus ſacris & ſpiritualibus. 251.1.22
8. Quomodo ampliatur eiuſmodi pœna in beneficiis. ib.2.23
9. De priuatione beneficiorum, quæ antea rītè obtenta eſſent; & de inhabilitate ad illa. 252.1.14
10. De pretio reſtituendo, quo iure reſtituēdum, & de regulis pro reſtitutione. ibid.2.27
11. De pretio reſtituendo ex vi iuris Eccleſiaſtici, an ſit reſtituendum ante ſententiam, & cui. 253.2.31
12. De diſpenſatione circa ſimoniam. 254.2.36.

ELEN

ELENCHVS AVCTORVM E SOCIETATE IESV, *quorum maximè laboribus* VINCENTIVS FILLIVCIVS, *& Auctor Appendicis vſi ſunt.*

Robertus Bellarminus.
Franciſcus Toletus.
Franciſcus Suarez.
Ludouicus Molina.
Leonardus Leſſius.
Gabriel Vaſquez.
Ioannes Azor.
Gregorius de Valentia.
Ægidius Koninck.
Emmanuel Sà.
Ferdinandus Rebellus.
P. Auila de cenſuris.
P.Reginaldus Inſtit.Confeſſ.

TRACTA

Digitized by Google

TRACTATIO QVADRAGESIMAPRIMA.

DE BENEFICIIS ECCLESIASTICIS.

QVI de beneficiis egerunt, ad tria ferè capita multiplices dè beneficiis quæſtiones reuocant; quo iure acquirantur; quo iure conſeruentur; quo amittantur.ita Rebuffus in ſua praxi benef.*quem ſecutus eſt magna ex parte Azor* tom.2. à lib.3. *Leſſius* lib.2. de Iuſt. cap.34. *Addunt alij, qui conferre iure beneficia poſſint,& quibus conferri valeant, vt Azor* loc.cit. *Alij cum beneficiis etiam iungunt penſiones,& Spolia Clericorum. Nos igitur omnia ordinatim comprehendentes, vndecim capitibus materiam vniuerſam de beneficiis explicabimus.quibus breues deinde tractatus adiungemus de Penſionibus; de Spoliis Clericorum;de Alienatione rerum Eccleſiaſticarum. In hoc autem tractatu de beneficiis ea in ordinem redigemus, quæ latiùs tractant, Jo.de Selua, Franciſcus Duarenus,Chriſtophorus Roſin. Jo.Coraſius,qui habentur* tom.15. tractatuum,in parte 1. *Petrus Rebuffus* in ſua praxi benef. *Azor* tom.2. Inſt.à lib.3.ad 9. *Leſſius* lib.2.de Iuſt.cap.34. *Hieron. Gonzales* ſuper regulam octauam Cancell.*Nicolaus Garzia in ingenti ſuo volumine* de benefic. *Summiſtæ* verb.beneficium.*vbi Angelus,Syluëſt.Caiet.Armilla,Tolet.* lib.5.à cap.76.ad 84. *& alij. Capita autem huius noſtri tractatus erunt. Primum, de beneficiis eorúmque diuiſione in genere & in ſpecie. Secundum, penes quos ſit poteſtas conferendi beneficia. Tertium, quibus viis ac modis ea conferri valeant. Quartum, de forma ſeruanda in iis conferendis. Quintum, quinam eorum capaces ſint, quáſque conditiones habere debeant. Sextum, de pluritate beneficiorum in vno eodémque beneficiario. Septimum, quæ iura ſeruare debeant, vt in beneficio adepto conſeruentur. Octauum, quibus modis & ob quæ crimina amittantur. Nonum, de permutatione beneficiorum, qui eſt vnus ex modis quibus amittuntur. Decimum,de reſignatione, qui eſt alter modus. Vndecimum, de confidentia beneficiorum.*

CAPVT I.

De beneficiis, eorúmque diuiſione in genere & in ſpecie.

HOc primo cap. quid ſit beneficium, & quotuplex, vſque ad infimas ſuas ſpecies exponendum eſt. Primò ergo quæram quid ſit. Secundò quotuplex in genere. Tertiò de prima ſpecie,hoc eſt,de regulari & manuali. Quartò de ſecunda, hoc eſt, de ſæculari ſimplici.Quintò de tertia,hoc eſt,de curato inferiori. Sextò de quarta, hoc eſt, de officio. Septimò de quinta,hoc eſt,de perſonatu. Octauò de ſexta, id eſt,de dignitate.Nonò de ſeptima,hoc eſt,de Epiſcopatu, vbi etiã de Archiepiſcopatu, Primatu & Patriarchatu. Decimò de octaua,hoc eſt, de Cardinalatu. Vndecimò de nona,hoc eſt de Papatu.

PRIMO igitur QVÆRO, quid ſit beneficium? RESPONDEO & DICO PRIMO, 1. *Beneficium quid.*
Beneficium latè ſumi pro beneuola actione quæ gaudenter tribuitur capienti, ex *l. 1. ff. in quibus cauſis.* & explicat Ioan. de Selua *part.1. quæſt.1.* & comprehendit tam laicale, quàm Eccleſiaſticum beneficium: vnde hoc modo idem eſt beneficium quod munus, vel gratia in aliquem collata; quo pacto etiam clericale beneficium ſecundùm multos, ex Azor. *lib.3.cap.1.quæſt.1.* dictum eſt ad inſtar beneficij militaris quod olim indulgentia Principis emeritis militibus tribui ſolebat, tanquam ſtipendium laborum in agri vel prædij alicuius parte.

DICO SECVNDO, Beneficia ortum ha- 2.
buiſſe ex portione canonica aſſignata miniſtris *& vnde ortum.*
Eccleſiæ in ſtipendium laboris ex bonis communibus Eccleſiæ à fidelibus collatis. In quo ſupponendum, olim ex oblationibus fidelium & bonis Eccleſiæ relictis Epiſcopum conſueuiſſe partem

tem impendere in ipſius Eccleſiæ ædificationem, cultum & conſeruationem: partem in alendos miniſtros ipſi Eccleſiæ neceſſarios; partem in ſui familiæque ſuæ ſuſtentationem: & partem in pauperes aliósque vſus pios. Sed proceſſu temporis refrigeſcēte charitate, ſeparata eſt à Syluestro Papa, vt habetur *c.4. ſuorum Decret.* portio canonica quæ tribuebatur miniſtris, & erecta ſunt beneficia, vel quia non poſſent Clerici ita pacificè viuere communiter; vel quòd plerique maiores commoditates expeterent, vel quòd nollent ſe mancipare ſtatui Eccleſiaſtico ſub tanta diſciplina: ſic ergo paulatim inſtituta ſunt beneficia & præbendæ, ex quibus ſeorſim & magis copiosè pro ſuo arbitrio poſſunt viuere. quod totum pluribus explicat Azor *loc. cit. & lib. 6. quæſt.* 1. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 4. *dubio* 6. Tol. *lib.* 5. *cap.* 76. Ex his,

3. *Eius requiſita.* Dico tertio, tria concurrere ad conſtituendum beneficium Eccleſiaſticum. Primum ac potiſſimum eſt ipſum officium, & obligatio exercendi aliquam actionem ſpecialem, qualis eſt recitare horas canonicas, Sacramenta adminiſtrare, prædicare verbum Dei, & ſimilia. Secundum eſt ius quoddam exigendi & percipiendi prouentum & fructus aliquos ob officium quod præſtatur. Tertium ſunt ipſi fructus in rebus naturalibus, vt frumento, vino, &c. vel in pecunia. Hæc igitur tria comprehendenda ſunt in definitione beneficij: nam vnum ſine cæteris non ſatis eſt. nam primò functio Clerici & miniſterium nō ſatis eſt; multi enim recitant horas in Eccleſia, ſacrum faciunt, & Sacramenta perſæpe miniſtrāt, qui tamen beneficiarij nō ſunt. Nec ſecundò ſufficit ius ad percipiendos reditus Eccleſiaſticos: nam conductor beneficij habet ius ad illos reditus; & tamen beneficiarius non eſt. Nec tertiò ipſi fructus ſufficiunt, cùm eos etiam conductor prædij poſſit percipere, & penſionarius, vt conſtabit ex infrà dicendis; qui tamen beneficiarij non ſunt. Ex his,

4. *Definitio.* Dico quarto, Beneficium optimè definitū eſſe Ius perpetuum ac legitimum percipiendi fructus ex bonis Eccleſiaſticis ob aliquod officium ſpeciale. colligitur ex *cap. relatum de præbendis.* Hoſt. & Innoc. *ibi.* Io. de Selua *quæſt.* 1. Syl. *verb. beneficium, in initio.* Tol. *lib.* 5. *cap.* 26. Azor. *lib.* 3. *cap.* 1. *quæſt.* 2. Leſſio *cap.* 34. *dubio* 1. Ratio ſumitur ex dictis, quia in ea comprehenduntur tria illa quæ diximus requiri ad beneficium. Additum eſt primò *perpetuum*, vt indicaretur ius illud quod eſt in beneficio non ſolere concedi ad tempus certum, ſed ad totam Clerici vitam. Idcirco dicemus infrà vicariā temporalem non eſſe beneficium canonicum, vt Nauar. *conſ.* 6. *de præb.* item non extingui morte beneficiarij, ſed tantùm vacare poſſeſſore; ideóque iterum conferri poſſe in alterum, ad differentiam penſionis, quæ morte penſionarij finitur, & ceſſat, non autem vacat. Secundò additum eſt *legitimum*, vt ſignificetur eiuſmodi ius debere eſſe conſtitutum auctoritate ſuperioris Eccleſiaſtici; vt colligitur ex *cap. nemo, & cap. nullus. de conſecratione, diſt.* 1. Vnde ſi quis aſſignaret alteri ius perpetuum percipiendi fructus ex aliquo prædio, non diceretur dare beneficium niſi auctoritas Prælati accederet. Et ratio eſt, quia ad Eccleſiaſticum Prælatum pertinet officia in Eccleſia inſtituere, eiſque fructus adiungere vt Eccleſiæ cultus exigit: alioquin eſſet magna perturbatio & confuſio.

Vicaria temporalis.

Non obſtat quòd beneficia regularia vera beneficia ſint, vt videbimus infrà, & tamen perpetua non ſunt. nam ad nutum ſuperioris amouibilia ſunt; vnde etiam dicuntur manualia. reſpondeo enim nō eſſe amouibilia ex ſua inſtitutione, ſed ex perſona quæ illa obtinet. quia enim ſubiecta eſt ſuperiori quoad officium, habitationem & directionem totius vitæ; idcirco cùm regularis obſeruantia poſtulat vt amoueatur, ita fieri ſolet. Non eadem eſt ratio ſecularium reſpectu Papæ, qui niſi ex peculiari iuſta cauſa non ſolet pro arbitrio priuare illos beneficiis. 5. *Beneficia regularia.*

Ex hac definitione colligitur, patrimonium, in cuius titulum quis ad ſacros ordines promouetur, non eſſe beneficium: tum quia ad bona ſæcularia pertinet; vnde poteſt eſſe indiuiſum cum aliis fratribus: tum quia non vacat morte Clerici, ſed tranſit ad hæredes defuncti: tum quia nō confertur ab habente auctoritatem Eccleſiaſticam; ſed iure hereditario pertinet ad Clericum. Abbas *cap. tuis. de præb. n.* 6. Azor *cap.* 4. *q.* 2. quidquid contrà Gofr. *tit. de præb. n.* 14. Non poteſt tamen alienari ſine Epiſcopi licentia, donec Clericus ſit adeptus beneficium ſufficiens ad vitam; ex Trid. *ſeſſ.* 21. *cap.* 2. quod poteſt impetrare etiamſi habeat ſufficiens patrimonium, & datum recipere; quia nemo militat ſuis ſtipendiis, 1. *Cor.* 9. & docet gloſ. Abb. Innoc. & alij *in cap. poſtulaſti. de reſcriptis.* Vide plura de patrimonio apud Alex. *loc. cit.* *An patrimonium ſit beneficium.*

Quæro ſecundo, quotuplex ſit beneficium. Pro reſponſione notandum, beneficiorum diuiſionem non ſumi ex qualitate, quantitate aut modo redituum: nec ex eo quòd ſint ex decimis, vel ex oblationibus, vel ex prædiis, aut aliis Eccleſiaſticis bonis. hæc enim varietas eſt materialis, & accidentalis; ſed ex titulis propter quos reditus Eccleſiaſtici tribuuntur. Hoc poſito, 6.

Respondeo, beneficium multipliciter diuidi, vt fuſiùs tradunt Sel. *q.* 2. Reb. *cap.* 4. Azor *lib.* 3. *cap.* 1. *q.* 4. Leſſius *dubio* 2. Primò enim aliud eſt Regulare, aliud ſæculare. *cap. cùm ſingula. de præb. in* 6. Regulare eſt quod tantùm Regularibus confertur; vt Abbatia regularis, prioratus conuentualis, clauſtralis, & ſimplex, de quo *in quæſt. ſeq.* Sæculare quod ſæcularibus perſonis eſt addictum & debitum, de quo *quæſt.* 4. Secundò ſæculare aliud eſt ſimplex, quod nullam habet adminiſtrationem, nec eſt vlla iuris qualitate affectum, ſed tantùm inſtitutum ad recitandas horas canonicas, vel alia diuina officia perſoluenda: vt Capellania, Canonicatus, Sacella, Altaria, de quibus infrà. Aliud duplex, quod eſt affectum aliqua iuris qualitate. qualis eſt adminiſtratio rei Eccleſiaſticæ, præeminentia in Choro ante Canonicos; iuriſdictio in foro conſcientiæ, vel contentioſo, de quibus *in q.* 5. Tertiò duplex aliud habet curam animarum: vt Paræcia, Epiſcopatus, & aliquæ Abbatiæ: aliud non habet, vt Archidiaconatus, Decanatus, &c. Quartò duplex ſine cura aliud habet tantùm adminiſtrationem rerum Eccleſiaſticarum, & dicitur officiū, vt Sacriſta & Theſaurarius in Eccleſia: aliud habet tantùm præeminentiam honorificam in Choro ante Canonicos, vt perſonatus: aliud vltra hæc habet etiam iuriſdictionem in foro externo in Clericos, & dicitur dignitas. gloſſ. *in c.* 1. *de conſuetudinibus in* 6. Abbas *in cap. de multa. de præb.* Quintò aliud dicitur manuale, quod poteſt reuocari ad nutum eius qui confert; qualia ſunt beneficia regularia: aliud *Beneficium multiplex.*

Digitized by Google

aliud non manuale, quod, niſi certis de cauſis iure permiſſis, reuocari non poteſt. gloſſ. *Clem. quia regularis. de ſupplenda negligentia Prælatorum.* Sextò aliud eſt electiuum, quod ſcilicet præcedente lectione à Canonicis facta, & accedente poſtea confirmatione ex conſenſu ſuperioris confertur: aliud collatiuum, quod libera & ſimplici ſuperioris voluntate conceditur: aliud miſſum, quod præſentante patrono & Epiſcopo inſtituente confertur. Gem. *cap. cùm illis.* §. 1. *de prab. in 6.*

7. *Alia diuiſiones. Prima.* Poſſet tamen breuiùs & exactiùs modo ſcientifico diuidi hoc modo. Primò enim poteſt diuidi ratione diuerſi generis perſonarum, quibus confertur, & ſic diuiditur in regulare & ſæculare. Regulare autem poteſt ſubdiuidi in ſimplex, vt Monachatus, Canonicatus, & Prioratus ſimplex; quia videlicet in vno codémque monaſterio vno tantùm munere funguntur: & in duplex; vt eſt Abbatia regularis, quæ duplici onere fungitur, tam circa perſonas, quàm circa res monaſterij; & officium regulare, qualis eſt prioratus conuentualis, habens adminiſtrationem & iuriſdictionem in Conuentum Regularium quibus præeſt: & prioratus clauſtralis, qui Religioſis in clauſtro & monaſterio præfectus eſt; poſt Abbatem habens iuriſdictionem.

Secunda. Secundò poteſt diuidi ſecundùm ſe ratione plurium onerum & munerum, quæ ſunt coniuncta cum beneficio, & ſic diuiditur in ſimplex; quod tantùm vnicum onus præſtare debet, quale eſt Præſtimonium, Altare, Capellania, Canonicatus, tantùm enim diuinas preces Deo perſoluere debent, vel etiam ſacrum facere: & in compoſitum, ſeu duplex; quod habet aliquam ſpecialem iuris qualitatem, qualis eſt adminiſtratio rerum Eccleſiaſticarum, Sacramentorum, gradus honorificus in Choro, iuriſdictio ſiue in foro interno, ſiue externo, & ſimilia. Porrò beneficium duplex multiplex eſt: & à minoribus incipiendo, primò ſi tantùm habet adminiſtrationem Sacramentorum cũ iuriſdictione in foro conſcientiæ eſt Parœcia: ſi præterea habet Clericos & Parochos quibus præſit, eſt plebanatus. Secundò ſi habet adminiſtrationem rerum Eccleſiaſticarum ſine iuriſdictione, eſt officium, vt Sacriſtæ, & Theſaurarij. Tertiò ſi habet tantùm honorificum gradum in Choro ante Canonicos, & in Proceſſionibus & ſuffragiis, abſque iuriſdictione & adminiſtratione, eſt perſonatus. Quartò ſi habet præterea etiam iuriſdictionem in Clericos, dicitur dignitas, vt Præpoſitura, Decanatus, Archidiaconatus, Abbatia ſæcularis. Quintò ſi vltra hæc habeat etiam populum ſubiectum cui miniſtret ſacramentum Confirmationis, & Ordinis, eſt Epiſcopatus, Archiepiſcopatus, atque Patriarchatus. Sextò ſi ſit dignitas cum iure Romanum Pontificem eligendi, eúmque iuuandi in cura Eccleſiæ vniuerſalis, eſt Cardinalatus. Septimò ſi hæc omnia habeat, & præterea ſit vniuerſalis Eccleſiæ Præſul, Chriſtique Vicarius, eſt Pontificatus Max. ſiue Papatus.

Tertia. Tertiò poteſt diuidi ratione modi quo beneficium acquiritur; & ita ſi ſit per electionem, dicitur electiuum: ſi per liberam auctoritatem ſuperioris, collatiuum: ſi per Patroni præſentationem & inſtitutionem Epiſcopi, dicitur miſſum, vt ſuprà.

8. TERTIO QVÆRO de prima ſpecie beneficij, hoc eſt, de regulari. de quo dicenda breuiter quinque; quid ſit: quomodo detur: quibus: quænam eius ſpecies: & an regulare conuertatur cum manuali.

DICO ergo PRIMO, beneficium regulare eſſe id quod fundatione, dotatione, inſtitutione, iure, priuilegio, ac conſuetudine pro regularibus eſt inſtitutum, vel ita eſt annexum, vt per eos debeat adminiſtrari. ita colligitur ex *c.* 1. *de Capell. & cap. cùm de beneficio. de prab. in 6.* vbi Doctores, Rebuff. *parte* 1. *cap.* 5. Dixi primò eſſe id quod *fundatione*, &c. ex his enim dignoſci poteſt an ſit regulare. quòd ſi nihil horum eſſet, tunc ſi qui conferunt, non niſi Clericis certæ religioni aſtrictis conferunt, ſignum erit eſſe regulare. Dixi ſecundò *iure, priuilegio, & conſuetudine.* poteſt enim aliquando iure præſcriptionis beneficium quod erat ſæculare fieri regulare, & econtra; ſi nimirum ſpatio quadraginta annorum conſueuit adminiſtrari per Regulares. *cap. cùm de benef. de prab. in 6. & Clem.* 1. *de ſuppl. negl. pral.* quòd ſi priuilegio tantùm Rom. Pontificis & indulgentia id fieret, non ſatis eſſet, remaneret enim regulare, vel ſæculare ſicut priùs, vt docet Azor *c.* 26. *q.* 3. dummodo detur non in titulum, ſed tantùm iure adminiſtrationis & commendationis: quo pacto multæ Abbatiæ & Prioratus, quæ ſunt beneficia regularia, prouidentur à ſæcularibus, nec tamen deſinunt vnquam eſſe regularia. Dixi tertiò, *vel ita eſt annexum.* hoc enim pacto multæ Parœciæ ſunt beneficia regularia, præſertim in Gallia, quæ cum conſenſu monaſterij poſſunt ſæcularibus conferri, vtpote in populi commodum inſtitutæ; vnde ſufficit vt dentur maximè idoneo; vt Leſſius docet *dub.* 2. Sunt autem orta hæc beneficia regularia tribus modis. Primò Principum liberalitate, qui ſic fundarunt & dotarunt Conuentus, Abbates, & Priores conuentuum. Secundò conſtitutione religionis, à qua aſſignati ſunt annui reditus Abbati, Priori, &c. relicta portione ad commoda cæterorum Monachorum alimenta. Tertiò auctoritate Romani Pontificis; per quem coniunctæ ſunt Eccleſiæ cœnobiis Regularium, & cum dote, vt per vicarios perpetuos ex ipſis Monachis regerentur. Azor *d. quæſt.* 3.

Beneficium regulare quid,

& vnde ortum.

DICO SECVNDO, beneficium regulare dari Regularibus quidem iure tituli, ſæcularibus autem iure adminiſtrationis, vel commendationis. Dixi *iure tituli*, hoc eſt, ſecundùm primæuam ſuam fundationem; quamuis ratione paupertatis, cuius voto adſtricti ſunt, dici poſſint ea habere iure adminiſtrationis; quia non ſunt domini fructuum, ſed poſſunt eis vti & frui & impendere in vſus religioſos. Azor *q.* 2. Sæcularibus autem dantur iure adminiſtrationis, vel commendæ, non tituli: quia ſemper remanent beneficia regularia, nec iis dantur ex primæua fundatione, ſecundùm quam regularibus potiùs danda ſunt, in quorum gratia ſunt fundata. 9. *Quomodo detur,*

DICO TERTIO, beneficia regularia eſſe danda Regularibus quandiu ab iis monaſteria adminiſtrari poſſunt; quòd ſi deſint Regulares illius ordinis, aduocandi ſunt Regulares alterius ordinis: ſi etiam hi deſint; tunc dari poſſunt ſæcularibus in commendationem vel adminiſtrationem. ita colligitur ex *cap. inter quatuor. de relig. dom.* Abb. *ibi*, & aliis Doctoribus, idque etiam ſolius Epiſcopi auctoritate fieri po- 10. *& quibus.*

teſt, vt habetur *in dicto c. Propter Regularium defectum in eis* (inquit) *ſeculares Clerici poterunt ordinari.* quod tamen intellige, niſi eorum prouiſio fuerit reſeruata Apoſtolicæ ſedi.

11. *Eius ſpecies.* Dico qvarto, Beneficia regularia, vt diximus, alia eſſe ſimplicia, quæ diſtinguuntur à Rebuff. *c. 5. Praxis benef.* in Prioratus ſimplices, Canonicatus regulares, & Monachatus. *hi enim*, inquit ille, *ſuo & ſimplici onere funguntur. c. quod Dei timorem. c. fin. de ſtatu monachorum.* Alia duplicia, & ſunt primò Abbatia. quia eam obtinentes duplici onere fungi debent; nimirum circa perſonas, & circa res monaſterij. *c. quanto. de officio ord. cap. vt ad monaſterium. de ſtatu monachorum.* Secundò, Prioratus conuentualis, qui eſt in eo, qui præfectus eſt in Conuentu Religioſorum, vt notant Doctores *in cap. capitulum. de reſcriptis.* Tertiò, Prioratus clauſtralis, qui eſt in eo, qui præfectus eſt Religioſis in clauſtro, & eſt primus poſt Abbatem. *cap. vt ad monaſterium de ſtatu monachorum.* Quare hoc eſt diſcriminis inter Prioratum conuentualem, & clauſtralem, quòd ille eſt etiam dignitas, cùm ſit ſuperior totius cœnobij: iſte verò nequaquam, quia ſubiicitur Abbati, & non eſt niſi in monaſterio, in quo ipſe Abbas eſt ſuperior, à quo ille conſtituitur vt curam habeat monaſticæ diſciplinæ. Azor *c.* 20. *q.* 2. Quartò, officiales maiores. *cap. vt ad monaſterium, tit. de ſtatu monachorum. & cap. cùm ſingula. de prab. in* 6. inter quos connumerari poteſt Præceptor. Doctores, vt Innoc. Hoſt. Io Andreas & alij. *in c. deputati. de iudiciis.* Dubium autem eſt an Præceptoriatus ſit beneficium duplex, & Monachatus beneficium ſimplex. *Præceptoriatus.*

Ad primum reſpondeo Præceptores dici adminiſtratores domorum, prædiorum, hoſpitiorum, vel aliorum bonorum Regularium, qui conſtituuntur vel à Magiſtris totius ordinis, vel ab aliis ipſius nomine in tali adminiſtratione. Id maximè contingit in ordinibus Militaribus: vt ſancti Ioannis Ieroſolymitani; ſancti Spiritus in Saxia in vrbe Roma; & ſancti Antonini in diœceſi Viennenſi. hi habent certos annuos reditus, vnde commodè ſuſtentantur; reliquos impendunt in vſus præſcriptos. Dico ergo nil obſtare quo minus dici poſſint beneficia duplicia. Beneficia quidem regularia, quia qui ea poſſident, habent ius exigendi & recipiendi annuos fructus ob adminiſtrationem & officium quod præſtant, & canonica inſtituuntur ab ipſorum Prælatis, vel ad vitam Præceptoris; vel ad nutum, ſi ſunt ſubiecti ſuis ſuperioribus: duplicia autem, qui habent adminiſtrationem bonorum Eccleſiaſticorum, & conſequenter gradum honorificũ in Capitulis & proceſſionibus ipſorum Regularium. Poſſunt autem ea haberi tum iure commendationis, ſiue adminiſtrationis, tum etiam iure tituli; quo pacto ſi habeant, non propterea liberè poſſunt diſponere de fructibus ac ſi domini eſſent; ſunt enim religioni voto paupertatis adſtricti, & propterea tenentur impendere in vſus religioſos.

Monachatus. Ad ſecundum dubium de Monachatu reſpondeo, illum non videri beneficium, niſi Monachus habeat ius exigendi fructus, & recipiendi, ſiue in prædio ſibi à ſuperiore aſſignato, ſiue ab adminiſtratore bonorum monaſterij; quos deinde arbitrio ſuo expendat in vſus ſuos honeſtos & religioſos. Patet, quia ius tale requiritur ad beneficium, vt diximus in eius definitione. Nec ſatis videtur quòd habeat ius petendi alimenta ex cœnobio, niſi ipſe ea ſuo arbitratu expendat: nam etiam Clerici inſeruientes Eccleſiæ olim habebant ius ad alimenta, & tamen quia non erant erecta beneficia, nec extracta ipſorũ portio ex communibus bonis, non dicebantur propriè beneficiarij; ſic ergo nec Monachi communiter conuiuentes ſub obedientia. Extant tamen in nonnullis cœnobiis, præſertim in Gallia & Germania, Monachi, qui habent annuos reditus, quos expendant in ſuos vſus modo dicto, ideircóque tales dici poſſent Beneficiarij. quo pacto concordari poſſunt ſententiæ contrariæ; altera gloſſ. *in Clem. diſpendioſam. verbo, Beneficium. de iudiciis*, dicentis eſſe beneficium, quam ſequitur Rebuff. *dicto c. 5.* altera Abbatis ibidem negantis, quam ſequitur Azor *q.* 7.

Dico qvinto Beneficium manuale eſſe id quod ad nutum conferentis reuocari poteſt. 12. *Manuale.* *Clem. quia regulares. de ſuppl. negl. Pral.* dicitur autem perpetuum: tum quia non ceſſat aut extinguitur vita aut priuatione beneficiarij, ſed alteri confertur: tum quia non eſt ad tempus certum, ſed ad incertum; vnde etiam poteſt eſſe ad vitam: tum denique, quia poteſtate & habitu dicitur perpetuum, ex communi, teſte Azor. *q.* 20. Non conuertitur autem cum regulari. etſi enim vtplurimum regularia ſint etiam manualia, quia ratione perſonæ ſubiectæ ſuperiori regulari conferuntur vtplurimum ad nutum ſuperioris; ſunt tamen etiam inter regularia aliqua non manualia: vt ſunt illa quæ habent annexam curam animarum, quæque conferuntur per electionem factam à Collegio Monachorum, ex Azor. *q.* 14. quemadmodum econtra etſi ſæcularia vtplurimum non ſint manualia; quia non licet eis priuare niſi ex cauſis iure expreſſis: aliqua tamen manualia ſunt, vt quædam Capellaniæ, & alia minora beneficia ſimplicia; alicubi etiam aliquæ Parochiales, vt apud Hiſpanos in diœceſi Cordubenſi, de quibus Azor *q. vltima.*

Qvarto qværo de ſecunda ſpecie, hoc eſt, de beneficio ſæculari ſimplici. 13. *Sæculare.* Respondeo & dico primo, Beneficium ſæculare dici omne illud, quod non eſt pro Regularibus inſtitutum, aut illis peculiariter adnexum; ſed pro Clericis liberis voto & regula Religioſorum. gloſſ. *de officio ord. cap. licet.* hæc Regularibus ſine diſpenſatione Papæ conferri non poſſunt, vt colligitur ex *cap. vt poſſeſſiones. de rebus Eccleſia non alienandis. & c. cùm de beneficio. de prab. in* 6. curata tamen poſſunt conferri abſque ſpeciali diſpenſatione: vt habetur *c. quod Dei timorem. de ſtatu monachorum.* & eſt communis ſententia, teſte Panor. *in dicto c.* Portò omne beneficium præſumitur ſæculare, niſi probetur eſſe regulare. Rebuff. *c.* 4. Milius *verbo, Beneficium.* idcirco ſæcularis non tenetur probare eſſe ſæculare, ſed is qui dicit illud eſſe regulare. Doctores *in c. cùm de beneficio. de prab. in* 6. quod probatur ex poſſeſſione per quadraginta annos abſque diſpenſatione, niſi ex fundatione appareat Regularibus affectum: vel fuerint capellæ fundatæ in monaſterio. hæ enim præſumuntur Regulares, niſi per ſæculares teneri ſint ſolitæ.

Dico secvndo, ſimplex dici quod neque adminiſtrationem rei Eccleſiaſticæ, nec præeminentiam ſingularem, nec clerum, nec popu- 14. *Simplex.*

lum

lum habet: ſed tantùm inſtitutum eſt ad perſoluendas preces aliquas Deo, vel alia diuina officia. *c.2. de renunciatione.* Doctores *loc. cit.* Poteſt autem ſubdiuidi in multas ſpecies. Prima eſt

Præſtimonium. Præſtimonium, portio videlicet aliqua deſumpta ex pinguiori beneficio ſolita dari tantùm Clerico in ſubſidium Terræ ſanctæ, vel vt ſua ſtudia perſequi poſſit. *c.fin.de conceſſione præb. in 6.* cuiuſmodi multa ſunt in Hiſpania. & quidem veriſimile eſt initio non fuiſſe propriè beneficia; dabantur enim ſæpe ad certum tempus in ſubſidium vitæ, vel ad perſequenda ſtudia. quod ſenſerunt Selua *q.3.*Gigas *de penſion. q.28. n.5.* & alij ex Azor. *c.7. q.1.* poſtea tamen tranſierunt in beneficia: tum quia ſic numerantur inter alia in iure Canonico, *c.fin.cit.* tum quia dantur in titulum, & verè ſunt iura perpetua ad recipiendos fructus ob aliquod officium ſacrum: tum denique, quia Pius V. in cõſtitutione quæ incipit, *Ad perpetuam rei memoriam,*obligat etiam habentes præſtimoniales portiones ad officium diuinum,etiamſi nullam aliam obligationem haberent inſeruiendi Eccleſiis, neque reſidendi in illis. quam eſſe communiorem opinionem DD. Spec. Io.Andr. Ancar. Abb. Rebuff. & aliorum, docet Azor *c.7.q.1.* & quamuis iure communi verum eſſet omne beneficium requirere reſidẽtiam, ſiue certam Eccleſiam cui inſeruiat: attamen certum eſt poſſe ex conſuetudine id non habere,vt ex Abb. & Oldrado docet Azor *c.cit. q.3.* cùm enim initio præſtimonia eſſent portiones ſubtractæ de beneficiis, non erat opus eorũ ſeruitio in Eccleſia; vtpote remanente beneficiario, è cuius beneficio illa portio ſubtracta erat. An autẽ poſſit quis habere duo præſtimonia ſimilia, vel diſſimilia, dicetur infrà cùm de pluralitate beneficiorum.

15. *Capellania.* Secunda eſt Capellania,de qua hæc cognoſcẽda ſunt. Primò Capellaniam dictam eſſe à capella, quæ fuit altare capa contectum; tegumento videlicet aliquo pelliceo, vel alterius materiæ, in caſtris erigi ſolitum ad Miſſas celebrandas,cuius prima origo fuit in Francia, vnde nomen traxit.Secundò differt Capellania à capella,quia hęc eſt ædes ſacra,vel ſacellum, vel Oratorium ſemotum ab Eccleſia & templo: Capellania autem ædicula, vel altare ipſi templo annexa, vt colligitur ex *c. 1. de capellis monach.* Azor. *q. vltima. c. 1. & c 8. q.1.* Tertiò eſt beneficium quotieſcumque capella eſt fũdata Epiſcopi auctoritate.gloſſ.*Clem. 2. de decimis.verbo,ſi beneficiorum.* quòd ſi ad laicos tantùm pertineat, nec Epiſcopus in illam ſe ingerat, beneficium non eſt, ſed vel patrimonium Clerici, in cuius bonum cedit; vel officiũ quoddam temporale, cui eſt annexa obligatio ſacra illa faciendi. Quartò eſt beneficium ſimplex; niſi curam animarum habeat adiunctam. *c. quæſitum. 1.q.3. & c. recolentes. de ſtatu monach.* Rebuff. *c. 5. n.14.* Azor *q.4.* & communiter. quod verum eſt tam de Capellania, quàm de capella, ſiue altari Epiſcopi auctoritate conſtructo. Quintò iure cõmuni Capellanus tenetur reſidere, ex *cap. conquerente. c. cùm ad hæc. de clericis non reſidentibus.* & meritò, quia debent inſeruire illi faciendo ſacra ſtatutis diebus. Ad quod melius intelligendum

An ſit ſacerdotalis ex eo quòd habet onus celebrandi. quatuor dubia reſoluenda ſunt. Primum an ſit beneficium ſacerdotale eo ſolo quòd habeat onus celebrandi. Prima ſententia affirmat, ac proinde vult non poſſe prouideri niſi habenti ætatem qua infra annum ſit ſacerdos. ita multi Doctores apud Garziam *part. 7. c.1. §.1. n.76.* Secunda negat, quia niſi expreſsè caueatur in fundatione

quòd per ſeipſum hoc agat, ſatis cenſetur prouiſum voluntati fundatoris ſi per alium faciat; in quo caſu non requiritur reſidentia. Azor *lib. 3. c. 8. q.5.* Sà *verb. beneficium. n. 28.* & alij apud Garz. *n. 86.* vbi deciſio Rotæ & Congregationis Concilij. limita, niſi vltra Miſſas haberet onus adiuuandi curatum; item niſi caueretur in fundatione per talia verba, quæ perſonalem reſidentiam requirant. Secundum dubium, an vbi Capellania eſt ſacerdotalis, poſſit Epiſcopus cum conſenſu Patroni ſaltem pro vna vice diſpenſare, vt conferatur non ſacerdoti, nec actu, nec habitu, qualis eſt qui nec ſacerdos eſt, nec in ætate qua poſſit eſſe. *An diſpenſare poſſit Epiſcopus vt conferatur non ſacerdoti.* Prima ſententia affirmat. Nau. *conſ.6. de clericis non reſidentibus,* & alij apud Garz. *n. 105.* quia ſoli voluntati fundatoris poteſt præiudicari;ſecus vbi fieret præiudicium certæ perſonæ, præſertim ſubſiſtente cauſa. Secunda ſententia negat; quia non probatur ius, quòd Epiſcopus poſſit in vno caſu diſpenſare ſuper voluntate fundatoris. Item quia Epiſcopus poteſt mutare primam voluntatem defuncti, quando non poteſt impleri, ſi poteſt, minimè. Item relicta ad certum opus pium poſſunt in aliud conuerti auctoritate Papæ. Auctores vide apud eundẽ Garz. *n.107.* Dicendum eſt poſt Trid. primam ſententiam non eſſe probabilem, quia *ſeſſ. 25. c. 5.* non poteſt Epiſcopus tollere qualitates appoſitas in fundatione beneficiorum, & ſic cenſuit Congregatio Conc. & Rot. apud eundem Garziam. Tertium dubium, an cenſeatur derogatum fundationi Capellaniæ requirenti ſacerdotium actuale per clauſulam, *Non obſtantibus,* in litteris Papæ. *An derogetur fundationi Capellaniæ per clauſulam, Non obſtãtibus.* Prima ſententia affirmat. Azor *lib.6. c.8. q. 14.* alij apud Garziam *n.118.* mòdò ſit in ætate, vt infra annum poſſit. & ſic tenendum, quidquid alij ſentiant apud eundem Garziam. Quartum dubium; an quando Capellania eſt nimis onerata Miſſis dicendis, & reditus tenues ſunt, poſſit ordinarius minuere numerum Miſſarum. *Numerus Miſſarum an minui poſſit ex cauſa.* Reſpondeo poſſe, ex communi apud Garziam *n. 124.* Azor. *lib.6. c. 14. q.6.* Ratio, quia ceſſantibus reditibus, qui ſunt ſtipendia Miſſarum, ceſſare debet ordinatio teſtatoris. neque contrà obſtat Trid. *ſeſſ. 25. c.4.* reſtringens poteſtatem Epiſcopis vt id in Synodo faciant. Reſpondeo enim non loqui de Miſſis impoſitis Capellaniæ in fundatione: ſed de Miſſis & anniuerſariis relictis in aliqua Eccleſia,vulgò *Donationibus.* & ſic declarauit Congregatio apud Garziam *n. 130.* Quare de aliis aliter relictis ſtandum eſt diſpoſitioni iuris communis: iure autem communi poteſt id facere Epiſcopus extra Synodum ſubſiſtente cauſa,ex *c. cùm acceſſiſſet, & c. ex parte.de conſtitutionibus.*

Tertia ſpecies eſt eorum, qui domus hoſpitalis curam habent; 16. *Hoſpitalarij.* ſi enim hæc Epiſcopi auctoritate conſtructa ſit ad pios vſus, ita vt dicatur religioſus ac ſacer locus,eiúſque curæ ſit præfectus Clericus, & ob eam percipiat annuos fructus, vel ex prima fundatione, vel ex donatione & inſtitutione Epiſcopi, is dicetur iure communi Beneficiarius. & ſiquidem nullos habeat alios Clericos ſub ſe quibus præſit, & in quos habeat iuriſdictionem,dicetur beneficium ſimplex, etiamſi ratione ſui muneris Miſſam dicat, & de licentia Epiſcopi confeſſiones audiat infirmorum, vel peregrinorum, qui in ea domo hoſpitali recipiuntur; ſi verò habeat,erit beneficium duplex. Aliquando etiam hoſpitalis domus eſt coniuncta alicui Eccleſiæ, & tunc eius conditionis benefi-

cium erit, cuius eſt Eccleſia cui annexa eſt. quod enim alteri accedit, ſequitur naturam ſui principalis. Dixi, *ſi Epiſcopi auctoritate conſtructa ſit.* nam ſi ita non ſit, etiamſi ei præſit aliquis Clericus,& ob adminiſtrationem & curam eius recipiat annuos fructus, non erit beneficiarius, cùm id etiã poſſit facere laicus à patrono loco præpoſitus. Conſequenter ad huiuſmodi hoſpitale non habebit ius Epiſcopus, ſed patronus & fundator illius. *c. inter dilectos. de donationibus.* Quando autem res eſſet dubia an fundatum eſſet auctoritate Epiſcopi, néne, habendum eſſet pro religioſo & ſacro; præſertim ſi nomine alicuius Sancti denominaretur. Fed. & Lapus apud Sylueſtrum *verb. Hoſp. quæſt.* 11. Archidiaconus *cap. nemo. de conſecr. diſt.* 1. Azor *cap.* 3. & alij apud illum.

17\. Quarta ſpecies eſt Beneficiatorum, qui etiam Aſſilij, & Manſionarij dicuntur à gloſſ. *in c. cùm ad hoc. de Clericis non reſid.* recepta communiter; & ſunt hi, qui infra Canonicos in Choro diuinas laudes perſoluunt, & altaris miniſterio inſeruiunt, qui Romæ dicuntur Beneficiati; in Hiſpania Portionarij, ex Azor. *c.* 9. *quæſt.* 1. De his ergo hæc cognoſcenda ſunt. Primum, teneri ad reſidentiam in Eccleſia cui inſeruiunt. patet ex officio recitandi horas in Choro, ad quod obligati tenentur. ex his tamen aliqui, dicti Beneficiarij ſimplices, Eccleſiæ non collegiatæ, ex conſuetudine poſſunt abeſſe; dummodo alios in ſui locum ſufficiant, quorum opera ipſimet inſeruire cenſeantur. Secundò, beneficia patrimonialia dici quædam beneficia in Hiſpania, quæ nequeunt cõferri niſi Clericis oriundis ex eo loco. ſic enim Eccleſiarum illarum ſtatutis ſancitum eſt. hæc autem, niſi curam animarum adiunctam habeant, communiter ſimplicia ſunt; idcircóque etſi iure communi reſidere deberent in propria Eccleſia; conſuetudine tamen iam approbata abeſſe poſſunt, ex Azor. *q.* 4. *c.* 5. Tertium, his ſimiles videri eos beneficiarios ſimplices, qui dicuntur in Hiſpania Portionarij, ex eo quòd habeant dimidium in reditu eius quod habent Canonici, vel quartam partem; de quibus Azor *c.* 10. qui etiam coguntur reſidere in ſuis Eccleſiis, ſaltem poſt Trid. *ſeſſ.* 24. *c.* 12. Quomodo autem poſſit quis plures portiones, vel beneficia ſimplicia habere, dicetur ſuo loco. vide interim Azor. *loc. cit.*

Beneficiati. — *Reſidere debent in Eccleſia cui inſeruiunt.* — *Beneficia patrimonialia quæ.* — *Portionarij.*

18\. Quinta eſt Canonicorum, qui ſic dicti ſunt, vel quia in commune viuerent, vel à canonica penſione, hoc eſt, ordinaria & regulari, quæ in eos tanquam ſtipendium annuatim diſtribui ſolebat, cùm cæteris Clericis Eccleſiæ inſeruientibus, ex oblationibus, quæ incertæ erant, aliquid erogaretur. hinc Canonici tantùm recipiebantur ſuffragiis Epiſcopi, & ipſorum Canonicorum, cóque ipſo acquirebant ius ad penſionem ordinariam iis debitam, & ſuffragium ferendum in collegio Canonicorum. Quæ penſio ordinaria dicta eſt *Prebenda*, ex Abb. *in c. rudioribus. de præb. n.* 4. Canonicatus autem dicebatur ius ad præbẽdam, ad ſuffragium ferendum in collegio Canonicorum, ad ſedem item in Choro, & ad diſtributiones quotidianas, ſi quæ dabantur diſtinctæ à præbenda. De quibus breuiter hæc annotanda. Primum, Canonicos dici tam Cathedralis Eccleſiæ, quàm aliarum collegiatarum; ſed illos eſſe cæteris digniores: vnde iis cauſæ delegantur à ſummo Pontifice non minus quàm aliis Clericis in dignitate conſtitutis. *c. ſtatutum. de reſcriptis in* 6. *c. cauſam quæ. de iudiciis.* vbi Abb.

Canonici. — *Qui dicantur Canonici.*

Secundum, poſſe quempiam iure communi recipi in numerum Canonicorum, quaſi vltra numerum; qui tamen non habeat præbendam, ſed ſit habiturus cùm vacabit: non quòd habeat ad eam ius (niſi id à ſummo Pontifice conceſſum eſſet) ſed quia poterit conſequenter ei dari, qui iam cœpit inſeruire in munere canonicatus. Abb. *c. cùm M. Ferrarienſis. de conſtitutionibus. n.* 30. *& c. relatum, c. dilectus. de probat.* recipiet tamen diſtributiones quotidianas, ad quas ius habebit: idcircóque etiam talis canonicatus beneficium diceretur, vt ex Ludouico Romano *conſ.* 447. docet Azor *c.* 11. *q.* 4.

In numerũ Canonicorũ recipiendi qui.

Tertium, Canonicorum munus eſſe decantare in Choro horas canonicas, ſacra facere in Eccleſia. Olim etiam ſimul habitabant, & in communi viuebant, & præerat is qui dicebatur Decanus; nunc ex Trid. *ſeſſ.* 24. *c.* 12. nemo canonicatum recipere debet qui non ſit eo ordine initiatus quem canonicatus requirit; aut certè in tali ætate, vt infra tempus à iure ſtatutum valeat initiari. & quidẽ in omnibus Cathedralibus canonicatibus habent annexum ordinem ſacrum; Epiſcopus autem cum conſilio Capituli debet deſignare quibus debeat eſſe annexus hic vel ille ordo ſacer: ita tamen vt ſaltem dimidia pars ſint Presbyteri, cæteri Diaconi, & Subdiaconi.

Canonicorum munus.

Quartum, in iis quæ pertinent ad fauorem, appellatione Clericorum etiam Canonicos comprehendi; non in iis quæ ad odium & pœnam. vnde ſi Romanus Pontifex concedat priuilegiũ Cardinali, vt conferre poſſit beneficia ſuorum Clericorum, intelligitur etiam data facultas circa beneficia Canonicorum pertinentium ad ſuam familiam; contrà ſi ſcribat Epiſcopo vt Titio Clerico in ſua Eccleſia beneficium conferat, non intelligetur canonicatus, modò ſint alia beneficia minora in ea Eccleſia. Innoc. *in c. ſedes. de reſcript.* Feder. Sen. *conſ.* 21. Azor *q.* 15.

Appellatione Clericorum quando comprehendantur Canonici.

Quintũ, canonicatum eſſe ſimplex beneficiũ, non dignitatem: nobiliorem tamen aliis beneficiariis ſimplicibus, & ſi ſit in Cathedrali, nobiliorem aliis, qui ſunt in Eccleſiis collegiatis. & in publicis proceſſionibus vnà cum Epiſcopo incedunt Canonici Cathedralis, & præcedunt Abbates diœceſis, quia Eccleſia Cathedralis eſt cæteris illuſtrior, & Canonici cum Epiſcopo illam conſtituunt. Abb. & Cardinalis *c. bonæ memoriæ.* 1. *de poſt. Pral.* Gem. *c. quamuis. §. quanquam. de præb. in* 6.

Canonicatus beneficium ſimplex.

Sextum, iure communi non poſſe aliquem habere ſimul canonicatum, & dignitatem; ſed conſuetudine ante Trid. id introductum erat. *c. cùm te. de reſcript. c. vt in Eccleſia. de præb. in* 6. Azor *q.* 18. Sicut etiã iure communi hãbens dignitatem, vel perſonatum ſine canonicatu, caret iure eligendi, & dicendi ſententiam in Capitulo, Abb. ſecutus Innoc. *in c.* 2. *de inſtit.* A priuilegio vel conſuetudine poteſt ſuffragium ferre, vt ex eodem teſtatur Azor *q.* 18.

An quis habere poſſit Canonicatũ cum dignitate.

Septimum, Canonicus qui non eſt ſaltem Subdiaconus non habet ius ſuffragij in collegio Canonicorum. Clem. *vt ij, qui. de ætate & qual. ord.* Trid. *ſeſſ.* 22. *c.* 4. reſidere autem tenetur iure communi. & ante Trid. alicubi erat vſu introductum contrarium; ſed Trid. *ſeſſ.* 24. *c.* 20. abuſum ſuſtulit & abrogauit.

Canonicus an & quando habeat ius ſuffragij in collegio Canonicorum.

Octauum, Canonici Cardinales dicuntur in iure Canonici principales; vt olim erãt in Eccleſia Taraconenſi, & aliis. Sed Paulus tertius anno 1549. abrogato nomine Cardinaliũ omnes eiuſmodi Eccleſiæ Canonicos pares effecit, ex Azor. *q.* 21. licèt in Eccleſia Compoſtellana adhuc hoc nomen

Canonicorũ nomen olim, & hodie.

Digitized by Google

nomen retineant illius Canonici, Cardinales appellati, quòd ſolis liceat ſacrum facere in altari vbi iacet corpus S. Iacobi, vt Azor *loc. cit.* Quomodo autem poſſit Canonicus habere aliud beneficium ſimul, dicetur infrà cùm de pluralitate.

19. *Curatum inferius. Parochiale.* QVINTO QVÆRO de tertia ſpecie, nempe de beneficio ſimplici curato inferiori.

RESPONDEO & DICO PRIMO, Beneficiũ parochiale eſſe duplex, quia præter onus recitãdi horas Canonicas habet adminiſtrationem Sacramentorum, & populum ſibi ſubiectum; plebanus verò inſuper etiam Clerum. Dicti autem ſunt Parochi, quaſi Paræci Græco nomine, quod ſignificat incolam, ſiue habitatorem in loco. Nomine verò Parochiæ, ſiue Parœciæ in iure ſumitur, tum tota diœceſis. *c. ſiquis ordinatus. diſt.* 92. tum certa Eccleſiaſtica diœceſis habens populum certis limitibus diſtinctum, cui Baptiſmus & reliqua Sacramenta miniſtrentur. *c.* 1. *& aliis ſeq. de paroch. & Clem. dudum. de ſepult.*

20. *Parochialis Eccleſia vnde dignoſcẽda.* DICO SECVNDO, Parochialem Eccleſiam dignoſci ex his. Primò, ſi in ea populus ſubiectus Baptiſmum recipiat; ſecundò, ſi quiſque in ea ſemel in anno ſaltem confiteatur; tertiò ſi in Paſchate Euchariſtiá recipiat; quartò, ſi ab ea ſuo tempore petat quiſque extremam vnctionem; quintò, ſi celebrentur in ea matrimonia; ſextò, ſi mortui in ea ſepeliantur; ſeptimò, ſi diebus feſtis populus rem diuinam audiat; octauò, ſi decimas ſoluat; nonò ſi primitias fructuum & collationes de more ſolitas pendat. Hoſt. *in ſumm. tit. de Paroch. §.* 2. Abb. *in rubr. de Paroch.*

Notanda autẽ ſunt præterea hæc quæ ſequuntur ad ipſam ſpectãtia. *Populum ſibi ſubiectũ habet.* Primum, omnẽ Parochialem Eccleſiá habere populum ſibi ſubiectum vel actu, vel habitu: ſi nimirum ob peſtem, vel ſoli ſterilitatem, vel aëris intemperiem populus aliò commigraret. Gomez *in reg. de idiomate, quaſt.* 11. *Poteſt aliquando vna diuidi in duas: & duæ coniungi in vnam.* Secundum, poſſe aliquando vnam diuidi in duas, ſi vna populo non ſufficiat. DD *in c. ad audientiam. de Eccleſiis ædificandis.* Trid. *ſeſſ.* 21. *c.* 4. Item duæ poſſint coniungi in vnam, populo diminuto. Deberet quoque ita eſſe dotata, vt ex ipſius dote ſaltem vnus Preſbyter cum alio Clerico miniſtro commodè ſuſtentari poſſet, & quãdo opus ſit, etiam hoſpitalitate vti. *c.* 1. *de præb. in* 6. *Tali auctoritate Epiſcopi fit.* Tertium, fieri talẽ Epiſcopi auctoritate, qui fines deſignet, populum conſtituat, & Parochialem nominet. *c. nullus omnino.* 16. *q.* 7. Abbas *c. Meſſana. de electione.* qui, etiamſi commoda dos non ſit, poteſt cum ea coniungere aliquod beneficium ſimplex, vel curatum quod regulare non ſit. Trid. *ſeſſ.* 21. *c.* 5. *ſeſſ.* 24. *c.* 13.

21. *Plebanus quis.* DICO TERTIO, Plebanum dici Parochũ, qui præter Eccleſiæ propriæ curationem habet in ſua iuriſdictione minores Eccleſias & Preſbyteros, qui eis præſunt. colligitur ex *c.* 1. *de cap. monach. in* 6. *c. vlt. de officio Archipreſb.* & docet Panor. *c. ad audientiam. de Eccleſiis ædificandis.*

Adiutor Parochi quis, & quotuplex. Ad hanc ſpeciem pertinet is qui dicitur Adiutor Parochi. & duplex eſt, alter datus ob adminiſtrationem rerum temporalium, de quo non loquimur: alter rerum ſpiritualium; qui etiam duplex eſt, vnus ad tempus: alter cum futura ſucceſſione. *c. ex parte, c. conſulentibus. de Clerico ægrotante.* Solet autem dari Adiutor ad tempus ſex de cauſis. Prima, ob ſenium. *c. paſtoralis. de Clerico ægrotante in* 6. Secunda, ob infirmitatem. Tertia ob amentiam. Quarta, ob defectum ſcientiæ neceſſariæ. Quinta, ob negligentiam in ſuo munere. Denique ob ſuſpicionem quòd diſſipet bona Eccleſiaſtica.

An beneficiarius ſit. De hoc autem Adiutore dubitatur primò, an ſit beneficiarius. Affirmat etiam de Adiutore ad tempus gloſſ. *c. de Rectoribus. de Clerico ægrotante.* verbo, *curam animarum.* cuius rationes vide apud Azor. *c.* 2. *q.* 4. Negant alij probabiliùs tam de Adiutore ad tempus, quàm de ſucceſſore. ita Abbas *d. c. de Rectoribus.* tum, quia neuter habet titulum, aut ius, ſed tantùm functionem & miniſterium: tum, quia neutrius obitu vacat, ſed principalis: tum, quia Adiutor cum futura ſucceſſione non habet ius in beneficio, ſed ad beneficium. Nec obſtat quòd dicatur vterque habere curam animarum; quia illam habet non poteſtate & habitu, ſed tantùm functione & actu.

An talis poſſit eſſe laicus, vel Regularis. Secundò dubitatur, an poſſit laicus vel Regularis eſſe Adiutor. Reſpondeo, laicum non poſſe iure communi, nec etiam ad rerum temporalium adminiſtrationem. *c. iudicatum. diſt.* 89. multo minus autem ſpiritualium. Regularis verò poteſt; quia neceſſitas Eccleſiæ præfertur vtilitati priuatæ. *c. vos, c. qui verè.* 16. *q.* 1. eſt tamen neceſſarius ſuperioris conſenſus, quatenus eius voluntas eſt in poteſtate ſuperioris.

Ex quibus bonis ſit ſuſtentandus. Tertiò dubitatur, ex quibus bonis Adiutor ſit ſuſtentandus. Reſpondeo, ex fructibus Eccleſiæ cui datur. quòd ſi non ſufficiant vtrique, gloſſ. *c. de Rectoribus cit.* dicit præferendum Adiutorem; ſed Abbas cum Cardinale præfert beneficiarium adiutum, & meritò. Quare tunc Adiutor vel ab Epiſcopo, vel à populo ſuſtentandus erit. fauet dictũ *cap. de Rectoribus.* adminiſtratio autem, ſi per modum poſſit, ad beneficiarium pertinet. Abbas *c. cit. n.* 5. ſi non poteſt, ad Adiutorem. ſic intellige *c. tua nos. eodem.* vide plura apud Azor. *c.* 2.

SEXTO QVÆRO de quarta ſpecie, hoc eſt, de officio. 22. *Officium.* RESPONDEO & DICO PRIMO, officium eſſe beneficium duplex, quia præter obligationem recitandi horas canonicas habet adminiſtrationem rerum Eccleſiaſticarum abſque iuriſdictione. colligitur ex *c. de multa. de præb. c. cùm acceſſiſſent. de conſtitutionibus. c.* 1. *de conſuetud. in* 6. Azor *c.* 1. *q. vlt.* Non eſt autem perſonatus, neque dignitas: tum, quia ponitur & enumeratur tanquam res diſtincta ab iis, *in locis cit.* tum, quia dignitas habet iuriſdictionem: perſonatus autem habet honorificum locum in Choro ante Canonicos, quem non habet officium. ex quo colligo malè à quibuſdam perſonatum, dignitatem & officium confundi.

DICO SECVNDO, numerari in hac ſpecie Sacriſtam, Theſaurarium, ſeu Cuſtodem. 23. *Sacriſta. Theſaurarius. Cuſtos.* & aliquando in eadem Eccleſia iſti diſtincti ſunt: aliquando vnus & idem Sacriſtæ & Theſaurarij munere fungitur: ſpectat autem propriè ad Sacriſtam cura vaſorum, veſtium, luminarium, ceræ & olei. *c.* 1. *de officio Sacriſtæ.* curat etiam vt debita ſtipendia conductis ab Eccleſia operariis reddantur. Theſaurarius autem propriè eſt qui theſauro Eccleſiaſtico præeſt. qui, vt dixi, à Sacriſta non diſtinguitur; niſi quòd pro varietate locorum idem officium vocatur Theſaurarius, aut Sacriſta. Nec ab vtroque diſtinguitur Cuſtos; quia licèt diſtinctis titulis de Sacriſta & Cuſtode in iure agatur, eſt tamen idem vtriuſque munus, vt videri poteſt *c.* 1. *de officio cuſtodis.* de quo plura Azor *c.* 16. An autem Sacriſta ſit perſonatus, dicendum omnino non eſſe. in quo malè ſibi conſtat Azor *c.* 16. inter perſonatum recenſens, quod negauerat *c.* 1. quòd ſi aliquando qui eſt Sacriſta certum & honorabilem locum in Choro habeat,

Digitized by Google

& in ſuffragiis dicendis, non eſt quòd officium ipſum Sacriſtæ ſit perſonatus: aliquando enim non habet talem gradum honorificum; ſed quòd qui Sacriſta eſt, ſimul etiam ſit perſonatus, vt beneficium eſt. *c.34. dubitat.2.* & Rebuff. *c.5. tit. ſæculare beneficium. n.9.* & nos *quaſt. ſeq.*

24. *Perſonatus.* SEPTIMO QVÆRO de quinta ſpecie, hoc eſt de Perſonatu. RESPONDEO & DICO PRIMO, Perſonatum eſſe beneficium duplex, quia præter onus officium diuinum recitandi, habet etiam honorificum gradum in Choro ante Canonicos, & ius ſuffragij dicendi in Collegio. Non eſt autem dignitas, quia non habet iuriſdictionem in foro externo. Rebuff. *loc. cit. n.8.* neque eſt officium, quia non habet adminiſtrationem rei Eccleſiaſticæ propriè loquendo, ex *c.1. de conſuetud. in 6.* & DD. *ibi.*

25. *Eius ſpecies. Primiceriatus.* DICO SECVNDO, has videri ſpecies Perſonatus. Prima eſt Primiceriatus; præfectura ſcilicet cantorum: olim enim in Eccleſia Cathedrali erat ſchola cantorum, cuius præfectus Primicerius appellatur *c.1. de off. primic.* Non erat dignitas, quia non habebat iuriſdictionem: in Choro autem, conſeſſu & comitiis honorificum locum habebat; idcirco erat perſonatus. quòd ſi in aliquibus locis habeat etiam iuriſdictionem, recenſeri poterit inter dignitates.

Præcentoria. Secunda eſt Præcentoria; vnde Præcentor, cuius munus erat Antiphonas & Pſalmos cantando incipere. *c.1. de conſuetud. lib.6.* habebat autem præeminentiam & honorificum gradum inter ceteros. Reb. *loc. cit.* Azor *c. 22.* hodie tamen non videtur habere; quare nec recenſebitur inter perſonatus. *Succentor.* Huic affinis erat Succentor, is nimirum qui abſente Præcentore vices ipſius exercebat; Vicecantor etiam appellatus.

Schola magiſterium. Tertia ſpecies erat magiſterium ſcholæ, quod qui habebat, Clericos omnes bonis actibus inſtruebat, & honorificum gradum inter cæteros obtinebat in Choro. Azor *c.23.*

Capellanus maximus. Quarta ſpecies perſonatus erat in Capellano maximo, qui honore cæteris Capellanis præſtabat. de quo Azor *c. 24.* Ex quibus omnibus ſpeciebus conſtat perſonatum propriè non habere iuriſdictionem; cùm nulla eius ſpecies illam propriè habeat.

26. *Dignitas.* OCTAVO QVÆRO de ſexta ſpecie, id eſt, Dignitate, de qua,

DICO PRIMO, Dignitatem, ſi propriè loquendum ſit, non debere confundi cum perſonatu & officio, licèt aliquando vnum pro altero in iure ſumatur, vt *in c. cùm acceſſiſſet. de conſtitutionibus.* ſed eſſe præeminentiam cum iuriſdictione in foro externo, ex Abb. *c. de multa. de præb.* Rebuff. *c.5. loc. cit. n.7.* Quare eſt beneficium duplex: immo inter duplicia præſtantius, excepto Epiſcopatu, & ſimilibus. Eſt perpetua, ſi de ea quæ beneficium ſit loquamur: nam aliquando eſt nomen ſolius muneris & officij quo fungitur iudex delegatus Apoſtolicus, ex Azor. *c. 13. quaſt. 10.* *Dignitatis dignoſcendæ ſigna.* Ponit autem Archid. *c. 1. de conſuetud.* tria ſigna ad dignitatem dignoſcendam. Primum, quando quis habet adminiſtrationem rerum Eccleſiaſticarum cum iuriſdictione perpetua. *c. volumus. diſt. 89.* Secundum, quando habet nomen dignitatis, & prærogatiuam in Eccleſia & in Choro. Tertium, quando de Eccleſiæ conſuetudine habetur pro dignitate.

27. *Eius ſpecies. Archidiaconatus.* DICO SECVNDO, Dignitatis ſpecies potiſſimas eſſe primò Archidiaconatum, & quidē Apoſtolorum temporibus erat Princeps Diaconorum, qui conſtituebatur in ſingulis vrbibus, quibus præficiebatur Epiſcopus: eius autem munus erat curare, vt cæteri Diaconi ſuum munus ritè exequerentur. Deinde progreſſu temporis eius poteſtas euaſit maior. nam etiam in Preſbyteros habuit auctoritatem, vt conſtat ex *c.1. de off. Archid.* Primò enim erat Epiſcopi Vicarius. Secundò cùm Epiſcopus ſacrū peragebat, ipſe Euāgelium recitabat, vel alteri Diacono legendum præcipiebat. Tertiò cæteris Diaconis iubebat vt ſuis veſtibus induerentur, & cum Epiſcopo ad Miſſæ ſacrificium procederent. Quartò lectiones & reſponſoria in Eccleſia matrice præſcribebat. Quintò inter Acolytos munera partiebatur. Sextò ad eum pertinebat vaſa diuinis vſibus dicata ſedulò cuſtodire. Septimò examinare ordinandos alióſque qui præficiebantur Eccleſiis. Octauò ſingulorum Preſbyterorum iurgia & cauſas audire. Nonò pecuniam quæ Eccleſiæ pietatis cauſa dabatur accipere, & Epiſcopo reddere. Decimò Diaconorum delicta ad Epiſcopum deferre: Preſbyteros admonere cùm ieiuniorum aut dierum feſtorum tempora inſtabant. Vndecimò Prælatos in ſede locare. Duodecimò beneficiorum poſſeſſionem Clericis dare. ita colligitur ex *c. ad hæc, c. cùm ſatis. de officio Archid.*

Dubitatur autem, an habeat iure communi curam animarum ratione ſui muneris & officij. *An ratione muneris & officij curam animarum habeat iure communi.* Reſpondetur ex Innoc. *c. cùm ſatis. de officio Archid.* vbi gloſſ. Hoſt. Io. Andr. Abbas & alij, curam animarum dupliciter accipi. Primò pro poteſtate ordinis cum iuriſdictione in foro conſcientiæ, vt habet Parochus. Secundò pro iuriſdictione in foro externo ſententias ferendi in populum ſibi ſubiectum, excommunicandi, capiendi, &c. Primo modo Archidiaconus non habebat curam animarum, quia non eſt ſacerdos: at ſecundo habebat; poterat enim Clericos corrigere, eorum cauſas audire, delicta ad Epiſcopum deferre, Eccleſias inuiſere, &c. ſic conciliari poſſunt DD. contrarij. Hinc patet cōprehendi Archidiaconatum in diſpoſitione *c. de multa. de præb.* habet enim curā animarum modo dicto; & quamuis non haberet, adhuc comprehenderetur, quia eſt eminenter perſonatus; eſt etiam in dignitate: vnde poſſunt illi demandari cauſæ à Rom. Pontifice, & fungi munere Conſeruatoris Apoſtolici. *c.1.2. & vlt. de officio iud. deleg. in 6.* Azor *q.5.*

Dices primò, vnde Archidiacono tanta auctoritas. Reſpondeo ex delegatione Epiſcopi, erat enim ipſius Vicarius; & quia liber ab onere Sacramenta conferendi. Preſbyteris autem erant commiſſi populi, nec poterant abeſſe à ſuis Eccleſiis.

Dices ſecundò, poſſint ne plures eſſe in eadem Eccleſia. Reſpondeo poſſe pro amplitudine diœceſis; vnde in vna Toletana ſex Archidiaconi dicuntur eſſe, iis enim vtitur Archiepiſcopus in gubernatione diœceſis: & propter iuriſdictionem & poteſtatem quæ illis demandatur, dicuntur Archidiaconi, inter quos qui iuriſdictionem exercet in Clericos Cathedralis, cæteris dignitate præſtat.

Secunda quaſi ſpecies Dignitatis eſt Archipreſbyteratus, qui primò eſt dignitas inferior Archidiaconatu: 28. *Archipreſbyteratus.* vnde in iure poſt tit. *de officio Archidiaconi,* ſequitur proximè *de officio Archipreſbyteri,* qui quamuis ordinis poteſtate ſit Archidiacono maior; cedit tamen illi iuriſdictione. *c.1. de officio Archidiaconi.* Secundò partes Archipreſbyteri iſtæ ſunt ex *c. 1. de offi. Arch.* *Archipreſbyteri partes quæ.* Primò habere miniſterium ſuper Preſbyteros. Secundò curam agere

Digitized by Google

agere animarum,& aſſiduè in Eccleſia ſtare. Tertiò in Epiſcopi abſentia Miſſam celebrare, aut alteri iniungere vt celebret. Quartò prouidere qui debeant agere ſolenne officium in communicatione corporis & ſanguinis Chriſti. Quintò curare vt reliqui Preſbyteri obtemperent præceptis ſui Epiſcopi. Sextò, in abſentia Epiſcopi prouidere omnia quæ pertinent ad Sacerdotum miniſterium, vt fontes benedicere, infirmos oleo perungere, pœnitentem infirmum reconciliare, pœnitentiam aliis Sacerdotibus iniungere. Septimò in præcipuis feſtis celebrare per ſe, vel alteri id demandare. Octauò, quando Epiſcopus Miſſam cantat, præcipit aliis Sacerdotibus vt ſe veſtibus ſacris induant, & modum præſcribit inſeruiendi. Nonò curat vt pro infirmis aſſeruetur ſacroſanctum Chriſti corpus, & ne quis abſque confeſſione & communicatione decedat. Decimò eorum qui deforis veniunt confeſſiones excipit. Vndecimò curam adhibet ad baptizandos infantes,& illos qui conuertuntur ad fidem.

Archipreſbyter duplex.

Tertiò Archipreſbyter duplex erat, vnus Vrbanus; præfectus videlicet cæteris Vrbis Preſbyteris, in qua eſſet Cathedralis. *c. officium. de officio Archip.* Alter Vicarius, qui iuriſdictionem habebat in Preſbyteros in ſingulis pagis & oppidis. *c. vt ſingulæ. eod.* Dictus eſt etiã prior ille Ciuitatenſis, poſterior Ruralis. hinc in vrbe Roma tres erant Archipreſbyteri, vnus in Eccleſia Lateranenſi; alter in ſancti Petri in Vaticano; tertius ſanctæ Mariæ Maioris; quia in iis Eccleſiis Rom. Pontifex aliquando ſedit: & ſemper ſolent eſſe Cardinales.

Curam animarum habebat iure communi.

Quartò iure communi habebat Archipreſbyter curam animarum, aliorum Preſbyterorum confeſſiones audiendo, & plebi Sacramenta miniſtrando; vnde illius iuriſdictio ordinaria erat, quia ratione muneris illam habebat: gloſſ. *c. vt ſingulæ. de officio Archip.*

Archipreſbyteratus, dignitas.

Quintò eſt dignitas, vt patet ex dictis; & poſſunt illi committi cauſæ à Rom. Pontifice, vt diximus de Archid.

Iam perſonatus tantùm pleriſque in locis.

Sextò iam pleriſque in locis Archipreſbyteratus eſt tantùm perſonatus ſine iuriſdictione: in pagis autem etiam Sacramenta miniſtrat. plura vide apud Azor. c.15.

29. *Decanatus.* Tertia ſpecies eſt Decanatus, cuius auctoritas potius eſt ex conſuetudine, quàm iure communi. vnde nullus extat tit. de illo: fit tamen eius mẽtio *c. dilectus. de appel. c. dilectos. 3. de præb. c. ad hæc. de officio Archid.* & alibi. Aliquando confunditur cum officio Archipreſbyteri. vt *c. 1. & 2. diſt. 60.* in quibuſdam Eccleſiis Franciæ & Hiſpaniæ; quoniam præeſt toti Collegio Canonicorum: in cõſeſſu & comitiis dicitur Decanus; alibi dicitur Præpoſitus, vt teſtatur Azor *c. 17.* quare dignitas eſt cùm etiam iuriſdictionem habeat in multis Eccleſiis, ex *c. dilectus. de appell.* eaque eſt ordinaria, ratione muneris, non tamen iure communi; ſed ex conſuetudine acquiſita. Vnde etiam dici poteſt habere curam animarum, cùm in alios Canonicos & Clericos illam exercere poſſit: iam in multis Eccleſiis nomen eſt tantùm ſolius dignitatis, abſque iuriſdictione.

30. *Præpoſitura.* Quarta ſpecies eſt Præpoſitura, de qua nullus extat titulus in iure; ſed eius fit mentio *in cap. ſuper ſpecula. ne clerici, vel monachi. & cap. 1. de conſuetud. in 6.* Fuit autem abſque dubio dignitas, vel perſonatus; habuit enim vnà cum honorifico loco etiam iuriſdictionem, & curam animarum. & nunc etiam in Eccleſiis Germaniæ, Poloniæ, Flandriæ, eandem iuriſdictionem retinet, ex Azor. c. 18. quamuis alibi ſit nomen ipſius perſonatus. Dictus eſt etiam Præpoſitus Latinis, qui olim Græcis dicebatur OEconomus, adminiſtrator videlicet redituum Eccleſiaſticorum, ex Iuſtiniano; & *Nouel. 67. §. 2.*

Quinta ſpecies eſt Prioratus ſæcularis. Dicebatur autem Prior qui toti Collegio Canonicorũ præeſſet cum iuriſdictione & cura animarum; & nunc etiam in quibuſdam locis viget huiuſmodi dignitas, vt teſtatur Azor c. 20. Poſſet addi etiam Abbatia ſæcularis; ſed meliùs à nobis collocatur inter dignitates Epiſcopales, etſi minores Abbates parum diſcrepent à dignitatibus, & perſonatibus, vt teſtatur Azor c. 19. q. 2. 31. *Prioratus ſæcularis.* *Abbatia ſæcularis.*

QVÆRO NONO de ſeptima ſpecie, hoc eſt, de Epiſcopatu. 32. *Epiſcopatus.*

DICO PRIMO Epiſcopatum eſſe beneficium duplex, & quidem dignitatem inter ſuperiores. Quòd ſit beneficium duplex, colligitur ex *c. felicis. §. quod ſi quis. de pœnis in 6.* & patet, quia habet iuriſdictionem in vtroque foro, & adminiſtrationem Sacramentorum, & rerum Eccleſiaſticarum. Quòd ſit dignitas, etiam conſtat, cùm præficiatur cæteris dignitatibus inferioribus, habeatque iuriſdictionem in eos, qui illis potiuntur. Dignitas autem Eccleſiaſtica attenditur reſpectu iuriſdictionis in foro contentioſo: vt Sylu. Ang. Armil. *verb. Dignitas.* De Epiſcopatu autem hoc loco hæc tantùm cognoſcenda viſa ſunt.

Epiſcopus ſacerdotibus dignitate ſuperior, & poteſtate.

Primum, Epiſcopum Sacerdotibus dignitate eſſe ſuperiorem, & poteſtate. Trid. *ſeſſ. 23. can. 6. 7.* Dignitate quidem, quia habet iuriſdictionem in foro externo, etiã ſuper omnes Sacerdotes & dignitates inferiores ſuæ diœceſis. Poteſtate etiam, quia confert duo Sacramenta, Confirmationis, & Ordinis, quæ Sacerdotes ſimplices non poſſunt. vide plura apud Azor. c. 23. q. 5. *Epiſcopi ſucceſſores Apoſtolorũ.* Secundum, Epiſcopos eſſe ſucceſſores Apoſtolorum, non abſolutè, ſed in auctoritate ordinis, & in regimine particularis Eccleſiæ ſibi commiſſæ. Cano *lib. 6. de locis theologicis. c. 8. ad decimum.* Bellarm. *lib. de conf. c. 20.* Henriquez *lib. 10. de ordine c. 21.* apud quem alij multi, *littera F.* *Perfecti ſacerdotes.* Tertium Epiſcopos eſſe perfectos Sacerdotes quoad ordinis poteſtatẽ; quia præter poteſtatem circa Euchariſtiam, in qua ſunt æquales Sacerdotibus, poſſunt etiam conferre Ordinem & Confirmationem, atque ita ſi nomen *Ordinis* ſumatur pro poteſtate aliquid faciendi circa Euchariſtiam, quo pacto ſumi ſolet à Theologis; ſic Epiſcopatus non eſt ordo à ſacerdotio diſtinctus. Si verò ſumatur pro poteſtate circa Sacramenta, ſic eſt diſtinctus ordo, quia habet poteſtatem conferendi duo illa Sacramenta, quæ diximus, & hoc pacto ſumunt ferè Canoniſtæ, ex Azor. *c. 22. n. 18. & c. 27. q. 3.* *Ad eius creationem tria requiri.* Quartum, ad eius creationem tria eſſe neceſſaria. Primò electionẽ, qua comprehenditur etiam nominatio facta à Clero, Populo, Patrono. Secundò confirmationem, per quam intelligitur non ſolùm ſuperioris actio, qua electus confirmatur ad Epiſcopatum; ſed etiam actus quo Epiſcopus deſignatus à ſuperiore conſtituitur in Epiſcopali munere: vel etiam actio, qua ſine vlla nominatione facta ab aliis conferatur à Papa alicui dignitas Epiſcopalis. Tertiò conſecrationem, per quam Epiſcopus electus & confirmatus; deinde ab Epiſcopis inungitur & conſecratur in Epiſcopum. Et quidem Epiſcopus electus & confirmatus habet etiam iuriſdictionẽ Epiſcopalẽ; per conſecrationem deinde acquirit etiã ordinis Epiſcopalis poſſeſſionẽ.

Poteſt

Digitized by Google

33. *Vicarius Epiſcopi an ſit beneficiarius. Vicarius quis,* Poteſt hîc quæri, an Vicarius Epiſcopi ſit Beneficiarius, & vicariatus beneficium. Pro ſolutione notandum, Vicarium dici eum, qui vices alterius gerit; vnde etiam extat tit. *de off. vicarij.* præcipuè autem ſolent Epiſcopi aſciſcere ſibi Vicarium Generalē; Parochi item aliquando. Notandum

& quotuplex. ſecundò duplicem eſſe Vicarium, perpetuum, & ad tempus. de illo fit mentio *in c. extirpādæ. §. qui verò. de præb.* de hoc, *c. peruenit. de appellationibus.* ille dicitur, qui Epiſcopi auctoritate & canonica inſtitutione conſtituitur in Eccleſia parochiali; eiſque certa portio aſſignatur ex reditibus Eccleſiæ in ſtipēdiū miniſterij, nec poteſt remoueri ab officio abſque auctoritate Epiſcopi, qui neque id poteſt, niſi iuſtis de cauſis, ex *c. ad hæc. de off. vicarij. & c. 1. de capel. mon. in 6.* Vicarius verò temporarius eſt qui alicuius auctoritate ſufficitur in loco alterius ad tempus.

Vicariatus temporalis. Ex his RESPONDEO & DICO PRIMO, vicariatum temporarium non eſſe beneficium. ratio, quia non datur in titulum; vnde obitu Vicarij non vacat, ſed finitur: tum quia eſt amouibilis ad nutum: tum, quia non habet curam animarum habitu & iure, ſed functione & actu tantùm: tum denique, quia talis Vicarius non differt ab adiutore temporario, de quo ſuprà diximus

Perpetuus. non eſſe Beneficiarium. DICO SECVNDO, vicariatum perpetuum eſſe beneficium, quia datur in titulum, vacat morte Beneficiarij, & datur in perpetuum. ita gloſſ. *c. 1. de off. vicarij.* Old. *conſ.* 232. Butr. *conſ. 3.* & colligitur ex *c. poſtulaſti. de reſcriptis.* Dicitur autem vicariatus, quia ſemper habet ordinem ad aliud beneficium, cui eſt annexus; & quia indulgentia Rom. Pontificis, vel aliis iuſtis de cauſis nō poteſt cura animarum exerceri à Beneficiario principali, tranſlata eſt tota in Vicarium, in quo reſidet. Abb. *c. extirpandæ n. 15. de præb.* ita multa ſunt Cœnobiorum monaſteria, & aliorum Religioſorū conuentus, quæ habent beneficia parochialia adnexa, in quibus ab Epiſcopo conſtituitur Vicarius, qui gerat curam animarum, detracta portione ſufficiēti: vnde extat in iure tit. *de capellis monachorum.* Aliquando etiam ſolet adnecti alteri dignitati, vel beneficio ſæculari, vt Prioratui, Abbatiæ, &c. vt colligitur ex *c. extirpandæ. de præb.* plura lege apud Azor. *c. 6.*

34. DICO TERTIO, ſub Epiſcopali dignitate comprehendi etiam Archiepiſcopatum, Patriar-

Archiepiſcopus. chatum & Primatum. Et quidem Archiepiſcopus non eſt maior Epiſcopo ordinis poteſtate, nihil enim ad ordinem pertinens agere poteſt; aut etiam Papa per ſeipſum quod non poſſit Epiſcopus: præeminet tamen dignitate & poteſtate iuriſdictionis in caſibus tantùm iure expreſſis, hoc eſt, in cauſa criminali & ciuili circa Epiſcopos ſuffraganeos, excepta depoſitione, quæ fit à certo Epiſcoporum, vel Abbatum numero, & ex crimine hæreſis quod Papæ reſeruatur, in Trid. *ſeſſ. 24. c. 5.* & docet Henriquez *lib. 10. c. 30. §. 1.* apud quem plura. In eo differt ab Epiſcopis, quòd quamuis confirmatus à Papa poſſeſſionem acceperit beneficij Archiepiſcopalis, & conſecratus etiā fuerit, nō poteſt miniſtrare & exercere quæ pertinēt ad ordinē Pontificalem, antequam accipiat à ſuo ſuperiore, puta à Patriarcha, cui ſubiectus eſt, vel ſi hunc nō habeat, à Papa ſtolam candidatam, quæ dicitur *Pallium*, qua vtitur ſolùm dum celebrat; cuius vſum aliqui Epiſcopi habent ex priuilegio, teſte Henriquez *c. 31. §. 1.*

35. *Patriarcha, & Primas.* Secundò Patriarcha, princeps videlicet Patrum, ſeu Primas, idem enim ſunt, ex *c. cleros. diſt. 21. c. vrbes. diſt. 80. c. nulli. c. Romanæ. diſt. 99.* quamuis apud Latinos frequentiùs dicantur Primates, apud Græcos Patriarchæ, teſte Azor. *c. 35. q. 2.* Patriarcha, inquam, in toto Patriarchatu præeſt omnibus Archiepiſcopis & Epiſcopis: vt enim Archiepiſcopus vni prouinciæ præſidet, quæ multos habet Epiſcopos; ita Patriarcha multis prouinciis, quæ multos habent Archiepi-

ſcopos. Inſignia illius ſunt, vt vbique ante illum deferatur vexillum Crucis: intellige in ſuis prouinciis, niſi adeſſet Papa, vel eius Legatus. Syl. Ang. & alij, *verb. Patriarcha.* recipit pallium à ſede Apoſtolica, & confert pallium Metropolitanis ſub eius ditione poſitis, à quibus exiit iuramentum de fidelitate & obſeruantia præſtanda Rom. Eccleſiæ ſibique. *Eius inſignia.*

Porrò Patriarchatus hoc ordine ſe habent. Primus eſt Romanus; Epiſcopus enim Romæ habet primatum totius regionis ſeptentrionalis, & occidentalis, quem fundauit Petrus. & licèt Papa habeat vniuerſalē Epiſcopatum orbis, & ſit cumulatiuè Paſtor omniū fidelium; tamen ſicut reſpectiuè eſt Epiſcopus Romæ, cuius ſedes eſt Lateranenſis Eccleſia; ſic priuatiuè eſt Patriarcha Occidentis & Septentrionis, eiſque ſubiiciuntur omnes Metropolitani dictarum prouinciarum. *Patriarchatus Romanus.*

Secundus eſt Alexandrinus. nam Alexandriæ ſediſſe dicitur Petrus per Marcum Euangeliſtā diſcipulum ſuū, qui elapſis 14. annis poſt cathedram à Petro Romæ conſtitutam, ipſe nomine Petri fundauit eam Eccleſiam, vt ex Greg. *lib. 6. epiſt. 37.* Leone, Nicephoro, docet Henriquez *lib. cit. c. 29.* *Alexandrinus.*

Tertius eſt Antiochenus: in qua vrbe ſedit Petrus aliquot annis antequā Romæ ſedē figeret. hi três ſunt præcipui, quia in illis ſedit Petrus modò dicto. *Antiochenus.*

Poſt annos aliquot datus eſt Patriarchatus Hieroſolymæ, quòd illa vrbs fuerit præſentia Chriſti & miraculis illuſtrata. *Hieroſolymitanus.*

Additus deinde eſt Conſtantinopolitanus anno 5. poſt Concil. Nicenum; qui habet primatum inter Patriarchas Græcos. *Conſtantinopolitanus.*

Deinde ſextus Aquileienſis, qua vrbe deſtructa tranſlatus in inſulam Gradum dictus eſt Gradenſis; tandémque Venetias tranſlatus & Venetus dictus eſt. *Aquileienſis.*

Septimò addi poteſt Æthiopicus, & primus fuit Andr. de Ouiedo, vir inſigni ſanctitate, è Societate Ieſu. *Æthiopicus.*

Sunt alij Patriarchæ minores: vt in Armenia tres; vnus reſidens in Cilicia & Armenia minore; ſecundus in Armenia maiore; tertius in Ruſſia prouincia Polonorum. Vnicum etiam habent Maronitæ in Syria in monte Libano. In ſecta quoque Cophtorum, qui ſunt ſchiſmatici, & cum Baptiſmo Circunciſionem retinent, duo ſunt Patriarchæ; vnus commoratur in Cayro Ægypti; alter apud Æthiopos. Item ſecta Iacobitarum, qui pariter ſunt ſchiſmatici, habet duos Patriarchas. *Patriarchæ minores. In Armenia, & Syria. In ſecta Cophtorum, & Iacobitarum.*

Denique in Occidente totius Hiſpaniæ Primas eſt Archiepiſcopus Toletanus; Hyberniæ Armacanus, Angliæ Cantuarienſis, Africæ Carthaginenſis, Vngariæ Strigonienſis. In Germania olim erat Magdeburgenſis; nūc verò eſt Salſburgenſis. In Gallia Primates ſunt Bituricenſis, Remenſis, Lugdunenſis, Arelatenſis, Viennenſis. Poloniæ Primas eſt Archiepiſcopus Gneſnenſis; Scotiæ eſt Archiepiſcopus Sancti Andreæ. *In Occidente totius Hiſpania, Hybernia, Anglia, Africa, & Vngaria. In Germania, Gallia, Polonia, & Scotia.*

Denique ad Epiſcopatum reducimus Abbatias ſæculares, quarum duo ſunt genera. quædam ſunt proximæ dignitati Epiſcopali; habent enim iuriſdictionem in Clericos & laicos Epiſcopalem, vel quaſi, vnde pariter geſtant inſignia Pontificia; nempe annulum, mitram & baculum paſtoralem. 36. *Abbatiæ ſæculares.*

Quædam

Digitized by Google

Quædam ſunt minores, quæ neque iuriſdictionem,nec inſignia habent pontificalia; & hæ ſunt mediæ dignitates inter Epiſcopos & alios inferiores: vt Decanatus, Archidiaconatus, & ſimiles. Doctores *in c. maioribus. de preb.* Sel. *p.1. q.2. n.56.* Dec. *c.decernimus. de iud.* In quibuſdam Cathedralibus etiam aliquæ dignitates appellantur nomine *Abbatia*,vt in Eccleſia Toletana.

37. *Prælatus in iure quis.* Quæres quinam vocetur Prælatus in iure. Reſpondeo, ſi ſermo ſit de ſæculari,propriè is dicitur, qui habet iuriſdictionem ordinariam in foro exteriori: vt Epiſcopus, Abbas & alij Iudices ordinarij. minus propriè dicitur is,qui abſque iuriſdictione habet prærogatiuam,& gradum honorificum in Choro: vt ſunt dignitates. *c.1.de ætat.& qual. c.Rom. de foro competenti in 6.* Abbas *c. decernimus. de iudiciis n.16.* gloſſ. *ibi.* Quare Parochi non ſunt Prælati. *Clem. dudum. §. in Eccleſiis, de ſepul.* niſi lato modo, ex *c.tua nos. de cler.ægrot.*

Quis Prælatus regularis. Quòd ſi ſermo ſit de Prælato regulari, dico illum talem dici tantùm, qui monaſtici Conuentus ſeu Cœnobij totam curam & adminiſtrationem habet cum iuriſdictione. Azor *c. 25.* tales ſunt Abbates ſæculares, & Priores conuentuales; nam clauſtrales Priores ſubiiciuntur Abbati, idcirco non ſunt Prælati. Dixi, *qui monaſtici conuentus*, &c. quia Mendicantium Priores, Guardiani, vel Rectores non videntur eſſe Prælati.

38. *Cardinalatus.* QVÆRO DECIMO de octaua ſpecie, hoc eſt,de Cardinalatu. De quo,

DICO PRIMO eſſe dignitatē & beneficium duplex: dignitatem quidem,quia Cardinales habent præeminentiam cum iuriſdictione in titulis quibus præſunt. *c. is qui. de maioritate & obedient.* item habent ius eligendi Sum. Pontificē.Cardin. Albanus *q.6. de Card.* Azor *lib.4. c.1. q.8.* Beneficium autem duplex,quia præter obligationem recitandi horas canonicas habent præeminentiam cum iuriſdictione, vt diximus, & probari poteſt ex *c. vlt. de cler. non reſid.* *Cardinalium beneficium quod.* Quæres quódnam beneficium habeant Cardinales, hoc eſt, ius ad fructus capiendos ex bonis Eccleſiaſticis. Reſpondeo, etſi vniuerſaliter non ſit ſingulis Cardinalibus aſſignatum aliquod prædium, vel cenſus cōmunes, vnde recipiant fructus aliquos: habent tamen hoc ipſo quòd Cardinales ſunt,nonnullos reditus; & quando nullos haberent, ſolet Sum. Pontifex aſſignare ſaltem nonnullas, quas dicūt *partes* in pane, vino & centum aureis in ſingulos menſes; donec illis prouideatur de Abbatia, beneficio vel penſione,aut aliter.

39. *Eorum officium,* DICO SECVNDO, officium Cardinalis eſſe aſſiſtere ſummo Pontifici, vt Apoſtoli Chriſto aderant pro miniſteriis. quod munus quoad rem fluxit à tempore Apoſtolorum: cœperunt autem hoc nomine diſtingui & appellari à tempore Syluestri primi; etiamſi non ita frequenter: at Gregorij primi ſæculo frequentiùs huiuſmodi nomen eſt vſurpatum. *& inſignia* Inſignia autem eius dignitatis quædam inſtituta ſunt ab Innoc. IV. in Generali Concil. Lugd. anno 1243. qualia ſunt vehi equo,& in Galero purpureo & purpura; quaſi parati ſint ad fidei defenſionem cum ſanguinis & vitæ periculo, quod iurant in ſua creatione. Alia addita ſunt à Paulo II. Habet autem Cardinalis ex priuilegio & conſuetudine vt familia ipſius ipſi immediatè ſubiiciatur tanquam ordinario. Caiet. Syl. alij apud Henriquez *c.27.§.3.*

Legati à Latere. Sub hac ſpecie comprehendi poſſunt qui dicuntur Legati à latere Papæ: quibus certa prouincia gubernanda committitur. hi enim præeminentiam inſignem habent cum iuriſdictione; ordinaria quidem, ſed extraordinariè. & poſſunt delegare alteri quoſdam iuriſdictionis actus, etiam ante ingreſſum in prouinciam; ſed copioſiùs poſt ingreſſum. de quibus vide Enriq. *c.27.*

QVÆRO VNDECIMO de nona & vltima ſpecie, quæ eſt Papatus. De quo,

DICO PRIMO, eſſe beneficiū duplex. probatur ex *c. 1. de maledicis,* iis verbis, *in depreſſionem beneficij noſtri.* Accedit communis opinio 40. *Papatus.* Canoniſtarum, dicentium contineri *in 1. reg. de reg. iuris in 6. Beneficium Eccleſiaſticum non poteſt iure ſine inſtitutione canonica obtineri*; vnde intruſus in Papatum eſt per Concilium repellendus. *c.ſi qui pecunia,diſt.79.* Præterea Angelus *verb. benef.1.n.1.* vocat Papatum,beneficium.Sel. *1.p.q.2. n.35.* Ratio etiam addi poteſt; tum quia eſt dignitas, & quidem omnium maxima, habens præeminentiam ſummam cum iuriſdictione ampliſſima in vtroque foro; tum quia eſt tali dignitati coniunctum ius recipiendi fructus,& quidem ſatis magnos, ob officium ſummi Pontificis; nedum vt priuatus eſt Pontifex vrbis Romæ.

DICO SECVNDO, Pontificem eſſe tum 41. Epiſcopum Vrbis,habentem populum & Clerum; tum Archiepiſcopum, præſidentem ſuffraganeis quibuſdam; tum Patriarcham Occidentis; tum ſummum totius Catholicæ Eccleſiæ caput. Primò ergo tanquam Epiſcopus Vrbis habet Romæ *Pontifex Epiſcopus Vrbis.* Generalem Vicarium, qui eſt vnus de Cardinalibus. Secundò tanquam Archiepiſcopus habuit *Archiepiſcopus.* olim ditioni ſuæ ſubiectos Epiſcopos octo Vrbi vicinos, qui poſtea ſequenti tempore ad ſex redacti ſunt, duobus Epiſcopatibus cum aliis coniunctis; qui ſunt omnes Epiſcopi Cardinales, nempe Hoſtienſis, Portuenſis, Sabinenſis, Præneſtinus, Tuſculanus, Albanus. Tertiò tanquam Patriarcha *Patriarcha.* præfuit omnibus Archiepiſcopis & Primatibus per Italiam, Galliam, Germaniam, Angliam,Hiberniam,Vngariam,Poloniam,Suetiam, Noruegiam, Hiſpaniam, Numidiam & Africam conſtitutis. Quartò tanquam totius Eccleſiæ Antiſtes *Totius Eccleſiæ caput.* omnibus Eccleſiarum Epiſcopis, Archiepiſcopis, Primatibus & Patriarchis præeſt & iura dat. Hinc multa ſummo Pontifici tribuuntur; quorum alia tanquam Epiſcopo, alia tanquam Archiepiſcopo, alia tanquam vniuerſali Antiſtiti conueniunt: neque plura hoc loco de Rom.Pontifice dicenda ſunt.

CAPVT II.

Penes quos ſit poteſtas conferendi beneficia.

PRimo loco quærendum eſt quo iure beneficia ſint inſtituta. Secundo de iure quod habet Papa in beneficiis conferendis. Tertio de iure quod habent Concilia generalia. Quarto de iure quod habent Cardinales. Quinto de iure quod habent Ordinarij. Sexto quid de poſſeſſore iuris conficiendi. Septimo quid de ſequeſtro. Octauo de iure quod habet Capitulum ſede vacante. Nono quid iuris habeat Vicarius Epiſcopi. Decimo an laici poſſint habere ius conferendi beneficia.

QVÆRO PRIMO, quo iure beneficia 1. *Beneficia quo iure inſtituta.* ſint inſtituta. RESPONDENT Canoniſtæ eſſe de iure humano; idque probant ex *c. 1. & 2. diſt. 22.* ſic teſtatur Selua *q. 4.* & Garzia *p. 5. num.3.* ex communi. Sed meliùs poſſumus reſpondere diſtin

Digitized by Google

diſtinguendo tria in beneficio. Primum eſt poteſtas ſpiritualis Sacramenta miniſtrandi, & iuriſdictionis exercendæ, quæ ſecundùm totam ſuam latitudinem eſt in beneficiariis, & in aliquo maior, in aliquo minor. Secundum eſt ius qualecunque ad mercedem & congruam ſuſtentationẽ, quam habet miniſter rerum ſpiritualium. Tertium eſt ius determinatum & ſtabile, nempe perpetuum, quod habet beneficiarius in fructus ex bonis tali beneficio applicatis. Hoc ergo poſito,

2. *Poteſtas ſpiritualis Sacramenta miniſtrandi, & iuriſdictionis exercendæ.*

DICO PRIMO, poteſtatem ſpiritualẽ beneficiorum ſumptã ſecundùm totam ſuam latitudinem eſſe de iure diuino, & quidem in ſummo Põtificatu immediatè receptam à Chriſto; in aliis dignitatibus, vt Epiſcopatu, &c. mediatè, ac dependenter à Sum. Pontifice: quatenus alij ſummo Pontifice inferiores illius auctoritate & conſenſu illam recipiunt. *c. ita Dominus, diſt.* 19. Idcirco quoad determinationem poteſtatis diœceſium, augmentum diminutióque iuriſdictionis ab illo pendent, vt rectè Suar. *tom.* 4. *diſp.* 25. *ſect.* 1. quo pacto etiam bene dicitur *c.* 1. *&* 2. *diſt.* 22. Rom. Pontificem inſtituiſſe Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos & alios ad dignitatum gradus euectos, quia nimirum ſuam poteſtatem habent dependenter à Papa; licèt ſecundùm ſe poteſtas illa ſpiritualis iure diuino cõceſſa ſit, vt loquitur Trid. *ſeſſ.* 23. *can.* 6. *&* 7. vt partim dici poſſit de iure diuino, nimirum ſecundùm ſe, & quoad ſubſtãtiam: partim de iure humano Eccleſiaſtico, nimirum quoad determinationem.

3. *Eadem ad mercedem.*

DICO SECVNDO, poteſtatem illam & ius miniſtri ad mercedem eſſe de iure naturali, & diuino. qui enim altari ſeruit, de altari debet viuere; & dignus eſt operarius mercede ſua. quo pacto apud omnes gentes & in quacunque lege, etiam naturæ, vt docet Azor *c.* 1. *quæſt.* 2. miniſtri ad cultum diuinum receperunt decimas & congruam ſuſtentationem à populo, neque ea priuari poſſunt abſque iuſta cauſa ab vlla poteſtate, vt dicit Azor *loc. cit. q.* 1.

4. *In fructus beneficij ſui.*

DICO TERTIO, ius illud determinatum ac perpetuum, quod habet beneficiarius in fructus ſui beneficij, eſt de iure humano: tum quia illud conſtitutum eſt per extractionem portionis quæ miniſtris ſoluebatur ex bonis communibus Deo dicatis: illa autem actio & opus fuit humanæ Eccleſiaſticæ poteſtatis: tum quia vtplurimum excedit congruam ſuſtentationem beneficiarij; & tamen ad beneficiarium etiam pertinet ille exceſſus: tum denique, quia humana poteſtate beneficia diuiduntur, extinguuntur, augentur, minuuntur ad nutum; ad tempus etiam placitum perſæpe conferuntur. quæ omnia arguunt ſubiectionem & dependentiam ab humano iure.

Quia ergo id quod potiſſimum & principale eſt in beneficio, videtur eſſe hoc ius determinatum & perpetuum ad fructus modo explicato; quo pacto dicimus vnum beneficium eſſe altero pinguius, præſtantius, magis appeti ab hominibus: ideirco rectè dicitur à Canoniſtis & ab aliis, beneficium abſolutè loquendo eſſe de iure humano, vt de Canoniſtis aſſerunt Io. Sel. 1. *p. q.* 4. Gigas *de penſ. q.* 2. Gonzales *ſuper regulam octauã Cancellariæ.* §. 1. *n.* 2. Garzia *de benef. p.* 1. *c.* 1. *n.* 3. De Theologis verò idem atteſtatur Azor *lib.* 6. *c.* 1. Suar. *tom.* 2. *de Relig. lib.* 4. *de ſim. c.* 24. Tol. *lib.* 5. *Inſtit. c.* 76. Leſſ. *dub.* 1. *de benef.*

5. *Ius ſummi Pontificis in beneficia.*

QVÆRO SECVNDO, quid iuris habeat Sum. Pontifex in beneficia. Pro reſponſione tria breuiter hoc loco definienda ſunt. Primum, an Rom. Pontifex ſit dominus beneficiorum; an verò tantùm adminiſtrator. Secundum, qualis adminiſtrator. Tertium, quæ & quot beneficia ad ipſum conferre pertineat.

RESPONDEO ergo & DICO PRIMO, non eſſe dominum, ſed vniuerſalem diſpenſatorem. Primum eſt contra Canoniſtas, ſaltem in modo loquendi, qui dicunt *dominum*: vt poſt alios docet Gonzales §. 1. *proœm. n.* 33. referens alios. illud tamen defendunt Theologi cum ſancto Thoma 2. 2. *q.* 100. *art.* 1. *ad* 3. Caiet. *ibi, & q.* 43. *art.* 8. Molina *tract.* 2. *de iuſtitia. diſp.* 29. *q.* 2. dicens communem. Adrian. *in* 4. *de reſtitut.* §. *pro clariori.* Leſſ. *lib.* 2. *c.* 4. *dub.* 4. Azor *lib.* 6. *c.* 1. *q. vlt.* eandem ex Canoniſtis tenent Turrecremata 2. *lib. ſummæ c.* 113. Nauar. *in c. non liceat. de ſpoliis cler.* §. 3. Ratio autem ea eſt, quia vel primò loquimur de eo quod eſt ſpirituale in beneficio; & illius (cùm ſit de iure diuino) proculdubio non eſt Papa dominus, ſed diſpenſator, & miniſter principalis: vel ſecundò de eo quod eſt temporale; quod triplex eſt, primò bona ipſa, vt prædia, reditus, mõtes, &c. à fidelibus donata Eccleſiis ad ſacra miniſteria; & hæc cùm donata fuerint ipſis Eccleſiis particularibus, vt Romanæ, Toletanæ, Rhemenſi, &c. & ipſæ capaces ſint dominij illarum rerum, eáſque acceptauerint, nec tranſtulerint earum dominiũ in ſummos Pontifices, nõ apparet quo pacto ſummus Pontifex dicatur earum rerum dominus. Secundò eſt ius ad fructus ex prædictis bonis percipiendos: & quoniam ius ad fructus rei pertinet ad eum, qui eſt dominus eius rei; ille enim dicitur dominus prædij, qui habet ius percipiendi etiam fructus illius prædij, niſi impediatur ex aliquo ſuo contractu, vel delicto. ſi Papa non eſt dominus bonorum Eccleſiaſticorum, nec etiam erit dominus iuris ad fructus ex iis percipiendos. Tertiò, ſunt ipſi fructus qui percipiuntur ex bonis, & horum cùm ſint domini ipſimet beneficiarij, vt ſuo loco dicemus; conſequenter, ne plures dominos immediatos & particulares eiuſdem rei concedamus, efficietur vt Papa non ſit dominus fructuum omnium beneficiorũ; ſed ad ſummum eius tantùm beneficij, quod ipſe poſſidet. quod eſt veriſſimum. Ex his ergo rectè videtur concludi non eſſe Papam dominum beneficiorum. 6. *An ſit dominus beneficiorum.*

Quòd verò ſit vniuerſalis diſpenſator, eſt omnium conſtans ſententia. & patet ex eo; quia cùm ſit caput vniuerſalis Eccleſiæ, & ad caput pertineat diſpenſatio bonorũ illius, pertinebit ad Papã eorũ diſpenſatio; de quo vide Nau. *c. non liceat. de ſpoliis cler.* hinc eſt vt (ſi neceſſarium, vel valde expediens ſit ad commune bonum Eccleſiæ) poſſit Papa bona Eccleſiaſtica & ad alios vſus & etiam ad alias diœceſes transferre; ipſæ verò particulares Eccleſiæ, ſeu cœtus Eccleſiaſtici tenentur illa bona ad poſteros trãſmittere; nec poſſunt ea vendere, vel extinguere pro arbitrio. Sic enim obligantur partim ex decreto Eccleſiaſtico, partim ex donantium diſpoſitione, qui voluerunt ea perpetuò eſſe dicata diuino cultui. Neque argumenta ex quibus dominium aliqui colligunt id probant; ſed tantùm diſpenſationem, cum poteſtate ampliſſima, pro arbitrio adminiſtrandi & conferendi, vt mox conſtabit. Quoad ſecundum ergo, qualis adminiſtrator ſit Sum. Pontifex, reſpondeo, & 7. *An diſpenſator,*

DICO SECVNDO, diſpenſatoris facultatem in ſummo Pontifice maximam eſſe, & comprehendere omnem eam poteſtatem, quæ illi tribuitur 8. *& qualis.*

Digitized by Google

buitur à Canoniſtis, ſi iuſta cauſa intercedat; nec ſit contra ius naturale, aut diuinum.

Primò quòd ſit maxima, patet ex his conditionibus. Prima, quia eſt plena & libera. Clem. 1. vt lite pend. *Ad Rom. Pontificem* (inquit) *Eccleſiarum, dignitatum aliorúmque beneficiorum Eccleſiaſticorum, plena & libera diſpoſitio ex ſuæ poteſtatis plenitudine noſcitur pertinere.* & *c. licet. de præb. in 6.* dicitur *plenaria diſpoſitio.* intellige autem eſſe plenam, quia nihil eſt quod non poſſit de illis agere, interueniente iuſta cauſa: *liberam,* non quòd non ſit coarctata iure naturali & diuino; ſed quòd non eſt coarctata iure Canonico diſponendi in materia circa beneficia. eſt enim Papa ſupra ius Canonicum.

Secunda, quia eſt ampliſſima, cùm ſe extendat ad omnia genera beneficiorum; etiam ad ea, quæ ſunt de iure patronatus, vt dicemus infrà. Item ad omnia, quæ vbique gentium reperiuntur. eſt enim totius orbis Paſtor, & Ordinarius ordinariorum. vnde initio naſcentis Eccleſiæ ſolus ipſe ea conferebat. *c. 1. & 2. diſt. 22.* Selua *2. p. q. 22. n. 3.* Gonzales §. 1. *proœm. n. 2.* Deinde conceſſit Epiſcopis vt conferrent exiſtentia in ſuis diœceſibus. *c. decreto. 2. q. 6. c. multum ſtupeo. 3. q. 6.*

Tertia, quia etiamſi aliis inferioribus Prælatis conceſſerit poteſtatem conferendi beneficia in ſuis prouinciis, diœceſibus, Eccleſiis, titulis: tamen eam contulit cumulatiuè, non priuatiuè, hoc eſt, ita contulit, vt non priuauerit ſe ea poteſtate, ſed vt plures haberet ſecum collatores. c. dudum. de præb. in 6. *Nos igitur attendentes quòd etiamſi memorato Epiſcopo prædictam conceſſerimus facultatem; penes nos tamen nihilominus remanſit maior.* de quo plura congerit Gonzales §. 1. *proœm. n. 3. & ſeqq.* Hinc eſt vt Papa poſſit cõcurrere cum menſibus ordinariorum, vt ex pluribus probat idem *num.* 38. & Garzias *p. 5. c.* 28. vt poſſit illa concedere antequam vacent. *c. 2. de præb. in 6.* Vnde ortæ ſunt litteræ expectatiuæ, de quibus infrà, vt poſſit conferre reſeruatis fructibus ex toto, vel ex parte, aut penſionibus impoſitis, vt ſuo loco.

Quarta, quia poteſt adimere beneficia iis, quibus antea conceſſerat, poteſt auferre ius nominandi, inſtituendi, &c. gloſ. *c. ſi gratiosè. de reſcriptis in 6.* Gonzal. §. 1. *proœm. num.* 39. *& ſeqq.* quod intellige, ſi iuſta cauſa intercedat: alioquin enim abſque iuſta cauſa validè quidem auferret, quoad exceſſum congruæ ſuſtentationis; quia ſuper eum habet liberam poteſtatem, cùm ſit tantùm de iure humano; non verò quoad ſuſtentationem neceſſariam & congruam, quæ miniſtro debetur iure naturali & diuino: ſed an licitè, ambigi poteſt, per ea quæ habent Card. Felinus, Couarruuias, Salſedo & alij apud Garziam *p. 5. c. 1. num. 7.* quia dicunt non poſſe Principem licitè diſpenſare & diſponere contra legem ſine cauſa. idem colligitur ex Azor. *lib. 6. c. 1. q. 1. §. ex his perſpici poteſt.*

Hinc poteſt intelligi, quo ſenſu debeant accipi quæ à Canoniſtis dicuntur: vt primò, quòd Papa ſolus ſit dominus beneficiorum. Gonzal. §. 1. *proœm. n.* 33. ſecundò, quòd faciat vnum conſiſtorium cum Deo. *num.* 35. tertiò, quòd Papæ poteſtas nullis legibus aut regulis coarctetur. *num.* 34. quartò, quòd de poteſtate ordinaria poſſit etiam ſine cauſa beneficium auferre vni, & dare alteri. *num.* 36. quintò, quòd videatur Deus in terris quoad beneficia. *num.* 37. ſextò, quòd poſſit adæquare quadrata rotundis. *num.* 38. ſeptimò, quòd omnia beneficia ſint manualia reſpectu Papæ. Garz. *p. 5. num. 6.* & alij huiuſmodi, quæ videri poſſunt apud illos *loc. cit.* Quoad tertium, quorum beneficiorum collatio ad Papam pertineat, reſpondeo, &

9. *Quæ & quot beneficia ad ipſum conferre pertineat.*

Dico tertio, beneficia, quorum collatio hæc tempore pertinet ad Summum Pontificem, hæc ſunt. omiſſis enim iis quæ pertinent modo ordinario & communi: vt ſunt, mutationes, vniones, tranſlationes Eccleſiarum Cathedraliũ, &c. Patriarchalium, &c. iuxta ea quæ habentur *c. mutationes. 7. q. 1. c. licet. & c. inter corporalia. de translation.* nam tamquam maiores & difficiliores cauſæ ad ipſum ſpectant: vt etiam olim ſpectabat Eccleſia Colonienſis & Treuerenſis. *c. porrò. diſt. 63.* quod idem ius habuit in Eccleſia Rauenatenſi, ex *gl. ibidem.* his, inquam, omiſſis, reſpondeo aliqua pertinere ad ipſum *primò* & principaliter iure reſeruationis, per quam ita ſibi beneficia obligat; vt ea nemo alius conferre queat. eſt enim reſeruatio beneficij vacaturi per habentem poteſtatem ad ſe facta auocatio. Æneas de Falcon. *in tract. de reſeruat. Papæ & Legat.* & Azor *lib. 6. cap. 34.* Iure igitur reſeruationis aliqua ſibi reſeruat Papa.

10. *Quo iure illa conferat. Reſeruatio.*

Primò ratione loci in quo ipſe degit vnà cum Curia. & ita omnia beneficia eorum, qui vel per mortem, vel quacunque alia ratione ea amittunt in Curia, ad ipſum ſpectant, ex *reg. 1. Cancell. & Extrauag. Ad regimen. de præb.* Benedicti XII. in qua reſeruantur beneficia curialia, & aliorum ad Curiam accedentium, vel inde recedentium ſi moriantur in locis non diſtantibus à Curia vltra duas diætas legales, hoc eſt, 40. milliaria; vel ratione delicti: vt illa quæ vacare contigerit, per Extrauag. Io. XXII. *Execrabilis.* & ſunt ob delictum retinendi plura duobus, vno cum cura, & alio ſine cura: vel plura iniuſtè, & ſine diſpenſatione. item illa, de quibus ordinaria diſpoſitio erit contra Trident. decreta.

Secundò ratione perſonarum ad ſe ſuámque Curiam pertinentium. atque ita reſeruantur primò beneficia curialium, vel aliorum ad Curiam accedentium, vel inde recedentium; ſi moriantur modo prædicto in locis vltra duas diætas, hoc eſt, 40. milliaribus à Curia non diſtantibus. ita *in 1. regula* ex eadem Extrauag. *Ad regimen.* Secundò, beneficia familiarium ſuorum, & familiarium Cardinalium S. R. E. ex *reg. 3.* Tertiò, beneficia collectorum, & ſubcollectorum, qui tempore ſui officij obierint in quacunque ciuitate, vel diœceſi. ita *in reg. 4.* Quartò, beneficia curialium, quos, cùm Curia Rom. de loco ad locum transfertur, eam ſequendo decedere contingit. ita *in reg. 5.* Quintò, beneficia Cubiculariorum & Curſorum Rom. Pontificis. ita *in reg. 6. Cancell.*

Tertiò aliqua ſibi reſeruat ratione præeminentiæ, quia ſunt beneficia Cathedralium dignitatum, &c. atque ita primò reſeruantur beneficia Patriarchalia, Primatiualia, Archiepiſcopalia, necnon omnia monaſteria virorum valorem 200. florenorum aurei excedentia. ita *in reg. 2. Cancell.* Secundò beneficia quæ dicuntur Dignitates principales in Eccleſiis collegiatis. Tertiò Prioratus, Præpoſituræ & aliæ Dignitates conuentuales & Præceptoriæ generales ordinum quorumcumque, ſed non militarium. ita *in reg. 3.*

Quartò ratione Epiſcopatus Rom. & ſunt beneficia S. Ioannis Lateranenſis, S. Petri & S. Mariæ Maioris de Vrbe: nempe Canonicatus, Præbendæ, Dignitates, Perſonatus & officia prædictarum Baſilicarum. ita habetur *in reg. 7. Cancell.*

Quintò aliqua reſeruat ratione ſupremæ poteſtatis in Eccleſia. talia primò ſunt omnia vacantia tempore vacationis Ordinariorum. ita *in 2.p.2.reg. Cancell.* Secundò quæ vacant menſibus Pontificis, & in alternatiua cum Epiſcopis. ita *in reg.8.* Tertiò omnia beneficia per ſuos prædeceſſores reſeruata. ita *in 10.reg.Cancell.* de qua Garzias *c.1.num.783.* Et hæc de Reſeruatione.

11. *Affectio.* *Secundò* principaliter aliqua pertinent ad Papam iure affectionis; quia ſcil. eorum collatio tunc ad Papam pertinet. quamuis aliàs ad Epiſcopum, vel alium Ordinarium poſſit pertinere, quorum affectio dicitur à nonnullis Reſeruatio ad tempus, vel ex certa cauſa, vel per appoſitionem manus Papæ. ita dicitur primò Affectum beneficium quod Papa contulit, ſed inualidè, ob aliquod canonicum impedimentum. illud enim iterum à Papa conferendum eſt. *cap. inter dilectos. de exceſſ. præl. c. ad noſtrum. de appell.* Secundò illud quod eſt à Papa commendatum. nam obitu Commendatarij manet affectum, id eſt, obligatum vt à Papa conferatur. DD. apud Garziam *4. p. c.4. num.64. & p.5. c. 1. num. 141.* Tertiò, ſi Papa præcipiat Electoribus vt aliquem ad certam Eccleſiam eligant. tunc enim ea Eccleſia dicitur affecta. *c. ſi eo tempore. de elect. in 6.* quod dicitur mandatum de prouidendo, de quo Garz. *1. p. c.1. num. 148.* Quartò quando beneficium vacat per reſignationem factam in Curia; tunc illud beneficium dicitur affectum Papæ. Garz. *1.p.c.1.num.170.* ſed hoc caput continetur *in 1.reg.Cancell.* vt diximus ſuprà. & hæc de Affectione.

12. *Deuolutio.* *Tertiò* principaliter aliqua pertinent ad Papam iure deuolutionis; hoc eſt, tranſlationis iuris conferendi ad ipſum, quod ad alium pertinebat. ſi enim collatores inferiores non conferant in tempore à iure definito, beneficia ad ipſos ſpectantia deuoluuntur ad Papam. & hic eſt primus modus deuolutionis, ratione ſcil. negligentiæ conferendi commiſſæ à collatoribus inferioribus. Secundò omnia beneficia per confidentiam accepta ipſo iure vacant, & eorum collatio ad Papam deuoluitur. Pius IV. *in Bulla Ad Rom. Pontificem.* & Pius V. *in Bulla Intolerabilis.* Tertiò omnia beneficia vacantia propter crimen hæreſis. Pius V. *Cùm ex Apoſtolatus.* Quartò omnia Parochialia collata ab Epiſcopis, &c. non ſeruata forma Tridentini *ſeſſ.24.c.8.* hoc eſt, non præmiſſo examine deuoluuntur Rom. Pontifici. Pius V. *In conferendis.* Quintò beneficia collata clericis prohibitis propter generis originem, aut hæreſim, ſunt nullius momenti, & deuoluuntur ad Rom. Pontificem. Greg. XIII. *In Eccleſiis.* Verùm hæc ferè continentur ſub *reg. 1. Cancell.* iis poſtremis verbis, *& etiam omnia beneficia, de quibus Ordinarij & alij Collatores contra Concilij Trid. decreta diſpoſuerunt, & diſponent in futurum.* Porrò dubitationes circa huiuſmodi beneficia Papæ reſeruata, ſoluemus *in c. ſeq.* cùm de Reſeruatione.

13. *Ius Conciliorum generalium.* TERTIO QVÆRO de iure quod habet Concilia generalia in beneficia. Pro reſolutione ſupponendum ſermonem eſſe de Concilio generali, cui Papa præſit vel per ſe, vel per ſuos Legatos; hoc enim eſt legitimum. Aliàs congregatum abſque Papæ auctoritate non eſſet legitimum; conſequenter de eo nulla dubitatio eſſet, quòd non poſſet conferre beneficia. Occaſione autem Concilij generalis, dicetur etiam de Collegio Cardinalium Sede vacante. Hoc poſito,

RESPONDEO & DICO PRIMO, iure communi non habere poteſtatem conferendi beneficia; poſſet tamen de Papæ conſenſu expreſſo, vel tacito, quando neceſſitas, vel alia iuſta cauſa intercederet. Et primò quidem, quòd non ſit de iure communi hæc poteſtas, patet, quia in nullo canone inuenitur conceſſa hæc poteſtas. Quòd verò poſſit interueniente Papæ conſenſu, non eſt difficultas, quia cùm Papa pleno iure poſſit, vtique etiam Concilium ad eum deponendum & iudicandum propter hæreſim manifeſtam, vel alia ratione legitima, tunc ſi neceſſitas vrgeret, nec aliter prouideri poſſet Eccleſiæ vacanti, nec differri; veriſimile eſt, collationem validam fore ob conſenſum tacitum, & quia repræſentaret totam Eccleſiam. Vel aliter: 14. *Conſenſus Papæ expreſſus, vel tacitus.*

Si Concilio præſens Papa ſit, rectè dici poteſt, poſſe beneficia conferre ob poteſtatem Papæ præſentis, & conſequenter conſentientis illi collationi expreſsè, vel tacitè. hoc pacto interpretari poſſumus ſententiam Seluæ *2. p.q. 2.* & aliorum quos refert Garz. *c.2. num. 2.* qui abſolutè dixerunt poſſe, iuxta id *Act. 1.* vbi Matthæus fuit electus ad Apoſtolatum in Concilio, in quo præſidebat Petrus. Si autem Papa non ſit præſens, ſed Legati, eius nomine; ſic abſolutè dicendum videtur non habere iure communi talem poteſtatem, cùm non adſit canon vllus, vel conſtitutio Papæ eam concedens; nec vllum eſt beneficium, cuius collatio pertineat ad Concilium generale vnà cum Papa; ſicut ſunt multa pertinentia ad Capitulum vnà cum Epiſcopo. Poterit tamen ſi id ei à Papa concedatur, quamuis non appareat ratio id concedendi, quia ſi ſpectet eius collatio ad inferiores Papâ, ipſi poterunt conferre; ſi ad Papam, ipſe per ſe id poterit præſtare. Denique ſi vacet Sedes Apoſtolica, & Concilium generale alioqui legitimè congregatum ſit, tunc dicerem abſque vrgenti neceſſitate & cauſa non eſſe ab eo beneficia conferenda, quæ tunc vacare contingeret, poterit enim ea Pontifex eligendus conferre, vt de more fieri ſolet; ſi tamen vrgens neceſſitas adeſſet, ob quam non poſſet aliter prouideri vacanti Eccleſiæ, nec differri, probabile videtur quòd poſſit, quia repræſentat Eccleſiam vniuerſalem, ad quam adminiſtratio eiuſmodi beneficiorum, omni alio tunc deficiente, deuolueretur. Pro qua ſententia citari poteſt Zechius *de benef. c. 2.* citatus à Garzia *loc. cit.* dicens Concilium generale probabiliter beneficia conferre poſſe; quamuis non diſtinguat de Sede Apoſtolica vacante, aut non vacante. arg. *cap. cùm in cunctis. de elect.* 15. *Præſentia Papæ.* 16. *Legatorum præſentia nomine Pontificis.* 17. *Quid ſi vacet Sedes Apoſtolica.*

DICO SECVNDO, Collegium Cardinalium Sede vacante conferre non poteſt. eſt omnium Doct. & probatur ex *c. vbi periculum. de elect. in 6. Clem. ne Romani. eod.* Et ratio eſt, quia poteſtas conferendi beneficia eſt iuriſdictionis. At quæ ſunt Pontificiæ iuriſdictionis, non tranſeunt ad Collegium Cardinalium Sede vacante; ergo, &c. ita Azor *lib.6.c.25.q.3.* Garz. *c. cit. n. 6.* 18. *An Sede vacante conferre poſſit Collegium Cardinalium.*

QVARTO QVÆRO de iure, quod habent Cardinales in beneficiis. Pro reſponſione notandũ, Cardinales poſſe conſiderari primò tanquã Cardinales habentes titulos ſuarũ Eccleſiatum.

Digitized by Google

rum. Secundò tanquam Epiſcopos alicuius Eccleſiæ. Tertiò tanquam Legatos à latere, miſſos à Papa in aliquam prouinciam. Agemus primò de Cardinalibus ratione ſuorum titulorum. Secundò ratione legationis à latere; nam ratione Epiſcopatus idem de ipſis dicendum erit quod dicetur infrà de Epiſcopis. Adiiciemus tertio loco de Nuntiis ob affinitatem cum Legatis.

20. *Primò ratione ſuorum titulorum.* RESPONDEO ergo & DICO PRIMO, Cardinales in ſuis titulis habere poteſtatem conferendi beneficia ſpectantia ad ſuos titulos, & reliquas Eccleſias ipſorum titulis ſubiectas. Ratio eſt,quia Cardinales habent in ſuis titulis iuriſdictionem Epiſcopalem forenſem, vt notant DD. *in cap. his quæ. de maior. & obed.* Abb. Fel. Butr. Cord. Alb.de Card. *q.*46. Mandoſ. *in reg.*7. *Cancell.q.*2. Ad iuriſdictionem autem Epiſcopalem pertinet conferre beneficia Eccleſiarum ſuo Epiſcoparui ſubiectarũ. Dicitur autem præterea conceſſum fuiſſe de hoc ampliſſimum priuilegium à Sixto IV. teſte Fel. *c. cit.n.*1. vt nimirum conferre poſſint omnia beneficia ſita in Eccleſiis, quas vel iure tituli, vel conſuetudinis, vel adminiſtrationis habent. colligitur etiam ex *reg.*7. *Cancellar.* in qua Papa ſibi reſeruat beneficia trium Eccleſiarum de Vrbe; ergo aliarum, inter quas ſunt multæ Collegiatæ, & quarum tituli ſunt Cardinalitij, beneficia pertinebunt ad Cardinales Titulares.Denique vſus ipſe & praxis non obſcurè confirmat. Requiritur tamen vt non abſint à Rom.Curia, vt colligitur ex eadem *reg.*7. intellige ſi eorum abſentia fuerit priuata cauſa,non autem ſi publica ex Papæ ordinatione, vel approbatione. Item niſi Papa quomodocumque ſibi ea omnia, vel eorum aliqua reſeruârit. Azor *lib.*4.*cap.*3.*q.*2.

21. *Secundò ratione legationis à latere.* DICO SECVNDO, Cardinalem tanquam Legatum Apoſtolicum, ſeu à latere, poſſe conferre beneficia ſuæ prouinciæ. Primò ſermo noſter eſt delegato à latere, qui eſt Cardinalis miſſus à latere Papæ,non de miſſo, qui aliàs dicitur Nuncius,de quo infrà; neque de nato,qui ratione ſuæ Eccleſiæ vendicat ſibi dignitatem legationis; vt dicitur *c.*1.*de offic.leg.in* 6.

Secundò aio poſſe conferre beneficia ſuæ prouinciæ,quod vniuerſaliter probatur ex *cap.* 1. *de offic.leg. in* 6. *& cap. ſi à ſede. de præb.in* 6.& alibi, docent DD. *loc. cit.* & alij quos citat & ſequitur Garz. 5. *p. cap.*3.*n.*4.*& ſeqq.* Vnde infertur hanc poteſtatem eis competere iure communi,& conſequenter ordinariè, non quidem quòd officium legationis id exigat, ſed quia id eſt conceſſum Cardinalibus legatis ex priuilegio, vt dicitur *c.* 1.*cit. de offic. leg.* ideo dicuntur Ordinarij ſuperinducti, ex gl. *Clem.* 2. *de offic. ordin.* Vital. ibi *n.* 7.& aliis cum Garz.*n.*9.

Tertiò dum dicimus poſſe conferre beneficia, vſurpamus nomen *conferre* in ſua latiſſima ſignificatione,prout comprehendit inſtitutionem nominatorum,vel præſentatorum à patronis, confirmatione electorum & poſtulatorum à Collegiis Canonicorum, vel Monachorum, quæ exempta non ſunt, & collationem propriè dictam, eorum ſcilicet beneficiorum, quæ ab ipſo ſolo conferuntur.Azor *lib.*5.*c.*28.

Quartò,in particulare extenditur hæc poteſtas, *primò* ad beneficia de iure patronatus Eccleſiaſtico, *cap.dilectus. de offic.legat. cap.cùm dilecti. de iure patronat.* etiam non facta mentione, nec derogatione iuris patronatus, ex *d.c.* & DD. quos citat & ſequitur Garzias *d.c.*3.*n.* 17. *&* 18. Item etiamſi Eccleſiaſticus præſentet ex conſenſu laici: nam habetur Eccleſiaſticus pro conditione eius, qui præſentat, non eius qui conſentit:non ita ſi Eccleſiaſticus præſentet, ſed laicus habeat ius nominãdi, quia tunc non eſt liberum clerico præſentare quem voluerit,ſed ex neceſſitate tenetur præſentare nominatum, vt Azor *c.* 28. *q.* 2. *verſ. Quando.* Quòd ſi dignitas præfata, ratione cuius conueniat ius præſentandi, ſit adnexa Eccleſiæ,dicetur etiam tunc ius patronatus Eccleſiaſticum.

Secundò extenditur ad beneficia ſpectantia ad collationem exemptorum. nam Legatus eſt Ordinarius exemptorum, intellige de exemptis ab auctoritate Ordinarij tantùm, nam ſi eſſent etiam exempti à Legatis, & tantùm ſubiecti ſummo Pontifici, credo quòd non poſſet beneficia ſpectantia ad exemptos hoc modo conferre. illud autem tenent multi DD. cum Garzia *n.*19.

Tertiò extenditur ad beneficia, quorum collatio deuoluta ſit ad ſedem Apoſtolicam. *c. penult. de præbend.* gloſſ.fin.*in d.c.*1.*de offic.legat.in* 6.*& in Clement.ſi de benef. verb. ſiue ad nos. de præbend.* & ſequuntur Archid. Cord. & alij cum Garzia *n.* 21. & Azor *q.* 14. ideo non currit ei tempus ſemeſtre ad conferendum,nam etiam deuoluta ad ſedem Apoſtolicam ex negligentia poteſt conferre,ex Gamb. *de offic.legat.lib.*3.*num.*34. *&* 622. quem ſequitur Garz. *num.*26.multò magis ſi deuoluta ſint ad Prælatum ſuæ prouinciæ, ob negligentiam eorum, qui habent ius eligendi, vt Azor *q.*12. quòd ſi ſpectent ad collationem Prælati extra prouinciam,etiam poteſt,quia attenditur locus, vbi ſitum eſt beneficium, non locus, vbi eſt perſona, ad quam ſpectat collatio. *Clem.* 1.*de ſuppl. negl. prælat.* gloſſ. *ibi,verb.locorum,& fin.* Card. *n.* 12. & alij cum Garzia *n.*28. & Azor *q.* 12. E conuerſo non poteſt conferre beneficia, quæ eſſent extra prouinciam, etiamſi per deuolutionem ſpectarent ad Prælatos ſuæ prouinciæ, vt Butr. Rebuffus & alij cum Garzia *num.* 29. licèt Selua 2.*p.q.*3.*num.*40. *&* 3. *p.q.*66.contrarium teneat. Sicut neque deuoluta ex negligentia Prælati Regularis exempti, quæ Epiſcopus confert tanquam delegatus ſedis Apoſtolicæ, ex *cap.ſtuduiſti.de offic. legat.* gloſſ. *in Clem.ſi de beneficio. verb. ſiue ad nos. de præb.* & alij cum Garzia *n.*33. Poſſet tamen illa conferre ante deuolutionem, & poſt deuolutionem ab Epiſcopo, ob eius negligentiam, ad Papam, vt Selua 3. *part. quæſt.*66.*n.*9.& Garzias *n.*34.ex Rebuffo.

Quartò extenditur ad beneficia etiam vacatura,quæ poteſt reſeruare ſuæ collationi. *c.præſenti. de offic. legat. in* 6. cùm modificatione eiuſdem cap. nempe quòd ea beneficia poſſit reſeruare, quæ poteſt conferre, non tamen poteſt dare ius ad vacaturam, hoc enim eſt ſolius Papæ, vt ex multis docet Garzias *n.*36.

Quintò extenditur hæc poteſtas ad conferendum dicta beneficia,etiamſi exiſtat ipſe Legatus extra prouinciam, gloſſ. *in c. nemo. de offic. legat.* Archid. Vital. & alij cum Garzia *n.* 39. & Azor *q.*19. Sicut etiam Epiſcopus poteſt conferre beneficia ſuæ diœceſis, exiſtens extra diœceſim; & ratio eſt, quia beneficia conferre eſt voluntariæ iuriſdictionis, non contentioſæ. Solent tamen Epiſcopi dum Romæ commorantur,ſi contingat

quòd beneficium aliquod conferre debeant, exire extra Vrbem in reuerentiam Papæ, vt ex Panim. docet Azor *loc. cit.* Ex quibus patet Legatum à latere in ſua prouincia concurrere in collatione beneficiorum cum ipſo Ordinario,& eſſe locum inter ipſos præuentioni. *cap. ſi à ſede Apoſtolica. de præbendis in 6.* gloſſ. *ibi.* & DD. *in cap. 1. de offic. legat. in 6.* & alij quos citat & ſequitur Garzias *n.* 49. non tamen quoad menſes alternatiuæ, propter decretum irritans in ea appoſitum,quod ligat etiam Legatum, vt pluribus probat idem Garzias *n.* 45.

Quintò principaliter reſtringitur & limitatur, *primò* vt non poſſit conferre, vel reſeruare Eccleſias Cathedrales,vel Regulares,aut Collegiatas, ſeu ipſarum Cathedralium dignitates maiores poſt Pontificalem, electiuas; quæ ſcilicet per electionem conferri ſolent, *cap. deliberatione. de offic. legat.in 6.* gloſſ.fin. *in d.c.* Azor *q.* 16. Vnde quæ electiuæ non ſunt, poterunt ab eo conferri. Archid. *c.deliberatione.cit.* Decius *conſil.* 149.& alij,cum Azor.*q.*16. & ratio eſt,quia poteſt Abbas conferre Priorarum, & Epiſcopus plebaniā, quæ electiua non eſt. ergo etiam Legatus, cùm poſſit hic conferre omnia beneficia ſuæ prouinciæ, & concurrat cum Ordinario, vt dixi. Nec obſtat, quòd non poſſit conferre Cathedrales etiam non electiuas: nam id eſt propter reſeruationem Papæ, *in reg.2.Cancellar.* Vnde *ſecundò* reſtringitur, quòd non poſſit conferre beneficia reſeruata Papæ. *cap. licet.de prebend. in 6.* gloſſ. fin. *in cap. 1. de offic. legat. in 6.* & alij cum Garz. *n.* 53.& Azor *q.* 15. Ratio,quia in reſeruatis Papæ Legatus non poteſt ſe intromittere. *c. quoad tranſlationem. de offic. legat.* & licèt concederetur poteſtas conferendi beneficia qualiacunque vacantia, non tamen cenſeretur conferri circa reſeruata generaliter, vel ſpecialiter. Rot. *deciſ. 3. de offic. legat.* in nouis, & alij cum Garz. *n.* 54. Quòd ſi concederetur poteſtas conferendi reſeruata,non tamen cenſeretur circa ea, quæ vacant in Curia, niſi ſpecialiter hæc etiam concederetur. *cap. 2. de præb. in 6.* & DD. *ibi. Tertiò* reſtringitur, vt non poſſit conferre beneficia litigioſa,*c.1.& 2. vt lite pendente.* Rot. *deciſ.* 198. *lib. 3. p. 3. diuerſor.* & Garzias *n.* 56. ex aliis deciſionibus; quicquid contrà Probus ad Monachum *d. cap. 1. de offic. legat. in 6. Quartò* reſtringitur, vt non poſſit conferre beneficia iuris patronatus laicorum, *cap. cum dilectus. de iure patronat.* Ratio, quia non ſolet Papa derogare iuri patronatus laicorum, ne ij auertantur à fundandis, dotandis,& reficiendis Eccleſiis. Excipe, niſi ex præſcriptione,aut conſuetudine,aut Papæ priuilegio hoc ius præſentandi laicis conueniret, tunc enim poſſet conferre, derogando tali iuri,vt Butrius & alij *in cap.cum dilectus.cit.* & Azor *q.* 2. Quod ſi eſſet mixtum ex patronis laicis & Eccleſiaſticis, etiamſi Eccleſiaſtici plures eſſent,tamen iudicatur ius patronatus laicorum, quoad hoc,ex *cap. 1. de iure patronat. in 6. & L.ſi communem. ff. quemadm. ſeruit. amitt.* Et ratio eſt eadem,quia ſequeretur idem inconueniens, vt Azor *q.2.cit.* & Garzias *n.*69. *Quintò* excipitur,vt non poſſit conferre beneficia filio, in quo pater eius proximè miniſtrauit, id enim eſt iure communi prohibitum, *cap.ad extirpandas.c.Michael. cap.dilectus. de fil.presb.* ne videatur in beneficiis dari ſucceſſio. Azor *q.* 9. Item non poteſt conferre beneficium,quod priùs abſenti contulerat,niſi poſt lapſum temporis conſtituti abſenti ad conſentiendum. *cap.ſi tibi præſenti. de præbend. in 6.* quo loci ſermo eſt de Epiſcopo; ſed eadem ratio eſt de Legato,ex Gamb.*loc.cit.n.*500. De monoculari eſt dubitatio, & Gamb. *n.* 512. affirmat poſſe, quia non propterea tollitur ius Epiſcopo illud conferendi, cùm detur locus præuentioni: & alioqui ius non diſtinguat de hoc, vel illo; quod certè probabile eſt,quamuis neget Io.Monachus *cap. generali. de reg. iuris in 6.* & alij cum Azor.*q.*5.

DICO TERTIO, alios Legatos, vt Nuntium Apoſtolicum, & eum qui dicitur Natus, non habere poteſtatem conferendi beneficia,niſi id eis ſit ſpecialiter conceſſum.*cap.literas.de ſupp. negl.prælator.& cap.1.de offic.legat.in 6.*DD.*ibi.* Vel niſi ſint miſſi cum poteſtate ſeu auctoritate Legati à latere,tales enim abſque alia ſpeciali conceſſione poſſunt beneficia conferre, vt ex multis DD.docet Garz. *cap.*3.*n.*81. Qualis autem poteſtas ſit huius,vel illius Nuntij, vt Hiſpaniæ, vel Franciæ, pendet ex eorum literis, & de Nuntio Hiſpaniæ vide Garz.*à n.*82. 22. *An Nuntij poſſint conferre beneficia.*

QVINTO QVÆRO de iure,quod habent Ordinarij in beneficia. Pro reſponſione notandum, nomine *Ordinarij collatoris*, intelligi eum,qui ſuo iure conferre poteſt beneficia, ſiue id ius habeat à iure communi,ſiue à Papa,ſiue à conſuetudine, etiamſi aliàs non haberet ordinariam iuriſdictionem, vt notant DD. *in cap.ordinarij.de offic.ordin.& in cap.ſi ſoli. de conceſſ.præb. in 6.*gloſſ.*in Clem.1.vt lite pendente.*& alij cum Garz. *cap.4.n.1.* Quare non ſoli Epiſcopi, verùm etiam alij eo inferiores, veniunt appellatione ordinarij collatoris,vt idem *n.* 2. ex Dec. Rebuffo,& aliis. Hoc poſito, 23. *Ius Ordinariorum.*

RESPONDEO & DICO PRIMO, Epiſcopos tanquam ordinarios collatores conferre poſſe omnia beneficia ſuæ diœceſis, præter reſeruata. eſt communis omnium,vt Selu. *p.* 2. *q.* 1. *n.* 14.& Ioan.And.Azor.*lib.3.c.29.q.5.* Leſſ. *cap.* 34. *dub.* 10. Gonzal. §.1.*proœm.num.*21. referens alios multos.& Garz.*cap.4.num.*2. Ratio autem illa afferri poteſt, quia Epiſcopi in ſua diœceſi ſunt Principes & moderatores ſacrorum, ideo ad ipſos pertinet rerum ſacrarum miniſtros conſtituere,& officia ſacra conferre. Dixi, *omnia beneficia*,quia de iure communi ita eſt,ex *cap.omnes baſilicæ.cap.nullus* 16.*q.7.cap.cùm ex iniuncto,in fin.de hæretic.* cum aliis multis apud Garz. 5. *p.cap.*1.*n.* 51. Dixi,*præter reſeruata*, quia olim habebant omnes menſes liberos, & Romani Pontifices rarò faciebant gratias beneficiales,ideo in volumine Decretorum non tractatur de hac materia: vt tradit Ioan. Andr. & alij cum Gonzalo §. 1. *num.* 23. Poſtea cœperunt illas concedere moderatè; deinde frequenter faciebant reſeruationes,& concedebant expectatiuas. Tandem expectatiuæ & alia mandata de prouidendo,& aliæ gratiæ ad vacatura,ſunt ſublata per Trident.*ſeſſ.* 24.*cap.*19.*de reformat.* Remanent tamen Regulæ Cancellariæ, in quibus Papa ſibi reſeruat multa beneficia, quæ alioquin pertinerent ad Epiſcopum,relictis Ordinario quatuor menſibus,Martio,Iunio, Septembri & Decembri,vel ſex,ſi alternatiua vſi fuerint. 24. *Epiſcoporum ius.*

Ex his colligitur Epiſcopos & alios ordinarios collatores poſſe conferre omnia beneficia ſimplicia ſuæ diœceſis; item duplicia, vt parochias; non tamen dignitates, hæ enim ſunt Papæ reſeruatæ,ex *regul.* 35. *Cancellariæ.*

Dubita

Digitized by Google

25. *Præbenda Eccleſiæ Cathedralis ad quē pertineant.*

Dubitatur primò de præbendis Eccleſiæ Cathedralis, an pertineant ad prouiſionem ſolius Epiſcopi, an eius ſimul cum Capitulo. Reſpondeo eſſe duas ſententias. Prima pertinere ad Epiſcopum cum conſilio, vel conſenſu Capituli. Secunda ad vtrumque ſimul, cum qua videtur dicendum. probatur ex *c. cùm Eccleſia Vulterana. de elect. c. fin. de ſuppl. neglig. c. poſtulaſtis. de conceſſ. præb.* facit *c. quia nonnullis. §. verùm. de mag. & reg. quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari.* Ratio etiam ſuffragatur, quia cùm Epiſcopus & Capitulum ſint vnum corpus. *c. nouit. de his quæ fiunt à Prælat.* æquum eſt, vt vtrumque concurrat in prouiſione præbendarum Cathedralis, ac de eis tanquam fratres ſimul diſponant, quandoquidem reſpectu eius ſunt vnum corpus. eſt communior ex Caſſad. *deciſ. 22. num. 2. de præbend.* & Rota hodie eam ſequitur ex Garz. *c. 4. num. 14.* vbi affert octo deciſiones Rotæ, *&* 17. Idem dic de dignitatibus Cathedralis ex eodem *num. 20.* niſi Papæ reſeruatæ ſint. Quoniam autem collatio ad Epiſcopum & Capitulum ſimul pertinet, vnam vocem habet Capitulum, & Epiſcopus ſolus aliam, ex Probo & Rota apud Garz. *num. 28.* ſi non concordauerint, etiamſi Epiſcopo accedant aliqui Canonici, neutra collatio valet, ex communi apud eundem *num. 29.* ideo ſi Papa prouideat tertio, ille habebit ex deciſione Rotæ, apud eundem *n. 34.* Poterunt tamen Epiſcopus & Capitulum intra ſemeſtre datum ad conferendum concordare in vnum; niſi interim Papa prouidiſſet: quòd ſi nec intra ſemeſtre concordauerint, nec Papa prouiderit, deuoluetur prouiſio ad Superiorem. *c. poſtulaſti. de conceſſ. præb.* vt pluribus apud eundem *num. 35.*

26. *Ad quem Canonicatus, præbendæ & dignitates collegiatæ.*

Dubitatur ſecundò de Canonicatibus, præbendis, & dignitatibus collegiatis, an pertineant ad ſolum Epiſcopum, an ad eum vnà cum Capitulo. Et reſpondetur omiſſis ſententiis, quæ tres ſunt, prima ad Prælatum Eccleſiæ collegiatæ & Capitulum: ſecunda ad ſolum Epiſcopum: tertia media, quòd præſentatio ad collegium Eccleſiæ; inſtitutionem ad Epiſcopum, præſentationem, ſeu electionem ſpectare ad Capitulum, inſtitutionem, ſeu confirmationem ad Epiſcopum, vt ex communi docet Garz. *n. 64.* quam etiam Rota ſecuta eſt, quamuis probabilis ſit ſecunda, ex eo quòd ad Epiſcopum pertineat collatio omnium beneficiorum ſuæ diœceſis, præter reſeruata, vt *ſuprà.* à qua regula non eſt recedendum, niſi in caſibus poſtea expreſſis: non reperitur autem hoc ius ademptum Epiſcopis, & collatio collegiis Eccleſiarũ. Ergo, &c. Quod autem dixi de præbendis Collegiatorum & Cathedralis, procedit niſi aliud habeat conſuetudo; aut priuilegium, propter quæ aliquando prouiſio pertinet ad ſolum Epiſcopum, vel ad ſolum Capitulum; vel ad Canonicos hebdomadarios, vel ad Epiſcopum, & Capitulum alternatim, &c.

27. *Præbēda Pœnitentiariæ in regnis Caſtellæ, Legionis, &c. ad quem.*

Dubitatur tertiò de Pœnitentiariæ præbenda in regnis Caſtellæ, Legionis, &c. ad quem pertineat. Reſpondetur ſuppoſito decreto Trident. *ſeſſ. 24. c. 8. de reformatione*, quòd in omnibus Cathedralibus; vbi id commodè fieri poterit, Pœnitentiarius aliquis cum vnione præbendæ proximè vacaturæ ab Epiſcopo inſtituatur: ſuppoſito, inquam, hoc decreto, reſpondetur prouiſionem officij ad ſolum Epiſcopum pertinere abſque interuentu Capituli, collationem autem præbendæ vniendæ, vel vnitæ, ab illis fieri debere, ad quos antea ſpectabat: ſic reſpondit Gregor. XIII. & Congregatio Concilij, ex Garz. *num. 138.* apud quem plura de Pœnitentiario. Ratio etiam adferri poteſt, quia cum de iure collatio beneficiorum pertineat ad Epiſcopum ſolum, niſi contrarium exprimatur, hoc ipſo quòd aliquod nouum beneficium inſtituitur, pertinebit ad eum, cui de iure pertinet collatio: hic autem Epiſcopus eſt.

Dubitatur quartò de præbenda lecturæ, ad quem pertineat? Supponendum ex Tridentino *ſeſſ. 5. c. 1. de reformat.* ſtatutum eſſe, vt in Eccleſiis, in quibus præbenda, aut præſtimonium, ſeu aliud ſtipendium pro lectoribus S. Theologiæ deputata reperitur, de cætero non niſi perſonis idoneis, & quæ per ſeipſos id munus explicare poſſint, conferatur, aliter facta prouiſio ſit nulla, & quæ ſequuntur. Reſpondetur, ſi ſermo ſit de præbenda Theologi, ſeu lectura erecta ante Concilium, ſeruandum eſt id quod ante Concilium; debet tamen fieri eius prouiſio ab illis, ad quos antea ſpectabat, ſi de præbenda poſt Concilium erecta; ſic electio perſonæ ad ſolum Epiſcopum pertinet, collatio autem præbendæ ad illos, ad quos antea. ita cenſuit Congregatio Concilij apud Garz. *num. 161. & ſeqq.* An autem etiam in menſibus reſeruatis collatio pertineat ad Epiſcopum, an ad Papam, dic de iure communi pertinere ad Papam: indulto tamen, cui fauet conſuetudo, ad Epiſcopum. ſic Garzias *num. 167.* ex Gonzal. 28.

Et ad quem præbenda lectura.

Dubitatur quintò de Canonicatibus & præbendis Doctoralibus & magiſtralibus, ad quorum prouiſionem pertineant. Reſpōdetur in regnis Caſtellæ & Legionis per Bullam Sixti IV. & Leonis X. erectum fuiſſe in ſingulis Cathedralibus vnum Canonicatum & præbēdam pro Doctore, vel Licētiato in vtroque vel altero iure, qui dicitur Doctoralis; & altera pro Magiſtro, vel Doctore, vel Licentiato in Theologia, qui dicitur Magiſtralis, quorum prouiſio pertinet ad Epiſcopum pro vno voto, & Capitulum pro vna ſecreta, &c. vt conſtat pleniùs per dictas Bullas, quas ponit Garz. *n. 169 & ſeqq.* 29.

Canonicatus & præbendæ Doctorales & magiſtrales. ad quem pertineant.

Dubitatur ſextò de prouiſione beneficiorum inferiorum; & reſpondetur, in beneficiis minoribus Eccleſiarum inferiorum collatio de iure pertinet ad ſolum Epiſcopum, etiam ſine conſilio Capituli, ſaluo iure patronatus. Abb. *c. cùm Eccleſia Vulterana. de electione. num. 8.* & alij ex Garzia *n. 235.* in beneficiis tamen, quas vocant Portiones, & aliis Eccleſiæ Cathedralis, quæ participant de menſa Capitulari, ſeruatur idem quod dixi de prouiſione præbendarum; prouidetur enim ab Epiſcopo & Capitulo ſimul, vt idem docet ex Gonzal. *num. 237.* Maiora verò beneficia Eccleſiarum inferiorum Epiſcopus de iure conferre debet cum conſilio Capituli. *c. nouit, c. qualiter. de his quæ fiunt à Præl.* Sed tamen de conſuetudine in beneficiis extra Cathedralem ſitis, Epiſcopus ſolus confert, non requiſito conſenſu Capituli, vt teſtatur idem *n. 241.* 30.

Ad quem beneficia inferiora.

Dico secvndo, Epiſcopus, vel alius Prælatus collator poſtquam eſt electus & confirmatus, poteſt conferre beneficia, etiam ante inductionem in poſſeſſionem, niſi alius eſſet in poſſeſſione prælaturæ. probatur ex *c. noſti, c. tranſmiſſam, c. qualiter, & c. nihil eſt. de electione.* Innocent. Hoſtienſ. & alij ex Garz. *num. 144.* & ita eſt reſolutum in deciſ. Rotæ apud eundem. 31.

Epiſcopi, vel Prælati collationes ius.

quamuis hodie ex *Extrauag.iniunctæ. de electione.* Epiſcopi & alij Prælati in curia promoti etiam literis expeditis non poſſint conferre, nec adminiſtrare ante illarum oſtenſionem & præſentationem factam Capitulo, vt patet ex verbis illis, *nulliqne eos abſque dictarum literarum oſtenſione recipiant, aut eis pareant, vel intendant*; & ita retulit Rota in quibuſdam deciſionibus, quas refert Garzias *num.*252. De conſuetudine tamen Epiſcopi non ſolent conferre beneficia ante captam poſſeſſionem, quin ſede vacante adminiſtrat Capitulum ea, quæ ſunt iuriſdictionis, & beneficia vacantia ſpectant ad Papam, per reg. ſecundam Cancellariæ.

32. *Quid in Epiſcopo cui datus eſt Coadiutor.* Dices primò quid de Epiſcopo, cui datus eſt Coadiutor, poteſtne beneficium conferre? Reſpondeo poſſe, immo ad ipſum ſpectat collatio, non ad Coadiutorem, vt ex Oldrad. Franc. Rebuffo, & aliis docet Garzias *cap.*4.*num.*265. Excipe niſi Coadiutor datus fuiſſet Epiſcopo dementi, & ſecundùm alios, niſi Coadiutor datus eſſet quoad ſpecialia, tunc enim Epiſcopus confert de conſenſu Coadiutoris. Sed verius eſt non requiri conſenſum Coadiutoris, quotieſcunque Coadiutor datus eſt ob infirmitatem, vel ſenectutem. Nauar. *conſil.*3.*de cleric.agrotant.n.*4.

33. *De Epiſcopo putatiuo quid.* Dices ſecundò quid de Epiſcopo putatiuo, qui ſcilicet ſe gerit tanquam verus Prælatus, cùm tamen ex aliquo defectu occulto talis non ſit. Reſpondeo valere geſta ab eo, & collationes beneficiorum ratione publici officij, ex *l. Barbarius.ff.de offic.prætor.* communiter recepta. Excipe niſi eſſet intruſus in dignitate, vel beneficio reſeruato, ratione cuius competit ius conferendi: nam propter clauſulam irritantem poſitam in reſeruatione non valeret, vt ex deciſ. Rotæ & aliis probat Garz. *num.*278 Item niſi careret titulo, quia videlicet non fuit collatus Epiſcopatus ab habente authoritatem, vt ex multis idem docet à *num.*281. Item niſi ij qui cum ipſo agunt, ſcirent impedimentum: ſed verius eſt etiam tunc valere geſta per eum, ſed in odium illorum, qui ſciebant eſſe retractanda, vt Sanchez *diſp.* 22. *lib.* 3.*q.*4.

34. *Quid de Epiſcopo criminoſo.* Dices tertiò quid de Epiſcopo criminoſo, qui nimirum commiſit crimen, ob quod ipſo facto & ipſo iure eſt priuatus prælatura, vt eſt crimen hæreſis, an valeant geſta per eum. Reſpondetur valere, quamdiu priuatio non eſſe notoria, per eandem *l. Barbarius.* vt ex multis docet Garz. à *num.*329. quod valet, etiamſi Prælatus eſſet accuſatus de tali crimine. *cap.nonne* 8.*q.*4. Item etiamſi eſſet depoſitus per ſententiam, à qua appellaſſet; nam pendente appellatione non prohibetur fungi honoribus ſuæ dignitatis, vt ex eod. *num.*338.

Ex his patet quid dicendum ſit de Abbatibus, vel aliis Prælatis collatoribus, nam idem iuris eſt in his, quod dixi de Epiſcopis, &c.

35. *Ius poſſeſſorum.* SEXTO QVÆRO, quid iuris de poſſeſſore iuris conferendi. RESPONDEO & DICO PRIMO, ſufficere poſſeſſionem vel quaſi ad conferendum beneficia, etiamſi apud eum non ſit proprietas. probatur ex *cap.cùm olim. de cauſa poſſeſſ.* Cottaſ. *de benef.*2.*p. cap.* 5. Ratio eſt, quia collatio, præſentatio, &c. ad eum pertinet, qui eſt in quaſi poſſeſſione horum iurium; ſunt enim fructus eorum. fructus autem pertinent ad poſſeſſorem bonæ fidei, non ad dominum. *l. bonæ fidei.ff.de acquirend.rerum dom.* de quo Cou. *lib.*1. *variar. cap.* 3. *num.* 6. & 7. & Garz. *cap.*5. *num.*3. Conſequenter prouiſus à poſſeſſore præfertur prouiſo à proprietario. *cap. querelam. de elect.cap. cùm olim, cap. cùm Eccl. Sutrina. de cauſa poſſeſſ.* & DD. apud eundem *num.*4. & indultum Cardinalis ordinarij collatoris de beneficiis ſuæ diœceſis non comprehendit beneficia, in quorum poſſeſſione conferendi aliàs erat: neque enim indultum auget iuriſdictionem ordinariam, ſed illam præſeruat, vt ex deciſionibus Rotæ probat Garz. à *num.*7.

Extenditur primò collatio ad poſſeſſionem iuris patronatus in conſequentiam, vnde bonæ fidei poſſeſſor caſtri, ſeu comitatus, ratione cuius competit ius præſentandi, poteſt præſentare, vt ex Rotæ deciſ. Garz. *num.*9. Idem in poſſeſſore maioratus, ob quod competat ius præſentandi. Idem in poſſeſſore dignitatis, aut beneficij, ad quem ſpectat præſentatio. Nauar. *conſil.*2.*de iure patronatus.* dummodo talis dignitas, vel beneficium non ſint reſeruata, ob decretum irritans, quod annullat titulum & poſſeſſionem, vt ex multis docet Garz. *num.*21. & *ſeqq.* ideo in beneficiis reſeruatis poſſidens beneficium, etiam cum bona fide ex prouiſione Ordinarij non facit fructus ſuos, vt ex Suarez & Rota, Garz. *num.* 24. & *ſeqq.*

Secundò extenditur ad quaſi poſſeſſionem anteceſſoris, nam ea tranſit ad hæredem & ſucceſſorem abſque nouà apprehenſione & exercitio, vt per Lambert. & alios tenet Garz. à *num.* 33. & procedit abſque dubio in quaſi poſſeſſione iuris patronatus, quæ erat in anteceſſore ratione dignitatis, vel beneficij caſtri, vel comitatus, quæ continuatur in ſucceſſorem ſine noua apprehenſione, vt ex multis idem *numer.*37.

DICO SECVNDO, ad poſſeſſionem prædictam requiruntur nonnullæ conditiones, primò bona fides, ſecundò ſi agatur de præſentatione & electione, vt ſecuta fuerit inſtitutio & confirmatio. tertiò vt collatio, præſentatio, & electio habuerit effectum. quartò ſcientia & patientia illius, in cuius præiudicium tali quaſi poſſeſſio acquiritur. Calderin. *conſ.* 12. *de iure patronatus.* quem ſequuntur multi DD. ex Garz. *num.*68. Et primò quidem de bona fide, certum eſt primò eam requiri, quia malæ fidei poſſeſſor non facit fructus ſuos. *c. grauis. de reſtitut. ſpoliator.* Quare collatio, præſentatio, &c. à poſſeſſore malæ fidei non teneret, & ſic inſtitutus eſſet remouendus, ex *c. conſultationibus. de iure patronat.* vbi Abbas, Nauarr. *conſ.*2.*num.*1. *de iure patronat.* non tamen propterea collatio, præſentatio, &c. facta à proprietario valeret, quia non poſſidet, nec licet propria authoritate reſumere poſſeſſionem, & ſpoliare alterum. *c. in literis. de reſtitut. ſpoliat.* de qua re plura vide apud Garz. à *n.*71. Secundò conuenit inter omnes, regulariter illam præſumi etiam ſine titulo, niſi alius antiquior poſſeſſor appareat, tunc enim reſpectu huius in priore ſine titulo præſumeretur mala fides, vt ex communi docet Garz. *n.*84. niſi poſſeſſio eſſet acquiſita probabilibus rationibus, aut ſit longi temporis, aut eſſet ius dubium & obſcurum, vt pluribus proſequitur idem ex deciſionibus Rotæ à *num.*87. 36. *Conditiones requiſita ad ius conferendi.* *Prima.*

Secunda. Secundò circa ſecundam conditionem notandum quòd ſi inſtitutio, aut confirmatio ſecuta eſſet non præuio edicto, iuxta *c.fin. de elect.in* 6. non acquireretur quaſi poſſeſſio præſentandi, quia talis inſtitutio, &c. irrita eſt, ex *d.c.* Idem de

Digitized by Google

de inſtitutione,&c. facta contra decretū irritans poſitum in reſeruatione, vel alia diſpoſitione, Garz. à *num.*99. licèt aliàs ad acquirendam quaſi poſſeſſionem ſufficiat præſentationem fuiſſe admiſſam, & præſentatum inſtitutum cum effectu,vt dicitur *ibid.n.*104.

Tertia. Tertiò circa tertiam notandum,probari,quòd collationes, &c. præcedentes habuerint effectum per ſubſequentem collationem factam per vniuerſitatem ex perſona illorum, vt ex multis docet Garz. à *num.* 105. non dicitur autem habuiſſe effectum præſentationem,&c.ſi conſtitutus non fuerit in poſſeſſione beneficij, ex cauſa concordiæ ſubſecutæ inter ipſum & aduerſarium,vt *ibid.n.*108.

Quarta. Quartò circa quartam notandum eam conditionem colligi & probari ex *l.* 2. *C. de ſeruit. & aqua.*vbi DD.apud Garz.*num.* 109. vnde Nauar. *conſil.*1.*num.*5. *de prabend.* docet eum,qui renuntiat beneficio quæſito ad præſentationem patroni,in manibus Ordinarij clam,neſciente ſcilicet patrono,& accepta ab eo collatione libera deſinet, illud non poneret Ordinarius in quaſi poſſeſſione iuris liberè conferendi, quia non facit id cum ſcientia patroni,ideóque ad effectum, vt acquiratur quaſi poſſeſſio liberæ collationis contra patronum,requiritur quòd conſtet Ordinarium contuliſſe beneficium vt liberum. nam per ſolam collationem beneficij iuris patronatus abſque illius mentione, non præiudicatur iuri patronorum, vt ex Rota & aliis probat Garz. *n.* 112. Denique ſi ille, in cuius præiudicium quaſi poſſeſſio acquiritur, non eſt in poſſeſſione illorum iurium, non requiritur eius ſcientia & tolerantia. At quando aduersùs Epiſcopum acquiritur quaſi poſſeſſio conferendi,ſeu præſentandi, requiritur eius ſcientia & patientia.nam eo ipſo, quòd eſt in poſſeſſione Epiſcopatus,conſequenter eſt in poſſeſſione iuris liberè conferendi competentis illi tanquam Ordinario, vt pluribus Garz.à *num.*114.*& ſeqq.*

37. *Collationem pertinere ad inferiorem Epiſc. ad quem non ſpectat de iure.* DICO TERTIO,quòd collatio alicuius beneficij pertineat ad inferiorem Epiſcopum, ad quem de iure non ſpectat. probatur per famam & communem reputationem:& ſatis eſt per literas,vel inſtrumenta docere beneficium conſueuiſſe per tales conferri, & ad illos ſolere pertinere collationem,vt ex deciſ. Rotæ & aliis probat Garz.à *num.*144. Hæc ſatis de poſſeſſione.

38. *Per ſequeſtri.* SEPTIMO QVÆRO,quid iuris de ſequeſtro ad conferendum beneficia. RESPONDEO & DICO PRIMO, ſequeſtrum poſſe beneficium conferre,præſentare,&c. Ratio,quia eſt adminiſtrator rei ſequeſtratæ, eiuſdémque fructus colligit,quibus annumeratur etiam collatio & præſentatio, &c. Et quamuis fructus reſeruentur victori finita lite,tamen quia collatio eſt fructus, qui ſi ſeruaretur victori, præiudicaret Eccleſiæ,cui intereſt habere ſuam reſeruationem,ideo quoad hunc fructum data eſt poteſtas ſequeſtro ob bona Eccleſiarum, vt ille gauderet iure conferendi,&c.vt ex communi DD.& Rotæ deciſionibus docet Garz. *cap.* 6. *num.* 1. licèt alij contrarium teneant, & alij voluntarium ſequeſtrum diſtinguant à neceſſario.Non obſtat ratio contrariæ ſententiæ ex *cap. cum Bertholdus. de re iudicat.*quòd creditor pignoris ideo non præſentet,quia adeſt perſona legitima, quæ præſentet, nempe dominus, quod non procedit in ſequeſtro,vt *num.* 6. nam ipſe eſt, qui adminiſtrat fructus, & iura beneficij ſequeſtrati. Si ergo ad beneficium ſpectet collatio beneficij vacantis, ſequeſter poterit conferre vel præſentare, non dominus, qui non poteſt ſe intromittere in fructus rei ſequeſtratæ. vide Azor. *lib.*6.*cap.*25.*q.*17. in *c. autem ex literis. de iure patronat.* ideo præſentat conductor,non dominus,quia erat conductor ad longum tempus,ſeu emphyteuta,qui habet vtile dominium, & ſic tranſit ad eum ius patronatus cum vniuerſitate bonorum, vt idem *num* 9.ſecus in conductore ad modicum tempus,in quem non tranſit ius patronatus cum vniuerſitate bonorum.Debet autem ſequeſter,de quo eſt ſermo,eſſe capax talis iuris,nempe Clericus; nam in laicum non cadit,ex *cap.*2.*de iudiciis.cap.cauſam quæ. de praſcript.* prohibentur enim laici tractare ſpecialia, niſi ius patronatus ſequeſtratum eſſet laicale de per ſe, vel pertineret ad caſtrum, vel alia bona temporalia, tunc enim poſſet laicus ſequeſter præſentare,&c.

DICO SECVNDO. Si ſequeſtratio Eccleſiæ,de qua contenditur,non ſit facta, & pendente lite,vacatio accederit beneficij pertinentis ad collationem, vel præſentationem eius Eccleſiæ,tunc ſi mota lis eſt ſuper poſſeſſione, nullus eorum poterit conferre, vel præſentare.*cap.*2.*de in integrum reſtitut.* ſi verò ſolùm moueretur ſuper proprietate,ſimiliter nullus poteſt conferre, &c. niſi ante litem motam ſit in poſſeſſione. *cap.* 1.*vt lite pendente.* & quoad hoc idem eſt motam eſſe litem ſuper caſtro,ſeu Eccleſia,ac motam eſſe principaliter ſuper iure præſentandi, conferendi,&c.vt Garz. à *num.* 20. Non obſtat deciſio *cap.quando.de iure patronat.*quòd ſi quis ſuper iure patronatus infra tempus præſentandi non terminetur, liberè poteſt Epiſcopus prouidere; nam reſpondeo id procedere,quando propter litis pendentiam inter patronos nullus poteſt validè præſentare.quod non accidit in caſu noſtro, nam mota lite ſuper proprietate, tametſi aliquis erat in poſſeſſione, licèt non finiatur lis infra tempus datum ad præſentandum, non debet auferri præſentato ius quæſitum illi ad beneficium. Denique in caſu collationis poſt litem ſuper proprietate motam, factæ à poſſeſſore, non eſt prouiſus remouendus,etiamſi poſtea collator ſuccumbat in proprietate, cùm per talem collationem acceptatam prouiſus acquirat ius in beneficio.*cap.ſi tibi abſenti, & cap.penult. de prabend. in* 6.& vniuerſale probabile eſt, & praxi conforme, pendente lite ſuper proprietate, poſſe fieri præſentationem & inſtitutionem, vt ex DD. & Congregatione Concilij probat idem à *num* 31.&c. 39.

40. *In Capitulo ſede vacante. Fungitur vice Epiſcopi.* OCTAVO QVÆRO de iure,quod habet Capitulum ſede vacante in beneficia. RESPONDEO & DICO PRIMO, Capitulum ſede vacante fungi vice Epiſcopi,& ſuccedere in his omnibus, quæ ſunt iuriſdictionis ordinariæ, exceptis caſibus iure expreſſis. probatur à Garz. *cap.* 7. *num.*4.ex multis iuribus, præcipua ſunt *de maioritate & obedientia. cap. his quæ, c. cum olim, & cap.vni.de ſupplend.negligent. prælator.in* 6. *cap. penult.& fin.& Extrauag. Execrabilis. de prabend. in* 6. ex DD. præcipui ſunt Pauin. *de offic. & poteſtat. Capituli.*1.*p.q.*1. &c. Selua *de benefic.* 2.*p.q.* 11.*num.*4. Rebuffus *in praxi,tit. de deuol.à n.* 58. Nauarr.*conſil.*44.*de tempor.ordin. & conſil.* 7. *de filiis presbyter.* Suarez *tom.*5.*diſput.* 50.*ſect.*5.*num.*6. Dixi primò *Capitulum ſede vacante*, &c.hoc enim per iuriſdictionem tenetur, ex Trident. *ſeſſ.* 24. *cap.* 16. *de reform.* infra octo dies creare Vica-

rium, qui ſaltem in iure Canonico ſit Doctor, vel Licentiatus, vel aliàs, quantum fieri poteſt, idoneus; alioquin ad Metropolitanum deputatio huiuſmodi deuoluetur. Dixi ſecundò *fungi vice Epiſcopi*; vt enim rectè Suarez *tom. 5. diſput. 7. ſect. 3. numer.* 13. ex antiquo iure, tempore ſedis vacantis, iuriſdictio Epiſcopi deuolueretur ad Capitulum. Tridentinum autem nec mutauit, nec minuit hanc facultatem, ſed ſolùm præcepit modum vtendi illa, nimirum per Vicarium ab eodem Capitulo electum, cui & iuriſdictionem & vſum committat. Dixi tertiò *ſuccedere in his omnibus*, &c. ſuccedit enim in iis iuriſdictionibus, quæ Epiſcopo iure communi competunt, non in his, quæ iure ſpeciali delegãtur, ſeu accidentali, vt ex Abb. & aliis docet Garz. à *numer.* 38. quamuis dubium ſit de iis, quæ iure ſpeciali non delegantur, ſed ordinario. nam Sanch. *lib. 8. de matrim. diſput.* 2. *num.* 10. affirmat, negat Suarez apud ipſum. Vnde non ſuccedit in iuriſdictione delegata Epiſcopo. Abb. *cap. cùm olim. de maiorit. & obedient. q.* 5. Rota *deciſ. 6. de offic. deleg. in antiquis.* Ita neque etiamſi delegatio fiat à latere: competit enim ea ex poteſtate ſpecialiter induƈta, & non competente ei ex iuriſdictione ordinaria, vt Abb. *loc. cit.* & Garz. *num.* 44. Vnde non poteſt viſitare monaſteria monialium exempta, quæ viſitat Epiſcopus auctoritate Apoſtolica. *Clem. 2. de ſtat. monach.* Neque ſe intromittere in caſibus, in quibus à Tridentino datur facultas Epiſcopo quòd procedat vt delegatus ſedis Apoſtolicæ, de quibus in indice Trident. *v. Epiſcop.* Quare in iuriſdictione quæ datur Epiſcopo ſiue à iure Canonico, ſiue iure ſpeciali, vt procedat tanquam delegatus ſedis Apoſtolicæ, non ſuccedit Capitulum. In iuriſdictione verò, quæ datur Epiſcopo in iure, vel aliter, in aliquibus caſibus, quam aliàs non habent, prorogans eius iuriſdictionem, & poteſtatem ordinariam, ita vt Epiſcopus tanquam ordinarius procedat; in hac etiam ſuccedit Capitulum. Dixi quartò *exceptis caſibus iure expreſſis*; quia in his non poteſt, etiamſi poſſet Epiſcopus. Inter alios autem eſt collatio beneficiorum. *cap. vn. ne ſede vacante.* eorum ſcilicet, quæ ſpectant ad Epiſcopum ſolum, vel ad Epiſcopum cum conſenſu Capituli, &c.

41\. *Succedit Epiſcopo in collatione neceſſaria & debita.*

Dico secundo, Capitulum ſede vacante non ſuccedit Epiſcopo in collatione beneficiorum libera, & gratioſa; ſed neceſſaria & debita. communis DD. ex Garz. à *num.* 51. & probabitur in particulari *infrà*. Ratio autem vniuerſaliter ea eſt, quia collatio gratioſa cùm ſit quædam eminentia propter liberalitatem & gratiam, quæ in ea exercetur in dando cui libuerit, computatur inter fructus qui futuro Epiſcopo reſeruantur, ne illi præiudicium fiat, & eſt quædam donatio, quæ non cenſetur conceſſa Capitulo. At collatio neceſſaria debuit etiam poſſe fieri à Capitulo hoc ipſo quòd neceſſaria eſt.

42\. *Non poteſt conferre beneficia ſpectantia ad ſolum Epiſcopum, vel ad Epiſcopum de conſenſu Capituli.*

Hinc infertur primò Capitulum non poſſe conferre beneficia ſpectantia ad ſolum Epiſcopum, vel ad Epiſcopum de conſenſu & conſilio Capituli. *cap. 2. ne ſede vacante. cap. vnico. eod. in 6. & cap. 1. de inſtit. in 6.* Azor *lib. 3. cap. 38. q.* 1. Garz. *num.* 51. Item nec præſentare, nec eligere, ſi præſentatio vel electio ſpectabat ad Epiſcopum, vt ex Pauin. & Lamb. docet Garzias *num.* 52. Azor *quæſt.* 10. Quæ procedunt, quamuis collatio, aut præſentatio, &c. pertinerent ad Epiſcopum iure deuoluto, vt ex Abb. & Felin. & aliis Garz. *numer.* 53. Azor *quæſt.* 6. & 7.

43\. *Poteſt inſtituere præſentatos, & confirmare electos.*

Infertur ſecundò, Capitulum poſſe inſtituere præſentatos & confirmare electos. *cap. 1. ne ſed. inſtit. in 6. & cap. cùm olim. de maior. & obedient.* Ratio quia hæc pertinet ad collationem neceſſariam & debitam, iure enim cogitur Epiſcopus præſentatos inſtituere, & electos confirmare. Azor *quæſt. 1. & 3.* vbi de poſtulatione, quæ eodem modo ſe habet, ſicut præſentatio & electio, & Garz. *num.* 54. qui etiam addit, collationes neceſſarias poſſe facere Capitulum, ſede vacante, ex Rebuffo & aliis, qui dicunt Capitulum ſede vacante poſſe conſtituere Vicarium, qui prouideat de beneficiis, quorum collatio eſt neceſſaria, vt in beneficio debito mandatario, vel nominato; vt pluribus à *num.* 55. Cenſetur autem illa collatio etiam eſſe neceſſaria, quæ eſt debita certæ perſonæ, ſeu certo generi perſonarum, vt ex Rebuff. Puteo, & aliis docet Garz. à *num.* 73. vt ſi Capella aliqua ex fundatione & inſtitutione conferenda ſit certæ perſonæ, ſeu certo generi perſonarum, vt conſanguineis fundatoris, tunc enim poterit conferre Capitulum, etiamſi ſit merè collatiuum. Idémque erit, quando ratione optionis debetur antiquiori optanti, hoc enim caſu collatio non eſt libera, ſed neceſſaria, ex *cap. fin. de conſuet. in 6.* vt Garz. *num.* 77.

44\. *An dare licentiam ordines recipiendi, aut licentias dimiſſorias.*

Infertur tertiò non poſſe Capitulum ſede vacante, dare licentiam ordines recipiendi, aut licentias dimiſſorias, niſi poſt annum à die vacationis ſedis; niſi iis, qui ratione beneficij accepti vel recipiendi tenerentur ordines recipere; hic enim eſt vnus ex caſibus iure exceptis in Tridentino *ſeſſ. 7. de reform. cap.* 10. quod ſi ſecus fuit, Capitulum ſubiacet Eccleſiaſtico interdicto, & ſic ordinati ſi ſint in minoribus, nullo priuilegio gaudent, præſertim in criminalibus; in maioribus verò ſunt ſuſpenſi ab executione ordinum ad beneplacitum futuri Epiſcopi. vide etiam *ſeſſ. 23. c. 10. de reformat.*

45\. *An & quando admittere reſignationes beneficiorum.*

Infertur quartò Capitulum non poſſe admittere reſignationem beneficiorum, nec ſimpliciter, nec factam cauſa permutationis; & quidem ſi ius conferendi beneficia reſignata ad ſolum Epiſcopum pertineat: tunc Capitulum poteſt admittere reſignationem, quia id eſt neceſſarium; ſed non conferet beneficia reſignata, vt docet Azor *cap. 38. quæſt.* 5. ſi verò ſpectet ad Epiſcopum, & Capitulum ſimul, tunc Capitulum poterit etiam beneficia reſignata conferre. Quòd ſi ius conferendi ſpectet ad inferiores, tũc admittet quidem Capitulum reſignationem, ſed beneficia reſignata conferentur iis, ad quos pertinet ius conferendi. Idémque dic de reſignatione facta permutationis cauſa: nam ſi ius conferendi ſpectet ad Epiſcopum & Capitulum, poterit admittere reſignationem factam cauſa permutationis, & illa conferre: ſi non pertineat ad vtrumque, ſed tantùm ad Epiſcopum, poteſt quidem admittere reſignationem, ſed non conferre beneficia permutata. ſicut Epiſcopus poteſt admittere reſignationem beneficij reſeruati Papæ, ſed non poteſt illud conferre, vt ex Feder. Lap. & Rebuffo docet Azor *quæſt.* 5.

46\. *An & quouſque commendare ad tempus Eccleſias, ſeu beneficia vacantia.*

Infertur quintò Capitulum poſſe commendare ad tempus Eccleſias, ſeu beneficia vacantia, donec idoneum beneficium detur: non autem in perpetuum. Abb. *in cap. cùm olim. de maior. & obed.* & alij cum Azor. *quæſt.* 8. Ratio, quia illud eſt neceſſarium, hoc gratiæ & libertatis. Quòd ſi intra ſex menſes Rector Eccleſiæ datus non fuerit, poterit

Digitized by Google

poterit etiam vltra id tempus commendare, donec fuerit prouiſum. De vnione autem beneficij dicendum eſt, non poſſe Capitulum vnire, quia per vnionem beneficiorum, quod alteri vnitur, ſupprimitur, & extinguitur: at Capitulum non poteſt diminuere poteſtatem Epiſcopi, qui cùm antea duorum haberet poteſtatem, per vnionem tamen vnius conferendi poteſtas illa remaneret. Azor *q.*9.&c.

47. *Ius Vicarij generalis Epiſcopi.*

NONO QVÆRO de iure quod habet Vicarius Epiſcopi in beneficia. Pro reſponſione notandum Epiſcopi Vicarium debere eſſe clericum, ſaltem primæ tonſuræ, nam laicus Vicarius eſſe non poteſt. *cap. quoniam.* 16.*quæſt.*7.*& cap.*2. *de iudic.* Dici autem Ordinarium ſicut Epiſcopum, ex *gloſſ. cap.*2.*de offic.Vicar. in* 6. *v. Officialem, & cap. Romana. de appell.* de quo plura Garz. *cap.* 8.*num.*1.*&* 21. vel quia ius dat iuriſdictionem Vicario interueniente miniſtro, & facto Epiſcopo, vel quia iuris permiſſione & conſenſu ab Epiſcopo conſtituitur, vt eius locum teneat, iuriſdictionem generalem exercendo, quod perinde eſt, ac ſi à iure conſtitueretur.

Notandum ſecundò, quæ dicemus intelligenda eſſe de Vicario generali, qui facit vnum tribunal cum Epiſcopo, qui ſcilicet eſt conſtitutus cum generali commiſſione, à quo non poteſt appellari ad Epiſcopum; non de Vicario foraneo quem Epiſcopus in aliqua parte ſuæ diœceſis conſtituit, vel ad certos actus, aut cauſas: hic enim dicitur Delegatus, nec facit vnum tribunal, vnde ab eo appellatur ad Vicarium generalem; de quo plura Garzias à *num.* 21. Hoc notato,

48. *Non poteſt conferre beneficia niſi de mandato ſpeciali.*

RESPONDEO & DICO PRIMO, Vicarius generalis Epiſcopi non poteſt conferre beneficia, niſi de ſpeciali mandato. Probatur ex *cap.fin.de off.Vicar. in* 6. vbi DD. Selua *de benefic.*2. *p.cap.*14. Azor *lib.*3.*cap.*44. Garzias *cap.*8. *à num.* 80. Ratio eſt, quia Vicarius generalis ea, quæ ſunt iuſtitiæ, & neceſſitatis, & etiam ea, quæ ſunt voluntariæ iuriſdictionis, non tamen ſapiunt gratiam, expedire poteſt: at collatio beneficiorum eſt mera gratia, eſt enim donatio quædam. *cap. relatum. de preb. cap. poſt electionem. de conceſſ. preb.* & non venit in generali conceſſione; ideo abſque ſpeciali mandato non poteſt. Cenſetur autem ſpeciale mandatum, primò, ſi in mandato exprimatur aliquid, requirẽs mandatum ſpeciale, adiecta clauſula generali, & ad omnia alia, etiamſi mandatum exigatur ſpeciale. *cap. qui ad agendum. de procur. in* 6.*& ibi* DD. Secundò ſi ſit clauſula, *cum libera*, vel *cum plena poteſtate*; hæc enim inducit mandatum ſpeciale, vt ex multis probat Garz. *num.*22.

49. *Nec præſentare poteſt.*

Hinc ſequitur primò, Vicarium Epiſcopi non poſſe præſentare, etiamſi data eſſet poteſtas conferendi beneficia, quia aliud eſt conferre, aliud præſentare. *cap. cum in illis de preb. in* 6. niſi eſſet adiecta clauſula generalis. Poteſt autem inſtituere præſentatos, & confirmare electos; quia hoc eſt iuſtitiæ & neceſſitatis, vt Azor *quæſt.*4.*&* 5. & Garz. *n.*84. ex multis.

Atqui inſtituere præſentatos, & confirmare electos.

50. *Conferre poteſt beneficia ex cauſa permutationis reſignata.*

Sequitur ſecundò poſſe conferre beneficia ex cauſa permutationis reſignatæ, ſi habeat ab Epiſcopo poteſtatem recipiendi reſignationem ex cauſa permutationis; quia tunc collatio eſt neceſſaria. *cap. vnic. de rerum permutat. in* 6. *& Clem. vnic. eodem.* & præterea veriſimile eſt, quòd dando Epiſcopus poteſtatem recipiendi reſignationem ex cauſa permutationis, voluit dare poteſtatem faciendi collationem, quæ debet neceſſariò iiſdem fieri eodem contextu, vt cum Garz. *num.* 104. tenent alij ab ipſo citati.

Sequitur tertiò, poſſe conferre beneficia etiam liberæ collationis, ſi ad id habeat ſpeciale mandatum. *cap. fin. de off. Vicar. in* 6. non tamen poteſt habere ſpeciale mandatum ad beneficia vacatura, vel ad conferendum certis perſonis, vt ex Rota & aliis DD. docet idem *num.* 113. & Azor *q.* 1. Sicut neque poteſt conferre beneficia, quæ iure ſpeciali aut priuilegio Epiſcopus confert ex ſola facultate ei data ſpecialiter conferendi beneficia, nam priuilegium perſonæ ad alienatum tranſit, vt Azor *quæſt.* 2. nec denique illa, quæ iure deuoluto ad Epiſcopum pertinent, tanquam delegatum ſedis Apoſtolicæ; ſecus de aliis, quæ ad illum pertinent iure ordinario; nam hæc comprehenderentur in facultate data ſpecialiter conferendi beneficia, ex Azor. *q.*2. 51. *Etiam collationis liberæ.*

Sequitur quartò conferre poſſe beneficia etiam extra diœceſim, ſi non requirant ſtrepitum iudicialem, vt gloſſ. *cap. nouit. de off. leg. in verb. Terminos.* tunc enim collatio eſt voluntariæ iuriſdictionis, & Vicarius eſt ordinarius, vt ex pluribus docet etiam Garz. à *num.* 126. & Azor *q.* 9. Idem dicendum de inſtitutione præſentati, & confirmatione electi. quamuis enim ſint de hoc opiniones contrariæ, tamen poſſunt facilè conciliari; quia inſtitutio & confirmatio, quæ fieri debet iudicio contradictorio, & iudicialiter, non poteſt fieri extra diœceſim, niſi de conſenſu iudicis loci: at quæ fit abſque iudicio contradictorio, poteſt fieri extra diœceſim, quia eſt voluntariæ iuriſdictionis, vt ex DD. docet Garzias à *num.*141. 52. *Et extra diœceſim.*

Sequitur quintò, non poſſe conferre beneficia ipſi Epiſcopo, etiamſi aliàs eſſet capax, quia facit vnam perſonã cum illo, vt Rebuff. *in Prax.* Azor *q.*15. *in form. Vicar. num.* 81. *& ſeq.* ideo ſi Vicarius conferat inhabili, non fit ad Epiſcopum deuolutio. *cap.* 2. *de conſuet. in* 6. Id autem intelligitur, quando Vicarius conferret vt ordinarius, ſecus ſi vt delegatus. *cap. ſi compromiſſarius. de elect. in* 6. poſſet tamen ſubſtitutus à Vicario habente poteſtatem ſubſtituendi, conferre beneficia Vicario ſubſtituenti, quia ſubſtitutus cenſetur ab Epiſcopo conſtitutus, & habere Epiſcopi conſenſum, non Vicarij ſubſtituentis; vnde etiam ſubſtitutus à Vicario habente facultatem recipiendi reſignationes, & conferendi beneficia, poteſt conferre beneficia reſignantis ſubſtituentis, vt ex Rebuff. & aliis docet Garz. à *num.* 145. Denique valet collatio facta ab eo, ſi fuerit reuocatus vel mortuus Epiſcopus, modò ipſe ignorarit reuocationem, vel mortem, vt idem à *num.* 174. 53. *Non poteſt conferre beneficia ipſi Epiſcopo.*

DECIMO QVÆRO, an laici habeant ius conferendi beneficia? RESPONDEO & DICO PRIMO, laicos habere ius præſentandi ad beneficia, & de iure patronatus dicemus *infrà cap. ſequenti.* Nunc breuiter notanda quædam. 54. *Ius laicorum.*

Primò, ius patronatus eſſe ius temporale annexum ſpeciali antecedenter, ordinatur enim ad præſentandum clericos ad beneficia Eccleſiaſtica, & præſentatio antecedit beneficij inſtitutionem, vt pluribus Garz. *c.* 9. *à num.* 4. Ex eo autem quod eſt ſpeciali annexum, interuenire poteſt ſimonia in eius venditione: & quidem ſi Ius patronatus adhæreat bonis, cum bonorum vniuerſitate, quæ vendatur, tranſit ius patronatus, & vendi *Ius patronatus ius temporale ſpeciali antecedenter annexum.*

Digitized by Google

vendi poteſt hoc modo abſque ſimonia; ſi verò perſonale ſit, & vt dicunt de per ſe, & principale diſtinctum, ſic non poteſt vendi abſque vitio ſimoniæ: eodémque modo tranſit ius patronatus ad fideicommiſſarium vniuerſalē, ſi bonis adhæreat; ſi verò ſit perſonale, non tranſit in fideicommiſſarium, quamuis ex teſtantis voluntate expreſſa poſſit fideicommiſſarius conſequi ius patronatus accedente licentia Epiſcopi, vt ex Lambert. docet Garz. *n.* 18. ſic etiamſi in bonorum confiſcatione venit ius patronatus adhærens bonis, perſonale remanet penes delinquentem, donec per iudicem Eccleſiaſticum priuetur, tanquam indignus, vt *num.* 27.

55. *Tribus modis adquiritur.* Notandū ſecundò, acquiri hoc ius patronatus tam per laicos, quàm per clericos tribus modis, fundatione, contractione, & dotatione, vt gloſ. *cap. pia mentis* 16. *quæſt.* 7. & alij ex Garz. *num.* 36. *Primò.* Et primò quidem fundare dicitur is, qui fundum dat, in quo Eccleſia conſtituatur; acquirit autem ius patronatus ſecuta conſtructione. *Secundò.* Secundò conſtruere ſeu ædificare etiam dicitur is, qui deſtructam reædificat, ita vt noua indigeat conſtructione; qui verò reficit, non acquirit ius patronatus, vt idem à *num.* 51. *Tertiò.* Tertiò, dotatio debet eſſe ſufficiens arbitrio ordinarij, alioquin ſi inſufficiens ſit, dicetur tantùm benefactor. quòd ſi plures concurrant dando ſimul dotem competentem, etiamſi ſinguli non dent competentem, omnes æqualiter ſunt patroni, vt *n.* 54.

56. Notandum tertiò, Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 25. *cap.* 9. *de reformat.* licèt præſeruet ius patronatus competens ex fundatione, vel dotatione, non tamen refutare illud quod aliàs poteſt probari ſecundùm regulam iuris communis, ex illis verbis, *aliáſue ſecundùm iuris diſpoſitionem.* quare non ſolùm probari poteſt ex immemoriali, verùm etiam per famam concurrente longiſſima quaſi poſſeſſione præſentandi: & quidem ius patronatus antiquum reſpectu teſtium probatur per tempus 60. annorum, reſpectu verò inſtrumentorum requiritur tempus 100. vt idem *numer.* 92. *Quomodo probandum.*

57. Notandum quartò, quando agitur de familia potenti, in qua ius patronatus præſumitur ex vſurpatione, debet probari ſecundùm formam. Trid. *loc. cit. verſ. in his verò perſonis*, &c. vt ex deciſio. Rotæ, probat idem à *num.* 98. & eodem modo in Vniuerſitatibus etiam paruis requiritur plenior probatio iuris patronatus: vt ex eod. Trid. *loc. cit.* vide à *n.* 102.

58. *Ius patronatus ex priuilegio.* Notandum quintò, ius patronatus ex priuilegio reuocatum eſſe per Trident. *d. cap.* 9. *verſ. reliquo.* vt conſtat ex declaratione Congregationis apud Garz. *num.* 115. quod procedit etiamſi in priuilegio dicatur, ius patronatus competere non ſolùm ex priuilegio, ſed ex vera & reali fundatione, vel dotatione; nam non ideo deſinet eſſe ex priuilegio, vt ex deciſ. Rotæ *num.* 116. Non eſt tamen ſermo de priuilegiis conceſſis ex cauſa externa, & propter reædificationem; his enim non eſt derogatum ex Rota apud eundem *numer.* 121.

59. *Non adquiritur ex augmento dotis.* Notandum ſextò, non acquiri de iure ex augmento dotis ius patronatus, ſed requiri, vt in totum dotetur. Quòd ſi ex augmento dotis fuerit conceſſum ius patronatus, etiam per Papam à 40. annis citrà, ſubiicitur examini & reuiſioni Ordinarij, vt *in d. cap.* 9. *verſ. ſimiliter.* conceſſum verò ante annos 40. à confirmatione Concilij, non ſubiacet, ſed firmum remanet, vt cenſuit Congregatio, ex Garz. *num.* 124. apud quem aliæ deciſiones Rotæ. Item non competit ius patronatus ex conceſſione & priuilegio Epiſcopi. *cap.* 2. *de reb. Eccleſ. in* 6. *Nec ex conceſſione Epiſcopi competit.* Quòd ſi aliquando nobilibus perſonis ad ſuam & ſuorum ſepulturam venduntur Capellæ in Eccleſia factæ ex licētia Ordinarij, & pretium ædificij & ſoli Capellæ datur ipſi Eccleſiæ, vnde tanquam fundatores & conſtructores illius remanent patroni, id non arguit propterea ſimoniam, quia venduntur, tum ratione ſitus & obligationis, quòd nemo ſepeliatur in ea niſi eſſent ſui deſcendentes, quod eſt quid temporale, & alioquin Eccleſia eſt dicenda ſuarum Capellarum. argueret autem ſi patroni venderent; quia ipſi non ſunt domini Capellæ, nec parietum ipſius, ſed ſolùm habent ius patronatus, atque adeò ipſum venderent, quod ſimoniacum eſſet, vt pluribus Garz. à *num.* 136. ex declarationibus Congregationum.

Notandum ſeptimò, fœminam poſſe acquirere, & habere ius patronatus, & præſentandi. *cap. fin. de conceſſ. præb. cap. ex literis. de iure patronat.* & ius patronotus hæreditariū tranſit etiam in fœminas, ſicut etiam relictum his, qui ſunt de familia, ſaltem vbi fœminæ ſuccedunt, vt in Hiſpania. 60. *Illud fœmina adquirere poteſt.* Ad quem autem ſpectet ius patronatus, hoc eſt, præſentandi, ſi detur in dotem villa, in qua eſt ius patronatus, ad maritum, an ad vxorem; vide apud Garziam à *numer.* 149. *Villa ſi in dotem detur, ad quem ſpectet ius præſentandi.* Placet tamen prima ſententia, quòd dominiū naturale, ſeu de iure naturali rerum dotalium maneat apud vxorem, ſed dominium ciuile, quod ſcilicet dant leges ciuiles, & ius adminiſtrandi pertineat ad maritum, ex S. Th. 4. *d.* 34. *q.* 4. *ad* 1. *quæſit.* ideóque etiam præſentatio, quæ eſt actus dominij ciuilis & adminiſtrationis, pertinebit ad maritum, quicquid contrà alij. Idem de pupillo patrono, nam ſi ſit maior ſeptennio, præfertur præſentatus à pupillo, præſentato à tutore; quia pupillus eſt dominus iuris patronatus, & ſic ad eum ſpectat præſentatio. *cap. decernimus.* 16. *q.* 7. & tutor non adminiſtrat ſpecialia. gloſſ. *in cap. ex eo. de elect. in* 6. *verb. Suffragium*, & alij apud Garziam à *numer.* 186.

Notandum octauò, ius patronatus aliud eſſe Eccleſiaſticum, aliud laicale, aliud mixtum. 61. *Ius patronatus triplex.* Et quidem Eccleſiaſtici patroni habent ſemeſtre ad præſentandum, laici ſolùm quadrimeſtre. *c. vnic.* §. *verùm. de iure patronat. in* 6. Vtrique mixtim habent ſemeſtre ratione communionis cum Eccleſiaſticis, gloſſ. fin. *in d.* §. *verùm.* Secundò laici poſſunt variare ante inſtitutionem Epiſcopi, & alium ſucceſſorem præſentare accumulando, non autem Eccleſiaſtici. *cap. quod autem, cap. cùm autem, cap. paſtoralis. de iure patronat.* quæ variatio ſemel tantùm permiſſa eſt, vt Garz. *num.* 214. licèt alij etiam pluries teneant poſſe. Porrò vbi ſunt plures patroni, ſinguli poſſunt ſeparatim præſentare aliis non requiſitis, quando ius patronatus ſpectat ad eos vt ſingulos, vt in dubio præſumitur; at non vt vniuerſos, vt idem à *numer.* 222.

62. *Inſtitutio facta ab Ordinario, ſpreto patrono.* Notandum nonò, inſtitutionem ſeu collationem factam ab Ordinario ſpreto patrono nullam eſſe, ſi fiat non tranſacto tempore ad præſentandum. *cap. decernimus.* 16. *quæſt.* 7. reclamante tamen & contradicente patrono infra dictum tempus, aliàs valebit, ex mente multorum DD. apud Garz. *num.* 232. & ratio eſt, quia nullitas collationis ab Ordinario facta ſpreto patrono inducta eſt in fraudem patroni: erit ergo nulla, ſi

ipſe

Digitized by Google

ipſe voluerit, & contradicat. Vnde prouiſio facta ſpreto patrono dicitur eſſe in pendenti: nam patrono reclamante intra tempus datum ad præſentandum eſt nulla à principio, eo verò non reclamante cenſetur valida. Interim ius quæſitum prouiſo eſt conſiderabile, ita vt non valeat prouiſio Papæ poſtea alteri facta, non facta mentione de illo: quouſque autem hæc procedant, vide apud Garz. à *n.* 145.

63\. *Laici non habent ius conferendi, nec inſtituendi, nec confirmandi.*

DICO SECVNDO, laicos non habere ius conferendi, nec inſtituendi, nec confirmandi. Et primò quidem de meris laicis probatur ex *cap. cùm ex eo. de elect. in* 6. notat Felin. *cap. cauſam. de præſcript.* Ioan. Andr. & Gemin. *cap. ex eo.* §. *in Eccleſiis. de elect. in* 6. Selua *p.* 2. *q.* 19. Item quia laici nullo modo Eccleſiaſtica negotia tractare poſſunt. *cap.* 2. *de iudic.* & alibi ex eod. *num.* 3. Denique poteſtas conferendi beneficia ſpecialis eſt, vt ex 1. *cap.* manifeſtum eſt: laicis autem hæc non conuenit iure communi, ex multis decretis 16. *quæſt.* 7. *& cap. cauſam, cit. de præſcript.* nec illam poſſunt comparare præſcriptione, vel conſuetudine, quamuis longiſſimi temporis, & immemoriali, vt docet Azor *lib.* 6. *cap.* 25. *q.* 19. Poſſunt tamen priuilegio Papæ, quod aliquando conceſſum eſſe nonnullis Imperatoribus, & Regibus, auctores ſunt multi qui referunt; videndus Azor *loc. cit.* qui fusè id docet. De laicis auté conuerſis Regularibus quærit Selua *q.* 19. an poſſint beneficia conferre? & reſpondet iure communi non poſſe, at præſcriptione poſſe, vt *num.* 9. præcipuè. Denique de mulieribus dicendum eſt ferè eodem modo, quo de laicis, nam quoad ius præſentandi, fœminæ poſſunt illud habere, vt conſtat ex ſupradictis, vbi dixi. ius autem conferendi non niſi ex priuilegio Papæ, vt pluribus Selua *q.* 5. Hæc ſatis de hoc ſecundo capite.

Conferendi poteſtas.

Laici conuerſi Regulares an poſſint conferre beneficia.

Et an mulieres.

CAPVT III.

Quot modis beneficia conferantur, & de forma ſeruanda in iis conferendis.

VT apparet ex titulo, capitis huius erunt præcipuè partes duæ, de modis prouidendi de beneficiis, & de forma ſeruanda in iis conferendis. Ad primam partem hæ quæſtiones pertinebunt. Prima de electione, ſub qua etiam agetur de poſtulatione, & nominatione. Secunda de præſentatione, & inſtitutione. Tertia de collatione. Quarta de prouiſione, quæ fit per Papam, qui ſunt quatuor modi generales acquirendi beneficia, ex Rebuffo *in praxi. tit. quot modis beneficia acquirantur, num.* 17. Quintò addendum, quibus modis acquiratur ius in re. Sextò quibus ius ad rem. Septimò agendum de quatuor aliis modis, quibus acquiruntur beneficia, & primò de deuolutione. Octaua de tranſlatione, mutatione, erectione & ſuppreſſione. Nona de vnione. Decima de commendatione.

Ad ſecundam partem hæ quæſtiones ſpectant. Primò de forma in communi ſeruanda in prouiſione beneficiorum. Secundò de forma in prouiſione Parochialium. Tertiò de forma in prouiſione ſimplicium. Quartò de forma edicti in inſtitutione. Quintò de tempore intra quod debet fieri prouiſio. Sextò de tempore intra quod debet fieri inſtitutio, confirmatio, & collatio neceſſaria. Septimò de collatione, quæ fit indignis. Octauò de collatione quæ fit dignioribus. Nonò de ea quæ fit digniſſimis. Decimò, quando debeat fieri reſtitutio, ſi non fiat dignioribus.

Quod igitur pertinet ad primam partem,

PRIMO QVÆRO de electione, de qua legendi DD. *tit. de electiion. in Decret. & Clem.* alij apud Garz. 4. *p. cap.* 1. *num.* 12. Azor *lib.* 6. *à cap.* 14. Nos breuiter, quia hodie non eſt in vſu, dicemus: Quid ſit, qui poſſint eligere, qui poſſint eligi, quæ forma ſeruanda, & quo tempore.

RESPONDEO & DICO PRIMO, Ele- 1.
ctio eſt alicuius perſonæ ad Eccleſiam paſtore deſtitutam, canonicè facta verſatio. colligitur. ex DD. prædictis. Dicitur *ad Eccleſiam paſtore deſtitutam*, quia electio propriè non dicitur fieri, niſi vacante Eccleſia ſuo paſtore, ex *cap. quia propter. de elect.* Vnde etſi Dignitas, vel Canonicatus conferatur communibus Clericorum ſuffragiis, non dicitur conferri per electionem. gloſſ. *cap. quia propter, cit. & c. ſicut. de elect. in* 6. Quare beneficia electiua ea tantùm dicuntur, quæ per dictam electionem conferri debent, conſequenter tantùm habebit locum in electione eorum, qui paſtores Eccleſiarum, vel Monaſteriorum ſunt, habentes ſupremam iuriſdictionem in illa Eccleſia, vel Monaſterio, vt Azor *q.* 5. Non acquiritur autem ius in re per electionem, ſed tantùm ius ad rem, hoc eſt, ad Dignitates illas, ad quas eſt electus: vnde eſt ius reuocationis, vel confirmationis auctoritate ſuperioris, ideóque ſi electus ante confirmationem obeat, non dicitur vacare Dignitas per eius obitum, ſed per obitum eius, qui priùs illam confirmatus obtinuerat, etiamſi obiret in ciuitate Romana: nec denique illam iuriſdictionem acquirit per electionem, ſed tantùm per confirmationem. *cap. noſti, cap. qualiter. de elect.*

Electio quid.

Beneficia electiua quæ.

Ad electionem reuocatur poſtulatio, & nomi- 2.
natio: illa eſt ſupplex Canonicorum, vel Collegij petitio facta ſuperiori, vt certam perſonam ad Eccleſiam vacantem, non obſtante aliquo defectu, quem patiatur, admittat. Abb. *in cap.* 1. *de poſt. prælat. num.* 34. Azor *lib.* 6. *cap.* 17. apud quem plura; defectus autem, quo non obſtante petitur vt admittatur, non debet eſſe moralis; qualis eſſet ſi homicida, periurus, aut etiam bigamus & irregularis eſſet, in his enim non ſolet iuris rigor relaxari, ſed naturalis: vt ſi non eſſet legitimè natus, non haberet ætatem ſufficientem, non eſſet ordinatus, & quid ſimile. Syluest. *Poſtulatio, q.* 3.

Poſtulatio quid.

Nominatio autem eſt ſupplex duorum vel 3.
plurium nominatio, quæ fit ab electoribus ſuperiori, vt vnum ex eis Eccleſiæ præficere velit: & hæc dicitur nominatio ſolennis ad differentiam alicuius ſupplicis, quæ ab electuris fit per modum tractatus & conferentiæ, de qua plura apud Azor. *cap.* 18.

Quid Nominatio.

DICO SECVNDO, Canonicos habere ius 4.
eligendi, non alios beneficiarios, niſi conſuetudine, præſcriptione, vel priuilegio muniti ſint. & primò de Canonicis probatur ex *cap. in Geneſi, cap. Eccleſia.* 2. *cap. Cumana, c. bona. de elect.* ſufficit autem eſſe poſſeſſorem bona fide Canonicatus, ex *cap. querelam, cap. cùm olim. de cauſ. poſſeſſ.* Secundò de beneficiis, quòd non habeant iure communi, patet ex *cap. nouit. de iis quæ fiunt à prælatis.* DD. *cap.* 2. *de inſtit.* quòd autem aliis modis habere poſſint, patet ex gloſſ. *in cap. Cumana*, Abb. *ibid.* & aliis DD. Tertiò poſſunt Canonici

Qui poſſint eligere.

nonici totam poteſtatem conferre in arbitros compromiſſo facto. *cap. cauſam, cap. in cauſis, c. quia propter. de elect.* impediuntur tamen vel vno aliquo diſcrepante: de quo plura Azor *q.* 6. Quartò, vniuerſi qui ius habent eligendi, debent legitimè vocari, & citari, vt electioni interſint: ſi vel in vno id fuerit omiſſum, irritam reddit electionem. communis ex *cap. in Geneſi, cap. quod ſicut. de elect.* niſi poſtea adueniens ratam habeat electionem. Abſens autem legitimè accitus, ſi impedimentum legitimum habeat, poteſt vni vel pluribus de collatoribus ius ſuum delegare. *cap. quia propter. de elect.* plura Azor *q.* 7. Quintò repelluntur ab eligendo impuberes. *cap. ex eo. de elect. in 6.* & iure nouo Trident. *ſeſſ.* 23. *cap.* 12. qui Subdiaconi ſaltem non fuerint. Sextò excommunicati maiore excommunicatione, ſuſpenſi ab homine, vel à iure. *c. conſtitutus. de appell. cap. cùm dilectus. de conſuet.* & intelligitur de ſuſpenſis ab officio, non ſi tantùm à beneficio. Septimò interdicti ſacris. *cap. cùm inter. de elect.* & irregulares. *cap. is qui. de ſent. excommun. in 6.* Octauò, qui ſcienter operatus eſt ſacris in loco interdicto. *cap. is qui. cit.* & qui ſcienter elegerint indignum. *cap. cùm in cunctis. de elect.* Nonò, qui auctoritate ciuilis vel ſæcularis poteſtatis elegerunt, prohibiti ſunt eligere ad tempus trium annorum. *cap. quiſquis. de election.* Decimò, qui intra tres menſes non elegerunt in Eccleſia Cathedrali, aut Regali, prohibentur eligere ea vice. *cap. qui pro deſerto. de elect.* Vndecimò laici conuerſi in religionibus ius non habent iure communi. *cap. ex eo. de elect. in 6.* niſi conſuetudine, vel priuilegio. Duodecimò, qui expreſſa vel tacita religione profeſſi non ſunt, carent iure eligendi in cœnobiis. *cap. ex eo. cit.* Decimotertiò, qui ex regulis religionum approbatarum excluduntur, vt ex Syluestro *Electio*, 1. *q.* 2. docet Azor *q.* 8. Decimoquartò, eligere non eſt actus ordinationis, nec iuriſdictionis, ſed officij: nam Canonici & monachi eligunt Præſulem; & tamen poſſunt non habere ordinem, nec habent iuriſdictionem: Epiſcopus tamen eligere non poteſt beneficiarios, nec conferre beneficia, niſi confirmatus ſit, ideóque niſi habeat iuriſdictionem, vt Azor *q.* 14.

5. *Qui eligi.* DICO TERTIO, eligi non poſſunt qui iure communi prohibentur, quíque ſunt peccatores notorij, depoſitione digni. Et primò quidem iure communi prohibiti ſunt; primò excommunicati & ſuſpenſi. Secundò interdicti, & qui interdictum non ſeruant. Tertiò irregulares, ex Azor. *q.* 7. Quartò peccatores occulti conſentientes in ſui electionem non peccant, vt probabilius putat Azor *q.* 10. quicquid contrà Caiet. *in ſum. elect.* Notorij autem modo dicto eligi non poſſunt ex eodem; quamuis canones non afferat.

6. *Quæ forma ſeruanda in electione, & quotuplex illa ſit.* DICO QVARTO, forma electionis triplex eſt. Prima per inſpirationem cum electore, nulla præcedente conſultatione, quaſi diuini Spiritus impulſu excitati, ſimul omnes in vnum repentè conſentiunt. Secunda per ſcrutinium, cùm præſentibus omnibus, qui debènt intereſſe, tres de collatoribus fide digni aſſumuntur, qui ſecretè & ſigillatim vota cunctorum diligenter exquirunt, & demum in ſcripturam redacta, mox publicè denuntiant, quo facto nequeunt electores variare: ea collatione habita, is demum cenſetur electus, in quem omnes, vel maior pars conſenſerint. Tertia per compromiſſum, cùm plures idonei viri eliguntur, in quos omnino bene eligendi certo modo facultas & poteſtas transfunditur, qui arbitri compromiſſi finibus diligenter cuſtoditis, vſque adeò firmum habetur quod ab eis factum fuerit, vt etiam electione minimè ſecuta, re tamen non integra, demandata poteſtas iure reuocari non poſſit. colligitur ex *cap. quia propter, cap. publicato. de elect.* de quo plura Azor *q.* 11. Quòd ſi electus iam ſui electioni non conſentiat, ſed cedat iure ſuo, vel propter occultum impedimentum irrita fiat electio, poterit iterum fieri. *c. ſi electio. de elect. in 6.* Denique in Cathedralibus & Regularibus Eccleſiis remoto omni legitimo impedimento, ſi electores intra tres menſes non elegerint, electio deuoluitur ad proximum ſuperiorem: quòd ſi intra tres menſes electionem diſtulerit, deuoluitur ad alium ſuperiorem, & ſic vſque ad Papam. *cap. ne pro defectu. de elect.* Sic etiam ſi omnes electores ſcienter elegerint indignum, tunc electio deuoluitur ad Papam. *cap. quanquam. de elect. in 6.* vide Azor *q.* 12. & 13.

DICO QVINTO, quoad tempus electionis in Cathedralibus, vel Regularibus intra tres 7. *Quo tempore fiat electio.* menſes fieri debet electio. Deinde debent electores electionem electo nunciare, & petere conſenſum intra octo dies, alioquin ſuſpenſi ſint ad tres annos ab omnibus beneficiis ipſius Eccleſiæ. *cap. cupientes. §. certum. de elect. in 6.* In aliis Eccleſiis debet intra ſex menſes. *cap. de multa. de prabend.* Denique electus debet intra menſem conſentire à die quo de electione factus eſt certior. vide Azor. *q.* 11. 16. 12. Hæc ſatis de electione.

SECVNDO QVÆRO de præſentatione & inſtitutione, de qua Azor *lib.* 6. *à cap.* 19. *ad* 22. Garz. *cap.* 1. 4. *p. à num.* 15. apud quem Rochus, Rebuffus & alij. 8.

RESPONDEO & DICO PRIMO, præſentatio eſt exhibitio quædam perſonæ per patronum Epiſcopum, vel alium, ad quem inſtitutio pertinet, legitimè facta. colligitur ex prædictis DD. Ex quo infertur primò, clericum exhibendum eſſe ipſi Epiſcopò, nec abſentem iure præſentari, niſi forte ipſi Epiſcopo perſpecta eſſet qualitas abſentis, vt ex Abb. Rocho, Lamber. & aliis docet Garzias *num.* 16. ſi tamen eum Epiſcopus admitteret, valeret de iure communi: vbi tamen examinatio requiritur pro forma, ſeu aliàs omnino eſt neceſſaria, prætermitti non poteſt præſentatio præſentis; quantumuis præſentatus notus ſit, vt idem *num.* 21. & 22. Sed quia praxis eſt in contrarium, quòd nunquam ſoleat corporaliter præſentari tempore præſentationis, dici poteſt, valere quidem præſentationem admiſſam per ordinarium de abſente, examinatio tamen omnino requiritur ad inſtitutionem, & pro forma inſtitutionis. Infertur ſecundò, patroni eſſe clericum promouendum nominare & offerre. Eſt autem patronus, qui habet ius patronatus, quod nil aliud eſt, quàm beneficium oneroſum & vtile, conueniens alicui ob aliquod meritum, vel obſequium in Eccleſia collatum, ex Azor. *cap.* 19. *q.* 1. Eſt res adnexa ſpirituali antecedenter, etiamſi poteſtas nominandi clericum & præſentandi, vt in beneficio inſtituatur ad ſacrum officium obeundum in Eccleſia, vt Azor *q.* 2. Duplex eſt, vnum clericorum quod iis conuenit ratione Eccleſiæ vel beneficij quod habent: alterum laicorum, quod conuenit laico, quia Eccleſiam ex bonis ſuis fundauerit, conſtruxerit,

Præſentatio quid.

Et quemadmodum fieri debeat.

Patronus quis.

Ius patronatus duplex.

ſtruxerit, vel dotauerit, & quidem quouſque non doteturbeneficium effectum non eſt, ſed ſtatim atque dotata eſt, etiam is, qui fundum aſſignauit, qui extruxit, patroni dicuntur, modò Epiſcopi auctoritate id egerint, vt Azor *q.4.5.& 6.* apud quem vide plura de iure patronatus.

9. *Institutio quid.* DICO SECVNDO, Inſtitutio eſt conceſſio beneficij facta legitima auctoritate Epiſcopi, vel alterius, clerico à patrono præſentato. Azor *c.22.q.1.* Dixi *conceſſio beneficij,* in quo conuenit cum confirmatione & collatione propriè dicta; per vtramque enim conceditur beneficium electo, vel ei quem collator voluerit: ſed differt, quòd inſtitutio ſupponat præſentationem, confirmationem, electionem, poſtulationem, ſeu nominationẽ: collatio autem eſt libera beneficij conceſſio perſonæ honeſtæ ſuperioris arbitratu. *Institutio, confirmatio & collatio differunt.* Dixi *auctoritate Epiſcopi,* &c. quia Epiſcopi iure communi id habent, ſeu iure ſpeciali, vt Azor *q.2.* Dixi *à patrono præſentato,* quia ſi Epiſcopus inſtituat ſine patrono, irrita eſt ipſo iure inſtitutio. Io. Andr. *c.2. de offic. vicarij in 6.* Abbas *c. illud. de iure patronatus,* & Azor *q. 4.* quicquid alij, vt Hoſt. dicant, eſſe irritandam. Quòd ſi patronus ſit negligens in præſentatione, deuoluetur ad Epiſcopum, vel ad eum, ad quem ſpectat iuriſdictio, vt Azor *q. 5.* Denique ſi patronus ius præſentandi ad Epiſcopum ſponte ſua transtulerit, tunc, ſi inſtitutio ad alios pertineat Epiſcopo inferiores, ad Epiſcopum præſentatio tantùm, ad eoſdem inſtitutio pertinebit: ſi ad eum pertinebat inſtitutio, tunc confundetur cum collatione, ſi Epiſcopus ſolus ſit patronus: ſi autem ſint etiam alij, tunc Epiſcopus vt patronus ſimul cum aliis præſentabit, vt Epiſcopus verò inſtituet. plura *c. 22.*

10. TERTIO QVÆRO de Collatione, de qua Azor *c.25.* & alij cum Garzia *c.1.n.3.*

Collatio quid. RESPONDEO ergo & DICO PRIMO, Collatio eſt conceſſio beneficij vacantis liberaliter facta ab habente poteſtatem, vt ab Ordinario Papæ, Legato, &c. Dixi *conceſſio,* &c. quia in hoc conuenit cum aliis modis. Dixi *beneficij vacantis,* intellige quomodocunque, ſiue per obitum, ſiue per reſignationem, ſiue deuolutionem. Dixi *liberaliter facta,* quia in hoc diſtinguitur à confirmatione & inſtitutione; quia hæ ſunt conceſſiones neceſſariæ, fiunt enim electis & præſentatis: at collatio liberè fit, ideo dici ſolet Donatio in iure. *c. vlt. de off. vic. in 6.* & alibi. Dixi *ab habente poteſtatem,* quia id omnino requiritur: quinam autem ij ſint, dixi *cap. præcedente* per totum. Hoc loco addam aliqua pertinentia ad modum quo debent conferri, &c. &

11. *Quomodo beneficia conferenda.* DICO SECVNDO, iure communi conferenda eſſe beneficia purè, liberè, palàm, ſine diminutione, vacantia, & in perpetuum. Primò dixi *purè,* hoc eſt, ſine pacto, conditione, modo; alioquin eſſet conceſſio ſimoniaca. *c. quàm pio, 1.q.2. c. cùm pridem, c. vlt. de pactis.* & alibi ex Azor. *c. 26. q. 2.* Secundò *liberè,* hoc eſt, non per metum, aut vim, *c.2. de iis, quæ vi,* &c. Ratio, quia eſt donatio; donatiò autem per metum aut vim facta, liberaliter non fit. Tertiò *palàm,* hoc eſt, præſentibus teſtibus fide dignis. *c. poſt ceſſionem. de probat.* idque ad euitandas lites. Quartò *ſine diminutione;* neque enim ſibi vel alteri poteſt fructus retinere, vel imponere penſionem, hoc enim eſt ſolius Papæ. *c.1. vt Eccleſiaſtica beneficia,* &c. *c. maioribus, c. de monachis. de prabend.* Quintò *vacantia,* nam antequam vacent, conferre non poteſt Ordinarius. *cap.1, cap. nulla. de conceſſ. prabend.* Sextò *in perpetuum,* quia ad certum tempus non datur beneficium, ſed ad totam vitam beneficiarij. *cap. percepta. d. 55. cap. ſatis peruerſum. d. 56.*

DICO TERTIO, tunc beneficia poſſe conferri ſub aliqua conditione, quando iure ipſo illis ineſt; talis eſt conditio, ſi vacans ſit, ſi is cui confertur, ſit idoneus, ſi habeat animum commorandi & ſeruiendi in illa Eccleſia, & aliæ huiuſmodi conditiones, quæ ſtatuto, fundatione, inſtitutione & conſuetudine inſunt beneficiis, de qua re plura Azor *q.3.* 12 *Quando conferri poſſint ſub conditione.*

QVARTO QVÆRO de prouiſione quæ fit per Papam, de qua Rebuffus *in praxi benefic. tit. de Papa prouiſione.* Azor *lib. 6. cap. 32.* Duobus ergo modis primò acquiruntur beneficia Papæ prouiſione, aut per prouiſionem de vacaturis, aut de vacantibus. Ad vacatura tribus modis præcipuè mandat Papa prouideri. Primò per priuilegium. Secundò per reſcriptum. Tertiò, per mandatum, quamuis reſcriptum & mandatum confundantur. Dicemus igitur breuiter de priuilegiis & mandatis, quibus prouidet Papa ad vacatura. 13. *Prouiſio quæ fit per Papam. Eiuſdem prouiſionis modi qui.*

DICO PRIMO, priuilegium eſt ius ſingulare, quod propter aliquam vtilitatem contra tenorem legis conſtitutum eſt. *l. ius ſingulare. ff. de legib. & cap. fin. 25. quæſt. 1.* ibi, *neque enim priuilegia,* &c. dicuntur autem priuilegia quaſi prætenſæ leges, vel quia priuatam legem ſingulis generant, ex *d. c. fin.* vel quia ſunt leges priuatorum. *c. priuilegia d. 3.* Differt à reſcripto, ſiue mandato 13. differentiis, quas ponit Rebuff. *loc. citato à n. 6.* Prima, quòd priuilegium ſtrictè interpretetur, quia eſt contra ius commune, & omnis receſſus à iure communi eſt odioſus. gloſſ. *c. 1. de reſcriptis in 6.* ſecus in reſcripto, vt dicitur *in c. 1. & c. canon. eodem.* Secunda, priuilegia debent continere aliquam gratiã contra ius, non reſcripta. Rebuff. *n. 11. & 16.* Tertia ſublato iure nõ cenſentur ſublata priuilegia, quæ iuri communi aliquid addebant: ſecus in reſcriptis. idem *n. 22.* Quarta, reſcriptum eſt ad obſeruantiam iuris communis, priuilegium contra ius. Quinta, facilius vitiatur priuilegium, quàm reſcriptum, quia in eo faciliùs præſumitur falſitas. idem *n. 24.* ex iur. cit. Sexta, priuilegium perſonæ non egreditur perſonam. *l. 1. ff. de conſtit. princ. reg. priuilegium, de reg. iuris in 6.* Secus in reſcripto. *c. Rodulphus, & c. ſignificauit. de reſcriptis.* Septima, priuilegia dantur cum filo ſerico, reſcripta cum filo cannabis. *c. quàm graue. de crimin. falſ.* Octaua, verba reſcriptorum recipiunt inſcriptionem legum & canonum, ſecus in verbis priuilegiorum, ne priuilegium reddatur inutile. *c. cauſam. eod.* Nona, in priuilegiis hoc expreſſo, quòd princeps aliquid dat, dominium transfertur. *Clem. auditor. de reſcript.* non ſic in reſcripto. Decima, reſcriptum ſecundum faciens mentionem de primo tollit primum, vel ſpeciale derogat generali, nulla facta mentione. *c. 1. c. ceterùm, c. paſtoralis. de reſcript.* ſecus in priuilegio. gloſſ. *in ſumm. 25. q. 2.* Vndecima, priuilegia conceduntur vel ob merita, vel ratione obſequij, vel fauore religionis, vel propter vtilitatem: non ita reſcripta. Duodecima, reſcriptum generale indultum non includit caſum publicæ vtilitati contrarium; non ita priuilegium. Decimatertia, priuilegium perditur duobus modis, expreſsè, & tacitè: expreſsè, vt ſi reuocetur, per concedentem, vel pars illa expreſsè 14. *Priuilegium quid. A reſcripto differt.*

expreſsè renunciet: tacitè, ſi fecerit quid contra ſuum priuilegium, vel non vtendo eo, quod conſiſtit in faciendo per decem annos, vel aliàs ſi fuerit negligens, per 30. vel 40. annos amittitur; etiamſi pars eo abutatur, ſi fiat delictum: vt ſi ciuitas occidat ſuum Epiſcopum, vel alias quis grauiter delinquat; ſi incipiat enormiter lædere ius alterius. Vide plura apud Rebuff. *loc. cit.*

15. *Mandatum Apoſtolicum quid.* DICO SECVNDO, Mandatum Apoſtolicum eſt omne reſcriptum, per quod Papa mandat vel præcipit beneficium alicui conferri. *c. mādatū. de reſcript. c. ſi ea. de cōceſſ. præb. in 6.* In quo notandum olim Epiſcopos ſolitos fuiſſe diſpenſare beneficium ſuorum Epiſcopatuum, nec ſummi Pontifices derogabant eorum auctoritati; vnde nec conferebant ius ad vacatura, cùm mādatorum Apoſtolicorum vſque ad 1150. vſus incognitus fuit, ex gloſſ. *c. poſt appellationem. §. forma. 2. q. 6.* cœpit autem ſecundùm quoſdam tempore Alexandri III. vt conſtat ex *c. eam te. de reſcript.* qui paulo poſt illud tempus regnauit in Eccleſia Dei: occaſio autem ea fuit, quia cùm nonnulli Epiſcopi poteſtate conferendi beneficia abuterentur, indignos dignis præferendo, & ſacris ordinibus à ſe initiatos immeritò repellendo, cœpere Pontifices Romani per mandata Ordinariis præcipere, vt his vel illis conferrent beneficia primo quoque tempore vacatura, vel vacantia. De his ergo multa apud DD. citatos. Sed quia hodie non ſunt in vſu, ideo tantùm ob intelligentiam praxis beneficiariæ aliqua ſubiungam.

16. *Mandatorum genera quatuor. Primum.* Et primò dari præcipuè quatuor genera mandatorum. Primum dicitur, *In forma pauperum*; quia datur à Papa iuxta eam formulam, ob quam pauperum cauſa ſolet ad Ordinarios ſcribere: vel in forma communi, quia pro pauperibus non eſt opus ſingulari forma: vel literæ iuſtitiæ, quia etſi dentur gratis à Papa, tamen inter alias literas videntur habere plus iuſtitiæ, & æquitatis illæ, quibus clerico pauperi beneficium concedi præcipiatur: vel cùm ſecundùm Apoſtolum, quia earum initium tale eſt. *Secundum* Secundum dicitur, *In forma dignitatis*, & ſunt literæ, quas Papa ſcribit ad locorum Ordinarios, vel executores à ſe conſtitutos, quibus præcipit vt clerico ob generis nobilitatem, vel ſcientiam literarum, vel vitæ probitatem, vel ob alia merita in Eccleſiam beneficium conferatur: & quia incipiunt ea ratione, *Dignum arbitramur*, &c. ideo ita ſunt dictæ. *Tertium.* Tertium dicitur, *Rationi congruit*, quia ita incipiunt, & dari ſolent, quando aliquis Papæ ſupplicem libellum obtulerat, petens vt ſibi aliquod beneficium conferatur, cuius precibus Pontifex annueret, ſed antequam Breue ſubſcriptum more ſolito tradidiſſet, è vita deceſſit; quare Pontifex ſuccedens ſolet literas concedere in eum modum ad Ordinarios, vel executores, &c. *Quartum.* Quartum genus dicuntur literæ, *Si neutri, ſi nulli, ſi alteri*; ſi enim orta lis ſit inter duos de aliquo beneficio, & tertius à Papa impetret hac lege, vt ſi neutri litigantium ius conceſſum ſit, ipſi beneficium detur, dicitur impetraſſe literas, *Si neutri*. Si alter litigantium impetret à Papa, vt ſibi beneficium conferatur, ea conditione concedimur, ſi alteri litiganti ius in beneficium quæſitum non eſt, & dicuntur literæ, *Si alteri*. Si denique tres de beneficio litigant, & alius contra literas impetret, ea conditione, vt ſi nulli litigantium ius in beneficio acquiſitum ſit, ipſi cōferatur, dicuntur literæ, *Si nulli*. Vide regulam Cancellariæ 16. de non tollendo ius alteri quæſitum; id enim ſemper præſupponi debet, non eſſe ex inſtinctu ſuæ neceſſitatis.

Secundò beneficia comprehenſa in mandatis Apoſtolicis eſſe omnia quæ nominatim in iure non inueniuntur excepta. *c. mandatum. de reſcriptis.* Ius autē excipit primò dignitates electiuas. Secundò beneficia iuris patronatus laicl. Tertiò curata poſt literas datas à Papa. Quartò beneficia iam antea expreſſa & extincta. Quintò pertinentia ad mēſam Epiſcopi, vel alterius Prælati. Sextò reſeruata Papæ, vel affecta. Septimò annexa alteri beneficio ante literas datas à Papa. Octauò beneficia monocula. Plura Azor *loc. cit. q. 6.* 17. *Beneficia in mandatis Apoſtolicis comprehenſa quæ.*

Tertiò, Mandata Apoſtolica deſinere primò, ſi is quis literas dedit reuocauit. Secundò ſi ſucceſſor Pontifex omnia mandata Apoſtolica ab anteceſſoribus data reſcindat. Tertiò, ſi gratiæ Apoſtolicæ mandatarius expreſsè ceſſerit, aut tacitè, vt ſi vxorem duceret, ſi beneficium quod habere non poſſit, ſimul cum eo ad quod accepit mandatum, poſſeſſionem adipiſcatur; ſi denique certam Religioſis regulam ſolenni ritu profeſſus fuerit: non extinguuntur autem obitu mandātis, ſi mortuo Pontifice adhuc res manet integra, ita, vt tractari non cœperit. *c. ſi ſuper gratia. de off. deleg. in 6.* Quæ autem conditiones exprimendæ ſint neceſſariò in mandatis Apoſtolicis, vide apud Azor. *c. 33.* nobis ſatis hæc attigiſſe. Atque hæc circa beneficia vacatura. 18. *Mandata Apoſtolica quando deſinant.*

19. *Beneficia vacantia quæ.* Quoad vacantia autem, quæ acquiruntur Papæ prouiſione, Rebuffus *in praxi 1. p. tit. de reſcriptis ob beneficia vacantia.* Ea reducit ad triplicem claſſem. Prima complectitur beneficia, quæ concedūtur in titulum. Secunda beneficia, quæ dantur in commendam. Tertia ea, quæ dantur in proprietatem, vt per vnionem. Verùm nos de commendatione & vnione dicemus *in c. 9. & 10.* quare breuiter tantùm dicemus de primo genere, quæ dantur in titulum.

20. *Quando conceduntur in titulum.* DICO igitur TERTIO, in ordine beneficia dicūtur concedi in titulum, quando ita aſſignantur Eccleſiæ, vt in illis beneficiarij conſcribi poſſint, illiſque præeſſe. Eccleſia autem dicitur intitulata, hoc eſt, conſcripta alicui, & iure aſſignata. *c. dudum. 2. de elect.* & qui habet titulū, dicitur ius habere in illo beneficio; ideo nominari & conſcribi poterit ſub titulo illius beneficij, adeò vt beneficium ſuum poſſet dici. *c. pro illorum. de præb. c. audita. de reſtit. ſpoliat.* non dicitur autem ſuum quaſi ſit dominus beneficij, ſed quia adminiſtrator eſt, vt Rebuff. *loc. cit. n. 8.*

21. *Quibus modis Papa illis prouideat.* DICO QVARTO, Papam prouidere beneficiis vacantibus multis modis. Primò ad nominationem alicuius. *c. quod ſicut. de elect.* Secundò ad patroni præſentationē. *toto tit. de iure patronat.* Tertiò ſuo ſolo iure, vt cùm prouidet de Epiſcopatibus, & dignitatibus ſuperioribus. Quartò iure deuoluto, vt dicetur cùm de deuolutione. Quintò iure reſeruationis, de quo dicā in *Quinto dico.* Sextò ratione præſentationis. Septimò ratione curatarum cum ordinariis. Rebuff. *a n. 11.*

22. *Quo iure beneficia illa ad Papam pertineant.* DICO QVINTO, iure reſeruationis pertinere omnia ea beneficia ad Papam, de quibus eſt ſermo in regulis Cancellariæ, quæ enumerauimus generaliter ſuprà *c. 2. q. 2.*

Dubitatio prima. Et primò circa primam regulā notandum primò, eam fuiſſe neceſſariam, quia licet potuiſſet videri eadem beneficia reſeruata in Extrauagant. *Ad regimen. de præbend.* tamen ibi tantùm erant reſeruata ad tempus, vitæ ſcilicet Benedicti XVI.

Digitized by Google

XVI.In hac verò regula de nouo reſeruantur, vt oportebat. Præterea reſeruantur beneficia, quæ officiales ſedis Apoſtolicæ adepti fuerant tempore quo ſuis officiis fungebantur, etiamſi officia dimiſerint, quod non erat expreſſum in illa Extrau.Mandoſ.*in 1.reg.q.*1.Azor *lib.6.c.34.q.*10.

23. *Secunda.* Notandum ſecundò, etſi dubium ſit an comprehendat Auditorem Cameræ & Acolythos, tamen cum Mandoſ. *q.*4. *&* 5. dicendum comprehendi Auditorem Cameræ, quia non eſt Vices gerens Camerarij, ſed ab ipſo Pontifice deputatur, & Acolythos, ex deciſ. Rotæ, quam citat Mandoſius *n.* 9. non tamen eos, qui creati ſunt per Legatos, vt idem *q.*6.

24. *Tertia.* Notandum tertiò, in facultate generali conceſſa per Papam de conferendo beneficia qualitercunque realia & indebitè occupata, non comprehendi beneficia realia & reſeruata per finem huius regulæ, nempe per Extrauag. *Execrabilis*, ex deciſ.Rotæ apud Mand.*q.*7.

25. *Quarta.* Notandum quartò, non comprehendi hac regula prima, neque aliis beneficia iuris patronatus laicorum, ſed benè iuris patronatus Eccleſiaſticorum. Mandoſ.*q.*8.Azor *q.* 2. ex aliis. Ratio, quia iis Papa non ſolet derogare, ne retrahantur à fundationibus illorum: at aliis Eccleſiaſticorum ſolet. Quòd ſi ad laicum ſimul, & Eccleſiaſticum pertineant, idem iuris eſt, quod de pertinentibus ad laicum ſolum: ſicut quando ad laicum pertinent non ex fundatione, ædificatione vel dotatione Eccleſiæ, ſed tantùm conſuetudine, præſcriptione, vel priuilegio, derogare ſolet Pōtifex, ideóque in regulis hæc etiam cōprehenduntur, vt Azor *loc.cit.* ex Falcon.Io.And.& aliis.

26. *Quinta.* Notandum quintò, Hoſpitalia comprehendi, niſi ſint beneficia perpetua: vnde ſi tantùm manualia ſint, non cōprehenduntur, ex Mandoſ.*q.*9.

27. *Sexta.* Notandum ſextò, etſi reſeruatio in Extrauag. *Ad regimen*, ſit tēporalis, & in Extrauag. *Execrabilis*, ſit perpetua, vt patet ex textu, in illa enim Papa reſeruat ſibi, in hac ſedi Apoſtolicæ, quæ non moritur; attamen regulæ Cancellariæ cùm expirent per obitum Papæ, vt patet ex proœmio illarum, ibi; *ſuo tempore duraturas*, ex Mandoſ. *q.*10. *n.* 6. dicendum eſt, reſeruationem omnino in illis contentam eſſe temporalem.

28. *Septima.* Notandum Septimò, ad effectum huius reſeruationis in beneficiis, quæ officiales obtinebāt, ſufficere ius in re, etiamſi alter de facto poſſideat: vnde ſi per mortem eius, qui habet ius in re, vacarent, etiamſi ſuperſtes eſſet qui de facto poſſidet, ſpectarent ad collationem Papæ, & quiſque poſſet ea adipiſci. Sufficit etiam obtinere de facto ſtatim in poſſeſſione, dummodo ius non ſit penes alium, vt ex Rot.& aliis Garz. *p.5.c.1.§.5.n.* 198. quod etiam militat in beneficiis collectorum, ſubcollectorum, & familiarium, de quibus *reg.* 3. *&* 4. & in reſeruatione menſium, vt ex Rot.*deciſ.*102.*lib.* 1.*p.* 3. diuerſorum, notat Garzias *n.*199.

29. *Octaua.* Notandum octauò, ea verba, *declaramus nihilominus*, vſque ad illa, *ſub huiuſmodi reſeruationibus comprehendi*, &c. eſſe addita à tempore Sixti V. ad tollendum dubium, An ſcriptores Apoſtolici, qui ratione talis officij ſunt Protonotarij, dimiſſo officio ſcriptoriæ deſinerent eſſe Protonotarij, & ſic beneficia per eos acquiſita poſt dimiſſum officium ſcriptoriæ non eſſent reſeruata, ex *d.Extrauag.ad Regimen. & hac reg.* 1. licèt enim deſinant eſſe Protonotarij, ex *deciſ.* Rotæ 70. 1. *p.* diuerſorum, tamen hodie eſt ſuperflua, quia beneficia officialium etiamſi officia depoſuerunt, reſeruata ſunt ex 1.*reg.* vt etiam notat Garz.à *n.*200.

Notandum nonò, circa reſeruationem de beneficiis, de quibus Ordinarij contra Cōcilij Tridentini decreta diſpoſuerunt, & diſponent in futurum, poſſe exemplum afferri in beneficiis collatis iis, qui non habebāt ætatem requiſitam, ex *ſeſſ.*23.*c.*6.*&* 24.*c.*12.aut qualitates requiſitas, ex *ſeſſ.*14.*c.*10.*&* 22.*c.* 4. *&* 23.*c.*18.aut non ſeruata forma à Concilio præſcripta, ex *ſeſſ.* 7.*c.*18.*&* 24.*c.*18.aut contra diſpoſitionem *c.* 15.*ſeſſ.*25.*de reform.* eadémque ratione cùm loquatur regula de beneficiis, de quibus Ordinarij diſponunt, non videtur locum habere in beneficiis, de quibus patroni diſponunt contra Tridentinum, etiamſi per Ordinarium ſit ſecuta inſtitutio; regula enim eſt inducta in odium Ordinariorum, non patronorum. Garz.*n.*210. 30. *Nona.*

Secundò circa ſecundam regulam, quæ duas habet partes, in prima reſeruantur omnes Eccleſiæ maiores, vt Patriarchales, Primatiales, Archiepiſcopales, Epiſcopales. Item monaſteria virorum excedētia 200. florenos aureos. In ſecunda beneficia vacantia tempore vacationū Epiſcopatuū. Diſtingui autem poteſt in 4.puncta. 1. Ponūtur dignitates, in quarum vacatione beneficia vacant, & ſunt Patriarchatus, Primatiatus, Archiepiſcopatus, Epiſcopatus, Abbatia, collator quicūque alius, vel collatrix ſæcularis, aut regularis. 2. Modi vacationum earum dignitatum per obitum, per dimiſſionem, per amiſſionem, per priuationem. 3. Exceptio beneficiorum pertinētium ad collationem cum alio, aut aliis, ad præſentationem, ad electionem. 4. Tempus vacationis quouſque à Sede Apoſtolica prouiſi adepti erunt pacificam eorum poſſeſſionem, &c. 31.

Et contra primam partem notandū primò, eam fuiſſe neceſſariam: nā licèt in Extrauag. *ad Regimen.* Eccleſiæ maiores reſeruabantur, tamen id erat cum reſtrictione ad eas, quæ tunc vacabant, vel erant vacaturæ apud Sedem Apoſtolicam: at in regula abſolutè reſeruātur omnes vbicunque vacantes. Monaſteria autem virorum, quæ reſeruātur, ſunt illa, quæ ſunt deſtituta Monachis, vel ſunt ſolita commendari, & hæc dicuntur monaſteria conſiſtorialia, quia de eis conſiſtorialiter prouideri ſolet per viam ſchedulę, vt apud Mand. *q.* 3. ex Sanctio legendum. Azor *q.*10.*in reg.*2.ex Mand.*in regulam* 2.*p.*1.*&* 3. 32. *Dubitatio Prima.*

Notandum ſecundò, olim prouiſionem Epiſcopatuum ſpectaſſe ad Capitula, vt nunc etiam in Germania, licèt confirmatio fiat à Papa; iam verò electio etiam ad Papam pertinet, exceptis Eccleſiis Hiſpaniæ, quarum præſentatio ad Regē pertinet, ex priuilegio Apoſtolico, cui non cenſetur derogari per hanc reſeruationem, vt Garz.*c.*1.*§.*4.*n.*219.exceptis item Eccleſiis Franciæ, quarū præſentatio ad Regem ſpectat, etiam ex priuilegio: prouiſio tamen facienda eſt à Papa, ex hac regula. 33. *Secunda.*

Notandum tertiò circa ſecundam partem, non cōprehendi beneficia ſpectantia ad collationem Epiſcopi, & Capituli ſimul, vt Garz.*num.* 223. ex Hieron.Gabr.& patet ex iis verbis, *non tamen ad collationē cum alio, vel aliis*, quæ ſunt addita à tempore Sixti V. & quidem ſi ad Epiſcopum ſolum pertineret electio, ſeu præſentatio, etſi collatio aut inſtitutio ad aliū pertineat, vnà cum Epiſcopo, comprehenditur tale beneficium per hāc regulam, quia attenditur prima diſpoſitio benficij, 34. *Tertia.*

Digitized by Google

ſicuti contrà, quando electio vel præſentatio ad Epiſcopum vnà cum aliis pertinet; etſi collatio & inſtitutio pertineat ad ſolum Epiſcopum, non comprehenditur ſub hac reſeruatione, vt dicitur in ipſa regula, & aduertit Garz. *n.* 330. idque probat ex deciſionibus Rotæ.

35. *Quarta.* Notandum quartò, idem iuris eſſe in beneficiis, quæ cùm pertinerent ad collationem Epiſcopi & Capituli ſimul, poſtea ex concordia vna vice pertinent ad Epiſcopum, altera ad Capitulum; non ſolùm enim non comprehenduntur, quando eorum collatio pertinet ad Capitulum in ſuo Turno, vt dicunt, ſed neque quando pertinet ad Epiſcopum; retinent enim ſemper priſtinam rationem & naturam, à qua habent, vt ad vtriuſque ſimul collationem ſpectent, & ita practicari in nonnullis Eccleſiis Hiſpaniæ, vt Salamantina, Burgenſi, Palentina, & Legionenſi, teſtis eſt Garz. à *numer.* 240. Eadémque ratione non procedit hæc reſeruatio, quando collatio beneficiorum ſpectantium aliàs ad collationem Epiſcopi, vacante ſede ad alium ſpectat, nec reſeruatur ſucceſſori: regula enim non intendit præiudicare tertio, vt idem ex deciſ. Rotæ *numer.* 244.

36. *Quinta.* Notandum quintò, ex iis verbis regulæ, *Dimiſſionem, ſeu amiſſionem, vel priuationem*, colligi beneficia vacantia poſt renunciationem Epiſcopatus admiſſam à Papa, vel poſt tranſlationem ad alium Epiſcopatum, etiam antequam Epiſcopus habeat de eis notitiam, eſſe reſeruata Papæ, quia tunc vacant poſt dimiſſionem; non obſtante, quòd ante huiuſmodi notitiam admiſſionis poſſit Epiſcopatum adminiſtrare: quod tamen non videtur habere locum in beneficiis vacantibus in Turno Epiſcopo, durante adminiſtratione illius, ex concordia facta cum Capitulo, ad quod aliàs pertinebat, vt Garz. *numer.* 245. & 246.

37. *Sexta.* Notandum ſextò, regulam hanc non habere locum in Cardinalibus, hoc eſt, vt ego interpretor, in beneficiis vacantibus ſede vacante, poſtquam collata fuit ſedes Epiſcopalis Cardinali, vt ex deciſ. Rotæ probat Garz. *numer.* 252. quamuis ipſe num. ſequenti valde dubitet de reſolutione dicta, & concludat etiam Cardinalem comprehendi, quia quando Papa non vult eos comprehendi, ſolet exprimere, vt in regula de reſeruatione menſium.

38. Tertiò circa regulam tertiam, qua reſeruantur primò Dignitates maiores poſt Pontificales in Cathedralibus, etiam Metropolitanis, & Patriarchalibus. Secundò, principales in collegiatis, excedentes valorem decem florenorum auri. Tertiò, Prioratus & Dignitates conuentuales, & præceptoriæ generales Ordinum quorumcunque, ſed non militiarum. Quartò, quæcunque beneficia à familiaribus Pontificis, vel Cardinalibus obtentis, vel obtinendis, durante eorum familiaritate, in quibus aut ad quæ ius eis competierit, etiamſi ab ipſa familiaritate receſſerint. Quintò, etiam Dignitates in Cathedralibus vel collegiatis non maiores, quæ præeminentiam habere noſcuntur quouis modo:

39. *Dubitatio prima.* Notandum primò, per Dignitates maiores in Cathedralibus, vel principales in Collegiatis, intelligi eas, quæ conſuetudine prouinciarum ſemper tales habentur, ſiue iure communi non eſſent, ſiue eſſent, vt ex Mand. *quæſt.* 1. & gloſſ. *in c. cum deliberatione. de offic. leg. in 6.* docet Azor *reg.* 3. *quæſt.* 1. Sic autem eſt intelligendum cùm dicitur reſeruari maiores dignitates, &c. vt in vnaquaque Eccleſia Cathedrali, reſeruata ſit maior inter dignitates, quæ in ea ſunt, ſi plures ſint, & principalis in collegiatis. Quòd ſi plures maiores ſint, quia ſcilicet in Capitulo æqualem maioritatem in ſede, in ſubſcriptione, & in aliis habeant, tunc plures, vt ambæ, vel tres, cenſebuntur reſeruatæ, vt Mand. *quæſt.* 3. & 4. Azor *quæſt.* 2. Quòd ſi tantùm vna eſſet dignitas poſt Pontificalem, Mand. aſſerit, non comprehendi, ex Card. Gemin. & aliis; & ratione, quia maior dicitur relatiuè ad minores: ſi autem vna tantùm ſit, non poteſt referri ad alias minores; dubitat tamen in fine ex annotatione quadam Felini dicentis, ſe credere, quòd Rota & curiales dicerent contrarium; quia communiter curiales appellant principalem etiam illam, in qua nulla eſt alia: atque ita tandem decidit Rota apud Garz. §. 5. *n.* 268. cum qua tenendum, ob rationes quæ ibi adducuntur.

Notandum ſecundò, clauſulam illam, *Valorem decem florenorum auri excedentes*, &c. poſſe referri ad præcedentia, hoc eſt, ad dignitates poſt Pontificalem maiores in Cathedralibus, & ad ſubſequentia, hoc eſt, ad principales in Collegiis, & ad vtramque, ita vt ſenſus ſit, reſeruari maiores in Cathedralibus, & principales in collegiis, dummodò valorem decem florenorum auri excedant. Quòd igitur tantùm referatur ad præcedentia, tenuit Staphil. apud Mandoſ. *quæſt.* 6. Quòd tamen ad ſubſequentia probabiliter diſputat Mand. Quòd denique ad vtramque, veriore ſenſu putat ipſe Mandoſ. & cum hoc dicendum. 40. *Secunda.*

Notandum tertiò, ſi noua Eccleſia Cathedralis, vel collegiata erigatur, etiam maior, vel principalis dignitas, quæ in eis fuerit, cenſeri debet reſeruata, vt Mandoſ. *quæſt.* 2. ſicut vnita prima dignitate poſt Pontificem Capitulo, regula comprehendet ſequentem, quæ erit prima, vt ex Rota cenſet Garz. *n.* 270. 41. *Tertia.*

Circa ſecundam partem regulæ notandum, non intelligi reſeruari prioratus, &c. & alias dignitates temporales, vt ordinum mendicantium, ex Garz. *num.* 272. Ratio eſſe poteſt, quia hæ non ſunt perpetuæ, ſed ad nutum ſuperiorum. Neque etiam dignitates regularium conuentualium, quæ conferuntur per electionem à Religioſis ſimul congregatis, vt Azor *quæſt.* 3. quia non vult præiudicare iuribus aliorum. Nec prioratus, præpoſituras, &c. ordinum militiarum, vt S. Ioan. Hieroſol. S. Mariæ Theutonicorum, S. Iacobi Calatrauæ, Alcantaræ in Hiſpania, S. Stephani Florentiæ, &c. quia hi cùm ſint in continuo exercitio armorum, & ſemper pro fide militent, priuilegiati ſunt, ex Mandoſ. *quæſt.* 11. *in fine.* Sed prioratus, &c. ordinum, qui hoſpitalitati operam dant, intelliguntur reſeruati, tales ſunt S. Spiritus in Saxia de Vrbe, ordo Cruciferorum, ordo S. Ant. Viennenſis in Gallia, & ſi qui ſunt huiuſmodi. 42.

Circa tertiam partem notandum primò, qui ſint familiares & continui commenſales Papæ, colligitur ex Bulla 78. & 79. Pauli III. & 44. Iulij III. & latè Pariſ. *de reſign. lib.* 2. *quæſt.* 16. *à num.* 36. 43. *Dubitatio prima.*

Digitized by Google

numer. 36. & quamuis ad id requiratur, vt per quatuor menſes ad minimum fuerit familiaris conſtitutus, tamen ad effectum reſeruationis ſufficit quòd durante familiaritate beneficia obtinuerit, ſeu in illis, vel ad illa ius ei competierit. Garz. *numer.* 276. ex Mandoſ. Si tamen familiaris, cui ius ad beneficia competebat, decederet ante conſecutionem iuris in re, non haberet locum regula, loquitur enim de beneficiis vacantibus per obitum familiarium, nondum autem vacare, niſi, qui obierit, habuerit ius in re. Quibus autem modis acquiratur ius ad rem, vide apud Garz. à *num.* 282. *ad* 309. ex Ænea de Falconibus.

44. *Secunda.* Notandum ſecundò, fratres ſeu nepotes Cardinalium, qui in eorum domo ſunt tanquam continui commenſales, & viuunt eorum expenſis, non eſſe familiares ad effectum huius regulæ; hoc enim loco familiares dicuntur deputati ad honeſtum ſeruitium Domini; ideo dicuntur ſeruitores, ſeu famuli. Quamuis autem habeant expenſas, illas habent vt conſanguinei, non vt familiares, vt ex multis DD. docet Garz. *numer.* 314. Vicarij autem ſeu prouiſores Cardinalium in eorum Epiſcopatibus aut Abbatiis, habentes ab eis expenſas, ſeu menſem, ſeu ſalarium, non dicuntur familiares, ſed potiùs officiales; niſi qui conſtitutus eſt Vicarius, eſſet etiam ex familiaribus conſtitutis commenſalibus; tunc enim factus Vicarius, manet adhuc familiaris, ſi ipſius expenſis aut ſalario viuat, vt idem à *numer.* 318.

45. *Tertia.* Notandum tertiò, nomine familiarium Papæ & Cardinalium etiam intelligi familiares, ſeu ſeruos familiarium, habentes partem ſeu expenſas ab ipſis Papa & Cardinalibus, nam inſeruiendo familiari Papæ vel Cardinalis, dicuntur ipſi Papæ vel Cardinali ſeruire. ſic ex deciſ. Rotæ & aliis docet Garz. à *numer.* 325. Si tamen Papa vel Cardinalis daret ſuo familiari partem pro ſe & duobus familiaribus, & ille haberet plures, & non nominaret illos duos, qui viuunt expenſis ſuorum dominorum, nullius beneficia eſſent reſeruata, propter incertitudinem, ex eod. *numer.* 330. ſic etiam beneficia Cubiculariorum ſeu Camerariorum honoris, qui recipiunt partem tantùm panis de Palatio, non cenſentur reſeruata, vt ex adductis in deciſ. Rotæ apud Garz. *numer.* 331.

46. *Quarta.* Notandum quartò, familiarem habentem beneficium reſeruatum ratione familiaritatis, in Eccleſia, in qua eſt conſuetudo optandi, poſſe dimiſſo eo quod habet, optare alicui; dimiſſum autem an maneat reſeruatum necne, Rota in vna Salamantina Portionis tenuit, tantùm optatum manere reſeruatum, non dimiſſum: in altera autem, quam adducit Garz. *numer.* 337. receſſit à prædicta deciſione; quare concludit, in optione, qua mutatur titulus, optatum non ſubrogari loco dimiſſi reſeruati, & ſic dimiſſum ſpectare ad prouiſionem Papæ: optatum autem manere liberum, niſi tempore optionis adhuc duret qualitas inductiua reſeruationis, nempe familiaritas, ſubcollectoria, vel Protonotariatus. ita *numer.* 340.

47. Quartò circa quartam regulam, in qua reſeruantur beneficia Collectorum, & ſubcollectorum,

Dubitatio prima. Notandum primò, debere eſſe vnicos ſubcollectores, vt patet ex verbis regulæ, *quorumcumque collectorum & vnicorum ſubcollectorum*; ſtante tamen ſubcollectione generali, in prouincia beneficia ſubcollectoris particularis in vna ciuitate ſunt reſeruata, quia eſt vnicus, non obſtante generali ſubcollectore in prouincia; & à fortiori beneficia ſubcollectoris vnici in vna ciuitate, vel diœceſi erunt reſeruata, licèt ibi ſit collector generalis. Garz. §. 6. *num.* 357.

Notandum ſecundò, non requiri exercitium officij collectoris, vel ſubcollectoris, ſufficit ſola deputatio, etiam antequam ſuam partem recipiat, vt ex multis probat Garz. *num.* 345. Quamuis ego dubitem propter illa verba, *qui ſuo tempore officia exercuerint*; ſi ergo non exercuerint ſuo tempore, non comprehendentur: quare non eſt ſatis ſola deputatio, ſed requiritur etiam exercitium officij ſuo tempore, &c. Beneficia autem, quæ habuerunt tempore officij, etiamſi ante officia obſignauerint, ſunt reſeruata. Verbum autem *obtinuerint*, licèt ex Mandoſ. *quæſt.* 5. ſignificare videatur impetrationem vel aſſecutionem, attamen etiam ſignificat reſeruationem, ex Rotæ deciſ. apud eundem *numer.* 355. Nunc autem cùm dicatur in modernis regulis *obtinebant*, ſublata eſt omnis difficultas. Impetranti autem beneficium ratione ſubcollectoriæ ſufficit probare ſubcollectoriam, non vnicitatem: aduerſario autem incumbit onus probandi pluralitatem, quia præſumptio eſt de vnicitate, vt ex Mand. & aliis docet Garz. *num.* 356. 48. *Secunda.*

Notandum tertiò, ſi collector ſucceſſiuè plures ſubcollectores deputauerit in vna ciuitate vel diœceſi, eorum omnium beneficia ſunt reſeruata, ſatis enim eſt, quòd eodem tempore vnus tantùm fuerit ſubcollector: ſi autem fuerint plures eodem tempore, neutrius beneficia erunt reſeruata, quia non eſt maior ratio de vno, quàm de altero, ex Garz. *numer.* 367. Quòd ſi ſubcollector particularis deputat alium in eadem ciuitate, prioris ſubcollectoris beneficia erunt reſeruata, quia ille principalis eſt. Quod autem dixi de pluribus, valet quando eſſent æquales. Denique ſi vnus ſubcollector ſit in ciuitate, alius in diœceſi, neutrius erunt reſeruata, ſi æquales ſint, vt dixi, & tenet Garz. *num.* 375. 49. *Tertia.*

Notandum quartò, Collectoriam probari per litteras, ſubcollectoriam per teſtes, ad effectum probantem reſeruationem; ad effectum autem vt ſoluere debentes, cautè ſoluant, requiri ſcripturam, Garz. à *numer.* 376. ex multis. Item beneficia ſubcollectoris deputati à collectore generali, qui tempore deputationis erat excommunicatus & publicatus, exercuerat tamen officium per ſeptennium, cenſeri reſeruatum, vt *num.* 381. Hæc ſatis. 50. *Quarta.*

Quintò circa quintam regulam, in qua reſeruantur beneficia Curialium dum Curia transfertur, ſi eam ſequentes eos decedere contigerit in quocunque loco, &c. Notandum primò, Curialem dici eum, qui eſt de Curia, Curia autem dicitur, vbi eſt Audientia Rotæ, Cameræ, Contradictarum, & Cancellaria, quæ ibi conſiſtere ſolet, vbi Papa moratur ordinariè, quamuis poſſit aliquando Papa abeſſe à Curia: vt cùm Clemens VIII. adiuit Ferrariam, relicta Curia Romæ. ita colligitur ex adductis à Garzia §. 2. *à numer.* 387. 51. *Dubitatio prima.*

Notandum ſecundò, ad effectum reſeruationis in hac regula, beneficia eorum, qui Papam ſequentes vltra duas dietas decederent, non tamen tranſlata Curia, non eſſent reſeruata: Curiâ autem tranſlatâ, ſi eam ſequerentur, beneficia illorum 52. *Secunda.*

Digitized by Google

illorum, vbicunque decedere contingeret, eſſent reſeruata. ſic etiam ad effectum reſeruationis de beneficiis vacantibus in Curia, comprehenduntur beneficia tam vacantia, vbi eſt Audientia Rotæ & Cancellaria, licèt ibi non ſit Papa, quàm vbi eſt Papa, licèt non ſit ibi Curia, quia hæc etiam diceretur vacare apud Sedem Apoſtolicam, vt probari poteſt ex Bulla Pauli III. 36. & Garz. *num.* 394.

53. *Dubitatio prima.* Sexta circa ſextam regulam, in qua reſeruantur beneficia Cubiculariorum & Curſorum Papæ, Notandum primò, per Cubicularios in hac regula intelligi tantùm Cubicularios officiales, quorum Collegium erectum eſt per Leonem X, & in eius conſtitut. 14. poſtquam alij præter illos non dicuntur Cubicularij, nec etiam Camerarij ſecreti. Ratio eſt, quia hi ſi recipiunt partem in pane & vino, & ſunt familiares & continui commenſales Papæ, non comprehenſi ſunt reg. 3. ſi non ſunt familiares, etiamſi dicantur Cubicularij honoris, vel extra muros, & habeant panem tantùm, nec comprehenduntur in illa, neque in hac 6. reg. vt rectè Garz. §. 8. *num.* 398. quicquid contrà Mandoſ. comprehendens tantùm Cubicularios.

54. Notandum ſecundò, per Curſores intelligi officiales quoſdam Papæ, qui ex Mandoſ. *quæſt.* 2. *&* 3. habent locum inſtar Tribunalis, & ferè omnes ſunt clerici, & in clericali habitu incedunt; habent ſuam manſionem in palatio, & alternatis vicibus comedunt in Tinello, affigunt Bullas Pontificum in locis conſuetis valuarum Apoſtolicarum, & in acie Campi Floræ; fruuntur etiam multis priuilegiis, & inter alia vel homini illi, qui Curſorem verberat, vel ipſi iniuriam infert. *Secunda.* An autem dicantur familiares Papæ, videtur affirmare Mand. *quæſt.* 3. conſequenter tanquam tales comprehenſi etiam ſunt in reg. 3. familiarium: ſi non ſint, ſed officiales tantùm, quia non videntur eſſe continui commenſales, rectè expreſſi ſunt per hanc regulam 6.

55. Septimò circa ſeptimam regulam, in qua reſeruantur beneficia Eccleſiaſtica S. Ioan. Lateranenſis, S. Petri, ac B. Mariæ Maioris de Vrbe, & beneficia titulorum Cardinalium abſentium à Curia: *Dubitatio prima.* Notandum primò, etiamſi Papa ſit Epiſcopus Romæ, & conſequenter iure ordinario competere illi videatur poteſtas conferendi beneficia Vrbis, præſertim Patriarchalium; attamen expreſſa fuerunt beneficia harum trium, tum quia fortè olim Archipresbyteri harum Eccleſiarum, quia ſunt Cardinales, ſumpſerant ſibi ius illa conferendi, tum quia potuiſſent exiſtimare hoc ipſo, quòd Cardinales ſunt, ad eos pertinere collationem eorum beneficiorum, ſicut alia Eccleſiarum, quarum habent titulum in Vrbe. Ne ergo dubitationi locus eſſe poſſet, rectè fuit expreſſum. Omiſſæ ſunt autem aliæ duæ Patriarchales S. Pauli, & S. Laurentij extra muros, quia hæ habent Abbatem ordinis S. Benedicti, & ſic tanquam Regularium beneficia relinquuntur ad diſpoſitionem ipſorum.

56. *Secunda.* Notandum ſecundò, Cardinales in ſuis titulis, hoc eſt, Eccleſiis attributis illis in titulum, habere ius Epiſcopale, non quidem quoad cauſarum audientiam, niſi eis à Papa ſpecialiter committantur, hanc enim vel nunquam habuerunt, ne confunderetur iuriſdictio Vicarij Papæ cum iuriſdictione Cardinalium, vel amiſerunt vſu, & conſuetudine contraria; ſed quoad conceſſionem & poteſtatem fulminandi cenſuras Eccleſiaſticas, & collationem beneficiorum, niſi Eccleſiæ, quarum habent titulos, attributæ ſint Regularibus, vt ſunt tit. S. Crucis in Hieruſalem, S. Euſebij, S. Petri ad Vincula, S. Gregorij & aliorum.

Notandum tertiò, per Epiſcopatus, quorum beneficia reſeruantur per abſentiam à Curia Cardinaliũ, non intelliguntur Epiſcopatus non adnexi Cardinalatui; nam in iis ſi reſideant, vt tenentur, ex Trid. *ſeſſ.* 23. *cap.* 1. *de reform.* non poſſunt non abeſſe à Curia, & tamen prouiſio beneficiorum in ſuo Epiſcopatu pertinet ad Cardinales; ſed Epiſcopatus ſex Cardinalibus adnexi, Hoſtienſis, Portuenſis, Sabinenſis, Præneſtinus, Tuſculanus, Albanus, qui ſunt prope Vrbem, & propterea reſidendo in Vrbe cenſentur in iis etiam reſidere: horum igitur beneficiorum collatio ad Cardinales pertinet, ſi non ſunt abſentes à Curia; quamuis Cardinales obtinentes alios Epiſcopatus, ſi in iis reſideant, ſolent habere Indultum à Papa, vt omnibus gratiis, prærogatiuis, &c. conceſſis Cardinalibus præſentibus in Curia, gaudeant, ac ſi præſentes, &c. Garz. §. 9. *num.* 406. 57. *Tertia.*

58. *Quarta.* Notandum quartò, Decretum irritans, quod eſt in fine regulæ, referri etiam ad omnes regulas præcedentes, vt ex Caſſad. Mandoſ. & aliis notat Garz. *num.* 407. Vnde reſeruatio omnium prædictorum beneficiorum afficit ante notificationem, & non modò conficit titulum, ſed etiam poſſeſſionem, & omnia quæ ſequuntur; non ita reſeruatio ſine Decreto irritanti, ligaret tamen munus Ordinarij, ita quòd collatio per eum facta non valeret, vt ex multis aduertit Garzias à *num.* 408.

59. *Dubitatio prima.* Octauò circa regulam octauam, in qua ponitur reſeruatio menſium Apoſtolicorum, & alternatiua pro Epiſcopis reſidentibus: Notandum primò, ſi contingeret eadem die vacatio beneficij in menſe reſeruato cum prouiſione Ordinarij, & reſeruatio regulæ 8. cenſetur reſeruatio præcedere, etiamſi prouiſus ab Ordinario anteriorem poſſeſſionem haberet, quia totus dies comprehenditur in regula, Garz. §. 10. *num.* 443. ex Bulla declarata Sixti V. In quibus autem hæc regula differat ab antiquis, vide Garziam à *numer.* 445. parum enim refert ad caſus occurrentes.

60. *Secunda* Notandum ſecundò circa illa verba, *Omnia beneficia*, &c. intelligi beneficia perpetua, ſiue ſæcularia, ſiue regularia, non autem manualia, qualiacunque ſint, hæc enim non comprehenduntur ſub reſeruationibus etiam generalibus, vt ex multis docet Garz. *num.* 510. & quamuis regula exprimat beneficia regularia, quæ regulariter ſunt manualia, tamen intelligitur de iis, quæ ſunt perpetua, aliquando enim talia ſunt, & reperiuntur, ex Caſſad. & Mand. apud Garz. *numer.* 511. Beneficia autem regularia ordinum militiarum, etſi dubium ſit an comprehendantur, ex generalitate verborum, & inclinet in hanc ſententiam Gonzales *gloſſ.* 8. *numer.* 53. placet tamen ſententia Garz. *num.* 513. non comprehendi, propterea quòd excipiantur in reg. 3. & non ſit veriſimile in hac 8. voluiſſe corrigere 3. Contrà verò beneficia etiam tenuiſſima, & ſine reditibus, & patrimonia, (de quibus tamen eſt dubitatio probabilis hinc inde ex Gonzal. *gloſſ.* 9. §. 1. *num.* 22. & Garz. *num.* 559.) comprehenduntur, niſi eſſent conferenda per concurſum, vt idem Garz. *n.* 164.

De

Digitized by Google

De monocularibus autem etiam affirmat Gonzal. *gloſſ.* 9. §. 4. quamuis dubitet Garz. *num.* 518. *in fine.*

61. *Tertia.* Notandum tertiò, beneficia creata poſt huius regulæ promulgationem, etſi dubium ſit, an comprehendantur, ex Rota, quæ tenuit partem negatiuam apud Garz. *num.* 519. tamen probabilius eſt comprehendi, quia hæ regulæ habent vim legis, quæ ſemper loquitur, & ſe extendit etiam ad futura; cum moderatione Garz. *num.* 520. quòd non procedat regula quoad prouiſionem primæ vicis poſt ipſam erectionem, illa enim confunditur cum creatione ipſa beneficij, eadémque ratione beneficia conſiſtentia in Eccleſia non numerata, hoc eſt, vbi non adeſt certus numerus Canonicorum, ſeu aliorum Beneficiatorum, ſed creſcunt vel decreſcunt ſecundùm excreſcentiam vel decreſcentiam fructuum, non comprehenduntur, quia hæc non vacant, ſed ceſſant & extinguuntur cum beneficio, Garz. *num.* 550.

62. *Quarta.* Notandum quartò circa illa verba, *in ſingulis dantur hebdomatibus*, &c. menſem incipi à media nocte præcedente primæ diei: eſt autem media nox, vbi horologia incipiunt à media nocte, vel meridie, cùm primùm incipit primus pulſus duodecimæ horæ; vbi ab occaſu, in æquinoctiis erit primus pulſus horæ ſextæ. In aliis temporibus varius, iuxta breuiores aut longiores noctes. Vbi autem non eſſet horologium, vel probaretur non fuiſſe bene ordinatum, accipienda eſt media nox iuxta curſum noctis, & cum arbitrio hominum peritorum in eo loco. In dubio autem an vacauerint in menſe Apoſtolico, vel Ordinarij, vt quia ignoretur mors in quo die aut hora acciderit adhibita morali diligentia, præſumendum videtur per Epiſcopum, vtpote exiſtente cauſa ipſius fauorabiliore, quia iuxta ius commune: Garz. *num.* 528. vnde ſi duo prouiſi eſſent, vnus ab Ordinario, alter à Papa, onus probandi pertineret ad prouiſum à Papa, ſecundùm Garz. *num.* 530. quamuis ſecundùm Gonzales *gloſſ.* 11. *num.* 26. ad prouiſum ab Ordinario. vide ipſos.

63. *Quinta.* Notandum quintò ex illis verbis, *Aliàs quàm per reſignationem*, &c. beneficia in quocunque menſe reſignata in manibus Ordinarij non eſſe reſeruata per hanc regulam: ideóque etiam in quolibet menſe poſſunt permutari beneficia coram Ordinario, quia in prouiſionibus interceditur reſignatio, & ſic non comprehenduntur hac regula; quare neque altera habebit locum in vacantibus per reſignationem: ſi tamen vacent per obitum, aut per aſſecutionem ſecundi incompatibilis per priuationem, vel per matrimonium contractum, vel per ingreſſum Religionis, quamuis horum dicatur reſignatio tacita, reſeruantur per hanc regulam, Garz. à *num.* 542. Quod confirmatur per ea verba, *quocunque modo vacatura*; comprehendunt enim omnes modos vacationis, excepta vacatione in Curia, & per reſignationem; ſiue vacent de iure tantùm, ſiue de facto tantùm, requiritur tamen ius in re, & non tantùm ad rem, vt ſuprà.

64. *Sexta.* Notandum ſextò, circa illa verba, *præſentationem*, &c. beneficia iuris patronatus Eccleſiaſtici comprehendi per hanc regulam, qualia ſunt, quæ licèt habuerint originem ex patrimonio laici, tamen poſſet fundatione, dotatione, teſtamento aut alio quouis titulo tranſlata ſint in Eccleſias, aut Collegium Canonicorum Regularium, vel ſæcularium, vel in aliquam perſonam Eccleſiaſticam ratione Eccleſiæ, Dignitatis, beneficij. Item ſi laicus patronus fiat Religioſus, fit ius patronatus Eccleſiaſticum, tranſit enim in monaſterium de iure communi, durante vita Monachi, ſi iure ſanguinis deferatur ad poſſeſſorem. Item ſi Prælatus ſit etiam ob prælaturam dominus temporalis, vt Comes, &c. & ratione comitatus competat ius patronatus, cenſetur Eccleſiaſticum, ſicut etiam ſpectans ad laicos portantes habitum religioſum, & gaudentes priuilegio canonis & fori, eſt Eccleſiaſticum, vt etiam eſt ſpectans ad milites ordinum militiarum ratione magiſtratuum, commendarum, &c. etiamſi coniugati ſint. Et quamuis aſſerat Garzias *num.* 557. non ſeruari id in Hiſpania, tamen de iure ſunt reſeruata Papæ, & regulæ reſeruatoriæ derogant omnibus iuribus, & conſuetudinibus, vt idem *num.* 558. Beneficia autem iuris patronatus laicorum non comprehenduntur in reſeruationibus, etiamſi ſint generales, & clauſæ in corpore iuris, ideóque in impetratione talium beneficiorum neceſſaria eſt mentio & derogatio iuris patronatus laicorum, aliàs non valet, quod procedit in iis, quæ competunt laicis fundatione, conſtructione, dotatione: ſecus ſi ex priuilegio, vel conſuetudine, vel præſcriptione, in quibus non eſt neceſſaria derogatio, ſed abſque illa receptum eſt valere derogationem, vt ex multis docet Garz. *num.* 573. quare hoc comprehenditur ſub reſeruationibus ad quoſcunque ſpectet, niſi ſit Regum, aut Principum, habentium iura regalia, ſeu Imperij, vt *num.* 574. &c.

Dices primò, Quid de beneficiis iuris patronatus mixti laicorum & Eccleſiaſticorum. Reſpondeo comprehendi ſub reſeruatione, quia ſolet illi derogari ratione Eccleſiaſtici, per clauſulam apponi ſolitam in ſupplicationibus, & cum derogatione iuris patronatus, &c. vt ex Mand. & Pariſ. docet Garz. *num.* 583. 65. *Quid iuris de beneficiis iuris patronatus mixti.*

Dices ſecundò, An clericus ex reditibus ſui beneficij, fundans vel dotans Eccleſiam vel capellam & reliquos patronos ſuos hæredes, cenſeatur feciſſe ius patronatus Eccleſiaſticum, an laicale. Reſpondeo cenſeri Eccleſiaſticum de iure communi, ſecundùm quod clerici non poſſunt teſtari de bonis acquiſitis intuitu Eccleſiæ, inde pertinerent ad ſucceſſores in beneficio: at vbi teſtari poſſunt de bonis acquiſitis intuitu Eccleſiæ, vt in Hiſpania, cenſeri debet laicale, vt Garz. *num.* 594. Idem dic in beneficiis iuris patronatus fundatis ab Epiſcopis habentibus Indultum teſtandi à Papa, vt pluribus idem *num.* 595. 66. *An beneficium ex reditibus clerici fundatum cenſeatur Eccleſiaſticum, vel laicale.*

Dices tertiò, Quid de iure patronatus relicto operariis, hoc eſt, præfectis fabricæ Eccleſiæ, qui ſolent eſſe laici, eſtne laicale, an Eccleſiaſticum. Reſpondeo, licèt Felinus cenſuerit eſſe laicale, vt etiam relictum Hoſpitalariis, attamen cum aliis dicendum eſſe Eccleſiaſticum, quia non competit ipſis, quatenus laici ſunt, ſed quatenus officiales Eccleſiæ, & ſic quatenus repræſentát perſonas Eccleſiaſticas, quæ de iure habent curam fabricæ, ideóque quatenus tales poſſunt conueniri coram iudice Eccleſiaſtico. Idem dicendum de Hoſpitalariis, quando hoſpitale fundatum eſt auctoritate Epiſcopi, & quando etiam non eſſet, ſatius eſt eſſe locum pium, & gaudere priuilegiis Eccleſiæ, vt ex multis docet Garz. à *num.* 599. 67. *An beneficium relictum præfectis fabricæ Eccleſiæ cenſeatur Eccleſiaſticum.*

Dices quartò, Quid de iure patronatus confraternitatum laicorum, eſtne Eccleſiaſticum. Reſpondeo iure eſſe Eccleſiaſticum, quia ſaltem 68. *Quid de iure patronatus confraternitatum laicorum.*

ſunt loca pia; quòd ſi ſint etiam approbata ab Ordinario,ſunt loca religioſa, & gaudent priuilegiis Eccleſiarum;ſed tamen de æquitate ad effectum reſeruationis probabile eſt, eſſe laicale, vt ex Conan. docet Garz. à *num.* 608. Idem de Collegiis inſtitutis pro ſuſtentatione ſtudentium pauperum, vel aliorum egenorum, ſunt enim loca pia,& gaudent Eccleſiæ priuilegiis,ex eod,*num.*612.

69. *Quid de iure patronatus mixto facta concordia de præſentatione alternis vicibus.*

Dices quintò, Quid de iure patronatus mixto, facta concordia de alternis vicibus præſentandi. Reſpondeo, quando pertinet ad Eccleſiam, erit merè Eccleſiaſticum, & cadet ſub reſeruatione: quare pertinebit ad laicum, & erit merè laicale, & non cadet ſub reſeruatione; vt Garz. *num.* 615. ex Ioan. Andr. & deciſ. Rotæ. Quando autem laicus nominaret ratione Eccleſiæ vacantis, & Eccleſiaſticus præſentaret, ius patronatus potius dicendum eſt laicale, quàm Eccleſiaſticum, quia nominans non ſolùm conſentit, ſed etiam virtualiter præſentat, adeò vt niſi præſentans infra tempus præſentet, habetur pro præſentato, vnde eius actus eſt neceſſarius, ita Garz.*num.*616.ex Gambato.

70. *Dubitatio ſeptima.*

Notandum ſeptimò,circa illa verba,*non tamen S.Rom.Eccl.Cardinalium*,&c.ab hac regula excipi Cardinales ordinarios collatores,quia nimirum ſint Epiſcopi, reſpectu enim illorum nulli menſes ſunt reſeruati; Legati autem à latere non comprehenduntur, quia non ſunt ordinarij collatores; vt ex deciſ. Creſcentij docet Garz. *num.* 624. Quod etiam locum habet in beneficiis, quorum collatio pertinet ad Capitulum ſimul cum Epiſcopo,nam propter communionem iuris conferendi, ea etiam ſunt extra reſeruationem;non ſic in beneficiis pertinentibus ad Capitulum & Epiſcopum ſimul,quæ reſeruata eſſent, nam Indultum conceſſum Cardinalibus ad ea conferenda,non prodeſſet Capitulo, quia non auferret reſeruationem, ſed daret tantùm facultatem Cardinalibus ea conferendi: perinde ac ſi non eſſent reſeruata, vt Garz.à *num.* 627.contra Gonzalem.

71. *An Cardinalis ſi non conferat infra ſex mẽſes, deuoluatur ius ad Papam, an ad Archiepiſcopum, vel Primatem ſuperiorem.*

Dices primò, ſi Cardinalis collator non contulit beneficium, quod vacauit aliàs in menſe Apoſtolico,infra ſex menſes, ad quem deuoluatur, an ad Archiepiſcopum, cui de iure competit, an ad Papam. Reſpondeo ad Archiepiſcopum,ex *cap.*2.*de conceſſ.præbend.*& Rotæ *deciſ.* 274.*lib.*3.*p.*3. diuerſorum. Ratio, quia tale beneficium nunquam fuit reſeruatum,cùm regula quinta non comprehendat Cardinales:ergo cùm ſemper duret prima vacatio, pertinebit deuolutio ad eundem, ad quem antea de iure. Garz. *n.* 631.

72. *An Card. Epiſcopus poſſit conferre beneficium quod vacauit in menſe Apoſtolico ſui anteceſſoris.*

Dices ſecundò, An Cardinalis Epiſcopus poſſit conferre beneficium,quod vacauit in menſe Apoſtolico ſui anteceſſoris. Reſpondeo negatiuè,quia quando vacauit erat reſeruatum, vtpote in tempore, quo collator erat Epiſcopus tantùm,& conſequenter Papæ reſeruatum, quia in menſe ſuo; è contra ſi vacaſſet beneficium in menſe Apoſtolico tempore Cardinalis, ſed obiret ante aſſumptionem,poſſet ſucceſſor non Cardinalis illud conferre,quia quando vacauit, non erat reſeruatum. quod quidem verum eſt ex vi huius regulæ quintæ: ſed obſtaret regula ſecunda reſeruans beneficia quæ vacant quorumcunque poſt obitum Epiſcoporum; tale autem eſſet vacans, vt aduertit Garz. *numer.*635.

73. *An Cardinales Epiſcopatuum annexorum Cardinalatui ſint exempti vi huius regulæ.*

Dices tertiò,An hæc regula excipiens Cardinales extendatur etiam ad Cardinales ratione ſex Epiſcopatuum Cardinalatui annexorum, & ratione titulorum de Vrbe, ita vt beneficia vacantia in iis Epiſcopatibus etiam in Vrbe non cenſeantur reſeruata,ſi Cardinales abſentes ſint. Reſpondeo: ſi abſentes ſint iuſſu Papæ ob negotia Sedis Apoſtolicæ, poterunt quidem ea conferre vi proprij Indulti,ſed non vi huius regulæ, quæ comprehendit tantùm abſentem ob reſidentiam in Epiſcopatibus accidentaliter adnexis Cardinalibus; alioquin per regulam ſeptimam ad conferendum beneficia ſuorum titulorum, vel Epiſcopatuum ſex adnexorum Cardinalatui, requiritur potiùs præſentatio in Vrbe; ideo ſi abſentes ſint ſua ipſorum voluntate, pertinebit etiam collatio ad Papam, ex regul. ſeptima. Ex quibus colligi poteſt, poſſe Cardinales abſentes ob reſidentiam in ſuo Epiſcopatu conferre beneficia vacantia ſui tituli in Vrbe, neque enim implementum officij ſui debet alicui eſſe damnoſum. Vide de primo Gonzal. *gloſſ.*14.*q.*7. Garziam *num.*637.

74. *An etiam excipiantur Principes collatores ex priuilegio.*

Dices quartò, An ſicut per hanc regulam excipiuntur Cardinales modo explicato, ſic etiam intelligantur excepti Reges & Principes collatores ex priuilegio Apoſtolico.Reſpondeo affirmatiuè propter altitudinem, & excellentiam eorum,vt per adducta à Gonzal.*loc.cit.q.*8.& aduertit Garzias *num.*639.

75. *Dubitatio octaua.*

Notandum octauò circa verba,*aut aliorum ſub concordatis inter Sedem Apoſtolicam,& quoſcunque alios*, &c. id dici propter concordata cum Germania & Francia. Ac de concordatis cum Germanis vide Bullam Nicolai V. *Ad ſacram Petri ſedem*, &c. in qua breuiter ſancitur, vt primò in Cathedralibus & Eccleſiis etiam immediatè non ſubiectis, & monaſteriis immediatè ſubiectis fiant canonicè electiones, quas deferant ad Sedem Apoſtolicam pro obtinenda confirmatione intra tempus conſtitutum in Bulla Nicolai III. *Cupientes*;alioquin ad eandem Sedem electiones deuoluantur. Secundò reſeruantur Sedi Apoſtolicæ monaſteria monialium exempta. Tertiò in cæteris beneficiis, (exceptis maioribus, poſt Pontificalem,de quibus iure ordinario erit prouidendum per illos, ad quos pertinet) Papa reſeruat ſibi vacatura in menſibus Ianuarij, Martij, Maij, Iulij, Septembris, & Nouemb. dummodo infra tres menſes à die notæ vacationis in loco beneficiorum non apparuerit, quòd de illo ab Apoſtolica auctoritate prouiſum ſit; tali enim caſu Ordinarius, vel is ad quem pertinet, liberè diſponat. Quartò in aliis ſex menſibus nulla adeſt reſeruatio.

De concordatis verò cum Francia vide Bullam Leonis X. 16. *In eminenti.* In qua ſtatuitur primò, vt Rex Franciæ faciat nominare ad Epiſcopatus,Abbatias, Prioratus & monaſteria, & Papa conferat. Secundò in inferioribus conceditur Ordinariis libera collatio in omnibus menſibus iuxta diſpoſitionem iuris communis, ita tamen,quòd conferre teneatur in vnaquaque Cathedrali vnum Canonicatum & præbendam vni Magiſtro,Licẽtiato,aut Baccalaureo formato in Theologia, qui per decennium ſtuduerit cum onere prædicationis & lectionis ſacræ Scripturæ, & præterea tertiam partem Dignitatum, & aliorum quorumcunque beneficiorum vacantium in quatuor menſibus 1. 4.7.& 10.viris literatis, graduatis, & per vniuerſitates nominatis

conferre

Digitized by Google

conferre debeat. Tertiò, vt nullæ gratiæ expectatiuæ, nec reſeruationes ad beneficia dicti regni emanare poſſint à Sede Apoſtolica, neque lites, aut cauſæ beneficiales tractari in Rom. Curia.

76. *Dubitatio nona.* Notandum nonò circa illa verba, *Diſpoſitioni ſuæ*, reſeruationem hanc eſſe perſonalem, & expirare cum conditore; vnde Sede Apoſtolica vacante omnes menſes ſunt ordinarij, & pertinent ad Epiſcopos, donec nouus Pontifex regulas condat Cancellariæ; excipe niſi aliàs ſint affecta, vel Papa de nouo electus declaret, non expiraſſe reſeruationem ſui prædeceſſoris, aut illa de nouo reſeruet ad prouidendum Conclauiſtis, vt aliquando factum eſt, ex Garz. *num.* 646.

77. *Decima.* Notandum decimò circa illa verba, *volens in ſupplicationibus, &c. de menſe in quo vacauerint, diſpoſitiuè mentionem fieri*, &c, id ea ratione factum eſſe, vt Pontifex certior fieret, an beneficium vacauerit in ſuo menſe. Illud autem *diſpoſitiuè* ſignificat affirmatiuè ſeu aſſertiuè; dicens quòd beneficium vacauit in menſe, &c. nempe in menſe reſeruato, nam ſi Pontifex prouideat de beneficio vacante in menſe Ianuarij, non tenetur in ſupplicatione menſis mentionem facere, vt pluribus Garz. *num.* 657. Quod autem dictum eſt de menſe exprimendo in prouiſione reſeruati, procedit etiam in gratia, *Si neutri*, & etiam in noua prouiſione, quando in priore gratia non fuit menſis expreſſus, & in gratia de beneficio vacante, etiam de iure tantùm, vt ſi moriatur, qui habet ius alio exiſtente in poſſeſſione. Denique procedit in vacatione quomodocunque, ſiue per obitum, ſiue per aſſecutionem, &c. quamuis in vacatione per obitum non ſoleat Papa præuenire ex titulo Dataria.

78. *Quibus concedatur alternatiua.* Quod autem attinet ad ſecundam partem regulæ, in qua tractatur de alternatiua: Notandum primò eam concedi ſolis Epiſcopis, Archiepiſcopis & Patriarchis reſidentibus iuxta formam Trident. *ſeſſ.* 23. *cap.* 1. *de reformat.* non inferioribus collatoribus, vt ex Rota probat Garz. *num.* 683. nec etiam in Capitulo habente pro ſe collationem, nec etiam Sede vacante, vt ex eodem *n.* 684. *& ſequenti.*

79. *An Epiſcopus qui acceptauit alternatiuam poſſit conferre beneficia vacantia in quatuor menſibus.* Dices primò, An Epiſcopus, qui acceptauit alternatiuam, & abſens eſt, poſſit conferre beneficia vacantia in quatuor menſibus. Reſpondetur pro parte affirmatiua & negatiua eſſe deciſiones Rotæ, & DD. Mihi vtraque videtur conciliari poſſe, ſi dicamus, poſtquam Epiſcopus acceptauit alternatiuam, & deduxit in vſum, non poſſe amplius redire ad quatuor menſes, ſi non deduxit in vſum, poſſe vti prima facultate quatuor menſium. Rationes pro vtraque parte ſunt eædem cum iis quas pro ſua ipſorum ſententia afferunt Gonzal. *gloſſ.* 43. *à numer.* 106. negans poſſe vti, & Garz. à *numer.* 688. affirmans poſſe.

80. *Quid ſi acceptauit, & ſit abſens initio Februarij, pot iſtne conferre beneficia vacantia in eo.* Dices ſecundò, Quid ſi Epiſcopus acceptauit alternatiuam, & ſit abſens initio Februarij, qui eſt menſis ſuus, deinde redeat eodem menſe, poteſtne conferre beneficia vacantia in eo. Reſpondetur affirmatiuè, nec requiritur menſis integer, vt eo frui poſſit, quicquid contrà ex vna Rotæ, quam rectè declarat Garz. *numer.* 696. conſequenter ſi Epiſcopus acceptet alternatiuam menſe Martij, non poterit eo vti vſque ad menſem Aprilis, & ſic Papæ erunt tres priores; contrà ſi acceptet Aprili, potuit habere Martium vnum ex quatuor ordinibus, & deinde Aprilem ob alternatiuam, ſed id eſt per accidens.

Dices tertiò, An Epiſcopus, quo ordine non reſidet in ſuo Epiſcopatu, ſi contingat in menſe, quo caſu acceſſit animo reuertendi ad priorem locum, beneficium vacare in menſe ſuo ob alternatiuam, gaudeat illa. Reſpondeo Rotam negaſſe pluries, vt conſtat ex adductis à Garz. à *num.* 699. ipſe tamen inclinat in contrariam, in quam ait Rotam etiam propendere: & verò talis Epiſcopus abſolutè non videtur dici poſſe reſidere, ideo aſſumat ſibi potiùs menſes quatuor ordinarios; cùm autem poterit reſidere ordinariè, tunc vtatur alternatiua. 81. *An Epiſcopus ordinariè non reſidens, ſi quando caſu reſidet, vacet beneficium in menſe ſuo, conferre poſſit.*

Dices quartò, Quid ſi Epiſcopus ſit in loco exempto ſuæ diœceſis, an dicatur reſidere ad effectum gaudendo alternatiua. Reſpondeo affirmatiuè, quia locus exemptus dicitur de diœceſi, & in diœceſi, argumento plurium DD. quos affert Gonzal. *gloſſ.* 43. *quæſt.* 7. quicquid contrà Garz. *num.* 704. 82. *An reſidens in loco exempto ſuæ diœceſis cenſeatur gaudere alternatiua.*

Dices quintò, An gaudeat alternatiua etiam reſpectu beneficiorum exiſtentium in alia diœceſi, ſed pertinentium ad eius collationem. Reſpondeo affirmatiuè ex deciſ. Rotæ apud Garz. *num.* 706. Idem dic de collatione beneficij vacantis in Turno Epiſcopi poſt factam concordiam de conferendo alternis vicibus, gaudet enim alternatiua, vt ex deciſionibus Rotæ docet idem à *num.* 708. Idémque valet, ſi diuiſio ſit facta per choros, vel latera, quòd ſcilicet beneficia ſedentium in choro, verbi gratia, à parte dextra pertineát ad Epiſcopum, ſedentium in ſiniſtra ad Capitulum: vel ſi alia ratione ſint diuiſa, eadem enim ſemper ratio eſt, vt pluribus Garz. à *numer.* 710. Idem dicendum, quando collatio alicuius beneficij, vt Pœnitentiarij, eſſet communis Epiſcopo & Capitulo, ſed electio eſſet ſolius Epiſcopi, vt ex deciſ. Rotæ docet Garz. à *num.* 730. 83. *An gaudeat alternatiua etiam reſpectu beneficiorum exiſtentium in alia diœceſi.*

Notandum ſecundò circa illa verba, *Ac etiam voluit, vt ſi ipſe, &c. nullius eſſent roboris*, &c. contineri in iis pœnam eo ipſo incurrendam, quòd Epiſcopus ſe intromittit in prouiſione beneficiorum vacantium in menſibus Papæ, vel aliorum quomodolibet reſeruatorum, vſu enim & beneficio alternatiuæ ſtatim priuatus exiſtit, & prouiſiones deinceps factæ illius prætextu ſunt nullæ; quare conſequenter tantùm competunt tali quatuor menſes ordinarij, vt pluribus Garz. à *num.* 738. niſi denuo recurrat ad Papam narrans amiſſionem alternatiuæ, per contrauentionem, & petens eam iterum ſibi concedi de gratia ſpeciali, &c. poteſt tamen excuſari ab eius amiſſione contrauentio per ignorantiam facti, & etiam iuris ſaltem in foro conſcientiæ, vt idem à *num.* 752. 84. *Quæ ſit pœna Epiſcopi prouidentis in me ſe Papa.*

Dices primò, An Epiſcopus poſt acceptationem alternatiuæ, verbi gratia, factam Romæ per ſuum procuratorem, antequam eius ipſe notitiam habeat, validè conferret beneficium quod vacauit in menſe ſuo alternatiuo. Reſpondeo affirmatiuè, quia gratia alternatiuè non dat facultatem conferendi in menſe alternatiuo, ſed tantùm remouet impedimentum reſeruationis, quo ſublato iure ſuo Epiſcopus confert, vt ex deciſ. Rotæ notat Garzias à *num.* 763. Idem dic de collatione beneficij vacante Sede Apoſtolica; nam ſi Epiſcopus illud conferat etiam neſciens vacationem Sedis, tamen eſt valida collatio, quia 85. *An Epiſcopus poſt acceptationem per Procuratorem validè conferat beneficium in menſe alternatiuo vacans.*

Digitized by Google

quia ſublata eſt reſeruatio per vacationem: & conſequenter iure ſuo illud conferet.

86. *An ſaltem peccet conferendo, ob periculum faciendi contra prohibitionem.*

Dices ſecundò, An ſaltem talis Epiſcopus conferens in menſe alternatiuæ ante notitiam acceptionis, peccet conferendo, quia videlicet ſe exponat periculo faciendi contra prohibitionem. Reſpondeo affirmatiuè; quia reſeruatio certa eſt, acceptatio autem non certa, niſi moraliter eſſet certus tali tempore ex probabilibus coniecturis fuiſſe acceptatam, aut ſaltem conferat ſub conditione, ſi de iure poſſum, &c. eodémque modo probabiliter dubitans de acceptatione alternatiuæ, non debet conferre in menſe ordinario, niſi ſub conditione. Prouiſus autem non debet capere poſſeſſionem beneficij, donec habeatur certitudo de acceptatione, plura legenda apud Garziam *loc. cit.* & Gonzalem.

87. *An regula decima ſit ſuperflua.*

Nonò circa regulam decimam, nona enim haud eſt reſeruata, in ea declaratur reſeruatio Eccleſiarum & beneficiorum per prædeceſſores reſeruatorum: Notandum primò, non eſſe ſuperfluam, quia licèt in Bulla Pauli II. quæ eſt Extrau. *Ad Romani. de præbend.* ſermo ſit de beneficiis familiarium, collectorum & ſubcollectorum, & videatur generalis reſeruatio de aliis; tamen in hac regula clariùs id exprimitur; non eſt autem ſuperfluum, quia explicitè declaratur, quod erat dictum implicitè, vt ex Mandoſ. & Rota docet Garz. §. 13. *num.* 784.

88. *Beneficia quando dicantur affecta per reſeruationem.*

Notandū ſecundò, beneficia tunc dici affecta per reſeruationem, etiamſi nondum vacauerint quādo reſeruatio facta eſt abſolutè & purè, & de beneficiis certis, ſeu cū reſeruatione, ratione alterius beneficij, vel qualitatis perſonæ; ſecus ſi ſit reſeruatio conditionalis, ſeu de beneficiis incertis; vt pluribus explicat Garz. *loc. cit. numer.* 789. *& ſeq.* nec plura dicenda ſunt de reſeruatione, qui erat vltimus modus prouiſionis Papæ de beneficiis vacantibus, atque adeò de 4. quæſt.

89. *Modi adquirendi ius in re. Primus.*

QVINTO QVÆRO, quibus modis acquiratur ius in re in beneficio. RESPONDEO & DICO PRIMO, acquiri per collationem acceptatam etiam ante adeptam poſſeſſionem. *cap. ſi tibi abſenti. de præbend. in* 6. Rebuffus *in praxi ſuper reg. de non tollendo iure quæſito, gloſſ.* 6. *numer.* 38. Molina *de inſtit. tract.* 2. *diſput.* 2. *&* 3. & alij apud Garz. 4. *p. cap.* 2. *num.* 1. Ratio; quia tunc verè beneficium eſt eius, cui collatum eſt, & vacaret per obitum ipſius, etiam ante poſſeſſionem: eodémque modo acquiritur ius in re per inſtitutionem præſentati, confirmationem electi, & admiſſionem poſtulantis, vt ex multis docet idem *num.* 3.

90. *Secundus.*

DICO SECVNDO, habito iure in re, & conſequenter titulo Canonico, poteſt is propria auctoritate vacantem beneficij poſſeſſionem apprehendere. Rebuffus *in praxi tit. de remiſſ. in poſſeſſ. numer.* 5. Mandoſ. *conſil.* 48. *numer.* 1. *&* 2. Rota apud Put. *deciſ.* 402. *lib.* 1. dicens communem, & alij apud Garz. *num.* 6. licèt ſint DD. contrarium ſentientes, opus ſcilicet eſſe auctoritate iudicis, quod verum eſt, quando alius eſſet in poſſeſſione: nec enim liceret illum ſpoliare propria auctoritate, vt Couarr. *lib.* 3. *variar. cap.* 16. *num.* 7.

91. *Tertius.*

DICO TERTIO acquiri ius in re ex ſola ſignatura ſupplicationis regiſtratæ; docent id multi Doctores, quos refert ac ſequitur Garz. *numer.* 11. Dixi, *ex ſola ſignatura*, quia ex ea gratia eſt perfecta. Dixi *regiſtratæ*, quia ante regiſtrationem poteſt lacerari, vt ſæpe fit, & quamuis gratia perfecta ſit in ſignatura, tamen vſque ad regiſtrationem eſt in poteſtate Principis lacerare, & ad libitum diſponere abſque iniuria de ſupplicatione, vt ex Pariſ. & aliis idem *num.* 16. Id autem procedit, quando ſupplicatio eſt ſignata in forma *Gratioſa*, ſecus in forma *Dignum*, ſeu commiſſoria, tunc enim non fit prouiſio, ſed mandatum de prouidendo, ideóque adhuc non eſt acquiſitum ius in re, ſed ad rem tantùm.

Aduertendum tamen Cancellariam non cenſere beneficium vacare, & conſequenter non eſſe translatum ius in re beneficiario, niſi litteris expeditis, ideo pro foro externo illi ſtandum erit, vt Garz. *num.* 18.

92. *An impetrato beneficio per obitum habentis ſolam ſignaturam, ſufficiat oſtendere ſupplicationem prædeceſſoris ſignatam, & illam iuſtificare.*

Dices primò, impetrato beneficio per obitum habentis ſolam ſignaturam, ſufficitne oſtendere ſupplicationem prædeceſſoris ſignatam, & illam iuſtificare, an verò requiritur etiam expeditio literarum. Reſpondeo ſatis eſſe primum modò dicto, quia non agitur de canonizando titulo auctoris, & alioqui ſupplicatio regiſtrata abſque literis eundem effectum operatur, quem ipſæ literæ, vt ex multis ex deciſione Rotæ idem aſſerit Garz. *num.* 21. ſic etiam diſpenſatio eſt perfecta, & habet effectum ex ſola ſignatura: regula autem, quòd non ſuffragetur niſi literis expeditis, non habet locum in foro conſcientiæ, ſed in foro iudiciali, & externo, & illa verba, *non ſuffragetur in iudicio, vel extrà*, intelliguntur de ſuffragatione in foro externo, ſiue in iudicio, ſiue extra iudicium, vt Sanchez *lib.* 8. *de matrimon. diſput.* 29. *numer.* 4. licèt Garz. *numer.* 31. ſubdubitet. Fallit tamen in penſione propter clauſulam à tempore Gregorij XIII. quæ additur in ſupplicatione, nempe vigore literarum deſuper expeditarum, nec aliàs perſoluenda, vt ex Sal. Tib. in practica Aud. C. docet idem *num.* 39.

93. *An ex ſola ſignatura poſſit capi poſſeſſio.*

Dices ſecundò, An ex ſola ſignatura poſſet iure capi poſſeſſio. Reſpondeo olim potuiſſe, & nunc etiam poſſe ex vi iuris communis, & regulis Cancellariæ, vt dictum eſt: at ex Curiæ ſtylo, & Bullis recentioribus Pontificum non poſſe, inter quas præcipua eſt conſtitutio Iulij III. 33. in qua prohibetur apprehendi poſſeſſionem beneficiorum vigore ſupplicationis, literis non expeditis, ſub pœna amiſſionis illorū, &c. ideo hæredes eius, qui deceſſit cū ſola ſupplicatione antè literas expeditas, non poſſunt percipere fructus temporis tranſacti, niſi priùs literas expediant, ſed pertinebunt ad ſucceſſorem; quinimo cùm beneficium vacet ex ſupradictis, non poterunt hæredes expedire literas. Præterea decernit habendos pro intruſis qui abſque literis poſſeſſionem apprehenderent, nec ſuos fructus facere, ſed in conſcientia reſtituere debere, de qua re etiam infrà *cap.* 6. *q.* 1.

94. *Modi adquirendi ius ad rem. Primus.*

SEXTO QVÆRO, quibus modis acquiratur ius ad rem in beneficio. RESPONDEO, acquiri decem modis præcipuè, quos enumerat Hen. de Sale *de reſeru.* 4. *quæſt. effectu* 47. & Garz. *c.* 3. Primò per electionem, ſiue ſit acceptata, vt ex Mandoſ. docet Garz. *n.* 4. ſiue non, ex Felino. Vnde per obitum electi beneficium non vacat, quia non habet ius in re: per poſtulationem autem néc etiam ius ad rem acquiritur, quia dependet à gratia domini. *c. cupientes. §. denique. de elect. in* 6.

Secundus.

Secundò per præſentationem patroni ab ipſo præſentato acceptatam; quando autem plures eſſent præſentati, nulli eſt ius quæſitum, ſed omnes in communi habent ius, vt vnum ex ipſis

Epiſcopus

Digitized by Google

Epiſcopus inſtituat, vt ex multis docet Garz. à *n.* 8. *Tertius.* Tertiò per acceptationem, vt gratiæ expectatiuæ, per eam enim ante collationem acquiritur ius ad rem ad beneficium acceptatum: non eſt tamen hoc ius conditionale, nec comprehenditur in clauſula, dummodò non ſit in eo alicui ſpeciale ius quæſitum: ſecus in electo & præſentato. Ratio diuerſitatis eſt, quia expectanti ſublata prima vacatione, remanet ſaluum ius vacante ſua gratia in alia vacatione, non tamen electo & præſentato, quia in tunc cenſerentur excluſi, vt rectè Garz. à *n.* 15. *Quartus.* Quartò per mandatum de prouidendo de prima præbenda factum creato in Canonicũ, auctoritate Apoſtolica, per quod acquiritur ei ius ad primam præbendam, & hoc ius eſt conſiderabile, & nõ tollitur, niſi de eo fiat particularis mẽtio, vt ex DD. probat idem à *n.* 6. *Quintus.* Quintò per collationem nondum acceptatam. *c. ſi tibi abſenti. de præb. in* 6. quod ius eſt conſiderabile, nec reſeruatio interim facta de illo beneficio impediret acceptationem, cùm iam ſit ei ius quæſitum. *Sextus.* Sextò per reſeruationem factam pro aliquo de certo beneficio; hoc enim ius eſt conſiderabile, & non tollitur, niſi expreſsè illi derogetur, vt à *n.* 43. *Septimus.* Septimò per optionem, ſeu ius optandi, quod etiam eſt conſiderabile, quoad clauſulam, *de non tollendo iure quæſito*, vt *n.* 45. *Octauus.* Octauò ob non ſolutionem penſionis infra terminum appoſitum in literis, acquiritur enim ius penſionario in beneficium oneratum penſione, vt ex DD. & deciſ. Rotæ docet Garz. à *num.* 48. *Nonus.* Nonò per priuationem iuris de beneficio in pœnam: verùm hoc ius non habetur in conſideratione; quia beneficium non vacat antequam beneficiarius illo priuetur, & ſic agenti in euentum priuationis, non competit ius ad illud, vt ex eodem *num.* 53. *Decimus.* Decimò per regreſſum & acceſſum & coadiutoriam cum futura ſucceſſione, quod ius eſt conſiderabile poſt vacationem beneficij, nam antè non eſt, quia etiam conditionale in euentum vacationis, vt idem à *num.* 55. *Vndecimus.* Addi poteſt vndecimò per mandatum de prouidendo de certo beneficio vacante in forma *Dignum*, vel alio modo, quo ante collationem non det titulum, & ius in re, ſed ad rem. *Duodecimus.* Duodecimò per oppoſitionem ſtante conſtitutione, ſeu conſuetudine, ſeu priuilegio, quod det ius opponendi, vt in beneficiis patrimonialibus eſſentialibus, quod ius eſt conſiderabile ſolùm reſpectu ordinariorum & inferiorum Papa, qui non poſſunt illi derogare, vt ex DD. idem à *numer.* 61. *vſque ad finem*, qui fusè de hoc iure, &c.

95. *Deuolutio. Quid ſit, Et cur introducta.* SEPTIMO QVÆRO de Deuolutione, quo modo etiam beneficia acquiri ſolent. Pro reſponſione ſuppono, Deuolutionem eſſe cùm ius conferendi vel inſtituendi in beneficio transfertur in alium, ex eo quòd intra tempus iure præſcriptum non eſt à proprio collatum. Introduxit autem Eccleſia hoc ius deuolutum, ne beneficia diutius, quàm par eſſet, vacarent, & ne Eccleſiæ ob diutinam vacationem damna & incommoda paterentur. *cap. quàm ſit. de elect. in* 6. de quo multa Azor *lib.* 6. *cap.* 26. & alij cum Garzia *p.* 10. *cap.* 3.

96. *Quando deuolutioni locus ſit.* RESPONDEO ergo & DICO PRIMO, quando ij ad quos ſpectant, non prouident de beneficiis infra tempus iure præfixum, fit deuolutio ad ſuperiorem gradatim. *cap. licet. de ſupp. neglig. præl. & cap.* 2. *de conceſſ. præb.* ibi DD. Idemque eſt, ſi prouideant indignis, ſeu inhabilibus. *cap. cùm in cunctis. §. fin. de elect. cap. ſi compromiſſarius. eod. in* 6. quod habet locum etiam in patronis laicis, ſi non præſentent ei quam habent iuſtam cauſam credendi habere ius inſtituendi, vt ex multis docet Garz. *num.* 6. Dixi fieri deuolutionem ad ſuperiorem gradatim, vt à patrono laico vel Eccleſia inferiore ad Epiſcopum, deinde ad Archiepiſcopum, tum ad Primatem, vel Patriarcham, ab hoc denique ad Papam. *Deuolutionis gradus.*

DICO SECVNDO, Tempus iure præſcriptum hoc eſt, vt patronus laicus habeat quatuor menſes ad præſentandum, Eccleſiaſticus ſex; ſi infra illos non præſentauit, deuoluitur ad Epiſcopum, qui etiam habet ſex menſes à die notitiæ, & ſic deinceps cæteri vſque ad Papam. Azor *quæſt.* 12. ex Lambert. & Paul. Garz. ex multis à *num.* 9. In Gallia tamen, vbi Rex eſt patronus beneficiorum, habet vltra ſex communes alios tres, infra quos ſi non nominauerit, deuoluitur ad Papam: ſic in concordatis inter Leon. X. & Regem, &c. 97. *Tempus quod.*

In quo notandum primò, elapſo tempore non poſſe Ordinarium conferre purgando moram, quia ipſo iure patronatus ad alium deuoluitur, gloſſ. *cap.* 2. *de conceſſ. præb.* & alij cum Azor. *quæſt.* 16. 98. *An elapſo tempore poſſit cõferre ordinarius.*

Notandum ſecundò, ſi conferat ante ius deuolutum, non valere collationem, quia quod voluit implere, nequiuit ex defectu iuriſdictionis; quòd ſi ignoraſſet poſſe ſe alioqui illud proprio iure conferre, ſunt qui dicant etiam non valere, quia quod noluit potuit. Aliis placet validam eſſe collationem, quia ſi non facit quod voluit, facit certè quod potuit. 99. *Quid ſi ante ius deuolutũ conferat.*

Notandum tertiò, ſi conceſſio beneficij non eſt effectum ſortita, vel quia is cui collatum eſt, conſenſum non præſtitit, aut quia poſt conſenſum ſe ſuo iure abdicauit, aut quia mortuus eſt, aut quia electio facta eſt irrita ob aliquod vitium occultum, tunc non deuoluitur, ſed redit ad eundem infra tantundem temporis, vt prima vice, & ſic ſecunda, tertia, & aliis vicibus, ſi ob eadem impedimenta effectum non ſortiretur, dummodo nil fiat fraudulenter, vt colligitur ex *cap. ſi electio. de elect. in* 6. gloſſ. *v. aliàs.* Azor *quæſt.* 7. 100. *Quid ſi cõceſſio beneficij nõ eſt ſortita effectum.*

Notandum quartò, eum qui iure deuoluto habet poteſtatem conferẽdi beneficium, habere tantundẽ temporis, quãtum is qui iure proprio; Epiſcopum tamen, ad quem deuoluta ſit poteſtas præſentandi ob negligentiam patroni laici, probabile eſt etiam habere ſex menſes, quamuis patronus laicus quatuor tantùm habeat. ita ex multis Azor *q.* 11. 101. *De eo qui iure deuoluto habet poteſtatem conferendi beneficia; & de Epiſcopo ad quem deuoluta eſt poteſtas præſentãdi ob negligẽtiam patroni laici.*

DICO TERTIO, quando beneficium exiſtens in diœceſi ſuffraganei, impetratur vt deuolutum ad ſedem Apoſtolicam, iudex arbitrabitur, an Archiepiſcopus præſumatur ſcire ex qualitate beneficij, & modo vacationis, de quantitate temporis, diſtantia locorum, & fama. Sic ex multis docet Garz. *num.* 24. & addit eſſe regulam, quòd præſumatur ignorantia, vbi ſcientia non probetur. Vide plura apud ipſum. 102. *Quid quando beneficium exiſtens in diœceſi ſuffraganei impetratur vt deuolutũ ad ſedẽ Apoſtolicam.*

DICO QVARTO, ab Epiſcopo ad Capitulum, & ab hoc ad Epiſcopum fieri poteſt deuolutio ob magnam communionem, quæ eſt inter eos. *cap.* 2. *de conceſſ. præb.* Sed hoc verum eſt, quoad beneficia ſpectantia ad collationem Epiſcopi proprio iure; ſecus autem ſi iure deuoluto, vel ſpeciali, vt ex multis docet Garz. *n.* 34. ſic etiam cùm ius conferendum pertinet ad Capitulum & Epiſco- 103. *Deuolutio fieri poteſt ab Epiſcopo ad Capitulum, & ab hoc ad Epiſcopum.*

Digitized by Google

Epiſcopum, & prouiſio ex concordia diuiſa eſt per Turnos: ſi Capitulum vel Epiſcopus omittat conferre in ſuo Turno, non deuoluitur ad Epiſcopum, vel Capitulum, ſed ad Archiepiſcopum, quia diuiſio non tollit ius deuolutionis, quæ eſt ad proximum ſuperiorem, vt pluribus Garz. à *n.* 35. Denique deuolutio fit cum onere & qualitatibus requiſitis in prima prouiſione. Sel. & alij apud eundem *num.* 42.

104. *Tranſlatio, mutatio, erectio, & ſuppreſſio.* OCTAVO QVÆRO de tranſlatione, mutatione, erectione & ſuppreſſione, quid iuris, & quomodo per ea beneficium acquiratur.

Mutatio quid. RESPONDEO & DICO PRIMO, nomine mutationis Eccleſiarum intelligi, quando vna Eccleſia mutatur in aliam, vt cùm de Regulari fit ſæcularis, vel è contra. Item cùm collegium tranſit in Cathedrale, ſimplex in parochiam, & è contra, parochialis in collegiatam, conuentualis vnius Religionis in conuentualem alterius, &c.

105. *Ius mutandi aliquam Eccleſiam in Cathedralem ad quem pertineat.* Et circa eam notandum primò, ius mutandi aliquam Eccleſiam in Cathedralem eſſe penes ſolum Papam, quia talis non eſt, niſi in ea creetur Epiſcopus: Epiſcopi autem à ſolo Papa creari poſſunt. Eodémque modo ius mutandi Cathedralem in non Cathedralem eſt ſolius Papæ, quia ſolius Papæ eſt Epiſcopatum ſupprimere. Idem dic de mutatione in Collegiatam, propter dignitates, quæ in ea inſtituuntur, quæ pertinent ad Papam; & de mutatione in regularem, quia regulares non ſunt exceptæ, & è contra; & de conuentuali vnius Religionis in conuentualem alterius,

106. *De Eccleſiis inferioribus quid.* Notandum ſecundò Eccleſias inferiores poſſe mutari ab Epiſcopo ſuo iure, quia habet ius omnes ſuæ diœceſis adminiſtrandi & regendi. Quare ſimplicem in parochialem, & è contra, poteſt mutare, interueniente conſenſu vtriuſque Rectoris, ne damnum patiatur: quod ſi ſequatur, recompenſandum eſt arbitrio Epiſcopi.

107. *Ius mutandi quare introductum.* Notandum tertiò, id olim factum eſſe, & modò etiam poteſt fieri, ob euidentem Eccleſiarum neceſſitatem, vel magnam vtilitatem: vt ſi parochus ob aſſidua bella Eccleſiam deſeruerit, vel ob peſtem frequenter ſæuientem, vel ob aëris contagionem, & ſimiles. *cap. Eccleſias 7. quaſt. 1. cap. mutantes, cap. Epiſcopus 7. quaſt.* 1. Azor *cap. 30. lib. 6.*

108. *Tranſlatio quid.* DICO SECVNDO nomine tranſlationis Eccleſiarum intelligi, cùm beneficiarij ex vna Eccleſia ad alium tranſeunt.

109. *Ad quem ſpectat ius transferendi Metropolitanas, Cathedrales, Collegiatas, exemptas, &c.* Circa quam notandum primò, Metropolitanas, Cathedrales, Collegiatas, & exemptas ſolùm Papa transferre poteſt, eodémque modo Epiſcopi, & alij ſuperiores non niſi Papæ auctoritate transferuntur. Idem de dignitatibus inferioribus exemptis. Prælati autem inferiores non exempti, & beneficiarij in vniuerſum Epiſcopi auctoritate transferre poſſunt.

110. *An ad alias Eccleſias tranſire poſſint Epiſcopi.* Notandum ſecundò, iure communi cautum eſſe, ne Epiſcopi ad alias Eccleſias tranſeant, niſi ex iuſta cauſa, qualis eſſet vexatio continua bellorum, intemperies aëris, malitia populi ſuum paſtorem odio perſequentis, & malè tractantis, vt patet ex *cap. tribus. de conſ. d.* 1. *cap. quorumdam d.* 74. *cap. ita vos.* 25. *quaſt.* 2. & præcipuè debet adeſſe legitima auctoritas; & quidem iure appellant pernicioſas eiuſmodi tranſlationes, quia datur clericis occaſio auaritiæ & ambitionis, & ipſi Epiſcopi tanquam mercenarij paſtores præſumuntur Eccleſias ſibi commiſſas gubernare.

111. *Erectio quid.* DICO TERTIO, nomine erectionis Eccleſiarum intelligi cùm augetur numerus beneficiariorum in aliqua Eccleſia, vel noua dignitas in Eccleſia Cathedrali vel collegiata creatur.

112. *Ad quem ſpectet facultas erigendi Eccleſias Metropolitanas, Cathedrales, & collegiatas.* Circa quam notandum primò, facultatem erigendi Eccleſias Metropolitanas, Cathedrales & collegiatas eſſe penes ſolum Papam. *cap. 1. ne ſede vac.* cæteras autem apud Epiſcopum, vt parochiales, & ſimplices. *De conuentualibus quid.* De conuentualibus, dic olim conſueuiſſe ab Epiſcopis erigi, hodie quia vtplurimum ſunt exemptæ, eriguntur auctoritate Papæ.

113. *Epiſcopi an augere poſſint numerum Canonicorum.* Notandum ſecundò, Epiſcopum poſſe augere numerum Canonicorum, ſi Canonici non iurauerunt certum illum numerum, nec Papa confirmauit. *cap. cùm acceſſiſſent. de conſtit. & cap. dilecto. de præb.* Quòd ſi iuraſſent Canonici, ſe non facturum contra ſtatutum præſcribens certum numerum, tunc ſiquidem augeant periuri eſſent, etſi validum eſſet quod agunt; ſi verò priùs deroget ſtatuto, vt poſſunt, tunc augere poterunt abſque periurio: idque locum habet etiamſi ſtatutum Papæ auctoritate confirmatum eſſet, quia non propter hoc legem nouam condidit Papa, ſed tantùm approbauit factam à Canonicis; niſi clauſulam adderet, quòd ſi aliter fiat irritum ſit & inane, &c. Azor *q.* 10.

114. *An creare nouas dignitates, quæ non ſint ex numero iam inſtitutarum.* Notandum tertiò, Canonicos vel Epiſcopum non poſſe creare nouas dignitates, quæ ſcilicet non ſint ex numero earum, quæ iam inſtitutæ ſunt; poſſe tamen, ſi contineantur in numero inſtitutarum: vt ſi ſit vnus tantùm Archidiaconus, vel Archipresbyter, poſſunt creare ſecundum Archidiaconum, vel Archipresbyterum, cum conſenſu tamen eorum, quibus intereſt. Ob ſolum autem cultum dicitur poſſe Epiſcopum nouam dignitatem creare in Cathedrali, vel collegiata, eſt probabile ex Azor. *loc. citat.* qui citat Antoninum & Abbatem.

115. *Poſſunt minuere numerum Canonicorum ex cauſa.* Notandum quartò, Epiſcopum poſſe numerum Canonicorum minuere ex iuſta cauſa, vt ſi reditus facti eſſent valde tenues; ſicut augere, ſi reditus vberiores facti eſſent. Azor *quaſt.* 11.

116. *Suppreſſio quid.* DICO QVARTO, nomine ſuppreſſionis Eccleſiarum intelligi, cùm extinguitur aliquod beneficium, vt dignitas, vel præbenda, &c. vel numerus illarum minuitur.

117. *Non poteſt fieri ſine cauſa.* Circa quam notandum primò, ſine cauſa non poſſe fieri. *cap. ex parte. de conſtit.* cum cauſa, vt propter diminutionem redituum, vt dixi, poteſt ab Epiſcopo cum conſenſu Capituli, vt Azor *loc. cit. quaſt.* 11. & 12. Garz. *p.* 12. *cap.* 1. *num.* 2.

118. *An & quando poſſit diminui.* Notandum ſecundò, ſi numerus beneficiorum ſit à Papa vel eius auctoritate confirmatus, non poteſt diminui, niſi cauſa diminuendi, vt diminutio redituum, ex poſtfacto ſuperueniſſet: vt enim auctis facultatibus fieri poteſt augmentum; ita diminutis, diminutio. facit ad hoc *cap. cum M. Ferrarienſis. de conſtit.*

119. *Quando extinguantur beneficia.* Notandum tertiò, extingui etiam beneficia cùm Papæ auctoritate, vel Epiſcopi, vel alio modo Eccleſiæ deſtruuntur vna cum reditibus. Vide Gonzal. *ſup. reg.* 8. *gloſſ.* 5. §. 7. *à num.* 147. Azor. *cap.* 30. *q.* 13. 14. & 15.

120. *Vnio.* NONO QVÆRO de vnione, quid iuris, & quomodo per eam beneficium acquiratur.

RESPON

Digitized by Google

Quid ſit. RESPONDEO & DICO PRIMO, vnionem eſſe genus quoddam acquirendi beneficia; cùm ſcilicet beneficio, quod quis habet, aliud adiungitur & coniungitur, tunc enim etſi canones prohibeant pluralitatem beneficiorũ, cùm tamen vniuerſalitati vnitur, conceditur vt vtrumque poſſideri queat: quare vnio nil aliud erit, quàm coniunctio duorum beneficiorum in perpetuum, vel ad tempus, ob Eccleſiarum neceſſitatem, vel vtilitatem. *cap. ſicut vnire. de exceſſ. prælat.*

121. *Quibus modis fieri poſſit.* Circa quam notandum primò, poſſe fieri tribus modis, ex gloſſ. *cap. & temporis. 16. quæſt. 1. & cap. 2. ne ſede vacante.* Primus cùm ita iunguntur, vt non coaleſcant in vnum corpus, ſed vna ſit ſuperior, alia inferior, & in hoc ſolet Vicarius conſtitui. *cap. extirpanda. §. qui verò. de præb.* Secundus cùm duæ Eccleſiæ coaleſcunt in vnum corpus, ita vt fiat vnum beneficium. *cap. decimas. 16. quæſt. 1.* Tertius cùm neutra alteri ſubiicitur, ſed ambæ retinent ſuum gradum, & idem miniſter vtrique præficitur. *cap. 1. ne ſed. vac.* plura Azor *cap. 28. quæſt. 2.*

122. *Quas ob cauſas fiat.* Notandum ſecundò, cauſas, propter quas fit hæc vnio, duas eſſe. Prima, neceſſitas euidens, vel vtilitas maxima: vel quia tenues ſunt reditus, vel quia altera deuaſtata bello, peſte, inundatione, incendio. Omnes autem Eccleſiæ vniri poſſunt, vt Cathedrales, Collegiatæ, Conuentuales, Parochiales, Regulares, ſiue ſint beneficia, quæ vocantur Dignitates, ſiue beneficia ſimplicia, &c.

123. *Ad quem ſpectet vnio.* DICO SECVNDO, & vnionem beneficiorum primò ſpectare ad Papam, idque reſpectu omnium: & vnio quidem Cathedralium ad illum ſolum. Item primæ dignitatis poſt Pontificem, in Cathedrali, & Collegiata. Item eorum, quæ vocantur Conſiſtorialia, vel quæ ſunt reſeruata, vel affecta illi. Secundò ad Epiſcopum omnes Eccleſiæ in ſua diœceſi exiſtentes præter dictas. Archiepiſcopus item tantùm eas, quæ ſunt ſuæ diœceſis, non ſuffraganeorum. Tertiò etiam Legatus in ſua prouincia, reſpectu eárum, quas poſſet Epiſcopus, vt eſt probabilis ſententia DD. ex Azor. *quæſt. 8.* Quartò ſede vacante Collegium Canonicorum poteſt eas, quas poſſet Epiſcopus, vt ex multis docet idem *quæſt. 9.* Quintò Vicarius generalis Epiſcopi, etiamſi ſpeciale mandatum habeat ius conferendi beneficia; non tamen vnire poteſt, vt ex probabiliore ſententia Rebuffus idem docet *quæſt. 10.* Idem dicendum de Abbatibus & aliis Epiſcopis inferioribus, nec enim poſſunt beneficia vnire hoc ipſo, quòd habeant poteſtatem conferendi beneficia. Aliunde tamen, vt conſuetudine, præſcriptione, vel priuilegio, habere poſſunt. Sextò, quorum conſenſus requiratur in vnionibus faciendis ab Epiſcopo, vide *quæſt. 12.* ſicut etiam de forma requiſita *in quæſt. 13.*

124. *Vniones aliquæ irritæ, aliæ prohibitæ. Irritæ quæ.* DICO TERTIO, vniones aliquas eſſe iure irritas, alias prohibitas. Primò enim irritæ ſunt ipſo iure illæ, quæ fiunt non vocatis iis, quorum intereſt, *Clem. ſi vna. de reb. Eccl. non alien.* Item eæ, quas Ordinarij inferiores Papa faciunt cauſis non expreſſis. *regul. 21. Cancellar.* quæ autem facta eſſet ex falſa cauſa, non eſt ipſo iure irrita, ſed irritanda, ex Rebuffo *in praxi tit. de vnione p. 1. gloſſ. 11. num. 3.* *Quæ prohibitæ.* Secundò prohibitæ ſunt Ordinariis inferioribus Papa eæ vniones, quibus Eccleſiæ coniunguntur ad vitam beneficiarij, id enim eſt ac ſi plura beneficia incompatibilia vni concedantur, vt ex Gemin. & Caſſad. docet Azor *quæſt. 17.* Item prohibita eſt vnio beneficiorum exiſtentium in diuerſis, diœceſibus. Trident. *ſeſſ. 14. cap. 9. de reform.* Item ne annectantur monaſteriis, Collegiis, vel locis gratia pietatis extructis, in altera diœceſi ſitis. *ibid.* Item ne parochiales coniungantur monaſterijs quibuſcunque, vel Abbatijs, vel dignitatibus, Eccleſiæ Cathedrali, vel Collegiatæ, &c. vt *ſeſſ. 23. cap. 13. de reform.* Item ne Epiſcopus annectat beneficia ſuæ vel Canonicorum menſæ. *Clem. 1. de reb. Eccleſ. non alienand.* Poteſt autem parochialem cum aliis parochialibus; item præbendam aliquam cum dignitate vel Canonicatu Cathedrali conſenſu Capituli accedente coniungere. Item ad erigendam capellam poteſt præbendam Cathedrali vel collegiatæ dare, modò accedat collegij conſenſus. Item poſſet vnius præbendæ reditus conuertere in vſum fabricæ, etiam conſenſu Canonicorum, vide Azor. *quæſt. 17.* Tertiò, *An duæ Regulares coniungi poſſint.* duæ regulares nunc ab Epiſcopo coniungi non poſſunt, quia ſolent eſſe exemptæ; olim poterant, quia non erant exemptæ: duæ tamen Regulares diuerſi ordinis nec etiam olim poterant *De Eccleſia ſæculari quid.* coniungi. Quartò, Eccleſiam ſæcularem poteſt Epiſcopus monaſterio vnire, vel alteri loco cauſa pietatis extructo. *cap. conſultationibus. cap. paſtoralis. de donat.*

DICO QVARTO, Diſſolutiones Eccle- 125. ſiarum eodem modo fieri poſſe, iiſdémque de *Diſſolutiones Eccleſiarum quo modo fieri poſſint.* cauſis, quibus dixi fieri poſſe vniones. Si enim, v. g. vnio facta eſt duarum Eccleſiarum, quia tenues eſſent fructus, illis excreſcentibus fieri poterit diſſolutio. *cap. cit. de conſtit.* Si deficiente populo Eccleſia eſt alteri coniuncta, eo redeunte poterit diſſolui coniunctio. *cap. quia. de religioſ. dom.* Poteſt autem diſſoluere Eccleſiam coniun- *Et à quo.* ctam idem, qui poteſt vnire, nimirum Papa, Epiſcopus etiam iure ſuo, & Legatus à latere. Ij autem ſunt vocandi cùm beneficium diſiungitur, quorum intereſt eam coniunctionem non reſcindi. *cap. vlt. de elect. in 6.* de quibus plura vide apud Azor. *cap. 29. q. 4. 5. & 6.* & Garz. *p. 12. cap. 2* vbi octo proponit de vnione. Primò quid ſit. Secundò, quotuplex. Tertiò, quid operetur. Quartò, quis poſſit eam facere. Quintò, quæ forma & ſolennitas requiratur. Sextò, quomodo probetur. Septimò, quando dicatur ſortita effectum. Octauò, de eius reuocatione; & nos etiam hunc ordinem ſecuti eſſemus, ſi denuo hæc materia tractanda eſſet.

DECIMO QVÆRO de commenda- 126. tione, quid iuris. *Commendatio*

RESPONDEO & DICO PRIMO, *Quid ſit.* commendationem Eccleſiæ eſſe, quando committitur alicui, vt eam adminiſtret & regat. quæ res eſt antiqua, vt patet ex *cap. obitum. d. 61. cap. relatio. cap. illud 21. quæſt. 1.* & alibi. Sed erat *Olim ad tempus nunc verò perpetua.* commendatio ad tempus; nunc verò etiam in perpetuum commendatur Eccleſia, quæ res noua eſt, & præter curationes vſu in Eccleſia introducta.

Circa quam notandum primò, duobus mo- 127. dis fieri. Primò ad tempus, quia ſcilicet viduata *Quibus modis fiat.* Eccleſia ſuo Rectore, committitur alterius curæ, donec de idoneo patrono prouideatur; ac proinde is, cui Eccleſia commendatur, eſt veluti depoſitarius, vel tutor aut cuſtos illius. Secundò in perpetuum, cùm committitur alicui regenda in vita ipſius.

Et primo quidem modo commendatur in

bonum Eccleſiæ, ſecundo in bonum Commendatarij.

128. *Parochialis quouſque commendari poſſit.* Notandum ſecundò, parochialem poſſe commendari tantùm ad menſes ſex. *cap. nemo. de elect.* Ob abſentiam Rectoris, vel amotionem etiam vltra ſemeſtre commendari poteſt. Debet autem is, cui commendatur, eſſe ſacerdos, vt poſſit interim obire munus ſacerdotis; nec poteſt Epiſcopus niſi vnam Eccleſiam commendare.

129. *Cauſa commendandi varia.* Notandum tertiò, cauſas ob quas commendantur Eccleſiæ, fuiſſe varias. Primò enim ob diſſidiam electionum cœperunt commendari, donec idoneus Rector prouideretur. Secundò ob lapſum in deterius monachorum, deſtitutis cœnobiis numero monachorum, ita vt vix reperirentur, qui præeſſe poſſent, ideo Romani Pontifices cœperunt commendare eiuſmodi Eccleſias clericis, de quo fuſiùs Azor *cap. 31. quæſt. 20.*

130. *Epiſcopus commendare poteſt ad tempus, vt etiam is qui habet poteſtatem conferendi iure communi.* Dico secundo, Epiſcopum poſſe commendare ad tempus, & eum, qui habet iure communi poteſtatem conferendi beneficia, non autem, qui iure ſpeciali, vt præſcriptione, vel priuilegio. Azor *quæſt.* 11. Non poteſt autem Epiſcopus conferre Eccleſiam, quam Papa commendauit, etiamſi ad tempus, quia remanet affecta Papæ, vt idem *quæſt.* 7. Porrò ipſa Eccleſia commendata non poteſt tanquam vacans impetrari, niſi facta mentione commendationis, etiamſi tantùm ad tempus fuerit commendata, quia Papa iuri alicuius derogare non creditur. *cap. ſuper eo. de off. iud. del.* & etiam quia Eccleſia commendata non omnino vacare dicitur, cùm eius poſſeſſionem & adminiſtrationem Commendatarius habeat, vt idem *q.* 6.

131. *Quid iuris habeat commendatarius in Eccleſiam commendatam.* Dices primò, quid iuris habeat commendatarius in Eccleſiam commendatam. Reſpondeo an eam habeat in titulum, necnon, eſſe dubium, Gallis DD. affirmantibus, negantibus Italis, de quo Azor *quæſt.* 5. An poſſit reſignare diſtinguendum eſt; ſi enim habeat ad tempus ob bonum ipſius, cedere ei poteſt coram Ordinario, ſed ſimpliciter, non fauore alterius: ſi perpetuò, tantùm coram Papa, coram quo etiam poteſt ad fauorem tertij, non autem coram Ordinario, vt *quæſt.* 8. An verò habeat ius nominandi, eligendi, conferendi vel inſtituendi, dicendum eſt habere, quia hæc computantur in fructibus beneficij, vt idem *quæſt.* 9. An denique eam, quam habet in titulum, poſſit etiam habere commendatam, dic poſſe auctoritate Papæ, non Ordinarij; quam verò haberet commendatam, non poſſet habere in titulum, niſi priùs dimittat, & poſtea de nouo conferat, vt idem *quæſt.* 10.

132. *Quæ commendentur beneficia.* Dices ſecundò, quænam beneficia commendentur. Reſpondeo Epiſcopum poſſe commendare Eccleſiam parochialem ad ſex menſes, alia itidem, quibus ineſt cura animarum; ſimplicia non ſolent commendari. Papa autem præterea commendat Abbatias, prioratus, præpoſituras; denique beneficia Regularia, quia exempta ſunt. Regularia autem beneficia Ordinis S. Spiritus in Saxia, S. Ioannis Hieroſolymitani, S. Antonij Viennenſis, & S. Mariæ Theutonicorum, non commendantur, ſed conferuntur. Non obſtat votum paupertatis, quia ſunt beneficia manualia, & ad nutum Superiorum amouibilia, vt Azor *q.* 15. *&* 17. De Reſcriptis autem ad commendam vide eundem *q.* 18. *&* 19. Hæc ſatis de prima parte huius capitis.

CAPVT IV.

De ſecunda parte capitis præcedentis, nempe, de forma ſeruanda in prouiſione beneficiorum.

QVOAD ſecundam partem capitis, PRIMO QVÆRO, de forma in communi ſeruanda in prouiſione beneficiorum. 133. *Quæ forma ſeruanda in prouiſione beneficiorum.*

Respondeo & dico primo, ſeruandam eſſe formam, quam ius, ſtatutum, conſuetudo, vel fundatio præſcripſerit. Ratio, quia forma non ſeruata, actus corruit, vt ex Felin. & aliis docet Garz. *part. 9. cap. 1. num. 1.* quod etiam verum eſt in foro conſcientiæ, in quo beneficium abſque forma neceſſaria nec acceptari, nec retineri poteſt, vt docet Couar. *reg. peccatum 2. p. §. 3. numer. 9.* Molin. *de iuſt. tract. 2. diſput.* 81. quicquid contrà Pariſ. *de confid. quæſt.* 14. *à num.* 34. aſſerens, ſecluſo dolo, validam eſſe prouiſionem in foro conſcientiæ, etiam non ſeruata forma, vt ſi non emittatur profeſſio fidei, iuxta conſtitutionem Gregorij XIII. non ſit approbatus ab examinatoribus ſynodalibus, iuxta Trident. & ſimilia, contra quem Garz. *loco cit. num.* 3. *&* 4.

Non obſtat, quòd etiam non ſeruata ſolemnitate actus nullus de iure poſitiuo, validus ſit in foro conſcientiæ, vt multi DD. aſſerunt, teſte Garz. *numer.* 5. nam quando ius etiam poſitiuum annullat actum, & irritum reddit, etiam in conſcientia eſt irritus, vt communis ſententia hodie recepta tenet ex eodem *num.* 13. de qua re alibi dicetur in materia de contractibus.

Dico secvndo, etiamſi in aliis actibus & contractibus forma non ſeruata actum non irritaret, tamen in hac materia de prouiſionibus beneficiorum forma præſcripta a iure Canonico ſeruanda eſt, alioqui actus eſt nullus, ſi ſermo ſit de forma intrinſeca, vt ex Salone & Bannes docet idem *num.* 15. *Seruanda forma à iure Canonico præſcripta.*

SECVNDO QVÆRO de forma ſeruanda in prouiſione parochialium. 134. *Forma ſeruanda in prouiſione Parochialium.*

Respondeo & dico primo ſeruandam eſſe formam traditam à Trident. *ſeſſ.* 24. *cap.* 18. de qua fuſè Garz. 9. *part. cap.* 2. Ea autem in his poſita eſt. Primò vt ea vacante, Epiſcopus habita notitia, ſtatim idoneum Vicarium conſtituat, ſi opus ſit, cum congrua portione ex fructibus. Secundò, vt præuio concurſu & examine coràm examinatoribus in Synodo deputatis, & approbatis, illum eligant Epiſcopum, quem iudicauerint digniorem. Tertiò prouiſiones præter formam dictam irritæ ſunt, & ſubreptitiæ; idem Pius V. *in Bulla* 31. *In conferendo,* &c.

Dico secvndo, ſi parœcia vacet per obitum, vel delictum, & ius patronatus ſit Eccleſiaſticum, Epiſcopus & patronus intra certum tempus ab Epiſcopo præſcribendum, debet aliquot clericos idoneos nominare. Poteſt etiam Epiſcopus per edictum conuocare quotquot ſe voluerint offerre, qui ſunt deſcribendi: deinde examinare, & facere vt in præcedentibus. Et ſiquidem ſit ius patronatus Eccleſiaſticum, vt dictum eſt, patronus ex renunciatis ab examinatoribus eligere debet digniorem, & præſentare: Epiſcopus autem eum inſtituet, ſi ad eum pertinet; 135. *Quid ſi parœcia vacet per obitum, vel delictum, & ius patronatus ſit Eccleſiaſticum.*

Digitized by Google

net; ſi ad alium, tunc ipſe eliget digniorem, & hunc præſentabit patronus ei, ad quem pertinet inſtitutio. Si verò laicum examen non fit per concurſum, ſed præſentatus ab eo, debet examinari à deputatis examinatoribus, & ſi fuerit idoneus repertus, admitti.

Quid ſi vacet per reſignationem.

136. Dico tertio, ſi parœcia vacet per reſignationem factam in manibus Papæ, in fauorem certæ perſonæ, & Papa admittat, non eſt faciendus concurſus, ſed ſatis eſt examinari à deputatis examinatoribus cum Epiſcopo, & iudicari dignum. ſic reſpondit Congregatio Cardinalium. ex Leſſio *cap. 34. dub. 11.* quam ponit Garz. *c. 2. n.* 159. tunc enim Papa cenſetur diſpenſare in decreto Concilij; ſi verò ſit inferior Papa admittens reſignationem liberam, debet fieri examen per concurſum, vt ſuprà; quia inferior non poteſt diſpenſare in Concilio.

Quid ſi per permutationem.

137. Dico qvarto, ſi parœcia vacet per permutationem, ſiquidem permutatio fiat cum alia Parochiali eiuſdem conditionis, non requiritur examen, ex declaratione Congregationis, quam ponit Pariſ. *lib. 8. quaſt. 9. num.* 95. prius enim ſatis eſt; ſi verò ſit permutatio cum ſimplici, vel cum alia Parochiali, vbi maior induſtria requiritur, debet fieri examen per concurſum, vt ex eodem Concilio colligi poteſt, & docet Leſſ. *loc. cit. numer.* 85. quamuis Garz. *num.* 161. neque in his faciendum eſſe affirmet, ex Pariſ. & aliis.

138. Superſunt nonnullæ dubitationes, de quibus Garz. *loc. cit.* nos autem omnes reducimus ad ſeptem: quis debeat facere concurſum; in quibus beneficiis parochialibus habeat locum; qui admittendi ad examen; quid agendum ſi nullus compareat; detúrne appellatio; de examinatoribus, & de ipſo examine.

Quis debeat concurſum facere. Sede vacante poſſe Capitulum vel eius Vicarium.

Ad Primum, quis debeat facere concurſum; dico *Primò*, ſede vacante poteſt Capitulum vel eius Vicarius, quia ſuccedit in his, quæ ſunt iuriſdictionis ordinariæ, exceptis caſibus iure expreſſis: hæc autem iuriſdictio data Epiſcopis à Concilio eſt ordinaria. Molin. *tract. 5. de iuſt. diſp.* 11. *n.* 11. & Garz. *n.* 7. ex declaratione Congregationis, vnde multa inferuntur, quæ apud ipſum videri poterunt.

Item Vicarium Epiſcopi generalem.

139. Dico *Secundò*, Vicarium Epiſcopi generalem abſque ſpeciali mandato poſſe facere cócurſum, quia id eſt iuriſdictionis ordinariæ. Et quamuis Concilium dicat, *Ab Epiſcopo, ſiue, eo impedito, ab eius Vicario*; tamen id non tollit, quin coram Vicario poſſit fieri examen, etiam Epiſcopo non impedito, ſed tamen ſignificauit conuenire quòd ab ipſo Epiſcopo, ceſſante impedimento, fiat examen, admonens ita conuenire: collatio autem ipſa magis idoneo non poteſt fieri à Vicario abſque ſpeciali mandato, vt dixi ſuprà.

Non autem inferiores Epiſcopo.

140. Dico *Tertiò*, ab inferioribus Epiſcopo non poteſt fieri concurſus, cùm *loc. cit.* Concilium id committat ſolis Epiſcopis, vel Vicariis, vt ex DD. & declarationibus Congregationis docet Garz. à *n.* 121. niſi inferior Epiſcopo ſit nullius diœceſis, habens omnimodam iuriſdictionem Epiſcopalẽ, vel exemptus eodẽ modo, vt pluribus idẽ à *n.* 129.

Debere Epiſcopum ad parochiales vacantes in menſibus reſeruatis.

141. Dico *Quartò* eundem concurſum debere facere Epiſcopum ad parochiales vacantes in menſibus reſeruatis, vel alias reſeruatas, ſeu affectas, vt ex ipſo Concilio colligitur iis verbis, *etiamſi ipſa parochialis Eccleſia reſeruata vel affecta fuerit generaliter, vel ſpecialiter.*

In quibus parochialibus locum habeat.

142. Ad Secundum, in quibus parochialibus habeat locum; dico *primò* habere locum etiam in litigioſis vacantibus, vt ex Congregatione Cardinalium apud Garz. *num.* 170. habetur, non debet fieri interim collatio ab Epiſcopo, ſed vel expectandus eſt finis litis, vel recurrendum ad Papam, vt *num.* 172.

Habere in litigioſis vacantibus.

Item in iis, quorum cura exercetur per plures.

Dico *ſecundò* habere locum etiam in iis, quorum cura per plures exercetur, ex iis verbis, *etiam ſi cura Eccleſia, &c. per vnum vel plures adminiſtretur.* & ita declaratum eſt à Congregatione ex Garz. *n.* 177. quamuis ex eadem poſtea deciſum ſit contrarium, vt ex Pariſ. *ibidem* dicitur. Quare dictum decretum non videtur receptum ſeu intellectum quoad beneficia, quorum cura per plures adminiſtratur, maximè in Cathedrali, vel collegiata; poterit tamen Epiſcopus Canonicos ſeu alios deputatos ad curam examinare, nec permittere, vt curam exerceant abſque eius approbatione. Quòd ſi cura pertineat ad vnum Canonicum, ratione Canonicatus cui adnexa eſt, tunc in prouiſione Canonicorum eſſet faciendus concurſus, vt ibid. *n.* 189. ex declaratione Congregationis. 143.

Item in prouiſione dignitatũ habentium vnitam parochialem.

Dico *tertiò*, in prouiſione dignitatum habentium vnitam parochialẽ, ita vt ſi vnio perpetuò & acceſſoriè facta ſit, non requiratur concurſus. id ex declaratione Congregationis apud Garz. *n.* 193. ſecus ſi æquè principaliter parochia eſſet vnita dignitati, vt colligit idem ex eadem declaratione. Idémque dic in dignitatibus Eccleſiæ collegiatæ habentibus curam animarum, non enim requiritur concurſus, ex declarat. Congregationis apud eundem *n.* 195. 144.

Non tamen in regularibus curatis.

Dico *quartò*, in Regularibus curatis non eſt faciendus concurſus, de his enim non loquitur Trid. & ſic cenſuit Congregatio apud eundem *n.* 197. quod procedit etiamſi ſint ſolita commendari ſæcularibus, vt ex declaratione Congregationis *n.* 199. 145.

Nec in parochialibus iuris patronatus laicorum.

Dico *quintò*, in parochialibus iuris patronatus laicorum non requiritur examen per concurſum, ſed ſolùm præſentatus examinandus eſt ab Ordinario cum tribus ſaltem examinatoribus ſynodalibus, & in idoneo reperto facienda inſtitutio: ſi tamen plures eſſent præſentati à patronis laicis, tunc requireretur inter ipſos examen, vt pluribus Garz. à *n.* 255. At in parochialibus iuriſpatronatus Eccleſiaſtici requiritur, ex *d. cap.* 18. *Trident*, & probat ex declaratione Congregationis, idem à *n.* 261. In mixtis autem ad effectum concurſus, cenſendæ ſunt Eccleſiaſticæ, vt ex S. Congregatione apud Garz. *n.* 228. non ſic ad effectum reſeruationis, vt idem *n.* 283. 146.

Nec etiam in Vicariis perpetuis parochialium vnitarum.

Dico *ſexto*, in Vicariis perpetuis parochialium vnitarum non debet fieri concurſus, ſed ſolùm ad nominationem illorum, quorum dignitati vel Eccleſię parochiali eſt vnita & adnexa, deputandi ſunt, vt ex deciſ. Rotæ docet Garz. *num.* 290. & colligitur ex conſtitut. Pij V. 46. ibi, *Volumus inſuper*, &c. & ſic cenſuit Congregatio ex eodẽ, &c. 147.

Qui admittendi ad examen. Omnes eſſe admittendos.

Ad Tertium, quinam admittendi ad examen? Dico *Primò*, omnes eſſe admittendos, etiam poſt terminos edicti, re integra, hoc eſt, antequam examen ſit abſolutum. ita Congregatio apud Garz. *n.* 206. Non obſtat ius aliorum deſcriptorum, quia cùm agatur de re Eccleſiæ, & attendenda eſt & ſeruanda, non præfigitur vt non poſſint alij admitti, ſed vt ſciatur non etiam amplius expectandam. 148.

Etiam qui aliud Curatum habent.

Dico *ſecundò*, etiam admittendi, qui habẽt aliud Curatum, ex declaratione Congregationis apud 149.

eundem *num.* 208. Ratio, quia talis nullum habet impedimentum; vnde non valent conſtitutiones aliquæ ſynodales, vel prouinciales prohibentes, ne admittantur curati intra certum tempus, niſi ſint confirmatæ auctoritate Papæ.

150. *Non poſſe admitti conſanguineos Epiſcopi.*

Dico *Tertiò*, Conſanguinei Epiſcopi ad concurſum non poſſunt admitti, quando vacaret Parochialis per reſignationem in ſuis manibus, vt ex declaratione Congregationis docet idem *num.* 211. ſecus ſi vacaret per obitum, vt ex deciſione Rotæ *ibid. num.* 213.

151. *Si vnus tantùm appareat, illum examinandum eſſe.*

Dico *Quartò*, etiamſi vnus tantùm appareat ad concurſum, examinari debet, eique danda Parochialis, ſi idoneus ſit. ita ex Congregatione idem *num.* 215. Sed quid dicendum, ſi fraude illius, & artificio alij non comparuiſſent; vt quia edictum abſtuliſſet, aliis precibus, vel minis deterruiſſet à concurſu. Reſpondeo videri nihilominus colluſionem, quæ ei fieret reperto idoneo, validam, ſed teneri ad reſtitutionem iniuriæ, & damni à bono viro æſtimandi, facti illis qui fortè ſe digniores fuiſſent electi, & qui non acceſſerunt ipſius fraude, vel minis; ſecus ſi tātùm precibus deſtitiſſent. Quòd ſi deinde fuiſſent prouiſi vel æquè benè, vel meliùs, immunis eſſet à reſtitutione totius damni, ſed non eius, quod interim paſſus eſſet, æſtimatione boni viri. colligitur ex generali doctrina in materia de reſtitutione, de qua Nauarr. *cap.* 17. *num.* 69. Caiet. 2.2. *quæſt.* 62. *art.* 2. Leſſ. *lib.* 2. *cap.* 12. *dub.* 18.

152. *Quid ſi nullus comparegat.*

Ad Quartum, quid agendum ſi nullus compareat? Dico *Primò* ex declarationibus Congregationis apud Garz. *n.* 219. *&* 220. hæc colligi. Primò, aliud edictū debere proponi, & ſi nemo concurrat idoneus, tunc conferatur alicui præuio examine, ſine concurſu. Secundò, in collatione parochialium, quæ ſunt tenues, vt quia non excedant 24. ducatos de Camera, ſi propoſito primo edicto nemo compareat, fiat tunc edictum examinis, ſed ſine concurſu. Tertiò beneficia curata, quorum reditus adeò exigui ſunt, vt ea aut nullus idoneus requirat, aut compareat in concurſu ita rudis, vt neque vulgarem linguam calleat, conferenda ſunt iis, quos inter omnes maioris litteraturæ eſſe cognouerit Epiſcopus, eoſdēque amplius erudiri curabit. Quartò, vbi non eſſet liber concurſus ob dominos temporales, vel aliam iuſtam cauſam, & fructus eſſent pingues, ponendi ſunt Vicarij, donec conferri poſſunt magis idoneis, ſeruata forma Concilij. Quintò, quando nullus eſſet idoneus, conferatur vni ex cōparentibus minus inſufficiēti, quem poſtea inſtrui curare debet Epiſcopus, vt idoneus euadat.

153. *Quid ſi deſiſtat magis idoneus.*

Dico *Secundò*, ſi facto concurſu deſiſtat magis idoneus, ſiquidem non ſit facta adhuc electio per Ordinarium, poterit eligi ex reliquis magis idoneus intra eundem terminum; ſi verò deſiſtat poſt electionem factam, debet eligi alius per concurſum, quia primus finitus eſt per electionem factam. quod verum eſſe ait Garz. *n.* 224. quando ille electus deſiſtit ante lapſum quadrimeſtre datum per conſtitutionem Pij V. ad ſignificatum Papæ, aliàs non facta ſignificatione intra quadrimeſtre, omnimoda diſpoſitio ad Papam liberè deuoluitur.

154. *Vel eligatur minus dignus omiſſo digniori.*

Dico *Tertiò*, ſi eligatur minus dignus ex approbatis, omiſſo digniori, an electio ſit nulla nécne, eſt dubitatio hinc inde ex DD. apud Garziam à *n.* 226. Dic tamen cum eodem *n.* 235. eſſe validā, donec dignior per appellationem vicerit cauſam, & per iudicem reſcindatur prior electio, & conſequenter non erit condemnandus in fructibus, niſi ad ſummum à tempore primæ ſententiæ reuocatoriæ, nam vſque ad illud iuſtè poſſedit.

Ad Quintum, detúrne appellatio; & reſpondeo à relatione examinatorum non dari appellationem, & ſic neque à reprobatione, à mala tamen Ordinarij electione dari, vt habetur in Conſtit. Pij V. iis verbis, *vt autem non ſolùm*, &c. circa quam vide multa congeſta à Garz. à *n.* 242. *vſque ad finem* §. nec plura de quinto dubio. 155. *An datur appellatio.*

156. *De examinatoribus. Illos debere eſſe Synodales ſaltem tres.*

Ad Sextum, de examinatoribus; dico *Primò*, examinatores debere eſſe ſynodales ſaltem tres. patet ex Concilio VI. ſæpiùs citato. Quare ſi eſſent plures tribus non ſynodales, non ſeruaretur forma: ſi autem eſſent plures ſynodales, non vitiarent formam, vt ex reſponſione Congregationis docet Garz. *n.* 324. quicquid alij probabiliter velint, neque vitiari, ſi vltra tres alius non ſynodalis addatur.

157. *Et deputandos in particulari.*

Dico *Secundò*, deputandos eſſe in particulari, talem, talem & talem, non autem in genere, v.g. Priorem, ſeu Decanum, Archidiaconum, Pœnitentiarium, &c. quamuis enim obtinentes talia beneficia ſoleāt eſſe perſonæ doctæ, & videantur rectè poſſe ſatisfacere Synodo, tamē quia ſic ſucceſſores ſubrogati comprehenderētur, de mente Concilij videtur eſſe, vt tantùm comprehendantur ij, qui tunc ſunt & à Synodo, electi fuerint; & poteſt aliquando eſſe aliquis doctus, ſed erit malæ vitæ, vel amplæ conſcientiæ: vt ergo ſint ſecundùm formam Concilij, debent eſſe deputati particulariter, vt diximus, vt pluribus idem *n.* 335. ex deciſionibus Rotæ.

158. *Iurare debere de fideliter exequendo munere.*

Dico *Tertiò*, debere eos iurare, ſe quacunque humana affectione poſtpoſita, fideliter munus executuros; alioquin examen & concurſus factus nulla erunt, ex Conc. *d. c.* 18. *verſ. Iurentque.* Expedit autem vt publicè in Synodo, quando electi erunt, hoc iuramentum præſtent, idque tactis Euangeliis, ita enim requiritur ſecundùm formam Trid. Garz. *num.* 357.

159. *De ipſo examine. Faciendum eſſe poſt lapſum termini.*

Ad Septimum, quoad ipſum examen, dico *Primò*, examen faciendum eſſe poſt lapſum termini, vnde ſi ante lapſum fieret, non ſeruaretur forma, vt ex deciſionibus Rotæ docet idem à *num.* 328. quicquid contrà probabiliter dici poſſet.

160. *Quòd ſi examen non fuiſſet factum legitimè.*

Dico *Secundò*, vbi examen non fuiſſet legitimè factum iuxta formam Tridentini, Gratia & prouiſio Apoſtolica facta in fauorem illius, qui approbationem præſentauit, & literas Ordinarij teſtantes, eſſet nulla, ſi conſtet de contrario, niſi in ſupplicatione appoſita eſſet clauſula, *Etiamſi forma Concilij non ſit rectè obſeruata*, &c. tunc enim conſeretur Papa derogare decreto Tridentini. idem *num.* 365.

161. *Examinatores nil poſſe accipere.*

Dico *Tertiò*, examinatores per examen nihil poſſe accipere, alioquin committunt ſimoniæ vitium, quod tā ipſi examinatores, quàm alij dantes incurrunt, & conſequenter incidunt in excōmunicationem, à qua abſolui nequeunt, niſi ipſis dimiſſis, & aliis, quæ antea obtinebant: vt probat multis idem à *num.* 374. quicquid contrà aliquæ diœceſes faciant, ex eodem. Hæc ſatis.

162. *Forma ſeruanda in prouiſione ſimplicium.*

TERTIO QVÆRO, de forma ſeruanda in prouiſione ſimplicium. RESPONDEO & DICO PRIMO, ſi conferantur per liberam collationem Ordinarij, etiam inferioris Epiſcopo, nulla eſt ſpecialis forma iure præſcripta. Vnde nec requiritur vocatio per edictum, neque concurſus, ſed ſatis eſt prouiſum eſſe idoneis. gloſſ. *cap. monaſterium.* 16. *q.* vlt.

Digitized by Google

vlt. cap. 3. de iure patron. vbi Abb. *num.* 11. & alij ex Garz. *cap. 3. num.* 4.

163. *Quando electi prouidendi.* DICO SECVNDO, in beneficiis ſimplicibus electi ſeu præſentati à perſonis Eccleſiaſticis quibuſcunque non debent prouideri, niſi examinati fuerint ab Ordinariis, & reperti idonei. Trid. *ſeſſ. 7. cap. 13. de reform.* Quòd ſi inſtitutio pertineat ad inferiores Epiſcopo, debent præſentati priùs ab Epiſcopo examinari & approbari, aliàs inſtitutio ab inferioribus facta nulla eſt, Trident. *ſeſſ. 25. cap. 9. de reform.* idque videtur procedere etiam in prælaturis à patronis laicis, vt Garz. *numer.* 7. An verò quando inſtitutio pertinet ad Epiſcopum in præſentatis à patronis laicis, quos Epiſcopus, ſi velit, examinare poteſt, ex *loc. cit. ſeſſ. 25. verſ. ad hæc.* non tamen examen neceſſariò requiritur, ex *ſeſſ. 7. cap. 13.* quod ſolùm loquitur de præſentatis à perſonis Eccleſiaſticis. Idem videtur dicendum in iure patronatus mixto, vt pluribus idem à *num.* 10.

164. *Forma edicti ſeruanda in inſtitutione.* QVARTO QVÆRO, de forma edicti ſeruanda in inſtitutione. RESPONDEO & DICO PRIMO ſeruandam eſſe formam *c. fin. de elect. in 6.* vnde inſtitutio facta non propoſito edicto eſt nulla, gloſſ. *ibi* & alij ex Garz. *c. 4. n. 1.* Quod etiam procedit in canonicatibus & & præbendis, & aliis beneficiis ſimplicibus, ex multis adductis ab eodem *n. 3.* nec ſufficit citatio generalis per edictum, quando ſunt alij patroni certi; ſed debent ſpecialiter citari, alioquin inſtitutio nulla eſt, ex *d. c. fin.* & deciſ. Rotæ *n.* 8. Excipe vbi conſuetudo eſſet in contrarium, & ſufficeret decretalis.

165. DICO SECVNDO, inſtitutionem præſentati factam pendente appellatione à ſententia Ordinarij, & poſſeſſionem ſubſecutam, quin etiam poſſeſſionem ab inſtitutione lapſam pendente appellatione iudiciali interpoſita, ab inſtitutione facta in ſimonia, eſſe attentatam, vt probat ex multis Garz. à *n. 16.* quam poſſe practicari addit *n. 26. & ſeqq.*

166. *Tempus intra quod debet fieri prouiſio.* QVINTO QVÆRO de tempore, intra quod debet fieri prouiſio. RESPONDEO & DICO PRIMO, beneficium debere conferri poſt vacationem, non antea, nec etiam promitti. *c. 2. & 3. de conceſſ. præb. & c. 2. eodem in 6.* Ratio, ne quis alienæ mortis deſiderium & procurationem habeat. Poteſt tamen Papa ius tribuere vacaturis ex plenitudine ſuæ poteſtatis. *c. propoſuit. de conceſſ. præb. & c. 2. eod. in 6. cit.*

Hinc ſequitur patronum non poſſe præſentare ad vacaturam, nec permittere de facienda præſentatione. *c. fin. de conceſſ. præb.* nec contraria conſuetudo vim habet etiam immemorialis, vtpote irrationabilis; conſequenter non obſtabit præſentationi poſtea faciendæ, quando vacabit.

Sequitur ſecundò, Epiſcopum poſſe quidem committere Vicario ſuo, aut alteri facultatem generalem recipiendi reſignationes, & conferendi beneficia, non tamen de aliquo certo, niſi iam vacet, aut reſignans reſignare velit. *c. deliberationes. §. prohibend. de off. legat. in 6.* gloſſ. *ibi v. cuicunque.* & alij cum Garz. *part. 10. c. 1. n. 9* quicquid contrà aliqui apud eundem *n. 10.* qui etiam affert nonnullas limitationes.

167. *Cui vnio facienda de beneficio viuentis.* DICO SECVNDO, poſſe fieri vnionem de beneficio viuentis non ſolùm Collegio vel Capitulo, ſed etiam dignitati, aut beneficio alicuius perſonæ particularis. Ratio, quia licèt videatur dari occaſio voti captandæ mortis, tamen quia non fit particulariter perſonæ, ſed eius dignitati, vel beneficio, non conſideratur iſta ratio. Garz. *num.* 29. ex multis.

DICO TERTIO, vacante beneficio poteſt illud conferri & permitti alteri, & permiſſum debetur, ſi aliàs permiſſarius ſit idoneus, vel magis idoneus, ſi debeat conferri in concurſu; valeret tamen collatio alteri facta. *cap. ſi ſoli. de conceſſ. præb. in 6.* nec eſt improbabile promiſſionem de beneficio vacante nunquam obligare, ex eo quòd debeat eſſe libertas in prouiſione beneficiorum, vt meliùs poſſint prouideri; eſt enim collator adminiſtrator & diſpenſator eorum, non dominus, vt aduertit Garz. *numer.* 35. poteſt autem conferri ſimul atque mortuus eſt, nec eſt expectanda ſepultura ſaltem in collatione: nam in electione prælati probabile eſt, expectandam eſſe ſepulturam, ex *cap. bona 2. de elect.* vſu tamen receptum eſt, etiam in collatione nunquam dari niſi poſt illam, vt teſtatur Garz. *num.* 40. 168. *Collatio cui facienda, & quando.* *Electio prælati quando facienda.*

DICO QVARTO, ſi beneficium aliquod vacet de iure, licèt non de facto, quia aliquis eſt in poſſeſſione, ſeu intruſus, poteſt rectè conferri, ex Rotæ *deciſ. 9. de iure patronat. in antiquis.* Lap. *alleg.* 16. vbi Mandoſ. *addit.* 1. dicens communem concluſionem, & aliis cum Garz. *num.* 42. quod intelligitur, quando poſſeſſio eſt euidenter iniuſta, aut eius color caſſetur à iure, ex *cap. licèt Epiſcopus. de præb. in 6.* ſecus vbi poſſeſſio eſſet colorata, tunc enim ante caſſationem reddit inualidam collationem, quamuis valere teneant multi ex eodem *num.* 46. niſi collatio fieret poſt triennalem poſſeſſionem pacificam, cum titulo colorato, declaratione non præcedente, vt *ibidem*, vbi adhibentur multæ limitationes ad id pertinentes. 169. *Quid ſi beneficium vacet de iure, licèt non de facto, an conferri rectè valeat.*

DICO QVINTO, quoad tempus, intra quod debet prouideri de beneficiis vacantibus, ij ad quos prouiſio ſpectat, infra ſex menſes prouidere debent. *c. nulla. 2. de conceſſ. præb. cap. licet. de ſuppl. neglig. prælat.* quod habet locum primò in electione, niſi ſit Eccleſia Cathedralis, vel regularis, quæ ob maius periculum imminens requirit prouiſionem infra tres menſes. Secundò in præſentatione, niſi ſit ius patronatus laicale tantùm, quod ſolùm habet quatuor menſes. *cap. vnic. de iure patronat. in 6.* Tertiò in prouiſione parochialium etiam iuxta Trident. *ſeſſ. 24. cap. 18. de reform.* quando collatio ſpectat ad Epiſcopum; nam ſi ad Papam vel alios, aſſignatur quadrimeſtre, ex conſtit. Pij V. 32. *In conferendis.* Quartò in Hoſpitalibus, quæ conferuntur in titulum. Quintò in habente indultum à Papa conferente beneficia reſeruata, vt ex multis Garz. à *numer.* 2. Aduertendum autem dictos ſex menſes numerandos eſſe à die ſuæ vacationis. *cap. quia diuerſitatem. de conceſſ. præb.* Azor *lib. 6. cap. 16. quæſt.* 10. datur enim in odium negligentis, atque ita non currit impedito iure, vel facto, ex Abb. *loc. cit. num.* 3. & pluribus Garz. à *num.* 17. niſi ignorantia eſſet ſupina, vt *num.* 19. Aduertendum ſecundò, dictos menſes computari ſecundùm Calendarium, & ſecundùm quod occurrunt, ita vt quod deficit de primo menſe, accipiendum ſit de vltimo. v. g. ſi vacet 6. Ianuarij, finietur ſemeſtre 5. Iunij, etiamſi ſit biſſextus Februarius, & ſi hora 12. vſque ad 12. perſona poterit prouideri, non vltrà. 170. *Intra quod tempus prouideri debeat.*

171. *Tempus intra quod debet fieri inſtitutio, confirmatio, collatio.*

SEXTO QVÆRO de tempore, intra quod debet fieri inſtitutio, confirmatio, & collatio neceſſariò. RESPONDEO & DICO PRIMO, in prouiſione neceſſaria, quales ſunt enumeratæ, non eſt à iure præfinitum tempus, vt DD. ex Garz. *cap.* 4. *numer.* 1. nec textus *in c.* 2. *de conceſſ. prab.* habet locum in collatione neceſſaria, ſed libera, vt idem ex Selua *numer.* 4. Quòd ſi is qui debet inſtituere vel conſummare, &c. ſit negligens, ſeu recuſet, recurrendum erit ad ſuperiorem, vt Metropolitanum, Nuntium, Legatum, qui præſcribat tempus, infra quod id faciat, quo elapſo, ipſe ſupplebit. Aliud remedium ex Abb. *cap. paſtoralis. de iure patron. num.* 6. eſt, vt fiat appellatio à grauamine ſibi illato, vt Garz. *num.* 9.

172. *Collatio quæ fit indignis. Indignus, & digniſſimus quis.*

SEPTIMO QVÆRO de collatione quæ fit indignis, quid iuris. Pro reſponſione ſupponendum indignum dici, qui vel eſt irregularis ex ignorantia, morbo, infamia, &c. vel non putatur futurus vtilis, nec aptus officio: digniſſimus autem cenſetur qui omnibus computatis putatur optimè ſatisfacturus officio. Hoc ſuppoſito,

173. *Indigno nunquam conferendum, vbi adſit dignus.*

RESPONDEO & DICO PRIMO, indigno nunquam beneficium conferendum, quando adſit dignus. probatur ex *cap. cùm in cunctis. de elect.* vbi ad curam animarum tria requiruntur, ætas debita, ſcientia, vitæ probitas; clerici qui contra prædictam formam elegerint, eo ipſo pro illa vice priuati ſunt poteſtate eligendi, & per triennium ſuſpenſi à beneficio; Epiſcopus ſimiliter amittit poteſtatem conferendi. idem habetur *cap. graue nimis. de prabend.* Dixi, *quando adſit dignus,* &c. non ſi non reperiatur, vt ſæpe in beneficiis tenuibus, in locis maritimis, in partibus Septentrionalibus & Orientalibus, poteſt conferri indigno ad vitandum maius malum: ſed is tenetur ſe præſentare dignum, & ſatisfacere officio, alioquin non faceret fructus ſuos, ex lege iuſtitiæ.

174. *Sciat collator dignum eſſe illum cui confert.*

DICO SECVNDO, collatorem ad conſcientiæ ſecuritatem debere ſcire eum, cui confert, eſſe dignum, nec ſatis eſt neſcire eſſe indignum. Adrianus IV. *de reſtit. q. De diſpenſatione beneficiorum.* Ratio, quia ex officio tenetur conferre dignis: debet ergo habere iudicium quòd ſit dignus, ſaltem probabiliter, ex occurrentibus circumſtantiis. Idem habet locum in patronis, qui debent præſentare dignos & idoneos, vt colligitur ex *cap. graue nimis. cit.* ſunt enim perſæpe alioquin cauſæ, cur conferantur beneficia indignis, neque enim inſtituens poteſt repellere, niſi ferè ſit euidens, eum indignum eſſe, ex *cap. decernimus* 16. *quæſt.* 7.

175. *Quæ collationem faciant irritam.*

DICO TERTIO, ad irritandam collationem propter indignitatem, ſufficit omnis conditio, quæ reddat hominem indignum beneficio. Ad hoc autem vt ipſo iure ſit irrita, plura requiruntur, vt dicemus *q.* 9. Vide Nauar. *in c. ſi quando. de reſcript. except.* 16. *&* 17.

176. *Collatio quæ fit dignioribus.*

OCTAVO QVÆRO de collatione quæ fit dignioribus. RESPONDEO & DICO, in euentis ſequentibus licitum eſt conferre digno, prætermiſſo digniore. Primò in præſentatione laici tam ad ſimplex, quàm ad curatum, ex Trident. *loc. cit.* Secundò in præſentatione etiam Eccleſiaſtici ad ſimplex. *cap. monaſterium.* 16. *quæſt.* 7. *& cap. decernimus. cit.* Tertiò, ſi fundator beneficium conſtituiſſet, vt detur idoneo ſuæ familiæ. Couar. *reg. peccatum. p.* 2. §. 7. Quartò ſi ex inſtitutione datum eſt clericis ex certo oppido, vt dixi *concl. præced.* etiamſi enim reperiantur alij nó ex eo oppido digniores, dandum eſt digniori ex illo oppido. *c. nullus. cap. obitum. d.* 61. Quintò, in electione Papæ ſatis eſt eligere digniorem ex collegio Cardinalium, modò ſit inter eos aliquis idoneus. *cap. oportebat. & cap. nullus. d.* 79. Sextò, vt reſeruentur aptiores pro parochialibus, poterunt eligi idonei tantùm ad ſimplicia, vbi non eſſent multi aptiores. Ratio, quia in diſpoſitione beneficiorum magis eſt ſpectanda ſpecialis vtilitas Eccleſiæ, quàm commodum temporale miniſtri. Septimò, ſi plures ſint electores, & pauci inclinent in digniſſimum, tunc ſi meum ſuffragium nihil eſt profuturum digniſſimo, prodeſſet tamen ad excludendum indignum, vel minus dignum, teneor dare digno, vel digniori, prætermiſſo digniſſimo; ſic enim magis proſit Eccleſiæ: nec electio minus digni eſt mala in hoc caſu, quia non eſt ſpes obtinendi digniorem. Octauò, reſignans in fauorem alterius ſatis eſt vt quærat dignum. Caiet. *Beneficium.* & ſic habet recepta conſuetudo ex Leſſ. *dub.* 13.

NONO QVÆRO de collatione, quæ fit digniſſimis. RESPONDEO & DICO PRIMO, eos, qui eligunt, ſemper debere quantum in ipſis eſt, eligere digniores, ſiue digniſſimos. communis ſententia ex S. Thom. 2. 2. *quæſt.* 63. *art.* 2. *ad* 3. *& quæſt.* 185. *art.* 3. & aliis quos citat, & ſequitur Leſſ. *dub.* 14 probatur ex *c. vnic. vt Eccleſiaſt. benef. ſine dim.* &c. diſcreto iudicio debuiſſe Eccleſiaſticum officium in perſonam magis idoneam diſpenſare. Ratio eſt, quia beneficia primariò inſtituta ſunt ad cultum Dei, & vtilitatem; ſecundariò propter merita virtutum: at ſi omittantur digniores, contra vtrumque peccatur. Idem dic de præſentatoribus & collatoribus liberis; eadem enim ratio eſt. 177. *Ex qua digniſſimis.*

DICO SECVNDO, in beneficiis habentibus curam animarum, vel aliam functionem præcipuam, omittere digniorem, qui in promptu eſt, eligendo dignum, eſt p. m. ſequitur ex prima concluſione. cùm enim ad id collatores, præſentatores, & electores teneantur, vtique quando materia grauis eſt, & magni momenti, illud omittere culpa quoque grauis erit. Confirmatur ex Trident. *ſeſſ.* 24. *cap.* 1. *de reform.* ibi, *omnes & ſingulos, quor,* &c. *mortaliter peccare, niſi quos digniores,* &c. & licèt ſermo ſit de Epiſcopatibus, tamen idem de parœciis indicat *cap.* 18. Idémque locum habet in præcipuis beneficiis, qualia ſunt Cardinalatus, Epiſcopatus, Archidiaconatus, Decanatus, Præpoſitura, Canonicatus cum onere docendi, aut Pœnitentiariæ; item Abbatia, prioratus, & ſimilia. Ratio, quia talis facit contra fidelitatem Eccleſiæ debitam ex officio in re graui; violare autem fidem in re graui, mortale eſt. Confirmatur, quia totum Eccleſiæ bonum pendet ex bona miniſtrorum electione, ſicut totum malum ex mala prouiſione; ergo. Aduertendum autem per digniorem intelligi eum, qui notabiliter apparet dignior, & ſperatur multo meliùs adminiſtraturus; ſi enim dubius, aut paruus exceſſus ſit, ad ſummum erit veniale peccatum. 178. *In beneficiis habentibus curam animarum ſi dignus eligatur, omiſſo digniore, peccatur mortaliter.* *Idem in beneficiis præcipuis.*

DICO TERTIO, in beneficiis ſimplicibus, vt Canonicatibus, Capellaniis, & aliis præter dicta, ſemel aut bis prætermittere digniorem, eligendo dignum, non cenſetur peccatum mortale. At ſi paſſim fiat, nullo delectu vt digniores 179. *Secus in ſimplicibus.*

Digitized by Google

gniores aſſumantur, eſt peccatum mortale. Primum illud eſt multorum DD. quos citat, & ſequitur Leſſ. *dub.* 14. *num.* 66. Nauarr. *lib.* 2. *cap.* 2. *numer.* 148. Arrag. 2. 2. *quæſt.* 63. *art.* 2. Sà *v. Beneficium.* Et ratio affertur, quia non cenſetur notabile damnum in talibus beneficiis; & alioquin mediocritas paucorum compenſari poteſt virtute aliorum. Confirmatur, quia communis æſtimatio etiam bonorum reputat bonum diſpenſatorem & paſtorem eum, qui dicta beneficia confert dignis, etiamſi non conferat digniſſimis, quamuis meliorem æſtimaret, ſi digniſſimis conferret; & propterea ſemper eſt ſaltem peccatum veniale digniores prætermittere.

180. *De beneficiis conferendis in concurſu quid.*

Dico qvarto, in beneficiis, quæ debent conferri in concurſu, & per opponentem, omittere digniores ſemper eſt peccatum mortale. Ratio, quia tales habent aliquod ius ad illa, etſi remotum, ideo peculiariter violatur fidelitas & iuſtitia diſtributiua. Leſſ. *numer.* 68.

181. *Quid ſi extra concurſum dentur.*

Dico qvinto, ſententiam, quæ cenſet ſatis eſſe dignos ad beneficia, quæ non dantur in concurſu, eſſe probabilem, ex Trid. *ſeſſ.* 7. *cap.* 3. *de reform.* dicente; *vt conferantur dignis.* & vniuerſali æſtimatione in creatione beneficiariorum, vt Cardinalium, Epiſcoporum, Abbatum, &c. qui ſi inter dignos habeantur, laudatur elector, & electio: non laudaretur autem communiter, ſi mala eſſet, & peccatum mortale, &c.

182. *Reſtitutio. Illam faciendam eſſe in beneficiis quæ debent dari in concurſu, ſi omittatur dignior.*

DECIMO QVÆRO, quando debeat fieri reſtitutio, ſi non habeat beneficium is, qui dignior eſt. Respondeo & dico primo, in beneficiis, quæ debent dari in concurſu, omittere digniorem eſt peccatum mortale, cum obligatione ad reſtitutionem damni iudicio prudentum. Nauarr. *cap.* 57. *numer.* 74. Leſſ. *dub.* 15. *num.* 75. Ratio, quia dignior habet ius ſtrictum, ex lege Trid. *ſeſſ.* 24. *c.* 18. & alij aliquorum canonum. ergo fit illi iniuria, & conſequenter reſtituendum eſt damnum: debet tamen talis eſſe notabiliter dignior arbitrio prudentis omnibus conſideratis; nam paruus exceſſus non inducit obligationem, ex eodem.

183. *In aliis, non.*

Dico secvndo, in aliis non eſt facienda reſtitutio. Sot. *lib.* 4. *quæſt.* 6. *art.* 3. *ad* 6. Nauarr. *cap.* 17. *numer.* 72. Couarr. *reg. peccatum p.* 2. §. 7. *numer.* 7. & alij cum Leſſ. *num.* 72. Ratio, quia dignior non habet ius ſtrictum ad illud beneficium, ſed largum, quatenus aptior eſt; conſequenter nõ fit ei propriè dicta iniuria. Eccleſia etiam non intendit obligare collatores aut patronos ſub onere reſtitutionis, nec ipſi collatores cenſentur ſe ad id eſſe adſtrictos, alioqui ſæpe perplexi eſſent, & nullus acciperet eius nomine munus. Debet tamen eſſe dignus, qui eligitur, alioqui ſi indignus, reſtituendum eſt damnum Eccleſiæ, quæ paſſa eſt damnum, vt iidem DD. & colligitur ex Trid. *ſeſſ.* 23. *cap.* 1. *§. ſi quis autem.* Quòd ſi nullum damnum paſſa eſſet Eccleſia, ad nihil tenebitur author. Primo autem loco tenetur is, qui procurauit ſibi beneficium, cùm ſciret ſe minus idoneum. Secundo collator. Tertio cooperatores ſuo ordine.

184. *Si inſtitutus ſe putet idoneum non tenetur reſignare beneficium, alteri fortaſſe magis idoneo.*

Dico tertio, is qui in beneficiis inſtitutus eſt, ſi verè ſe putet idoneum, non tenetur illud reſignare, etiamſi alium putet magis idoneum. Ratio, quia is tantùm tenetur pro virili ſatisfacere officio ſuo; & ſiquidem certò ſibi perſuaderet alterum fore Eccleſiæ longè vtiliorem, & ipſe ſine magno incommodo poſſet illo carere, teneretur tunc reſignare lege iuſtitiæ; ſi verò id ſibi non perſuadeat, non tenetur, & in dubio non tenetur ſe priuare ea commoditate. Quòd ſi collatorem induxiſſet, vt ſibi conferret minus idoneum, peccauit quidem inducendo, collatio tamen valida eſt, & non tenetur reſignare, ſed curare, vt diligentia ſatisfaciat maiori aptitudini alterius. Hæc ſatis.

CAPVT V.

Quinam capaces ſint beneficiorum, quáſve conditiones habere debeant.

ID vnum ſupereſt ad completam explicationem eorum, quæ requiruntur ad beneficia acquirenda, quinam ſint idonei. Primo ergo loco agam de incapacibus iure naturæ, vt ſunt fœminæ, hermaphroditi, amentes. Secundò de incapacibus iure Canonico, vt ſunt irregulares ex defectu. Tertiò de irregularibus ex delicto. Quartò de cenſuratis. Quintò de coniugatis. Sextò de clericatu & ordine prærequiſito. Septimò de ætate. Octauò de ſcientia. Nonò de probitate. Decimò de intentione requiſita ad beneficia acquirenda.

PRIMO ergo QVÆRO, quinam ſint iure naturali, vel diuino incapaces ad beneficia. Respondeo & dico primo, fœminas eſſe ſaltem iure diuino incapaces. Ratio, quia iure diuino ſunt incapaces ordinum, vt dicetur ſuo loco; quare etiam miniſterij ſacri & officij, quod ordines neceſſariò requirunt. At beneficium datur propter officium. *cap. vlt. de reſcript. in* 6. ergo incapax ad officium, erit etiam ad beneficium, & hæc eſt communis ſententia, Azor *lib.* 6. *cap.* 2. *quæſt.* 1. Non obſtat *cap. dilecta. de maior. & obed. & cap. indemnitatibus. de elect. in* 6. quòd ſint aliquæ fœminæ Canonicæ in Germania & Belgio, quæ videntur habere beneficia, & ratione dignitatum quas obtinent, etiam præeſſe clericis, nedum ſacris Virginibus, illiſque beneficia conferre, vt refert Azor *loc. cit.* Reſpondeo enim iuriſdictionem temporalem poſſe habere in clericos ratione Capellarum, quæ ipſis ſubduntur, ratione dignitatum & præbendarum, quas obtinent; verùm id vel habent priuilegio Papæ, vel non ſunt ea vera beneficia, ſed tantùm præbendæ ipſæ ſeparatæ à iure ſpeciali miniſtrandi res ſacras, quæ conferuntur ab illis ob ſtipendium ſeruitij, & in alimenta clericorum, & ſic poteſt concedi, quòd conferant beneficia, id eſt, præbendas ſeparatas à iure miniſtrandi; hoc enim conferre non poteſt niſi prælatus Eccleſiæ, vel priuilegio Papæ etiam laicus, & Francia, vt alibi diximus. I. *Incapaces iure naturali, vel diuino qui. De feminis.*

Dico secvndo, impotentes ad exercenda munera ordinum, ſunt etiam iure naturali incapaces beneficiorum. Tales ſunt, qui manibus carent, v. g. vel muti ſunt, vel amentis perpetuò: hi enim cùm ſint iure naturali & diuino inhabiles ad munera ſpiritualia adnexa beneficiis, etiam eodem iure erunt inepti ad ipſa beneficia, quæ propter illa munera dantur. Quomodo autem amentes inepti ſint ad ordines, & an teneret ordo, ſi iis conferretur, diximus ſuo loco, cùm de ordine. 2. *De iis qui carent manibus, item de mutis, & amentibus.*

Digitized by Google

3. *De Hermaphroditis.*

Dico tertio, Hermaphroditi, in quibus fœmineus ſexus præualet, vel eſt par, ſunt iure diuino incapaces beneficiorum, quia tales ſunt etiam ordinum, vt ſuo loco. In quibus verò præualet maſculinus ſexus, non ſunt iure diuino incapaces, ſed tantùm iure Canonico, quia tanquam infames habentur in iure. *cap. ſi teſtes.* 4. *quæſt.* 4. Item ſi aliorum offenſio inde oritura credatur, ab ordinibus excluduntur eadem ratione. vide Azor. *quæſt.* 3. Hinc patet Neophytos, non tonſuratos, illegitimos, & alios huius generis non comprehendi inter incapaces iure naturali, ſed inter irregulares iure Canonico, vt docet Azor *quæſt.* 2. 5. & 6. & nos *ſeq. quæſito.*

De Neophytis, non tonſuratis, illegitimis, &c.

4. *Incapaces iure Canonico qui.*

Secundo quæro, de incapacibus iure Canonico, & irregularibus ex defectu. Pro reſponſione ſuppono irregularitatem omnem reduci ad duas ſpecies generales; ad illam, quæ dicitur ex defectu, & ad illam, quæ dicitur ex delicto, vt diximus ſuo loco. In hac quæſtione breuiter enumerabimus irregularitatem ex defectu, præcipuè ex defectu natalium, vt ſunt illegitimi, oriundi ex Iudæis, & filijs presbyterorum, ex defectu Sacramenti, vt bigami, & ex defectu corporis, vt qui corpore vitiati dicuntur.

5. *De illegitimis.*

Dico primo, qui patiuntur defectum natalium iure Canonico prohibiti ſunt habere beneficia. probatur vltra iura antiqua ex Trid. *ſeſſ.* 22. *cap.* 20. *de reform.* ibi, *natalibus.* & *ſeſſ.* 23. *cap.* 5. *de reform.* ibi, *de ipſorum ordinandorum natalibus.* & *cap.* 7. ibi, *ordinandorum genus.* conſentiunt communiter DD. quos affert Garz. *p.* 7. *cap.* 2. *num.* 5.

Et primò quidem circa illegitimos regula illa generalis ſeruanda eſt, eos qui ſunt inhabiles ad ordines, eſſe etiam ad beneficia, quæ requirunt ordines: qui autem ſint inhabiles, dictum eſt ſuo loco. Huius loci ea propria ſunt. Primum, illegitimum per ingreſſum in Religionem & profeſſionem emiſſam etiamſi ad omnes ordines, etiam ſacros recipiendos habilis ſit, vt ex iure communi *in cap. presbyterorum. d.* 56. & *cap.* 1. *de fil. presbyter.* conſtat, ad cuius terminos à Gregorio XIV. reducta fuit Bulla Sixti V. prohibentis receptionem ordinum illegitimis. Attamen non eo ipſo eſt habilis ad beneficia regularia nec duplicia, nec ſimplicia, vt docet Azor *lib.* 6. *cap.* 5. *quæſt.* 2. ex communi DD. *in cap.* 1. *de fil. preſbyteror. in* 6. de quo Nauarr. *conſil.* 3. *eod. tit.* Et ratio eſt, quia ius ad ordines tantùm illos admittit, non ad beneficia. Idem iuris eſt in faciente vota ſimplicia in Religione approbata poſt biennium, per quæ fit propriè Religioſus, vt in Societate Ieſu per Bullam Gregorij XIII. *Aſcendente.* eſt enim talis habilis ad ordines, vt Profeſſi. Secundũ, per diſpenſationem Epiſcopi illegitimum poſſe recipere ordines minores, & beneficium ſimplex, ex *cap.* 1. *de fil. presbyt. in* 6. gloſſ. & DD. *ibid.* ex Azor. *quæſt.* 3. Si tamen diſpenſetur ad ordines minores, non hoc ipſo ad beneficium ſimplex diſpenſatus intelligitur, quia iuris relaxatio cùm ſit odioſa, ſtrictè debet intelligi, vt ex communi docet Azor *quæſt.* 4. quicquid alij in contrarium probabile cenſeant. Eodémque modo diſpenſatus ad ordines ſacros, non hoc ipſo diſpenſatus cenſetur ad beneficium, nec etiam ſimplex, vt *quæſt.* 5. & habetur praxi & Curiæ ſtylo; quamuis probabilis ſit opinio contraria ex Sanch. *lib.* 8. *diſput.* 1. *numer.* 27. nec diſpenſatus ad beneficia hoc ipſo eſt ad duplicia, vt dignitates & huiuſmodi, vt *quæſt.* 7. nec diſpenſatus ad dignitates hoc ipſo eſt ad maiores & principales, vt *quæſt.* 8. ſicut neque ad eas, quæ habent coniunctam curam animarum, vt *quæſt.* 9. nec è contra diſpenſatus ad beneficium curatum, eo ipſo eſt ad dignitatem, vt *quæſt.* 10. An autem diſpenſatus ab Epiſcopo ad beneficia ſimplicia, poſſit habere canonicatum in Cathedrali, quæſtio eſt inter DD. communi ſententia affirmante, vt docet Azor *quæſt.* 11. ſed vſu Curiæ Romanæ in contrarium reſiſtente, ex Rebuffo & Rota, qui vſus facit legem, ideóque huic adhærendum ex eod. Tertiò Epiſcopum qui ex conceſſione Trident. *ſeſſ.* 24. *cap.* 7. *de reform.* poteſt duo ſimplicia eidem conferre, quando vnum non eſt ſufficiens, an contrà illegitimus id poſſit, eſſe controuerſiam, vt docet Azor *quæſt.* 12. & iuri conformius videtur non poſſe, quia Trident. dans prædictam poteſtatem ſupponit eum cui confertur ſecundùm alios eſſe idoneum, & non egere alia relaxatione iuris; at illegitimus indiget, & Epiſcopus non habet facultatem diſpenſandi ad duo beneficia. Eodémque modo ſi in Eccleſia ſit ſtatutum iuramento firmatum, vel Papæ auctoritate munitum, vt in ea nullus illegitimus admitti poſſit, neque ad beneficium ſimplex, Epiſcopus non poterit, vt ex DD. *in cap.* 1. *de fil. presbyter. in* 6. docet *q.* 13. poſſet tamen illegitimũ promouere ad ſimplex, cui eſt adnexa cura animarum, quia quod alteri accedit, ſequitur naturam principalis, vt idem *quæſt.* 14. Sicut etiam ad ſimplex, quod tantùm ſtatuto, & conſuetudine, cui poteſt Epiſcopus derogare, requirit ordinem ſacrum, non autem ſi priuilegio Papæ vel conſuetudine vbique gentium recepta, ordinem ſacrum requireret, vt Azor *quæſt.* 15. Quartò illegitimus, qui Papæ diſpenſatione obtinuit curatum, non poteſt eo dimiſſo obtinere ſecundum, niſi faciat mentionem illegitimitatis, nec permutare cum alio, niſi eodem modo facta tali mentione, vt idem *q.* 16. Porrò in quærenda diſpenſatione exprimenda eſt qualitas illegitimitatis, vt ſi naturalis tantùm ſit, vel ſpurius, vel procreatus ex ſacrilegio, vel inceſtu, vel ex mixto crimine, hæc enim expreſſa gratiam difficiliorem reddunt, ex *cap. poſtulaſti. de reſcript.* vbi DD. ex Azor. *q.* 20. Contrà ſi ordines ſuſcepiſſet & beneficium ſimplex, neſciens ſe eſſe illegitimum, poſtea autem id reſciret, ſatis eſt in diſpenſatione petere facultatem, qua poſſit ordines exercere, & beneficia poſſidere, neque enim incidet in nouam irregularitatem per receptionem ordinum, vel eorundem miniſtrationem, nec in ſuſpenſionem propriè dictam, ſed tantùm peccauit, ſi ſcienter recepit, vel miniſtrauit poſt ſcientiam, vt Azor *q.* 25. Quintò illegitimus, qui dicitur naturalis, procreatus ſcilicet ex vtroque parente habili ad matrimonium, vtpote vtroque ſoluto per matrimonium ſequens reſtituitur ad legitimos natales, & abſque alia diſpenſatione habilis eſt ad omnes ordines & beneficia, vt Azor *q.* 21. Quòd ſi antequam parentes contraherent, ordinem recepiſſet, vel beneficia, peccauit quidem, ſed poſtquam contraxerunt, fit legitimus omni vitio ſublato, nec alia diſpenſatione indiget ex probabili ſententia, quamuis ex probabiliore egeat, inſpicitur enim tempus Datæ, vt iudicetur, an ſit habilis, quo tempore non erat, vt rectè Mandoſ. *in praxi ſignat. Gratiæ*, & Azor *q.* 21. Denique procreatus ex matrimonio nullo,

ob

ob occultum impedimentum, ſiquidem parentes fuerunt in bona fide, legitimus eſt iuris fictione. idem ſi alter tantùm fuiſſet in bona fide; iura enim ſic voluerunt in fauorem matrimonij: ſi vterque in mala fide, non eſt legitimus, ſed in impetratione diſpenſationis ſolet etiam diſpenſari proles. Quantumcunque autem vitium natalium ſit occultum, & pro legitimo habeatur quis, cùm tamen reuera non ſit, eget diſpenſatione, vt Nau. *cap.27.num.*194.& Azor *q.*23.ſecus ſi filius non credat matri dicenti ipſum non eſſe legitimum, & alioquin ortus eſſet ex parentibus matrimonio iunctis, & ſimul habitantibus, & putetur legitimus:ſi enim illegitimus putaretur, non deberet ordinari ante purgationem, ex *cap. accedens. de purg. canon.*

6. *De oriundis ex Iudæis.* Secundò circa ortos vel oriundos ex Iudæis, notandum primò, neophytos eſſe iure Canonico inhabiles ad beneficia, ex eo quòd ſunt ad ordines. Quare diſpenſati ad ordines, erunt etiã ad beneficia; & Mandoſ.*in ſignatura Gratiæ, v. Diſpenſatio cum neophytis*, ait ſignaturam cum neophytis ſeu marranis diſpenſare ad omnes ordines & beneficia, quando ipſi ſemper vixerunt vt Catholici,licèt ipſorum parentes fuerint combuſti. Azor *cap.*2.*q.*2.

Notandum ſecundò, ſi qua in Eccleſia eſſet ſtatutum communi Canonicorum ſuffragio confirmatum, iuramento item aliquando addito, & prælati auctoritate munitum, ne tales clerici admittantur ad Eccleſiaſtica beneficia, non eſt cur debeat improbari, cùm in multis Religionibus idem ſtatutum ſit, & experientia compertum, tales homines non rarò à Religione & à fide deficere, fauere ſectæ, vnde orti ſunt,litigioſos, ambitioſos, & ſeditionum plerunque auctores eſſe, ob quæ rationabile, fuiſſe decretum,quiuis facilè cenſere poteſt. Azor *cap.* 4.*q.*20.Denique ad hos etiam pertinere verba illa Trident. *ſeſſ.* 23.*cap.*2.*de reform. ordinandorum, Genus quod præcipitur, vt Epiſcopi examinent,ſatis probabile eſt.*

7. *De filiis Presbyterorum.* Tertiò circa filios presbyterorum, notandum primò, eos excludi à beneficiis in ea Eccleſia, in qua pater beneficium adeptus miniſtrat, vel miniſtrauit, etiamſi aliàs legitimè eſſent ab illo procreati. *cap.ad præſentiam, cap. præſentium, cap.conquerente, & aliis.de fil. presbyt.* Ratio, quia Eccleſia deteſtatur omnem hæreditariam ſucceſſionem in beneficiis. *cap. venerabilem. de elect.* Et quamuis *cap. ex tranſmiſſa. de fil. presbyteror.* concedatur vt filius poſſit habere beneficium illud,quod pater habuerat, dũmodò alter intermedius fuerit; attamen in Clem. *Ad canonem. eod.* præcipitur in vniuerſum, ne filius obtineat beneficium patris ſiue proximè, ſiue alter intermedius fuerit: & hæc ſeruatur in praxi, teſte Azor.*cap.*4.*quæſt.*15.

Notandum ſecundò, in eadem Eccleſia diuerſum beneficium habere poteſt iure antiquo. *cap.ad extirpandas. de fil. presbyteror.*ſi tamen eſſet illegitimus,non potuiſſet, ex *cap. ad hæc. eod.* & multò minus iure nouo,Trident.*ſeſſ.*25. *cap.* 15. *de reform.* ibi, *quodcunque etiam diſſimile; nec in dictis Eccleſiis miniſtrare, nec penſionem ſuper fructibus habere,* &c. quod Decretum differre à iure communi, docet ex declaratione Congregationis Garz. 7.*p. cap.* 3. *num.* 14. & de eo multa dubia vide apud eundem à *num.* 40. An autem eodem iure prohibeatur pater habere beneficiũ, vbi filius habuerat, eſt controuerſia; ſed cùm non adſit textus, dic cum Ioan. Andr. Philip. & Abb.*cap. ad extirpandas. de fil.* &c. poſſe, ſicut etiam frater poteſt habere beneficium, quod alter frater. Azor *quæſt.*18. Eodem autem tempore non poſſet,neque poteſt obtinere beneficium in Eccleſia, in qua eius filius illegitimus eſt beneficiarius.

Notandum tertiò, an eodem iure repellantur nepotes & pronepotes, eſt dubitatio, Innocentio affirmante, quando nepos ſuccederet in beneficio aui demortui; ſed contraria ſententia tenenda eſt, propter quod iura cùm volunt excludere nepotes, id exprimunt, vt de hæreticis, corúmque filiis & nepotibus; quia ergo de his non expreſſerunt, dic non eſſe prohibitos nepotes:& ita ſentit Azor *quæſt.* 17. Idem Nau. *conſ.*9.*de fil. presb.* & alij cum Garz.*num.* 21. non poſſet tamen nepos ex filio vel filia illegitimis, viuente auo, obtinere penſionem ſuper beneficio, quod auus poſſidet, ex declaratione Congregationis apud eundem *num.* 14. 8. *De nepotibus & pronepotibus.*

Notandum quartò, filium Epiſcopi alioqui legitimum poſſe habere beneficium in aliqua priuata Eccleſia ſibi ſubiecta, ex *cap.ad hæc.de fil. presbyt.* filius autem non poteſt habere beneficium patris, etiamſi hic tantùm habuiſſet commendatam, vel ius adminiſtrandi ad tempus,ex *Clem. ad canonem,* &c.Si autem filius ex diſpenſatione haberet beneficium patris,non poſſet alter filius ſuccedere fratri abſque diſpenſatione, ex eadem Clem. & Tridentino *loc. cit.* 9. *De filio Epiſcopi alioqui legitimo.*

DICO SECVNDO, Bigami, qui patiuntur defectum Sacramenti, ſunt iure Canonico inhabiles ad beneficia, quia etiam ſunt inhabiles ad ordines, *cap.*1.*&* 2.*d.*33. *cap.*1. 2. *&* 3. *de bigam.* facit Trident.*ſeſſ.* 23.*cap.*17.*de reform.* ibi, *dummodo non ſint bigami.* conſentit communis DD.in materia *de bigam.*Azor *c.*4.*à quæſt.*6. Garz. *cap.*6. *num.* 1. Circa quos 10. *De bigamis.*

Notandum primò, Epiſcopum non poſſe diſpenſare cum bigamo, neque ad minores ordines,aut ad beneficium ſimplex.*cap.vnic.de bigam. in* 6. Trid. *loc. cit.* & ſic cenſuit Congregatio ex Garz. *num.* 5. & ſi diſpenſaret peccaret mortaliter,nec valeret collatio; non tamen eſſet ſuſpenſus ipſo iure, vt ex declaratione S. Congregationis idem docet *num.* 8. & quamuis ex ſententia multorum DD. ſequentium S. Thom. videatur Epiſcopum poſſe in minoribus & ad beneficium ſimplex,& Suarez *tom.*5.*diſp.* 49.*num.*5. dicat ſeruari poſſe in praxi, vbi eſſet vſu receptum; tamen cùm dicat Azor *loc. cit. quæſt.* 11. non eſſe vſu receptum, abſolutè affirmari poteſt,Epiſcopum non poſſe,nam canones & Concilium ſunt in contrarium, in quibus Epiſcopus diſpenſare non poteſt, vt ex multis DD. tenet Garz. *num.*14.

Notandum ſecundò, Papam poſſe diſpenſare abſque dubio, eſt enim irregularitas iure Canonico tantùm inducta,quamuis antiquo tempore ab ipſis Apoſtolis tanquam paſtoribus vſurpato, non autem tanquam de iure diuino, vt dicitur fuſiùs in propria materia, & docet Azor *quæſt.*7 Difficile tamen ſolet diſpenſare ob reuerentiam ſacri ordinis. quod habet locum tam in bigamia vera, quæ contrahitur ex duobus matrimoniis validis & confirmatis, & interpretatur, quæ ex conſummato contracto cum vna ſola ab alio corrupta,aut cum virgine poſt adulterium ab ea commiſſum, cognita, aut ex duobus matrimoniis conſummatis inualidis, aut vno valido, al-

tero

Digitized by Google

ætero inualido; quàm etiam ſimilitudinaria, quæ contrahitur ex matrimonio contracto & conſummato etiam cum virgine, per adſtrictos ordine ſacro, aut voto ſolemni.

11 *De vitiatis corpore.* DICO TERTIO, qui patiuntur defectum corporis, iure Canonico inhabiles ſunt ad beneficia. habetur toto tit. *de corpore vitiatis. de cleric. ægrot. & d. 55. in Decret.* DD. *ll. cit.* & alij apud apud Garz. *cap. 12. n. 1. & 2.*

Circa quos notandum primò non modò eſſe inhabiles ad ordines ſacros, & conſequenter ad beneficia, quæ illos requirunt, verùm etiam ad minores, & primam tonſuram, & conſequenter ad nullum beneficium. Hoc autem eſt intelligendum, vt fuſiùs dicitur in materia de irregularitate, primò de iis, qui inſigniter deformati ſunt corpore, ita vt ſine horrore aut ſcandalo non poſſint eſſe Eccleſiaſtici miniſtri. Secundò de iis, qui ſibi ſua ſponte membrum aliquod abſciderunt, aut partem membri, etiamſi culpa non ſit notoria, ſatis eſt exercuiſſe in ſe eiuſmodi ſæuitiam: ij verò qui non ſua ſponte, ſed caſu, aut in cunabulis, aut per vim & inſidias hominum, aut propter ægritudinem ſecti ſunt, non ſunt irregulares. Nec etiam adulter, cui à marito, quia fuit deprehenſus cum ſua vxore, abſciſſa eſſent virilia, modò aliàs cum ſufficienti cautela ad eam acceſſerit, vt ex multis docet Garz. à *num.* 8.

Notandum ſecundò, vitium corporis prouenniens abſque culpa, non reddit ex toto irregularem, quoad ordines ſuſceptos, ſed ſolùm quoad illum ad quem eſt inhabilis ob talem impotentiam, conſequenter poterit eſſe habilis ad beneficia, quæ non requirunt ordinem, ad quem eſt inhabilis. Quoad ordines verò ſuſcipiendos vitium quod reddit inhabilem ad ſuperiores, vt ad ſacros, etiam reddit inhabilem ad minores, & quod reddit inhabilem ad ſacerdotium, etiam reddit ad Diaconatum, & ſubdiaconatum, quia tam inferiores, quàm ſuperiores ordinantur ad Sacramentum altaris, ad quod qui eſt inhabilis, non eſt quòd cum eo diſpenſetur ad inferiores, vt ex Vgol. Tol. & Suar. & deciſionibus Rotæ docet Garz. à *num.* 18. Atque hæc ſatis de irregularitate ex defectu hoc loco.

12. *Irregulares ex delicto.* TERTIO QVÆRO de irregularibus ex delicto. Pro reſponſione ſupponendum multos eſſe eiuſmodi irregulares, hoc tamen loco attingemus celebriores, quæ ſunt tres, Hæreſis, Homicidium, & Infamia: ex his enim tribus capitibus oriri maximè ſolent.

13. *De hæreſi.* DICO PRIMO, Hæreſim efficere inhabiles ad beneficia non modò eos, qui hæreſi infecti ſunt, verùm etiam credentes Hæreticis, fautores eorum, receptatores, defenſores, filios & nepotes eorum. habetur *cap. quicunque, & c. ſtatutum 2. de hæret. in 6.*

Circa quos notandum primò, tam filios & nepotes Hæreticorum, quàm credentium, fautorum, receptatorum, & defenſorum, eſſe inhabiles ad beneficia. ex *d. c.* Id autem intelligitur de filiis & nepotibus ex parte patris, non autem de nepotibus ex parte matris, ita vt filius filiæ hæretici beneficij capax ſit, ſed tantùm de filiis earum, ita vt filius hæreticæ vel fautricis, vel receptatricis, &c. etiam incapax ſit beneficiorum. Adde etiam eos, qui ad preces talium Eccleſiaſticum beneficium ſcienter obtinuerunt, vt habetur *c. quicunque. §. adhæc. de hæret. in 6.*

Notandum ſecundò, non omnium hæreticorum, vel fautorum, &c. filij ſunt incapaces, ſed eorum tantum, qui Eccleſiæ nondum reconciliati obiere, vt dicitur *in cap. ſtatutum cit.* ſiue id conſtet per euidentiam facti, ſiue per iudicis ſententiam, ſiue per propriam confeſſionem in iudicio, ſiue alia ratione id filiis manifeſtum ſit, vt docet Azor *lib. 6. cap. 4. quæſt. 3.* Leſſ. *cap. 34. dub. 23. numer. 124.* qui verbum *probantur*, interpretatur idem ſignificare quod verbum *noſcuntur*, ſeu ex certis ſignis probari poſſunt. Quòd ſi obierint correcti quidem, & emendati per manifeſtam cordis pœnitentiam, ſed non fuerunt abſoluti, nec reconciliati Eccleſiæ, filij eodem modo remanent incapaces. nam *cap. ſtatutum, cit.* exprimitur debere eſſe reincorporatos Eccleſiæ ad hoc vt filij eorum gaudeant: qui autem non eſt reconciliatus Eccleſiæ, non eſt illi reincorporatus.

Notandum tertiò, non modò filios legitimos, verùm etiam naturales & ſpurios eadem pœna puniri, vt ex DD. docet Azor *q. 3. verſ. ſi quæras.* De iis autem qui nati ſunt ante hæreſim, eſt dubium, multis DD. negantibus, affirmantibus aliis, vt videri poteſt in Couarr. *lib. 2. var. cap. 8. numer. 5.* Sanchez *de præcept. lib.* . . . Et quidem probabilis eſt ſententia negantium, quam etiam tenet Leſſius *dub. 22. num. 124.* tutior tamen ea quæ affirmat, cui adſtipulatur praxis Sacræ Pœnitentiariæ, & ratio ducta ex odio hæreſis. Denique filij eorum, qui de hæreſi condemnati mortui ſunt ob relapſum, etiamſi per veram cordis pœnitentiam reſipuerint, & in foro conſcientiæ abſoluti ſint; attamen quia non ſunt abſoluti, neque reincorporati Eccleſiæ, hoc ipſo quòd ob hæreſim condemnati ſunt, iiſdem pœnis ſubiacent, vt ex probabiliore ſententia docet Azor *loc. cit. verſ. Dubia etiam quæſtionis eſt*, qui addit, idem iuris eſſe de filiis eorum, qui ſuſpecti de hæreſi obierunt, ſi conſtiterit eos tales deceſſiſſe: & de iis, qui penitus occulti hæretici obierunt, quamuis de his vltimis ſentiat Leſſius contrarium *num. cit.*

Notandum quartò, hanc eandem pœnam extendi ad eos, qui hoſtiliter inſecuti ſunt Cardinales, vel Epiſcopos, & ad filios nepoteſque illorum. *cap. felicis. de pœnis. in 6. & Clem. 1. eod.*

DICO SECVNDO, homicidam & infamem eſſe inhabiles ad beneficia, quia tales ſunt etiam irregulares ex delicto. Et quoniam eatenus ſunt inhabiles ad beneficia, quatenus ſunt irregulares, & non alia peculiari ratione, recoli poterunt quæ dicta ſunt ſuo loco de huiuſmodi irregularitatibus, hîc enim tantùm complementi cauſa ſatis fuit, earum meminiſſe. Nec plura. 14. *De Homicidio.*

QVARTO QVÆRO de iis, qui cenſura aliqua irretiti ſunt. RESPONDEO & DICO PRIMO, excommunicatos, ſuſpenſos, & interdictos perſonaliter eſſe inhabiles ad beneficia. communis ſententia DD. ex Leſſ. *dub. 22.* & Garz. *cap. 13. à num. 1.* & quidem de excommunicatis habetur *cap. poſtulaſtis. de cleric. excomm.* nam qui minore tantùm, non ita ſunt inhabiles vt collatio ſit irrita, ſed tantùm vt irritanda ſit, ex *cap. ſi celebrat. eod.* quicquid alij contrà ſentiant. De ſuſpenſis habetur *cap. cùm dilectus. de conſuetud. cap. cùm inter R. de elect. cap. cùm bonæ. de ætat. & qualit.* De interdictis colligitur ex *cap. 1. de poſtul. prælat.* & ratione, quia cùm ſint inhabiles ad officium publicè præſtandum, 15. *Cenſurati. De excommunicatis, ſuſpenſis & interdictis.*

Digitized by Google

ſtandum, vt fieri ſolet in Eccleſia, erunt etiam ad beneficia, quæ propter ea dantur.

In quo notandum primò, quacunque via beneficium obueniat cẽſuratis, eſſe acquiſitionem irritam, vnde tam per collationẽ, quàm per electionem, præſentationem, poſtulationem, nominationem & permutationem eſt irrita prouiſio; quod etiam in praxi contingit in prouiſionibus, quæ fiunt per collatorem inferiorem Papæ: Papa enim ad effectum duntaxat eius collationis, quam facit, conſequendam, ſolet præmittere abſolutionem à cenſuris.

Notandum ſecundò, id verum eſſe etiamſi prouiſus ignoraret ſe eſſe excõmunicatum ignorantia probabili. gloſſ. *in c. Apoſtolica. de cleric. excomm.* communiter recepta, cõmunis apud Garz. *num.* 19. & ita praxis ſeruat, vt patet ex vſu quem diximus prouiſionum Papæ, ideo enim abſoluit ad cautelam; & ratio eſt, quia ignorantia excommunicationis valere quidẽ poteſt ad euadẽdam irregularitatem, & alias pœnas ſtatutas iis, qui aliquid prohibitum egerunt in eo ſtatu, non tamen ad reddendum homines habiles ad ea, ad quæ propter illam ſunt inhabiles, vt Couarr. *c. alma. p.* 1. §. 7. *n.* 3.

De collatione facta ante excommunicationem an valida ſit.

Notandum tertiò, collationem factam ante excommunicationem, validam cenſeri, etiamſi acceptio contingat, cùm iam quis excommunicatus eſt, ſiue quia ius tunc in radice videtur iam acquiſitum per collationem, cùm acceptio tantùm ad factum pertineat, teſte Garz. *num.* 36. ſiue quia ſaltem ratificandi illam pro tempore quo manet abſolutus, habebit validum effectum, & fauet praxis & vſus, qui magnifaciendus eſt in rebus de iure poſitiuo, teſte Couar. *lib.* 3. *variar. cap.* 16. *num.* 4. & alibi. Non ita electio vel præſentatio excommunicati; ſi abſolutus ſit, quando fit acceptio, eſt valida, niſi electores vel patroni perſiſtant in eadam voluntate eo tempore, quo iam abſolutus eſt, quod poteſt ordinariè præſumi, niſi quid peculiare in contrarium obſtet. Leſſ. *num.* 119. etiamſi Henriquez *de excommun. cap.* 13. abſolutè validam eſſe cenſeat acceptationem.

Excommunicatus an optare poſſit.

Notandum quartò, excommunicatum poſſe optare, quando non mutatur titulus, ſed optio tantùm fit quoad præbendam temporalem, & ſolam temporalem, vt ex Rota & aliis docet Garz. *num.* 48. qui etiam extendit ad excommunicatum denuntiatum. Vbi verò mutatur titulus, & fit noua collatio, tunc licebit excommunicato optare, id eſt, declarare ſuam voluntatem ad optionem, differendo prouiſionem donec abſoluatur, vt idem *num.* 51. ex DD. Vbi denique optio ſolùm operatur retentionem vnius beneficij, & dimiſſionem alterius, tunc omnino valet optio facta ab excommunicatione, ex *cap. referente. de præb.* vt pluribus Garz. à *num.* 53. quem vide afferentem nonnullas limitationes propoſitas in concluſione.

16. *De fructibus beneficiorum in excommunicatis.*

DICO SECVNDO, quoad fructus beneficiorum in excommunicatis, etſi id propriè pertineat ad materiam de excommunicatione, breuiter attingam aliqua.

Primum, priuari excommunicatum fructibus beneficiorum ſuorum, eóſque non facere ſuos, quamdiu eſt in excommunicatione etiam occulta, etiamſi id non exprimatur in ſententia. *cap. paſtoralis.* §. *verum. de appellat.* eſt communis ex Garz. *cap.* 13. *num.* 90. etſi gloſſ. *loc. cit.* requirat id exprimi in ſententia, & ſequantur aliqui, vt Petr. Nauarr. Auila, Sanchez, & Gab. Vaſquez, quod facit rem ſaltem probabilem, & in ſuſpenſo ab officio omnino veram, ſi non ſit contumax, nec ſit in mora petendi abſolutionem. De iure videtur verius, etiam eſſe priuatum, quia currit effectus excommunicationis: vbi tamen eſſet conſuetudo, vt non priuetur, etiam in praxi poſſet aduerſum deduci, cùm ſit etiam ſententia multorum, vt Silu. Tol. Suar. Henriq. Sairi, & aliorum apud Garz. *num.* 93. *&* 94. Quòd ſi iudex iniuſtè differat abſolutionem, idem dic, etſi habebit ius excommunicatus contra iudices ad refectionem damni, vt Garz. *n.* 96.

Secundum, depoſito & ſuſpenſo à beneficio in pœnam propter crimen, alimenta ſunt exhibenda ex reditibus ſui beneficij, ſi non habet aliàs vnde viuat: at excommunicato non ſunt, ſaltem dum eſt in contumacia, hac depoſita, & quærendo abſolutionem, probabile eſt, eum poſſe retinere, ex Silueſt. Sairo, & Henriq. quamuis de iure verius ſit non deberi, vt alij cum Garz. *num.* 98. *& ſeqq.* & ad ſummam valeat in diſtributionibus quotidianis, & aliis emolumentis ſimilibus, quæ dantur pro labore, & miniſterio perſonali, vt *num.* 103.

Tertium, ſi excommunicatio ſit nulla, non priuatur fructibus, ſicut neque ſi ſit iniuſta ex parte cauſæ: diſtributiones autem aliis forſan acquiſitæ reddendæ erunt, quia iniuſtè adiudicatæ ſunt aliis, vt Garz. à *num.* 118. Vbi etiam eſſet conſuetudo, vt excommunicati fructus non amitterent, vt eſſe in Hiſpania docet Garz. *num.* 129. exceptis Cathedralibus, vel collegiatis, in quibus eſt in vſu non computare Canonicos excommunicatos, quoad diſtributiones menſæ communis, non erit obligatio illis reſtituendi: quando autem reſtituendi ſunt, cum Eccleſiæ vtilitate connectendi ſunt; pars etiam aliqua in pauperes & egenos conuerti poteſt, vt ex Garz. *num.* 135. *& ſeqq.* colligitur. Reditus autem penſionum amiſſarum remanent ipſi Titulari, eique ſunt reſtituendi, vt idem *numer.* 139.

An prouiſio beneficij facta ſuſpenſo ab officio valeat.

DICO TERTIÒ, prouiſionem beneficij factam ſuſpenſo ab officio vel beneficio eſſe eodem modo irritam. *cap. cùm dilectus. de conſuetud. cap. per inquiſitionem. de elect. cap. cùm bona. de ætat. & qual.* gloſſ. *ibi* & DD. aliique apud Garz. *cap.* 14. *numer.* 1. Leſſ. *cap.* 34. *numer.* 116. Azor *lib.* 6. *cap.* 2. *quæſt.* 2. quamuis probabile ſit, quod dicit Suar. *tom.* 5. *diſput.* 26. *ſect.* 3. *num.* 8. collationem ſeu electionem factam ſuſpenſo ab officio non eſſe ipſo iure irritam, ſed irritandam, vt *cap. ſi celebrat. de cleric. excomm.* vbi dicitur eſſe talem prouiſionem irritandam, non autem irritam, vt ſuprà dixi; tamen temerè carpitur à Garz. *num.* 2. Sed abſolutè ex capp. allatis videtur probari, eſſe etiam ipſo iure irritam, atque ita habet vſus pœnitentiariæ, & decidit Rota apud eundem *num.* 3. *& ſeqq.* De clericis autem concubinariis notoriis, an ſint ſuſpenſi à beneficio néene, dicendum eſſe ſuſpenſos, ſuſpenſione quæ fit cenſura ſaltem ex conſuetudine, vt dicetur ſuo loco, in materia ſimili de ſuſpenſione. quod etiam tandem fatetur Garz. *n.* 60. poſt multa dicta in vtramque partem. Hæc ſatis. 17.

Clerici concubinarij notorij vtrum ſuſpenſi à beneficio.

Coniugati an ſint capaces beneficiorum.

QVINTO QVÆRO de coniugatis. Et RESPONDEO breuiter non eſſe capaces beneficiorum, quia ſunt prohibiti ordines ſuſcipere. *cap.* 2. *cap. diuerſis, cap. vt decorem. de cleric. coniug. & in cap. vnic. eod. in* 6. Trid. *ſeſſ.* 21. *cap.* 4. & 18.

Digitized by Google

& alij DD. apud Garz. *cap.* 5. *numer.* 1. Leſſ. *dub.* 21. Ratio eſt, quia non poteſt vacare vxori, carniſque voluptatibus, & diuino obſequio: alterum ergo ſeorſim eligendum erat.

In quo notandum primò, non modò eſſe incapaces noui beneficij, ſed ſi antè habebant, contrahentes matrimonium ipſo iure amittunt. DD. communiter *in cap.* 1. *de cleric. coniug.* Nauarr. *cap.* 25. *numer.* 120. Non obſtat, quòd *cap.* 1. *cit.* dicatur eſſe compellendum vt beneficia relinquant. vnde colligitur, non ipſo iure. Reſpondeo enim ex gloſſ. non loqui de priuatione iuris, quam incurrunt ipſo facto, ſed priuatione facti, ſeu poſſeſſionis, quæ exequenda eſt per iudicem.

19. *An qui virginem duxit, ſi caſtitatem vouerit admittendus ſit ad beneficium.* Notandum ſecundò, qui duxit virginem, ſi ea conſentiente caſtitatem vouet, admitti poteſt ad beneficium, ex *cap.* 2. *de cleric. coniug.* tunc tamen vxor ſi iuuenis eſſet, deberet antè Religionem ingredi; ſi prouectæ ætatis, ſaltem manere in ſæculo, ex gloſſ. *ibid.* Qui verò clericus exiſtens in minoribus contraxiſſet inualidè ob aliquod impedimentum, etſi Abbas cum aliis affirmet etiam eum amittere beneficium, attamen alij probabile putant non amiſſurum, quia ceſſat ratio textus contrarium decernentis. Non ita qui poſtquam contraxit, relinquitur ab vxore ante conſummationem ob ingreſſum in Religionem, is enim amittit, quia per accidens eſt, quòd poſtea liber relinquitur, vt communiter DD. ex Leſſ. *num.* 113.

20. *De eo qui contraxit tantum ſponſalia.* Notandum tertiò, eum qui contraxit ſponſalia tantùm, non amittere ipſo iure beneficia, etſi mereatur priuari ex communi: ſicut etiam clericus in ſacris contrahens, meretur priuari, ex *cap.* 1. *cit.* & gloſſ. *ibi.* quia matrimonium irritum eſt, & compellitur manere in ordine ſuſcepto, ſed ob actum atteſtatum punitur priuatione beneficij.

Notandum quartò, non modò eſſe incapacem beneficij, verùm etiam adminiſtrationis Eccleſiaſticæ, quæ nimirum perſonæ Eccleſiaſticæ aſſignatur, etiamſi beneficium non ſit, vt ex deciſ. Rotæ docet Garz. *numer.* 3. Neque in hoc diſpenſat Epiſcopus etiam reſpectu beneficij ſimplicis, vt Abb. *in cap. Ioannes. de cleric. numer.* 7. & alij cum Garz. *num.* 4. Ratio eſt, quia Epiſcopus non diſpenſat contra ius, niſi in caſibus à iure expreſſis, &c.

21. *Clericatus & Ordo.* SEXTO QVÆRO de clericatu & ordine prærequiſito. RESPONDEO & DICO PRIMO, requiri ad beneficium præuium clericatum, ſiue primam tonſuram, aliàs non erit quis illorum capax iure Canonico. habetur *cap. cùm contingat. de ætat. & qualit. cap. cùm adeò. de reſcript. & cap. ex literis. de tranſact.* communis DD. ex Leſſ. *dub.* 19. & Garz. *cap.* 1. *numer.* 1. Ratio ſumitur ex eo, quia beneficium eſt propter officium, hoc eſt, miniſterium Eccleſiaſticum, quod neceſſariò requirit ordines, &c. non ſufficit autem quempiam reputari clericum, ſi reuera non ſit talis, vt ex Rota & aliis docet Garz. *numer.* 11. quamuis vt non peccet quis, ſatis eſt ceſſare clericatum per communem reputationem, vt idem *numer.* 112. Quòd autem aliquando facta ſit electio laicorum in Epiſcopum, vt legitur de B. Nicolao, & B. Ambroſio, id non tollit, quominus collatio veta ſit, intelligitur enim debere tunc ſuſcipi clericatum & ordines neceſſarios, nec poſſe exerceri abſque ordine. Hodie tamen ex Sixti V. conſtitutione 38. requiritur, quòd tempore collationis beneficij ſit actu quis clericus in habitu clericali & tonſura incedens, aliàs collatio eſt nulla: idémque multò magis ſeruandum clerico habenti beneficium etiam ſimplex, vel penſiones, debent enim tonſuram & habitum clericalem, veſtes ſcilicet talares iugiter deferre, alias ipſo facto eſt priuatus omnibus beneficiis & penſionibus, & beneficia ſic vacantia reſeruantur diſpenſationi ſedis Apoſtolicæ.

Dices, quid debeat intelligi per veſtes talares. 22. *Veſtes talares quæ.* Reſpondeo quæ vſque ad talos ſiue pedes protraciuntur. Ex epiicheia tamen etiam, quæ ad media crura extenduntur, præſertim vbi ex conſuetudine ita deferuntur, ſatis eſſent, vt Garz. *n.* 22. ex Sanchez *lib.* 7. *de matrim. diſp.* 46. *num.* 6. An autem debeant eſſe duæ, interior & exterior, *Et quot eſſe debeant.* dic ſatis eſſe vnam in rigore; vt, Galli vnam tantùm deferunt, pauperiores ſcilicet, interiorem; ſic etiam alibi tantùm exteriorem, ex eodem Garz. *num.* 23. Quis autem dicatur proprius *Proprius Epiſcopus quis.* Epiſcopus reſpectu primæ tonſuræ, vide Leſſ. *dub.* 19. *cit.* non enim eſt hic locus, ſed in materia de ordine.

DICO SECVNDO, dari aliqua beneficia 23. *De beneficiis requirentibus certum ordinem.* requirentia certum ordinem, quo qui carent, ſunt inhabiles ad illa. DD. *in cap. dudum* 1. *de elect.* & alij citati à Garz. *num.* 40. *& ſeqq.* Azor *lib.* 6. *cap.* 8. Ratio, quia fundator eorum potuit fundationi addere tale onus, præſertim, quia eſt conforme iuri; idem dic, ſi donatione vel conſuetudine ſit adiunctum eiuſmodi onus; ſicut etiam poteſt fieri, vt contraria conſuetudine temperatum ſit, quia ſcilicet ſi eſt pro ſacerdotibus inſtitutum, ſatis ſit infra annum ad eum ordinem promoueri, vt docet Leſſ. *numer.* 97.

Et quidem primò, ad Epiſcopatum requiritur *De Epiſcopatu.* ex iure ſubdiaconatus. *cap. à multis. de ætat. & qualit.* Iure autem nouo Trident. *ſeſſ.* 23. *cap.* 2. *de reform.* adeptus Epiſcopatum, ſi non fuerit conſecratus infra tres menſes, tenetur ad reſtitutionem fructuum perceptorum; ſi per tres alios menſes id non egerit, ipſo iure eſt priuatus epiſcopatu. intellige poſt ſententiam, vt Leſſ. *numer.* 103.

Secundò ad parœciam, vt intra annum à die *De Parœcia.* poſſeſſionis pacificæ, ſit ſacerdos. *cap. licèt canon. de elect. in* 6. Rebuffus *in praxi p.* 2. *de non promotis*, &c. Quòd ſi legitimo impedimento detentus fuiſſet, vt ſi ægrotaſſet, vel abſuiſſet Epiſcopus, vel dimiſſorias dare non potuiſſet, vel recuſaſſet promouere ad ſacerdotium, poſſet vltra annum differri. ex *c. commiſſa. de elect. in* 6. ibi, *niſi legitimo impedimento*, &c. Quòd ſi intra dictum tempus non ſit ſacerdos, priuatus exiſtit Eccleſia nulla præmiſſa monitione. Præterea eadem Eccleſia non poteſt illi iterum conferri, ideo illâ priuatur, vt *ibid.* Qua pœna non afficiuntur alij habentes curam animarum, vt Decani, Præpoſiti, Archipresbyteri, & præfecti collegiatarum, vt gloſ. *c. licèt canon. verb. parochialis, & c. ſtatutum. de elect. in* 6. ſed aliis, de quibus infrà in 9. multò minus Epiſcopi, Archiepiſcopi, aliíque ſimiles ſuperiores, vt Azor *q.* 3. *&* 4.

Tertiò, eodémque modo Vicarius perpetuus *De Vicario perpetuo.* debet intra annum fieri ſacerdos. *Clem.* 1. *de off. vicar.* Azor *q.* 5.

Quartò idem dic de Prioribus in Eccleſiis *De Prioribus in Eccleſiis conuentualibus.* conuentualibus. *Clem. ne in agro. §. cæterùm. de ſtatu Monachor.* Non comprehenditur tamen

Abbas,

Digitized by Google

Abbas, ex Rebuffo *loc. cit. numer.* 22. vt Azor *quæſt.* 6.

De Commendatario parochialis.

Quintò idem de commendatario parochialis, debet enim eſſe presbyter actu, non tantùm intra annum. *cap. nemo deinceps. de elect. in* 6. vt Azor *quæſt.* 7.

De Parocho cuius Eccleſia alteri æquè principali eſt adiuncta.

Sextò, idem dic de parocho, cuius Eccleſia alteri adiuncta eſt æquè principali, vel tanquam principalis, tenetur enim infra annum eſſe ſacerdos; ſecus ſi alteri tanquam inferiori annectatur, tunc enim ſequeretur naturam ſuperioris.

De Eccleſia parochiali non habente parochianos.

Septimò, ſi Eccleſia parochialis ſit, ſed actu non habeat parochianos, non tenetur parochus eſſe ſacerdos: quando autem habebit, tunc tenebitur, vt Azor *quæſt.* 9.

De eo qui recepta parœcia non habet actum recuperandi ſacerdotium infra annum.

Octauò, qui recepta parœcia non habet actum recuperandi infra annum ſacerdotium, non facit fructus ſuos, dum manet in ea voluntate. *cap. commiſſa. de elect. in* 6. Si mutet animum, & ſuperſit tempus ſufficiens ad ſacerdotium ſuſcipiendum, incipiet facere fructus; ſi non ſuperſit tempus, non faciet, quia non purgat fraudem legitima pœnitentia, vt Azor *quæſt.* 10. conſequenter ſi ab initio decreuit non fieri ſacerdos, non poteſt beneficium permutare, quia, vt dicemus infrà, defectus inſtitutionis debitæ facit irritam receptionem beneficij: ſi verò habuit, ſed deinde meliorem occaſionem nactus, mutat voluntatem, poteſt permutare, vt ex multis docet Azor *quæſt.* 10.

De iis qui habent dignitates, perſonatus, officia, &c. quibus ſunt adnexi certi ordines.

Nonò habentes in Cathedralibus & collegiatis ſiue ſæcularibus, ſiue Regularibus, Dignitates, perſonatus, officia, vel præbendas, quibus certi ordines ſunt adnexi, tenentur infra annum à die pacificæ poſſeſſionis ordinari iis ordinibus, alioquin dum eos non habent, poſt annum, vltra p. m. amittunt vocem in Capitulo, & dimidias diſtributiones. Clem. *vt ij. de ætat. & qualit.* & nouiſſime Trident. *ſeſſ.* 22. *cap.* 4. *de reformat.* requiritur ſacerdotium infra annum in iiſdem & quibuſlibet beneficiariis Cathedralis & collegiatæ, relinquit tamen Epiſcopi prudentiæ cum conſilio collegij Canonicorum, vt deſignet quibuſdam in caſibus quis ordo adnexus eſſe debeat, ita tamen vt dimidia pars ſint presbyteri, &c. vt dixi ſuprà *cap.* 1. *quæſt.* 4. cùm de Canonicis, ſiue ſæculares ſint beneficiati, ſiue Regulares, vt Azor *quæſt.* 11.

24. *De beneficiario ſimplici.*

Dico tertio, in beneficiario ſimplici non eſt iure communi requiſitus ordo ſacer: nullus eſt enim canon, cui id requirat, vt teſtatur Azor *q.* 12. Dixi, *iure communi*, quia iure Concilij Tridentini, vt iam diximus, quælibet beneficia etiam ſimplicia Cathedralis vel collegiatæ habent adiunctum ſacrum ordinem. Dixi etiam *iure communi*, quia fundatione, dotatione, priuilegio, conſuetudine vel particulari ſtatuto, aliquando poteſt eſſe requiſitus, vt in Capellania præſertim videtur habere adnexum presbyteratum, vel reſpectu aptitudinis, nempe poſt annum, vel reſpectu actus, cùm ſtatim celebrare teneretur; in hac tamen aliquando poſſet etiam nullo modo eſſe adinuicem ordo ſacer, vt diximus, cùm videlicet per alium Miſſis ſatisfacere poteſt.

25. *An clerico nondum ſacerdoti dari poſſit beneficium requirens actu ſacerdotem.*

Dices primò, An clerico nondum ſacerdoti habenti reſcriptum à Papa, vt quodlibet beneficium & curatum ei detur, poſſit dari beneficium requirens actu ſacerdotem. Reſpondeo, ſi eſt fundatum à laico non poteſt, quia Papa non ſolet derogare eius inſtitutioni, ne cæteri retrahantur: ſi ab Eccleſiaſtico, per ſtatutum Epiſcopi facto decreto de ordine ſacerdotali, ad id beneficium requiſito, ſic poteſt dari, ob clauſulam, *Non obſtantibus quibuſcunque ſtatutis*, &c.

26. *Vtrùm Canonicus per alium ſupplere poſſit Miſſas in ſua hebdomada.*

Dices ſecundò, an poſſit Canonicus Cathedralis per alios ſupplere Miſſas debitas in ſua hebdomada, quia is ſubdiaconus ſit. Reſpondeo, ſi intra annum poteſt fieri ſacerdos, interim poteſt alium ſubſtituere; ſi non poteſt, dimittat Canonicatum, quia non eſt habilis ad illum, ex Trident. loc. ſup. citat. Atque hæc ſatis de clericatu, & ordine.

27. *Ætas requiſita ad beneficium.*

Septimo qværo de ætate requiſita ad beneficia. Respondeo & dico primo, ad ſimplicia olim ſatis erat ſeptennium exactum. gloſſ. *cap. ſi eo tempore. verſ. ætatem. de reſcript. in* 6. Azor *lib.* 6. *cap.* 6. *quæſt.* 7. & alij cum Garz. *cap.* 4. *num.* 4. quia eo tempore tonſura dari poterat. *cap. vlt. de tempor. ordinand. in* 6. Non dabatur autem tonſura ſine aliquo titulo Eccleſiaſtico. *cap.* 1. *d.* 70. & *cap. cùm ſecundum Apoſtolum. de præb.* ſaltem quoad ea beneficia, quæ non habebant nomen Rectoriæ, & conſequenter maiorem iudicij maturitatem requirebant. At hodie ex Trid. *ſeſſ.* 23. *cap.* 6. *de reform.* in quibuſcunque requiritur annus decimus quartus inceptus. Et iure, quia antè nemo poteſt ſapienter ſe regere & gubernare. In quo non poteſt Epiſcopus diſpenſare, ex Azor. *quæſt.* 8. *verſ. ſi quæras.* niſi in fundatione aliter dicatur, quia non eſt ei derogatum, ex declaratione Concilij, vt refert Sà *beneficium, num.* 30. & Rota apud Garz. *num.* 10. & quòd ſufficiat decimus quartus inceptus, adeſt declaratio Congregationis apud eundem *num.* 11. Papa autem poteſt, vt Azor *quæſt.* 8. in pueris, & infantibus.

28. *Ætas requiſita ad Canonicatum.*

Dico secvndo, ad Canonicatum præſertim Eccleſiæ Cathedralis, licèt olim fuerit controuerſia, an ſatis eſſet ſeptennium, affirmante gloſſ. *cap. ex eo. de elect. in* 6. *verſ. in tua.* & aliis apud Garz. *num.* 16. negante Hoſtienſ. & Abb. *cap. ſuper inordinata. de præb. num.* 4. & aliis apud eundem *num.* 12. Attamen hodie ex Trident. *ſeſſ.* 24. *cap.* 12. *de reform.* requiritur illa ætas, quæ ſatis eſt, vt infra annum recipiat ordinem, qui requiritur in Canonicatu, & aliis dignitatibus, ex *cap.* 4. *ſeſſ.* 22. *de reform.* ideóque cum requiſitus ſit ordo ſacer, ſi is ſubdiaconatus ſit, requiretur viceſimus primus inceptus; ſi Diaconatus, viceſimus ſecundus; ſi presbyterium, viceſimus quartus item inceptus, vt Leſſ. *n.* 110. & Azor *lib.* 6. *c.* 5. *quæſt.* 5. licèt alij requirant eiuſmodi annos completos, ex Garz. *numer.* 22. In Canonico verò Pœnitentiario requiritur vltra gradum Doctoratus, etiam quòd ſit quadraginta annorum ſiue exactorum, vt Garz. *num.* 35. ſiue inceptorum, vt Azor *d. cap.* 5. *quæſt.* 6. ex Trident. *ſeſſ.* 24. *cap.* 8. *de reform.* Non obſtaret tamen defectus annorũ, vbi aptior alius pro loci qualitate nõ reperiretur. Denique ad Canonicatum Eccleſiæ collegiatæ requiritur ea ætas, quæ ante Concilium, nihil enim innouat Trident. circa hoc, ex declarationibus Concilij apud Garz. *num.* 37. Vnde etiam nunc ſufficiet ad illum prima tonſura, & quòd quis attingat decimum quartum annum, interim tamen non habebit vocem. Idémque eſt in dimidiis penſionibus Eccleſiæ Cathedralis, vt idem *num.* 40. Azor *q.* 6.

29. *Ad Parochiales.*

Dico tertio, ad Parochiales requiritur

ritur viceſimus quintus inchoatus. *cap. cùm in cunctis. de elect. & cap. licet canon. eodem in 6.* & Trident. *ſeſſ. 24. cap. 12. de reform.* Leſſ. *num.* 107. & Azor *cap. 5. quaſt. 2. 4. & 9.* Idem dic in Vicariatu perpetuo, & adiutore Parochi, vt Azor *quaſt. 4.* necnon in Abbate, ex iiſdem. Nec requiritur, vt ſit conſtitutus in minoribus; ſatis eſt prima tonſura, dummodo ſit in dicta ætate, vt ex declaratione Conc. docet Garz. *num.* 42.

In Vicariatu perpetuo, & adiutore Parochi.

In beneficiis habentibus annexum ordinem ſacrum.

In aliis verò beneficiis habentibus annexum ordinem ſacrum ex fundatione, conſuetudine, ſtatuto, vel priuilegio, requiritur ætas requiſita ad illum ordinem ſacrum adnexum. *cap. ei cui. de præb. in 6.* gloſſ. *cap. ſi eo tempore. v. ætate. de præſcript. in 6.* & alij apud Garz. *num.* 50. ſiue ille ſacer ordo ſit ſacerdotium, ſiue Diaconatus, ſiue ſubdiaconatus, eadem enim eſt illorum ratio. An autem Epiſcopus potuerit olim diſpenſare, vide Azor. *quaſt. 9. ver. cæterùm.* qui ex *cap. cùm ex eo. de elect. in 6.* addit etiam nunc poſſe Epiſcopum diſpenſare, vt gratia ſtudij ad ſeptennium duraturi, poſſit tempus vltra annum prorogare, dummodo tamen intra annum proximè ſequentem ſubdiaconus fiat, non tamen conceditur, vt poſſit promouere clericum ad Eccleſiam carentem ea ætate, in qua poſſit fieri presbyter infra annum. Vide plura *quaſt.* 10.

30. *Ad dignitates & perſonatus quibus non eſt adnexa cura animarum.*

D I C O Q V A R T O, ad dignitates & perſonatus quibus non eſt adnexa cura animarum, iure antiquo requiritur eadem ætas, quæ in curatis, in qua tamen poterat Epiſcopus diſpenſare cum maiori viginti annis. *cap. 1. de ætat. & qualit. in 6.* Nunc ex Trident. *ſeſſ. 24. cap. 12. de reform.* requiritur ætas annorum 22. completorum, id enim inſinuatur ea formula, vt non ſit minor 22. annis, vt docet Leſſius *num.* 108. & probat Garz. *num.* 70. ex duabus declarationibus Congregationis, quicquid contrà Azor *c. 5. quaſt. 3. in fine.* In quo non poteſt Epiſcopus diſpenſare, cùm ei non permittatur, ſicut antea, vt Nau. *c. 25. num.* 116. & alij.

In quo notandum primò, non tantùm id habere locum in dignitatibus & perſonatibus Cathedralium, ſed etiam in inferioribus collegiatis, vt patet ex c. initio, *cùm dignitates in Eccleſiis præſertim Cathedralibus.* nam illud, *præſertim*, implicat alias collegiatas, vt ex declaratione Congregationis conſtat apud Garz. *num.* 59. Nec cōtrà eſt declaratio eiuſdem Congregationis apud Rodriq. *regul. t. 1. q. 11. art. 2.* loquitur enim declaratio de Canonicatibus collegiatæ, non de dignitatibus, vt Garz. *num.* 62.

31. *Ad dignitatem principalem in Collegiata. Item ad Decanatum, Præpoſituram & Archipresbyteratum.*

Notandum ſecundò, ad dignitatem principalem in Collegiata regulariter requiritur ætas annorum 25. inceptorum, quia regulariter habere ſolet curam animarum in foro interno, vel externo. Idem de Decanatu, Præpoſiturâ, & Archipresbyteratu, etiamſi eis cura animarum non ſubſit, ex quo de iure adnexum habent ſacerdotium, vt etiam Abbatia. *c. 1. de æt. & qualit.* Azor *c. 5. quaſt.* 2.

32. *Ad Epiſcopatum.*

D I C O Q V I N T O, ad Epiſcopatum requiritur annus trigeſimus completus, & ſacer ordo, ſaltem ante ſex menſes. *cap. cùm in cunctis. de elect.* Trid. *ſeſſ. 7. c. 1. & ſeſſ. 22. c. 2. & ſeſſ. 24. c. 1. de reform.* Gregorius XIV. in Bulla, de forma faciendi proceſſus ſuper promouendis ad Cathedrales, quæ refertur à Garz. *num.* 77.

Ad Cardinalatum.

Eadem ætas requiritur ad Cardinalatum, ex Trid. *ſeſſ. 24. cap. 1. verſ. ea verò omnia.* vna cum *ſeſſ. 7. cap. 1. & ſeſſ. 22. cap. 2.* Sed ex conſtitutione Sixti V. Diaconus Cardinalis eſſe poteſt 22. ætatis anno.

In Diacono Cardinali, Abbatiſſa & Prioriſſa quæ.

Denique de ætate Abbatiſſæ, aut Prioriſſæ, Trid. *ſeſſ. 25. de regul. c. 7.*

33. *Quid ſi prouiſio facta ſit non habenti ætatem requiſitam.*

D I C O S E X T O, prouiſionem factam non habenti ætatem requiſitam in beneficio, eſſe nullam. Pariſ. *de reſign. lib. 4. quaſt. 7. num.* 20. Azor *lib. 6. cap. 5. quaſt.* 11. alij cum Garz. *num.* 82. & habet locum etiamſi bona fides interceſſiſſet, deberet enim curari conualidatio tituli & fructuum cum domino, vt *ibidem* Azor. Idem etiamſi deeſſet vnus dies, nam in his, quæ à iure ſunt determinata, non licet arbitrari. Sanch. *lib. 1. de matrim. diſp. 16. num.* 4. quicquid contrà Ledeſm.

De præſentatore.

Idem dic in præſentatore, requiritur enim ætas requiſita, ſicut etiam in opponente, nam habilitas requiſita ſemper debet ſupponi, vt contra Rodriq. docet Garz. *num.* 87.

& Coadiutoria quid.

In Coadiutoria autem eadem ætas requiritur, quæ in tit. beneficij vt *p. 1. deciſ.* 124. Caputaquen.

Ætas ex quo numeratur.

Denique ætas numeratur à natiuitate, non à conceptione. Couar. *de matrim. 2. p. c. 6. §. 1. n.* 3. Molina *tract. 2. diſp.* 573.

O C T A V O Q V Æ R O de ſcientia requiſita ad beneficia. 34.

Scientia requiſita ad omnia beneficia in genere.

R E S P O N D E O & D I C O P R I M O, generatim eam ſcientiam requiri ad vnumquodque beneficium, quæ neceſſaria eſt ad officium illo beneficio adnexum. *cap. cùm in cunctis. de elect.* Trident. *ſeſſ. 24. cap. 18. de reform.* Azor *lib. 6. cap. 6.* & alij plerique apud Garz. *7. p. c. 7. num.* 3. Ratio per ſe patet, quia beneficium datur propter officium; illa ergo ſcientia, quæ ſatis eſt ad officium, ſatis etiam erit ad beneficium: quæ autem ſcientia requiratur ad officia, ſeu miniſteria clericorum, declaratur cùm de ordine: nam quæ ſcientia requiritur ad ordines ſingulos, ea etiam requiritur ad officium illorum ordinum.

35. *Ad ſimplex acquirens primam tonſuram.*

D I C O S E C V N D O, in particulari breuiter, incipiendo ab inferioribus beneficiis, primò ad ſimplex requirens primam tonſuram requiritur vt ſciat legere & ſcribere, & conſtruere. gloſſ. *Clem. 1. de conceſſ. præb. v. reputamus.* Nau. *de orat. miſcell.* 43. *num.* 3. Cantus autem examen non ſolet fieri, niſi eſſet beneficium, vt vocant, ſeruitoriæ: ſufficit autem ſi mediocriter, & parum exactè ſciat, vt ex deciſ. Rotæ Garz. *num.* 7. Et quamuis ad primam tonſuram ſufficiat legere & ſcribere lingua vernacula, tamen quia beneficiarius debet recitare horas Canonicas, ideo præterea debet ſcire Latinè legere, & intelligere, quod eſt conſtruere. Rudimenta etiam fidei ſcire debet, ex Trid. *ſeſſ. 23. cap. 9. de reform.*

Requirens ordines minores.

Secundò, ad ſimplex requirens ordines minores, neceſſaria eſt ſcientia linguæ Latinæ, & vt bonum teſtimonium habeat à Parocho, & Magiſtro ſcholæ, in qua educatur, Trident. *cap.* 11.

Requirens ordines ſacros.

Tertiò ad beneficium requirens ordines ſacros, ſiquidem ſimplex ſit, vt Capellania, Canonicatus, &c. requiritur plenaria inſtructio rerum fidei, vt ſit verſatus in minoribus, & ſciat pertinentia ad ſuum munus, præcipuè ad Miſſam, & Euchariſtiam, ſi ſit Sacerdos; ſi verò ſit duplex, vt parochiale, ſciat præterea neceſſe eſt, quæ pertinent ad Sacramenta populo adminiſtranda. Trid. *cap.* 13. & ex iure antiquo *c. quæ ipſis d.* 38. neceſſaria ſunt ad diſcendum Sacramentorū liber, Lectionarius, Antiphonarius, Baptiſteriū, Computus, Canones pœnitentiales, Pſalterium

terium

Digitized by Google

teriũ, & Homiliæ per circulũ anni in Dominicis & feſtis aptæ. ex quibus aliqua videtur vſu abrogata, vt de cõputo, & Canonibus pœnitẽtialibus.

In Archidiacono, Præpoſito & alijs habentibus dignitates.

Quartò Archidiaconi, Præpoſiti, & alij habentes dignitates, ex communi DD. vt teſtatur Azor c. 6. q. 2. debent ſcire iura & canones, ad quorum præſcriptum iudicare debent: quod intelligitur de iis, qui ratione muneris ſui ius dicunt in foro, in aliis non requiritur. Iure autem nouo Trid. *ſeſſ.* 23. *c.* 18. dignitates quæ Scholaſticæ dicuntur, non niſi DD. vel Magiſtris, vel Licentiatis in ſacra pagina, aut in iure Canonico conferantur, aliter prouiſio nulla ſit. Vide etiam quæ habentur *ſeſſ.* 24. *c.* 12.

In Canonico pœnitentiario in Cathedrali.

Quintò Canonicus pœnitentiarius in Cathedrali debet eſſe Doctor, aut Licentiatus in Theologia, vel iure Canonico, *ſeſſ.* 24. *c.* 8.

In Epiſcopo.

Sextò Epiſcopus debet eſſe Doctor, aut Licentiatus in Theologia, vel iure Canonico, aut ſaltem publico alicuius Academiæ teſtimonio ad alios docendos idoneus. Trident. *ſeſſ.* 22. *c.* 2. ſi Regularis fuerit à ſuperioribus ſuæ Religionis, ſimilem fidem habere debet, vt *ibid.*

In Cardinalibus.

Septimò, idẽ ſeruandũ in Cardinalibus, ex *ſeſſ.* 24. *c.* 1. pari enim eruditione inſtructi eſſe debet, & iure; cùm ſint Papæ Cõſiliarij, & ſupremus orbis Senatus. In perilluſtribus autẽ filiis, aut nepotibus Regum vel magnorum Principum ſufficit maturitas morum cum ſufficienti literatura. Vide Azor. *c.* 6. *q.* 10.

36. *Nullus admitti debet ad beneficium ſine examine.*

Dico tertio, neminem ſine examine ad quodcunque beneficium admitti debere. Trid. *ſeſſ.* 7. *c.* 13. & *ſeſſ.* 25. *c.* 9. vbi etiam redditur irrita inſtitutio facta ab eo, qui inferior eſt Epiſcopo, niſi inſtitutus fuerit antea examinatus ab Epiſcopo: quod debet intelligi cum exceptione præſentatorum & nominatorum ab Vniuerſitatibus ad beneficia non parochialia, hi enim non ſunt examinandi, ex *ſeſſ.* 7. *c.* 13.

Poſt examine promotus ad vnum beneficium, an denuo examinetur transferendus ad aliud.

Dices: Qui præmiſſo examine ad vnum beneficium promotus eſt, debétne denuò examinari, ſi ad aliud beneficium transferatur. Reſpondeo, vel ſecundum beneficium eſt ſimile primo & æquale, vel ſuperius: ſi ſimile tantùm, vt quia vtrumque parochiale, tunc ſi Eccleſia vel locus amplior ſit, vel nobilior, vel celebrior, examinãdus eſt: ſi omnino æquale, non videtur, niſi in priori examine minus idoneè reſpondiſſet, vel credatur poſt examen geſſiſſe ſe negligenter in literarum ſtudio, & oblitus eſt, quæ antea didicerat; ſi verò ſecundum eſt ſuperius, vtique examinari debet. Cæterùm ſi debeat ſecundum dari in concurſu, ſiue ſit æquale, ſiue inæquale, ſemper examen præmittendum eſt. Atque hoc ſeruari ſtylo Romanæ Curiæ, teſtis eſt Azor *q.* 9.

37. *Quid ſi conferatur omnino illiterato, aut literatura aliquo non ſufficienti.*

Dico qvarto, prouiſio de beneficio facta omnino illiterato, irrita eſt, & ſi inſufficienti alicuius literaturæ, eſt irritanda. Primum docent cõmuniter DD. *in c. dudum de elect. & c. cùm in cunctis eod.* Nau. *in c. ſi quando excep.* 16. alij cũ Garz. *n.* 13. colligitur ex Trid. *ſeſſ.* 22. *c.* 4. vbi dicitur irrita omnis prouiſio facta ei, qui ętatẽ, & cęteras habilitates integrè nõ habuerit: qui autẽ eſt omnino illiteratus, nedum integrè, ſed neque ex parte habilitatẽ ſcientię habet. Ratio denique eſt, quia talis nullo modo officiũ præſtare poteſt, ex quo penitus illiteratus eſt. Nec propterea, ſi literas poſtea addiſcat, collatio reuiuiſcit, vt bene Garz. *n.* 20. cõtra Gonz. quia ex ſola taciturnitate ſuperioris nõ inducitur collatio. Nec limitanda eſt ad ſola curata, nã etiã in ſimplici locũ habet, vt bene idẽ Garz. cõtra Gonz *ibid.* Conſequenter fructus omnes reſtituere debet, cùm nõ habeat titulũ validũ. Secundum autẽ probatur ex *c. niſi. de renunt. & c. cùm in cunctis de elect.* vbi Innoc. quem cæteri ſequũtur. Garz. *n.* 21. Azor 1. *p. lib.* 10. *c.* 15. *q.* 18. in quo notandũ triplex genus ſcientiæ, eminẽs, mediocris, & idonea; eminẽs dicitur, qua quis etiam difficillima ad ſuum munus ſpectantia promptè explicare poteſt; mediocris, qua quis poteſt explicare paſſim occurrẽtia in ſuo munere; idonea, qua quis ſuo munere fungitur, legendo interim Doctores, cõſulendo doctos, & interrogãdo, quæ dubia occurrunt. Si ergo neque ſit idonea, iam tenebitur dimittere beneficium, niſi breui putaretur habiturus idoneam & ſufficientem, &c.

Nono qværo de probitate neceſſaria ad beneficia.

Respondeo, & dico primo, requiri morum probitatem: hoc eſt, vt non ſit deditus grauibus peccatis, nec ſit infamis. *c. cùm in cunctis. de elect. c. graue nimis. de præbend. Clem.* 1. *de ætat. & qualit.* Trid. *ſeſſ.* 24. *c.* 18. *de reform.* Ratio ſumitur ex iure naturali, quia miniſter Dei & Eccleſiæ maximè probus debet eſſe, cùm eorum exemplo alij etiam promouendi ſint. Confirmatur, quia improbus maximè nocet Eccleſiæ, etiamſi alioquin eruditus ſit; contrà probus etiamſi aliquid ſcientiæ defuerit, plurimum prodeſt, curabitque diligentia edoceri, & ſupplere per alios. 40. *Probitas neceſſaria ad beneficia.*

Dico secvndo, non eſſe ipſo iure irritam collationem beneficij factam criminoſo, ſeu infami, modò crimen non habeat adnexam excõmunicationem, vel irregularitatem. Nau. *c.* 25. *n.* 151. & *c. ſi quando except.* 16. & 17. Calder. Cardinalis, Gomez & alij apud Garz. *c.* 8. *n.* 47. Probatur ex *cap. inter dilectos. de exceſſ. prel.* & quia nullus eſt textus continens nullitatem prouiſionis: nam etiamſi crimen, in quo verſatur, ſit tale, vt indueat priuationem beneficij, vel per ſententiam, vel ipſo iure, & ob id non debet ad alia admitti; attamen nõ propterea eſt inhabilis ad alia obtinenda: ſeruanda ergo eſt illa regula ex Lambert. citat. à Garz. *n.* 52. quòd tunc ſit nulla collatio facta criminoſo, cùm hoc à iure expreſſum eſt, quod etiam procedit in prouiſione facta à Papa, niſi fiat mentio de crimine, vt ex Felino, Nauarro, & Rota docet idem *n.* 53. Erit tamen irritanda ab eo, qui ad id habet poteſtatem, vt colligi poteſt ex eod. *c. inter dilectos.* Vide plura apud Azor. *c.* 7. & Garz. *loc. cit.* 41. *An irrita ſit collatio facta criminoſo, ſeu infami.*

Decimo qværo de intentione requiſita ad beneficia acquirenda. Respondeo & dico primo, ad omnia requiri intentionem determinatam Eccleſiaſtici ſtatus, & ordinis requiſiti in tali beneficio. communis DD. ex Leſſ. *n.* 131. Ratio duplex, prima quia par eſt intentionem eſſe conformẽ operi externo, quod quis exercet: at qui beneficium impetrat & acquirit, profitetur Eccleſiaſticum ſtatum; ergo etiam eundem debet intendere. Secunda, quia abſurdum eſſet dari Eccleſiaſtica beneficia iis, qui aut adhuc fluctuant, neque decreuerunt ſe dedicare miniſterio Eccleſiæ. Dixi, *determinatam*, vt indicarem requiri poſitiuam intentionẽ ſiue formalẽ, ſiue virtualẽ, ſiue expreſſam, ſiue implicitam, hoc ipſo quòd deliberatè Eccleſiaſticum ſtatum aſſumant. Non tamẽ exigitur, vt poſitiuè habeant actum nunquam deſerendi illum ſtatũ; ſatis eſt bona fide, & ex animo illũ proponere, nec velle ab eo deficere, niſi ex iuſta cauſa, quæ poſſet interim occurrere; vt ſi frater primo- 42. *Intentio requiſita ad beneficia.*

Digitized by Google

genitus moriatur,& deceat familiam ſeruare,vel opimum aliquod matrimonium ſeſe offerret,vel quid ſimile; quia non eſt intentio Eccleſiæ obligare ad nunquam deſerendum ſtatum , vt exigitur in matrimonio. Nauarr. *cap.25.numer.* 118. Leſſius *num.*131.Azor *lib.6.cap.9.quæſt.*4.

43. *An deficiat ab intentione requiſita qui beneficium recipit animo reſignandi, vel permutandi.*

Ex his inferendum *primò,* cum qui recipit beneficiũ animo reſignandi,vel permutandi , deficere ab intentione requiſita.Patet,quia talis non habet determinatam intentionem illius retinendi,cõſequenter nec Eccleſiaſtici ſtatus hîc & nũc requiſitã.Hinc eſt,vt meritò Paulus IV. in Bulla 33.*Inter cæteras.*id prohibuerit expreſsè ſub pœna excommunicationis latæ,& Papę reſeruatæ,necnon priuationis omnium & ſingulorum beneficiorum Eccleſiaſticorum,& inhabilitatis ad illa, & alia in poſterum obtinenda , eo ipſo ſine alia declaratione incurrendæ.Et inde infert Gonzal. *gloſſ.15.num.*90. non eſſe hodie tutum conſilium Nau. 16.*de cleric. non reſid.* nec id quod habet in Man. *c.*21.*n.*52. Idémque dici poteſt de Leſſio *n.* 136. qui fortè prædictam conſtitutionem non vidit,& de Azor. *q.*5. In Curia enim ſemper exigitur iuramentum à petente beneficium , quòd non accipiat animo dimittendi ; idémque refert Pariſ.*de reſignat.lib.9.q.10.n.4.& 5.*

44. Dices, An qui vt permutet beneficium cũ alio erigit Epiſcopi auctoritate beneficiũ,& facit ſibi conferri animo permutandi,deinde comprehendatur ſub hac cõſtitutione.Reſpondeo, nõ videtur cõprehendi,ſermo enim eſt in cõſtitutione de acquiſitione beneficiorũ iam erectorũ,quæ cùm ſint iam ſub poteſtate Papæ,non vult ea conferre niſi iis,qui animum habent ea retinendi. In caſu autẽ poſito, etſi etiam in illud vtpote iam erectũ habeat Papa poteſtatem,attamen pro prima vice, ne retrahat alios ab eorum erectione, probabile eſt concedi eam facultatem,vt ad effectum permutandi cum alio poſſit eo animo illud recipere;quod dixerim,quia videmus id ſæpe fieri Romæ ſciente Pontifice, & non prohibente; quare meritò dicere poſſumus,non comprehendi, &c.

45. *An,qui eo animo,vt eius fructibus ſuſtentetur, donec abſoluerit ſtudia, vel opulentum matrimonium reperrerit.*

Inferendum *ſecundo,*cum qui recipit beneficiũ animo, vt eius fructibus ſuſtentetur ; donec vel abſoluerit ſtudia, vel opulentum matrimonium repererit,& tunc relinquendi beneficium , deficere ab intentione requiſita : vnde non modò peccat mortaliter,verùm etiam non facit fructus ſuos,ex ſententia Gabriel.& Syl.quamuis Sot.& Nau.cum Leſſio non obligent ad reſtitutionem, ſi muneri ſatisfecit , quia non eſt id iure ſtatutum. quod probabile eſt. Nec poteſt beneficium retineri, ex communi ſententia apud Leſſium *n.* 132.Nauarr.*conſil.16.de preb.*.

46. *Ad beneficium parochiale requiri intentionem ſuſcipiendi intra annum ſacerdotium.*

D I C O S E C V N D O,ad beneficiũ parochiale requiritur intentio ſuſcipiendi intra annum ſacerdotium: habetur *c. commiſſa.§.cæterùm.de elect. in* 6.& tenetur præterea fructus perceptos reſtituere,vt *ibid.*dicitur. Azor *c.9.q.*1.Leſſius *n.* 133. ſi mutata voluntate intra annum promoueatur, poteſt retinere fructus omnes.gl.*v.mutata.* communiter recepta ex Azor.*loc.cit.*cum Nau.*c.*25.*n.* 118. quicquid contrà Sotus *lib.* 10. *de iuſtit. q.*5. *art.*6.obligans ad reſtituendos perceptos ante eã voluntatem.Ratio maxima eſt, quia fraus initio cœpta , purgatur per promotionem ſecutam intra annum,ſicut purgatur mora debitoris , ex gl. *in cap.mora. de regul.iur.in* 6. Quòd ſi habuit animum recipiendi ſacerdotium intra annum , ſed poſtea voluntatẽ mutauerit,fructus receptos prima voluntate manẽte nõ tenetur reſtituere,ſecundùm omnes: at receptos poſt voluntatẽ mutatã,tenetur ſecundùm Azor.*q.*2.& gl.*d.c.commiſſa.*quam ſequitur etiã Sotus,non ſecundùm Nau. & Leſſium,citantem etiã Lopez; quia per animi mutationem illã non amittit beneficium: ſi ergo per idoneum Vicarium muneri ſatisfaciat,nullo iure prohibetur fructus reſtituere.Nec eſt par ratio,recipientis ab initio ſine intentione , tũ quia hic fraudulenter ingreſſus eſt , vnde plus meruit puniri:tum quia lex illa *in c.commiſſa.* pœnalis eſt, & non debet vltra caſum extendi.

Ex his infertur *primò,* eũ qui animo dubio aſcendẽs ad ſacerdotiũ parochialem recepit,deficere ab intentione requiſita,quia, vt dixi primo dicto,debet habere intẽtionẽ determinatã. Inde 47.
eſt vt Romæ exigatur iuramentũ, conſequenter animo dubius non facit fructus,ex *eod. c.commiſſa.*nam qui dubio eſt animo,in iure non videtur habere voluntatem,ex Azor.*q.*3.cum Soto. licèt Nau.excuſet.quod verum eſſe crediderim, ſi deinde intra annum ſacerdos fiat , purgabit enim ſuo facto animi ambiguitatem.

Infertur *ſecundò,*eum qui habet animũ non reſidendi,ſiquidẽ non abſolutè, ſed ad aliquod tẽ- 48.
pus,ob iuſtum impedimentum,& cum debita licentia,non videri condemnandũ: meliùs tamen ageret,ſi parochialẽ nõ reciperet; ſi verò abſolutè,peccat,ex Abb.& Hoſt.*in c.relatum.de cleric. nõ reſid.*vult enim tanquã ſponſus iungi cum Eccleſia,& tamen eã deſerere,& ex ſententia quorundam apud Azor.*q.* 4. tenetur fructus reſtituere, quod ipſe approbat;ſed cùm nõ propterea amittat beneficium,non apparet , cur debeat fructus reſtituere,ſaltem omnes ; propter quæ Conciliũ Trid. contra non reſidentes infert , vt ſuo loco.

D I C O T E R T I O,ad beneficia ſimplicia non requiritur intentio recipiendi ſacros ordines , ſi 49.
hos illa nõ requirant.probatur ex dictis *c.*7. ſatis enim eſt intentio recipiendi eũ ordinem , quem beneficiũ exigit.Si ergo ſacer nõ exigitur,nõ eſt quòd exigatur eius intẽtio.Nec Epiſcopus poteſt ad id cõpellere,niſi vel neceſſitas vel vtilitas Eccleſiæ id requirat,vt Azor *q.*8. ex Nau. quicquid, contrà Abb.Poteſt autem ad reſidentiam iure cõmuni requiſitam,ad non dimittendum beneficiũ citra ſuum vel ſucceſſorum aſſenſum, & ſimilia, quæ de iure inſunt,vt fuſiùs Azor *q.*9.Hæc ſatis.

Ad beneficia ſimplicia non requiri intentionem recipiendi ſacros ordines, ſi hos illa non requirant.

C A P V T. VI.

Quæ iura ſeruare debeant beneficiarij , vt in iis adeptis conſeruentur.

HACTENVS ea declarata ſunt , quæ pertinent ad primam partem, quibus modis beneficia acquirantur;ſequitur tractatio ſecundæ, quibus modis ea cõſeruẽtur, de quibus ferè præcipua congeſſimus in hoc caput , reſeruantes in ſequẽs beneficiorum pluralitatẽ.In hoc ergo has quæſtiones comprehẽdemus.Primò,de ſcriptura requiſita ad beneficium.Secundò,de profeſſione fidei facienda. Tertiò,de geſtatione habitus clericalis. Quartò de ſoluenda penſione, ſi quæ ſit impoſita beneficio. Quintò de recitatione horarum Canonicarum. Sextò, de reſidentia. Septimò,de operibus à quibus cauere debet beneficiarius,ne videlicet miles ſit,non geſtet arma,nõ ſit Aduocatus,non Procurator , non aleator,non ferat ſententiam ſupplicij,non ſit venator , nõ negotiator. Octauò,de fructibus quos percipiũ beneficiarij. Nonò de diſtributionibus. Decimò de

Digitized by Google

de Annatis, quę debēt ſoluere. Vndecimò, de quibuſdam Reſcriptis, quibus ſe tueri ſolent beneficiarij. Duodecimò, de duplici regula Cancellariæ, quæ etiam conſeruantur in ſuis beneficiis.

1. *Scriptura requiſita ad beneficium.*

PRIMO ergo QVÆRO de ſcriptura ſeu literis requiſitis ad poſſeſſionē beneficij. Pro reſpōſione ſupponenda eſt praxis Curiæ Romanæ in conſequēdis beneficiis. Primò enim datur ſupplicatio Papæ continens petitionē beneficij. Secūdò fit ſubſcriptio à Papa, verbo *Placet*, vel *fiat vt petitur*. Exēplar ſupplicationis ponitur à Rebuffo *1.p.de ſignat.gratia n.*24. Tertiò datur Datario, qui illam recognoſcit, & inſerit in Regiſtro, Codice ſcilicet quodam, in quo notātur nomina beneficiatorum & beneficiorū, quæ conferūtur. Quartò redditur ſupplicatio ſignata, quia iā inſerta eſt in Regiſtro. Quintò redigitur in cōpendium, & conſcribuntur literæ Apoſtolicæ, quæ reponuntur in Regiſtro. Sextò reſcribitur earum exemplar, quod nomine Bullæ, vel literarū Apoſtolicarum nuncupatur, & datur prouiſo, qui ſoluit taxam illarum. Hoc poſito,

2. *Requiritur ſi fiat prouiſio beneficij à Papa.*

RESPONDEO & DICO PRIMO, ſi fiat prouiſio beneficij à Papa, ſtylo Curiæ neceſſaria eſt ſcriptura. probat id Pariſ. *lib.*8.*de reſignat. q.*2. *n.*8. ex multis DD. quos citat. cōfirmat Azor *lib.*7.*c.*1.*q.*1. Et quamuis Pontificia gratia iure cōmuni præficiatur ſola ipſius ſubſcriptione, attamen ex *reg. Cancellariæ* 25. habetur pro informi ante literas expeditas, nec iudicandū eſt iuxta formam ſupplicationis ſignatæ, ſed literarum, niſi ſint cōmiſſiones iuſtitiam concernentes. Ideóque ad poſſeſſioné beneficij omnino eæ literæ requiruntur. Dixi *ſtylo Curiæ*, quia iure communi antiquo non erat neceſſaria. Vnde nunc etiam ſine literis poſſet Papa concedere beneficia ſi vellet: vnde ſi literæ Apoſtolicæ poſtquam confectæ ſunt, amittantur à beneficiario, aliæ erunt conficiendæ, ex eiuſdem Curię ſtylo, quamuis iure communi ſufficeret probatio duorum teſtium, vt etiam in conſcientia, nō tamen in iudicio. Earum exēplar vide apud Rebuff. *1.p.in forma noua prouiſionis.*

3. *Quid ſi ab Ordinario fiat.*

DICO SECVNDO, ſi fiat prouiſio ab Ordinario, etſi neque iure communi, neque etiā conſuetudine ſit neceſſaria ſcriptura, vt Pariſ. *loc.cit. n.*21. & Azor *q.* 1. tamen ſolet etiam ab eo fieri conceſſio ſcripturà quadam, non in membrana, vt literæ Apoſtolicę, ſed in papyro. Et quāuis collatio clandeſtina, & ſecreta facta ab Ordinario valeat; ad probationem tamen eius requiritur ſcriptura & teſtes, vt ex multis docet Garz. 8.*p.c.*4.*n.* 10. Contra prouiſos autem Apoſtolicos, vt probare poſſit, requiritur ſubſcriptio nominis, teſtes, & ſigillū Ordinarij, ſi tractetur de prouiſione facta ante Apoſtolicā, alioquin ſufficiūt literæ Ordinarij, cū ſolo ipſius ſigillo, vt idē pluribus *n.*24. Quando autem requirūtur teſtes, ſufficiunt duo de iure communi. An autem de iure Caſtellæ tres requirantur, vide Garz. à *n.*29.

4. *Pœnæ quas incurrunt qui impetrato beneficio poſſeſſionem adeunt ante litteras Apoſtolicas.*

DICO TERTIO, incurri nonnullas pœnas ab iis, qui beneficio à Papa impetrato poſſeſſionē adeunt ante litteras Apoſtolicas. Primò enim per Bonifacij VIII. conſtit. inter *Extrauag. Iniunctæ de elect.* ſuperiores Regulares nihil de Eccleſiarum vel monaſteriorum prouentibus percipere poſſunt, & irritum habetur quicquid per eos interim factum fuerit. Capitula autem & conuentus, & quicunque eos receperint, vel eiſdem obedierint, tamdiu ſunt ſuſpenſi à ſuis beneficiis, donec ſuper hoc gratiam ſedis meruerint obtinere. Secundò Iulius II. in conſtit. Rom. extendit pœnas prædictas ad omnes Cathedrales, Metropolitanas, Patriarchales, Abbatias, & Prioratus, ſiue iure tituli, ſiue conſuetudinis concedantur. Tertiò Paulus III. *Cùm nobis*, iudicibus Romanę Curiæ, qui prætextu ſupplicationum ſignatarum, dabant mandata de poſſeſſione adipiſcenda literis non expeditis, præcipit ne faciant in poſterum, & officialibus id non ſeruantibus, infert pœnā excommunicationis ſibi reſeruatā. Quartò Iulius III. ſanctiſſimus decernit, habendos pro intruſis & violentis detentoribus, qui abſque literis poſſeſſionem apprehenderint: nec ſuos fructus faciant, ſed in conſcientia reſtituere debeāt. nec ſuffragetur regula Cancellariæ de annali vel triennali poſſeſſione. Denique ipſo iure priuantur beneficiis obtētis, ita vt vacēt reſeruata Papę, & inhabiles redduntur ad illa denuo obtinenda.

5. *Profeſſio fidei facienda.*

SECVNDO QVÆRO de fidei profeſſione facienda.

RESPONDEO & DICO PRIMO, prouiſos de beneficiis quibuſcunque habentibus curam animarum, teneri à die adeptæ poſſeſſionis ad minus intra duos menſes facere publicam profeſſionem fidei in manibus Epiſcopi, vel eo impedito corā Vicario generali, & iurare ſe permanſuros in obedientia Rom. Eccleſiæ. Prouiſos autem de Canonicatibus & dignitatibus in Cathedralibus non ſolùm coram Epiſcopo, ſed etiam in Capitulo idem facere teneri, alioqui prædicti omnes non faciant ſuos fructus, nec illis poſſeſſio ſuffragetur. Trid. *ſeſſ.*24.*c.*12. *de reform.* Azor *tom.*2.*lib.*7.*c.*2. Pius IV. *Iniunctum nobis.* idem præcipit ſuperioribus regularium etiam militiarum. & Trid. *ſeſſ.*24.*c.*1. *de reform.* idem ſtatuit de promouendis ad Epiſcopatus, & dignitates conſiſtoriales. Confirmauit Gregorius XIV. de forma faciendi proceſſus ſuper promouendis ad Eccleſiarum regimina. Pius item IV. conſtit. 112. idem decreuit de promouendis ad Doctoratum, vel alium gradum, & de profeſſoribus alicuius ſcientiæ vel artis liberalis.

6. *Quid ſi vltra tempus præfixum quis reperiatur negligens.*

Circa quam legem notandum primò, peccare mortaliter qui vltra tempus præfixum duorum menſium ſunt notabiliter negligentes, ait enim Trid. teneri. Nauarr. *c.*23. *n.*50. Pariſ. *lib.*8.*q.*9.*n.*12. & alij cum Garz. 3.*p.c.*3.*n.*65. Sponte autem facienda eſt, nec expectanda monitio, vt patet ex verbis Trid. directis ad eos: & ita cenſuit Congregatio apud Garz. *num.*20.

7. *Ad id teneri ſuperiores regularium.*

Notandum ſecundò, ſuperiores Regularium ſiue perpetui ſint, ſiue temporales, teneri, vt Ledeſm. 2.*p.ſum.tract.*1.*c.*4.*col.*1. quamuis ſecundùm eundem non ſeruetur in aliquibus religionibus, ſed deberet. Non extenditur ad Canonicatus & dignitates Collegiatarum, ſic enim cenſuit Congregatio apud Garz. *n.*12. nec ad penſionarios in Cathedralibus, etiamſi habeant vocem in Capitulo, quicquid contra Zerola *in Praxi* apud Garz. *n.* 14. perſonatus autem & habentes officia in Cathedralibus tenentur, quia æquiparantur in iure dignitatibus, ex eodem. Habet item locum in Cathedralibus Regularium, ex S. Congregation. apud eundem *n.*16. & in Canonicis exemptis, ex eadem Congregat. apud eundem *n.*21.

Item perſonatus & habentes officia in Cathedralibus. Et Cathedrales Regularium.

8. *Profeſſio fieri poteſt coram Vicario. In Capitulo etiam, & coram illius Vicario.*

Notandū tertiò, coram Vicario poſſe fieri etiam Epiſcopo non impedito, nam verba Concilij ſolùm ſignificant conuenientiam, ex Garz. *n.*25. Item, qui prouiſi in Cathedralibus fecerint profeſſionem in Capitulo præſente Epiſcopo, ſeu eius Vicario, ſatisfaciunt, ex S. Congregatione apud Garz. *num.*24. Sede autem vacante eo-

dem modo ſatis erit, ſi fiat profeſſio in Capitulo coram Vicario Capituli; qui ſi non adſit, etiam coram eo facienda erit, quia per eum repræſentatur magis Epiſcopus, ex *eod. n.* 27. & 28.

9\. *Facienda illa perſonaliter, ſiue corporaliter, ſiue per ſeipſum. Iuramentum item perſonaliter faciendum eſt.*

Notandum quartò, faciendam eſſe profeſſionem perſonaliter, ſiue corporaliter, ſiue per ſeipſum tactis Scripturis, aliàs non ſatisfit, vt patet ex verbis Pij IV. *Sic me Deus adiuuet.* Iuramentum item vbi iure faciendum eſt, perſonaliter eſt faciendum, ex gloſſ. *cap. vt circa. verſ. corporali. de elect. in* 6. & aliis apud Garz. *num.* 71. Vnde non poteſt fieri per procuratorem, vt cenſuit Congregatio, ex eod. *num.* 74. & Rota in deciſ. apud eundem, quicquid contrà Nauarr. *conſil.* 11. *n.* 2. *de iureiurand.* & Azor *lib.* 7. *cap.* 2. *quæſt.* 6.

10\. *Intra quod tempus fieri debeat.*

Notandum quintò, ſi omittatur intra duos menſes, iis elapſis fieri debet, ponitur enim terminus duorum menſium non ad finiendam obligationem, ſed ad differendam executionem, & ſic non finitur per lapſum illius, ex *regul. cap. cum dilectus. de dol. & contumac.* Abb. *num.* 12. Nauarr. *cap.* 21. *num.* 45. Azor *quæſt.* 5. Prodeſt autem ad fructus temporis futuri, non præteriti, vt Nauar. *conſil.* 11. *cit.* Azor *quæſt.* 4. Non currit autem terminus duorum menſium prouiſo, qui non accipit poſſeſſionem, etiamſi per illum ſtet, quominus accipiat, vt Garz. *num.* 32. Repetenda autem eſt etiam ab iiſdem, quoties de nouo prouideatur de aliis ſimilibus beneficiis, vt S. Congregatio apud Garz. *num.* 18. Azor *q.* 8.

11\. *Excuſat iuſta ignorantia, vel obliuio inculpata à pœna.*

Notandum ſextò, iuſtam ignorantiam huius legis, vel obliuionem inculpatam excuſare in foro conſcientiæ à pœna, quia lex pœnalis eſt, non conuentionalis, vt Nauarr. *conſil.* 7. & 12. *de iureiurand.* Azor *quæſt.* 2. & alij cum Garz. à *numer.* 67. Dixi *in foro conſcientiæ*, quia in exteriori non admittitur ignorantia iuris, niſi probetur, præſertim in iis, quæ quis tenetur ſcire iuxta ſuum ſtatum.

12\. *Pœna non faciendi fructus in conſcientia obligat.*

Notandum ſeptimò, pœnam non faciendi fructus obligare in conſcientia abſque alia declaratione, impedit enim Concilium acquiſitionem earum: nec ſuffragatur regula de annali, vel triennali, ad effectum eos acquirendi. Titulus autem beneficij non amittitur; ideóque regulæ prædictæ, quoad illum ſuffragari poſſunt, vt Azor *quæſt.* 3. & Garz. *numer.* 33. Erunt autem fructus reſtituendi, applicandi fabricæ Eccleſiæ, vel pauperibus, ſi de Parochis ſermo ſit; ſi de Canonicis habentibus fructus ſeparatos à menſa Capitulari, ſubiectæ Eccleſiæ, ſi indigeat, aliàs alteri loco pio arbitrio Ordinarij, arg. Conc. *in ſeſſ.* 25. *cap.* 1. *de reform. ſeſſ.* 22. *cap.* 2. vt fuſiùs Garz. à *num.* 39. qui etiam aduertit ex Pariſio in Regno Neapolitano dictos fructus incamerari ab Apoſtolico Nuntio.

13\. *Diſtributiones quotidianæ non cadunt ſub obligatione reſtitutionis, ſed præbenda.*

Notandum octauò, diſtributiones quotidianas non cadere ſub obligatione reſtitutionis, ſed tantùm præbendas, vt cenſuit S. Congregatio ex Garz. *num.* 60. vbi autem omnes fructus præbendæ conſiſterent in quotidianis diſtributionibus, omnes eſſent reſtituendæ in rigore iuris: probabile tamen eſt, poſſe aliquid detrahi proportionatum ſeruitio præſtito, vt quidam Theologi conſulti apud eundem *num.* 63. Nec Ordinarius poteſt illos condonare, ſed tantùm Papa, vel S. Pœnitentiarius per computum, vt ex declarationibus per S. Congregationem idem docet à *num.* 54. Denique Canonici, qui fidei profeſſionem non fecerunt, etiamſi præſentes ſint choro, non habentur pro talibus, nec fructus percipere poſſunt de licentia Capituli, vt ex S. Congregatione apud Garz. *num.* 51. idémque dic de abſentibus etiam cauſa negotiorum Capituli, vel S. Inquiſitionis, vt ex eod. *num.* 52. Hic adiiciendum de publicatione literarum, &c. de qua Azor *lib.* 7. *cap.* 24.

TERTIO QVÆRO de geſtatione habitus clericalis. 14.

14. Geſtatio habitus clericalis.

RESPONDEO & DICO PRIMO, beneficiarios quoſcunque teneri ad deferendum habitum & tonſuram. ſumitur ex *cap. Ioannes. de cleric. coniug. & cap.* 1. *de bigam. in* 6. Azor *lib.* 7. *cap.* 14. *quæſt.* 3. & nos ſuprà *cap. præced. quæſt.* 6. Dixi *teneri*, quia ſine cauſa non deferens peccat mortaliter, vt communis opinio, ex eod. Iura enim id ſeuerè præcipiunt, & contra inobedientes grauem pœnam imponunt, vt dicemus. Dixi *ad deferendum habitum*, &c. ad vtrunque enim tenentur. Et quidem habitus is eſſe debet, quem clerici geſtare conſueuerunt. *cap. clerici. de vit. & honeſt. cleric. Clem. quando. eod.* Debet eſſe talaris, & nigri coloris, non admodum pretioſa, vt ſi omni ex parte ſerica eſſet, etſi contraria conſuetudine iam receptum ſit vti ſericis veſtibus in æſtate. Item abſtinere debent à caligis laicorum more confectis; aut crepidis eleganter inciſis, aut camiſiis arte elaboratis, aut equis phaleratis ex auro, vel argento, vel ſerico. Syl. Clericus 2. *num.* 2. *verſ. Tertiò.* Azor *quæſt.* 4. Conſuetudo tamen recepta pro loco & tempore plurimum poteſt, derogatum iuri ſaltem quoad aliqua. Tonſura autem ea debet eſſe, quam prouinciæ mos ſeruat, & in Europa ea eſt, vt ſcilicet in capitis vertice capilli radantur, & reliquum caput æqualiter tondeatur. Denique prohibetur clericis nutrire barbam, aut comam. *cap. ſi quis, cap. ſi clericus. de vit. & honeſt.* ſed conſuetudine in pluribus locis abrogatum eſt, vt docet Azor *quæſt.* 3.

Ille qualis ſit.

Tonſura qualis eſſe debeat. Clericus an barbam nutriat, aut comam.

DICO SECVNDO eſſe conſtitutas pœnas contra non deferentes habitum, aut tonſuram. 15.

15. Pœna conſtituta in non deferentes habitum, aut tonſuram.

patet ex *Clem. quoniam. de vit. & honeſt.* &c. vbi fructuum perceptione ad ſex menſes priuatur ſimplex beneficiarius, qui virgatam veſtem, vel coloribus diſtinctam ſine iuſta cauſa geſtat: Curatus verò vel habens dignitatem, aut perſonatum, priuatur fructibus ad annum, & ad quodlibet beneficium ad annum obtinens efficitur ineptus, ſi eodem modo delinquat. Sixtus verò V. in conſtitutione, *Cum ſacroſanctum.* præcipit, vt omnes beneficiarij tonſuram clericorum geſtent, alioqui ſine vlla monitione ipſo facto priuati declarantur, ita vt ipſa beneficia vacare dicantur, quæcunque habent, & ſint Rom. Pontifici reſeruata.

QVARTO QVÆRO de penſionis ſolutione. 16.

16. Penſio ſoluenda. Quo tempore ſolui debeat.

RESPONDEO & DICO PRIMO, omnino eſſe ſoluendam de ſemeſtri in ſemeſtre, alioquin ipſo facto beneficiarius eſt excommunicatus; quòd ſi ad triginta dies poſt ſemeſtre computandos in excommunicatione perſtiterit, beneficio eſt priuandus, & eo ipſo vacare intelligitur: ei autem qui beneficium dimiſit, conceditur ius, vt ſua auctoritate dimiſſam poſſeſſionem apprehendat, quod ius dici ſolet regreſſus, acceſſus, vel ingreſſus ad beneficium, de quo Mandoſ. *in praxi ſignat. verſ. Regreſſus & acceſſus.* Et quamuis Gigas *de penſionibus quæſt.* 99. *num.* 22. regreſſum in Curia Romana ſolùm dicat concedi ob cauſam reſignati, hoc eſt, dimiſſi beneficij, attamen

Regreſſus, acceſſus, vel ingreſſus ad beneficium.

Digitized by Google

men verius eſt,quòd dicit Mandoſ. *loc. cit.* etiam concedi,quotieſcunque gratis alicuius penſio in beneficio conſtituitur. Datur enim eadem poteſtas penſionario beneficij poſſeſſionem apprehendendi,quandocunque præſtituto tẽpore penſio non ſoluitur, vel quando is, qui penſionem ſoluere debet,inſtat vt penſio ad minorem ſummam reducatur, & ſic habet clauſula, *Talium penſionum,* ex eodem Mandoſ. Ad hoc autem vt habeat locum Regreſſus, debet penſionarius beneficium petere, alioquin ſi non petat,præſumitur cedere ſuo iure, & conſequenter, remanere beneficium in eadem perſona,vt Azor *q. 8. verſ. Quæret aliquis.*

17. *Qua pœna in ſuccedentem in beneficio reſignato.*

DICO SECVNDO eandem pœnam habere locum in eo,qui ſuccedit beneficio reſignato: vt enim ſuccedit is in onus ſoluendi penſionem,hæc enim non extinguitur, niſi morte penſionarij; ita etiam in pœnam eandem incurrit, niſi ſoluat ſuo tempore, vt pluribus Azor *q. 9.* Quod autem diximus de beneficio non ſoluente totam penſionem,idem iuris eſt de eo,qui partem omittit, intellige notabilem, & inuito penſionario. Eadémque ratio eſt de penſione ſoluenda ratione vnius beneficij, & de duplici ratione duplicis beneficij ſoluenda; habebit enim penſionarius, ſi vtraque non ſoluatur, ius ad vtrumque beneficium, vt Azor *quæſt. 10. & 11.* Nec plura hoc loco dicenda ſunt.

18. *Recitatio horarum Canonicarum.*

QVINTO QVÆRO de recitatione horarum Canonicarum.

RESPONDEO & DICO PRIMO, omnes beneficiarios teneri ad horas Canonicas vi ſolius beneficij. eſt communis ex *cap. fin. d. 92.* ibi, *vel quilibet clericus Eccleſiæ deputatus.* Concilium Lateranenſe ſub Leone X. *ſeſſ. 9.* vbi priuantur fructibus non recitantes officium:ſupponitur ergo obligari. quod confirmauit Pius V. in Bulla 138. *Ex proximo.* quam refert Nauarr. *de orat. cap. 7. num. 31. & in man. cap. 25. num. 122.* Ratio ſumitur ex inſtitutione Eccleſiaſtica, qua decretum eſt, vt officium primarium, propter quod datur beneficium, eſſent horæ Canonicæ, vt colligitur ex Concil. cit. Suar. *lib. 4. de hor. Canon cap. 18. num. 1. & 2.* alij apud Garz. *3. p. cap. 1. num. 1. & ſeqq.*

19. *Ex quo obligatio illa incipiat.*

DICO SECVNDO obligationem hanc incipere à die pacificæ poſſeſſionis beneficij cum ſpe moraliter certa recipiendi fructus, niſi illos voluntariè alteri ſoluat,retenta beneficij adminiſtratione. hæc concluſio fuſiùs probari ſolet in materia de horis Canonicis, vbi Suar. *cap. 19. & 20.* Hìc nos breuiter ſingula attingemus. Primò dixi, *incipere à die pacifica poſſeſſionis,* nam ſolus titulus abſque poſſeſſione non obligat ad officium, niſi per beneficium ſtet, quominus illam apprehendat; & ita receptum eſſe in Romana Curia teſtis eſt Pariſ. *de reſign. lib. 1. quæſt. 9. num. 15.* vltra Pal. & alios,quos citat & ſequitur Garz. *num. 78.* Et ratio eſt, quia iure non cenſetur quis habere beneficium, niſi perfectè illud habeat, quod fit per poſſeſſionem modo dicto, arg. *cap. licèt Epiſcopus. de præben. in 6.* Si autem per beneficium ſtet, iam illi imputabitur, nec debet Eccleſia priuari ſuo iure ob culpam beneficiarij. Secundò dixi, *cum ſpe moraliter certa,* &c. quia ſi non recipiat fructus per potentiam aut conceſſionem alterius, & non ſit ſpes eos aliquando recuperaturum per totam vitam,probabile eſt non teneri, quia moraliter hic ita ſe habet, ac ſi nullum haberet ſtipendium; ſi tantùm per aliquod tempus etiam eſt probabile,non teneri, vt Nau. Caietanus, Sotus, Ledeſma, & alij ex Suar. *cap. 20. num. 15.* Probabilius tamen videtur,quòd teneatur, vt docet Syluest. & Medina apud eundem *num. 16.* nam ſi per furtum,bellum, ſterilitatem aliquibus annis non reciperet fructus,adhuc teneretur, quia id eſſet per accidens. ergo. Tertiò dixi, *niſi illos voluntariè alteri ſoluat,* &c. ſiue enim id contingat, quia beneficiarius conſentit in fructus ad fauorem alterius: retenta adminiſtratione,ſiue quia Papa ex obedientia id iniungat, cùm ſemper ex beneficio ſuperſint aliqua emolumenta, vt diſtributiones, ſi ſit Canonicus, oblationes, & incerta,ſi ſit Parochus, vel aliquid ſimile; ſi beneficiarius inſeruire voluerit,ſemper tenebitur ad horas Canonicas, dummodò ipſe retineat adminiſtrationem; ſi enim hac etiam priuatus ſit, vt accidit in reſignatione Abbatiarum, quam obtinere ſolent Cardinales pro ſuis nepotibus ſolùm quoad titulum, tunc obligatio recitandi manet penes reſignantem, niſi aliqua pars fructuum concedatur Reſignatario,vt ferè hodie ſolent. ita ex mente Nau. *cap. 25. num. 104.* Toletus *lib. 2. cap. 14.* & Suarez *loc. cit. num. 5.*

DICO TERTIO, non recitantes à tempore 20.
prædicto peccant mortaliter,& poſt primum ſemeſtre etiam tenentur reſtituere fructus beneficij. Primò dixi peccare mortaliter, ex conſtitut. Pij V. citata, vbi damnantur peccati grauis, id eſt,mortalis, vt aduertit Azor *loc. cit. cap. 14. quæſt. 4.* etiam ij, qui primis ſex menſibus non recitant,nam de aliis patet ex pœna appoſita,& materia alioquin eſt ex ſe grauis & præcepta. Secundò dixi,poſt primum ſemeſtre teneri ad reſtituendum fructus, &c. ſic enim habetur in Concilio Lateranenſi cit. non facere pro rata officij prætermiſſi fructus ſuos; & à Pio V. explicatur, ita accipiendam eſſe ratam, vt qui omnes horas vno vel pluribus diebus omiſerit, omnes fructus reſpondentes iis diebus reſtituat: ſi matutinum vnà cum laudibus tantùm dimidiam partem; ſi cæteras horas, item dimidiam, ſi ſingulas,ſextam partem.

Non recitantes à tempore prædicto peccare mortaliter, & teneri ad reſtitutionem fructuum beneficij poſt primum ſemeſtre.

Circa quod etſi multa dubia ſint, de quibus 21.
Suar. *cap. 19.* & Garz. *cap. 1. cit.* breuiter notandum primò,obligationem ad reſtitutionem fructuum eſſe tantùm ex iure poſitiuo Concilij, & Pij V. vt pluribus Garz. *num. 7.* at obligationem ad aliquid reddendum ſiue in fructibus; ſiue in aliis piis operibus, vt orationibus, ieiuniis, & ſimilibus, videri probabilem ſententiam Vaſquez & Suarez *loc. cit. num. 12.* eſſe de iure naturali, nam beneficium datur propter officium tanquam ob cauſam:quare cùm recipiat mercedem, & non reddat laborem, tenebitur ad aliquam reſtitutionem. Vnde etiam in primo ſemeſtri, in quo ſublata eſt obligatio reſtituendi fructus iure poſitiuo, probabile eſt remanere obligationem, conſequentem iure naturali, de hac enim, quia ſunt opiniones, non egerunt Concilium dictum, & Pius V. in ſua conſtitut. quare reliquerunt in terminis, prout de iure; ſi quis tamen mallet ſequi contrariam ſententiam, non admodum repugnarim, probabilis enim eſt ex iis,quæ congerit Garz. à *n. 11.*

Quo iure teneantur ad reſtitutionem fructuum.

Notandum ſecundò, obligationem ad reſti- 22.
tuendos omnes fructus beneficij vel beneficiorum pro rata officij omiſſi, etiam nulla habita ratione ad alia onera, vel Miſſarum in Capellano,vel adminiſtrationis ſacrorum in Parocho,

Digitized by Google

vel iuriſdictionis, & operum Epiſcopalium in Epiſcopo, eſſe magis conformem iuri poſitiuo dictarum conſtitutionum, vt rectè ponderat Suarez *cap. 29. à num. 6.* & Garzias à *num. 31.* nec euaſiones Soti, Medinæ, Arragouij & aliorum auctorum ſunt admodum firmæ. Probabilius dici poſſet, non fuiſſe eiúſmodi pœnam quoad omnia receptam, ſed cum proportione ad alia onera adnexa beneficio, idque teſtantur tum opiniones tot DD. qui poſt prædictas conſtitutiones laudabiliter conſcripſerunt, tum praxis ferè communis Confeſſariorum eo modo temperantium rigorem iuris poſitiui ex prædictis conſtitutionibus. Quicquid tamen ſit apud S. Pœnitentiariam fiunt compoſitiones eodem modo in ſimplici beneficiario, quo in Parocho, vel alio grauato aliis oneribus, ſi officium non recitauerint.

23. *Circa beneficium tenue quid.* Notandum tertiò, etſi probabilis ſit opinio recentiorum DD. beneficium valde tenue, quod ſaltem non pertingit ad octo vel decem aureos, non adducere obligationem recitandi officium, ſaltem quotidie, ſed tantùm diebus feſtis, & ſaltem debere aſcendere ad viginti vel viginti quinque aureos, vt quotidianam obligationem afferat; attamen conformior iuri communi, conſtitutionibus Pontificum, communi veterum omnium DD. ſententiæ, quos recenſet Garz. *num. 39.* eſt contraria, etiam tenue obligare ad horas Canonicas; neque enim debet fieri exceptio à lege communi iuris, omne beneficium dari propter officium, vt declaratum eſt in Concilio Lateranenſi, & iis verbis Pij V. *Declarantes*, &c. *qualiacunque beneficia*, &c. abſque legis auctoritate, quæ hîc non adeſt, vt omittam, hac ratione aperiri viam ad derogandum grauiter legi, & paulatim tollendi obligationem eius.

24. *Quid ſi quis recitet officium ſine debita attentione.* Notandum quartò, eum qui officium recitat ſine debita attentione, vt quia vagatur mente aduertenter, vel attendit ad alia etiam ſenſibus externis, non tamen omittit recitare verſiculos omnes, qui dicendi ſunt, ſine dubio peccare mortaliter, tenerique ante lapſum diei repetere, vt integrè ſatisfaciat ei, quod debet: ad reſtitutionem autem ex probabili opinione non teneri, cum Medina, Caietano, Toleto, Enriquez & Azor. eo quòd pœna reſtitutionis eſt tantùm impoſita contra non recitantes; qui autem recitat totum officium, & nil eius omittit, etſi deſit attentio debita, reputatur communiter recitare. Admonendi tamen ſunt delinquentes probabilis alterius ſententiæ, & cauendum probabile periculum obligationis reſtituendi, eo quòd attentio videatur modus ſubſtantialis orationis: qua de re fuſiùs ſuo loco.

25. *Reſidentia Requiritur in omnibus beneficiariis.* SEXTO QVÆRO de reſidentia in beneficiariis requiſita.

RESPONDEO & DICO PRIMO, in omnibus beneficiariis etiam ſimplicibus iure communi exigitur reſidentia. probant id DD. communiter ex multis capp. vt videri poteſt apud Innocent. Hoſtienſem, Ioan. Andr. & Abbatem, *cap. quia nonnulli. de cleric. non reſid. & c. fin. de reſcript. in 6.* vbi dicitur, omne beneficium dari propter officium. Idem Azor *lib. 7. cap. 3. q. 1.* Garz. *3. p. cap. 2. numer. 1.* Ratio ea erat, quia omne beneficium habebat adnexum aliquod miniſterium & ſeruitium Eccleſiæ, quod exerceri debebat in propria perſona, vnde requirebatur reſidentia. Excipiuntur à multis præſtimonia, quia eorum inſtitutio non fuit ad ſeruitium faciendum in Eccleſia, ſed ad alia, vt diximus: aliquibus tamen placet, vt Azor *loc. cit. verſ. Quares*, etiam hæc quatenus beneficia requirere eandem reſidentiam, ob rationem dictam: ſed etiamſi ea excipiantur, vtpote recentia beneficia, olim enim non erant, vt cùm de præſtimoniis manet regula vniuerſalis vera, omnia beneficia etiam ſimplicia, quæ ſeruitium habent adiunctum, vt omnia antiquiora, requiſiuiſſe reſidentiam. Dixi *iure communi*, quia de conſuetudine iam introducta tam præſtimonia, quàm beneficia ſimplicia in Eccleſiis non collegiatis, non habent adnexam hanc obligationem, vt ex reſponſionibus S. Congregationis & multis DD. docet Garz. *cap. 2. à num. 4.* potuit autem id introduci contra ius commune, quia iure tantùm poſitiuo Canonico id erat præceptum, & alioquin iure naturali ſemper tenentur ſuis Eccleſiis conſulere, ne debito miniſterio fraudentur, ſed per alios id muneris exerceant, vt fuſiùs Azor *cap. 5. cit.* per totum. Dixi autem *beneficia ſimplicia in Eccleſiis non collegiatis*, quia Canonicatus & beneficia ſimplicia in collegiis etſi ante Trid. alicubi eadem conſuetudine gaudere cœperant, attamen poſt illud amiſerunt, & reſtituta ſunt iuri communi, vt idem docet *quaſt. 4.*

Circa reſidentiam Parochorum notandum primò, etſi probabilis opinio ſit Nauarr. *cap. 25. n. 121.* poſſe eos abeſſe per bimeſtre abſque ordinarij licentia, quem ſequuntur alij ex Garz. *cap. 2. numer. 19. & ſeqq.* attamen hodie ex declaratione Congregationis non poſſunt ſine licentia. ita colligitur ex Trident. ſi attentiùs perpendatur, vt Garz. *num. 22. & 23.* Ideo qui ſine licentia abfuerit, non facit fructus ſuos, & tenetur applicare fabricæ ſuæ Eccleſiæ, vel pauperibus loci, vt idem à *num. 16.* 26. *In Parocho quid.*

Notandum ſecundò, ſi aliqua neceſſitas ſe offerat, quæ non patiatur dilationem, poteſt parochus abeſſe non petita licentia, ſed quàm primum debet facere certiorem Epiſcopum de cauſa. ita declarauit Congregatio ex Garz. à *n. 33.* nec ſufficit petere, ſed debet obtinere vel recurrere ad ſuperiorem, vt ex eadem Congregatione idem *num. 37.* nec poteſt Epiſcopus illum occupare in ſuo ſeruitio vltra bimeſtre, vt ex eadem Congregatione apud Garz. *num. 41.* quicquid Nauarr. *conſil. 15. de cleric. non reſid. & conſil. 5. de at. & qualit.*

Notandum tertiò non recuſare litem, vt declarauit Congregatio apud eundem *num. 42. in 3.* nec perſecutionem, niſi ſit ſuper iuribus & bonis Eccleſiæ, vt *num. 48.* At excuſat à reſtitutione reſidentia, etiamſi non exerceat per ſe ſeruitium curati, ſed per ſubſtitutum, vt *num. 53.*

DICO SECVNDO, in beneficiariis habentibus curam animarum, exigitur iure diuino reſidétia, & ſeruitium perſonale. eſt expreſſa Trid. *ſeſſ. 23. c. 1. de reform.* & communis DD. apud Garziam *num. 16.* poſt Caietan. *2. 2. quaſt. 185. art. 5.* Sot. *de iuſtit. lib. 1. q. 3. art. 1.* Nauarr. *cap. 25. n. 121.* Azor *lib. 7. c. 4.* contra Catharinum *opuſc. de reſidentia*, & Albinianum, iure tantùm communi dicentes, eos teneri; quorum rationes adducit, & ſoluit Azor *loc. cit.* Ratio potiſſima ducitur ex officio paſtoris, quod perſonalem requirit præſentiam & induſtriam: qui autem curam habent animarum, paſtores ſunt, iuxta quod dictum fuit Petro principi paſtorum, *Paſce oues meas*, &c. Confirmatur, quia etiam in cura temporali Gubernatores vrbium, præfecti arcium, 27. *Quid in beneficiariis habentibus curam animarum.*

ducto

ductores militum, & ſimiles tenentur perſonaliter reſidere, & ſi exiſtimarentur crebrò futuri abſentes, non eligerentur ad id munus. Multo ergo magis id exigetur in cura ſpirituali, quæ potior eſt, & maiorem requirit vigilantiam & induſtriam perſonæ, quæ ad id munus eligitur. Per id tamen tollitur, vt ſi maior aliqua ratio cogat eos abeſſe de licentia Papæ, non poſſunt; nam iuſtis de cauſis, & non aliter, auctoritate Papæ ius diuinum relaxari poteſt, vt in votis etiam contingit per materiæ mutationem. Dixi, *habentibus curam animarum*, non limitandũ ad internam, vel externam, quia in vtriſque idem iuris eſt, vt tam ex Trident. *loc. cit.* quàm & expreſſiùs ex conſtitutione Pij IV. de reſidentia paſtorum, clarè conſtat, idémque affirmat Azor *loc. cit. q.* 2. vnde multò magis obligabit eos beneficiarios, qui vtramque curam ex officio exercent, ſicut Epiſcopi, & cæteri eo ſuperiores.

28.
Quid in habentibus dignitates in Cathedralibus vel collegiatis, item Canonicatus, præbendas, portiones.

DICO TERTIO, in beneficiariis habentibus dignitates in Cathedralibus, vel collegiatis, Canonicatus, præbendas, & portiones, etiamſi ſimplicia beneficia ſint, iure Canonico requiritur reſidentia. patet ex prima concluſione, quia enim iure communi requiſita erat; & conſuetudine ante Trident. cœperat abrogari, ab eodem *ſeſſ.* 24. *cap.* 12. reuocata eſt ad priſtinam obſeruantiam; atque ita ſeruatur hoc tempore.

29.
Cauſæ nonnullæ excuſantes à reſidentia.

DICO QVARTO, dari nonnullas cauſas excuſantes à reſidentia, tum ad breue, tum ad longius tempus.

Et *primò* Epiſcopi indulgentia iuris, *in eadem ſeſſ.* 23. *cap.* 1. poſſunt quotannis ſiue continuè, ſiue interruptè abeſſe à ſuis Eccleſiis ex iuſta cauſa ad ſummum per tres menſes, modò id ſine vllo gregis detrimento fiat. Parochi tamen per duos, quamuis dubium ſit, an oporteat eos habere approbationem Epiſcopi, vt ea verba indicant Concilij, *quandocunque eos abeſſe contigerit, debere cauſam eſſe priùs cognitam & probatam per Epiſcopum,* &c. & iuri quidem conformius videatur ea requiri, vt S. Congregatione declaratum docet Garz. *num.* 23. praxis tamen contraria, teſte Leſſio *numer.* 159. vnà cum probabili, propter DD. auctoritatem, vt Nauarr. *cap.* 25. *numer.* 121. Azor. *cap.* 4. *quæſt.* 10. iam quoad id iuris rigorem temperauit. Qui verò habent dignitates, & Canonicatus, ſiue penſiones, gaudent trimeſtri, vt Epiſcopi. Porrò ad hanc breuem abſentiam iuſta cauſa cenſetur, tum animi relaxatio quædam, tum exiguitas temporis, quam pro nihilo leges habent, vt docet Azor *quæſt.* 9.

Secundò pro longiori tempore aſſignantur ab eodem Concilio quatuor generales cauſæ: Prima, Chriſtiana caritas, vtcunque abſit ad iuuandam Eccleſiam priuatam; ad dirimendum controuerſias inter lites, ſimultates, & odia inter priuatos. Secunda, euidens communis neceſſitas, vt ſi abſit ad curandum morbum, ob bellum, peſtem, hoſtium incurſum, aëris intemperiem, inimicitias, offenſionem principis, vel populi. Item ad euitandum periculum vitæ, ſalutis, libertatis. Tertia, obedientia debita maioribus, vt ſi quis abſit, vt obediat Papæ, vel obſequium debitum præſtet Legato, vel Epiſcopo id imperanti, ad pacem aliquam grauem componendam, ad viſitandam diœceſim, & ſimilia. Quarta, euidens Eccleſiæ cui præeſt neceſſitas vel vtilitas, vt ad defendendum ius Eccleſiæ ſuæ, ad Synodum generalem, prouincialem, vel Diœceſanam faciendam. Denique eiuſmodi cauſæ debebant approbari à Pontifice, vel Metropolitano; vel eo abſente ab antiquiore Suffraganeo, qui etiam approbare debebit abſentiã Metropolitani, idque in ſcriptis, vt Garz *loc. cit.* An autem munus Cardinalis præciſè, vel Camerarij, vel Vicecancellarij, vel Summi Pœnitentiarij, & ſimilium, quæ ſunt in Romana Curia, ſit ſatis ad iuſtam diſpenſationis cauſam concedendam, vel habendam, vide Azor. *quæſt.* 5. & 7. Si enim alij non ſint pares illis muneribus, & alioqui non expediat eos deponere Epiſcopatus, quos habent, idque Papæ iudicio, licitè abeſſe poſſunt; ſi verò aliqui non deſint, alterum dimittendum erit: multo maior cauſa opus erit, vt ob temporalem adminiſtrationem principi ſæculari exhibendam, licitè quis abeſſe cogatur à ſua Eccleſia; vide Caietan. 2. 2. *quæſt.* 285. *art.* 5. Sot. *de iuſt. lib.* 10. *quæſt.* 3. *num.* 4. Azor. *loc. cit. quæſt.* 6. & alios apud ipſum.

Tertiò aſſignari ſolent à DD. aliæ cauſæ iure Canonico excuſantes à reſidentia: vt primò, audire Theologiam, vel ius Canonicum ad quinquennium, *c. vlt. de mag.* vbi Ioan. Andr. & Archidiac. *in cap.* 2. *de priuil. in* 6. vltrà Epiſcopus non poteſt diſpenſare, ita vt irrita ſit licentia, ex Azor. *quæſt.* 3. vide Garziam 3. *p. cap.* 2. *à n.* 54. Secundò, docere eaſdem facultates ad quantumlibet longum tempus. *d. cap. vlt. de mag.* & communis ex Azor. *loc. cit.* Ad docendas autem literas humaniores & philoſophiam requiritur licentia Epiſcopi, ex *cap. relatum. & cap. tuæ. de cleric. non reſid.* niſi conſuetudo aliud iam in quibuſdam locis præſcripſerit, vt Nauarr. *cap.* 25. *num.* 121. & ante Trident. non poſt illud. Ex Pij IV. conſtitut. ſanctiſſima requiritur licentia Papæ, eaque non ſuffragatur, niſi accedente conſenſu Ordinarij. Sed hodie ex declaratione S. Congregationis non excuſatur à perceptione fructuum, ex cauſis dictis, & requiritur licentia Papæ cum conſenſu Ordinarij, vt Garz. à *numer.* 80. reſpectu parochorum, vt *numer.* 83. non reſpectu Canonicorum & aliorum ſimilium, vt *num.* 86. Probabile etiam eſt, iure communi ſemper requiſitam fuiſſe licentiam Epiſcopi ad abſentiam, iure autem communi tantùm datam eſſe licentiam percipiendi fructus; ſed hoc ipſo etiam datur licentia abſentiæ, vide eundem *num.* 94. Tertia obſequium Papæ in Eccleſiæ vtilitatem. *c. cùm dilectus. de cleric. non reſid.* quæ tamen vt iuſta ſit, connexa eſſe debet cum aliqua ex quatuor ſupradictis cauſis, ſi ſit longiuſcula. Quarta, obſequium duorum Canonicorum, quod præſtent Epiſcopo in Eccleſiæ vtilitatem. *cap. ad audientiam. de cleric.* &c. idem de obſequio duorum Canonicorum Cardinali ſui Tituli, vt ex conſuetudine docet Azor *loc. cit. in* 6. communè ex Ioan. Andr. Hoſt. & Abbate; aut ſaltem vnum, ex Nauarr. *cap.* 11. *de præbend.* Quinta legitima licentia ex quauis alia iuſta cauſa. gloſſ. *in cap. Inter quatuor, de cleric. non reſident.*

DICO QVINTO, ſtatutas eſſe pœnas pro non reſidentibus, ex Trident. *ſeſſ.* 23. *cap.* 1. *de reform.* Et primò Epiſcopi, qui ſuper menſes tres abſfuerint ſine approbatione, de qua ſuprà, fructus pro rata temporis abſentiæ non faciunt ſuos, ſed tenentur in conſcientia eos vel fabricæ Eccleſiæ, vel pauperibus loci erogare. Item ſi annum continuè ab Eccleſia ſine dicta appellatione 30.

Pœna conſtituta pro non reſidentibus.

Digitized by Google

tione abſuerint, Metropolitanus tenetur eum ſub pœna interdicti ingreſſus Eccleſiæ eo ipſo incurrenda, intra menſes tres Rom. Pontifici denuntiare. Ipſum autem Metropolitanum abſentem, ſuffraganeus antiquior reſidens denuntiare debet. ita *ſeſſ. 6. cap. 1. de reform.* Quod autem dicitur de approbatione facienda in ſcriptis, verum eſt in foro exteriori, nam in interno ſufficit approbatio. Nauarr. *cap. 13. num. 11. de prabend.* Secundò, parochi ſi vltra duos menſes abſque cauſa per Epiſcopum approbata abfuerint, præter culpam moralem amittunt etiam fructus pro tempore abſentiæ, Trident. *loc. cit. cap. 1. ſeſſ. 23.* Idémque cenſendũ de iis, qui habent beneficia habentia curam animarum, vt de Coadiutoria perpetua, de quo Garz. *numer.* 164. Non pertinent autem hæ pœnæ ad Regulares, niſi habeant curam animarum ſæcularium per ipſoſmet adminiſtratam, vt Congregatio reſpondit ex Leſſio *num.* 163. De pœnis autem parochorum non reſidentium de iure antiquo lege Garz. à *num.* 126. dicentem *num.* 139. non eſſe in vſu. Tertiò habentes Dignitates vel Canonicatus, vel portiones in collegiis, ſi vltra tres menſes abſuerint, primo anno debent priuari dimidia parte fructuum, quos ratione præbendæ fecerunt ſuos: ſecundo anno omnibus fructibus illius anni. ita Trident. *ſeſſ. 24. cap. 12. de reform.* quare eſt pœna ſententiæ ferendæ. Creſcente autem materia procedendum erit ad priuationem, vt pluribus Garz. *num.* 140. Reuocantur autem omnia ſtatuta, & conſuetudines contrariæ, non tamen priuilegia. Quomodo autem ſit procedendum contra non reſidentes, vide Garz. à *num.* 154 & circa Canonicos & habentes Dignitates non reſidentes, vide eundem à *num.* 180. & de pœnis non reſidentium fusè Azor. *cap. 6.* per totum.

31\. *Opera à quibus cauere debet beneficiarius.* SEPTIMO QVÆRO de iis, à quibus cauere debet beneficiarius, ne beneficium amittat.

Non ſit miles. RESPONDEO & DICO PRIMO, militiam eſſe prohibitam beneficiario. *c. nimium, c. cum à Iudæis,* & aliis. 23. *quaſt.* 8. ideo hoc ipſo quòd ad bellum profectus in eo pugnat, cẽſetur dimittere beneficium, & licèt nunc non & lege & conditione fiant milites, qua olim, accipientes cingulum militare, & ſacramentum iuratum ſe pro Republica pugnaturos; attamen ſi ita fieri contingat, hoc ipſo Eccleſia poteſt haberi pro derelicta, & ordinarius conferre alteri beneficium, vt ex communi Canoniſtarum docet Azor *c. 14.*

32\. *Non geſtet arma.* DICO SECVNDO, eidem eſſe prohibitam delationem armorum. *cap. clerici arma. de vit. & honeſt. cleric.* ſed ſi per vim aggreſſus ab aliquo clericus fuerit, poteſt armis ſe tueri; Idem ſi per loca tranſierit infeſta latrociniis, vt Azor *loc. cit.*

33\. *Non ſit Aduocatus.* DICO TERTIO, non licere illi eſſe Aduocatum apud profanos iudices, niſi in quatuor cauſis. Primò ad ſe defendendum. Secundò, Eccleſiam ſuam. Tertiò, miſerabiles perſonas. Quartò eos, qui ſunt ſanguine coniuncti vſque ad quartum gradum. Syl. *Aduocatus, quaſt.* 2. Angelus *num.* 5. Azor *loc. cit.*

34\. *Non Procurator.* DICO QVARTO, neque poteſt eſſe procurator in cauſis criminalibus, vel ciuilibus, niſi tantùm pro perſonis dictis. Eodémque modo non poſſunt eſſe famuli vel miniſtri laicorum, nec procuratores eorum, etiam extra iudicium, vt cum Abb. *cap. ſuadentibus. ne cleric. vel Monach.* docet Azor *loc. cit.*

DICO QVINTO, nec licere illum eſſe aleatorem. *c. clerici officia. de vit. & honeſt.* per aleæ autem ludum intelligitur is, in quo caſus magis valet, quàm induſtria, & ingenium. Multo minus licebit eſſe macellarium, tabernarium, tabellionem, hiſtrionem, aut alium opificem ſimilem. *Clem. 1. eod.* 35. *Non aleator.*

DICO SEXTO, prohiberi beneficiario ferre ſententiam ſanguinis, aut præcipere, vt alius ferat, aut ad eam conſilium dare, literas dictare, aut ſcribere. *c. ſententiam. ne cleric. vel Monach.* &c. Dicitur autem ſententiam ſanguinis, ſententiam mortis vel amputationis moliri: neque etiam poteſt eſſe præſens ſine iuſta cauſa, alioquin peccat; quòd ſi ſua præſentia eam ſententiam approbaret, eſſet etiam irregularis. 36. *Non ferat ſententiam ſan.*

DICO SEPTIMO, nec poſſe eſſe venatorem, hoc eſt, habere canes & aues ad venandum. *cap. 1. & 2. de cleric. venatore.* Quòd ſi Epiſcopus fuerit, ſi ſæpiùs in hac voluptate detentus fuerit, tribus menſibus à communione; ſi presbyter, duobus; ſi Diaconus, ab omni officio ſuſpendatur. *cap. qui venatoribus. d. 86.* 37. *Non ſit venator.*

DICO OCTAVO, nec poſſe eſſe negotiatorem. *c. vlt. de vit. & honeſt.* &c. & alibi. Nomine autem negotiatoris intelligitur & eſt, qui quis rem quampiam emit, vt eadem immutata vendatur. Vnde non prohibetur animalia mutare, vt poſteà vendat, vel ex lana aut lino pannos conficere, vel ex auro argentóque aliquid elaboratum vendere, neque enim ex negotiatione, ſed ex induſtria ſua lucrum quærit. Deniquè iure ſolùm prohibetur beneficiarius per ſe negotiari, at per alium ſublato ſcandalo non prohibetur, vt Medina *de reb. reſtit. q.* 31. & Azor *loc. cit. q.* 2. 38. *Non negotiator.*

OCTAVO QVÆRO de fructibus, quos percipiant beneficiarij, quid iuris de illis. 39. *Fructus quos percipiunt beneficiarij.*

RESPONDEO & DICO PRIMO, beneficiarios poſt diuiſionem bonorum Eccleſiaſticorum, & erectionem beneficiorum eſſe dominos fructuum beneficij, modò Religioſi non ſint, eóſque facere ſuos. ita communior opinio Theologorum hoc tempore, vt Bannes, Arragonij, Valentiæ, Molinæ, Lopez, Leſſij *cap. 4. dub. 6.* Azor. *lib. 7. cap.* 8. poſt S. Thomam 2. 2. *quaſt.* 185. *art.* 7. vt conatur oſtendere Sotus *lib.* 10. *de iuſt. quaſt. 4. art. 3. & 4.* & Leſſ. *num.* 44. Adrian. Ledeſm. & Cordub. tenent. eam etiam multi Canoniſtæ, vt Couarr. Sarmient. Marſ. Columnen. quos ſequitur & refert Garz. 1. *p. c. 1. n.* 4. & 6. Concluſio autem intelligitur non tantùm de ea parte fructuum, quæ eſt neceſſaria congruæ ſuſtentationi, in hoc enim etiam Nau. conſentit, ſed etiam de ea, quæ eſt ſuperflua, in quo etſi Nauarr. *tract. 2. de reddit. monu.* 7. cùm multis Theologis & Canoniſtis diſſentiat, vt videri poteſt apud Leſſ. Azor. & Garz. *ll. cit.* nobiſcum tamen ſentiunt alij citati. Dixi *poſt diuiſionem*, &c. nam antea diuerſa ratio erat, tunc enim erant bona communia, quorum adminiſtrator erat Epiſcopus, & quæ ſuperabant ad vſus ſuos, Eccleſiæ, & miniſtrorum, conferebantur in pauperes. Sic ergo intellecta concluſio probatur præcipuè ex *c. vnico. de cleric. non reſid. in 6.* iis verbis, *Qui diuinis officiis non interſunt, non ſiunt domini quotidianarum diſtributionum, neque faciunt eas ſuas*; ergo ſupponit alios, qui interſunt

Digitized by Google

terſunt, eſſe dominos, eóſque facere ſuos: quòd ſi ſunt domini diſtributionum; ergo & aliorum fructuum, præbendarum, &c. nec valet reſponſio Nauarr. eſſe dominos, quoad fidelem adminiſtrationem, ſic enim etiam Abbates Religioſi eſſent domini, quia fideliter debent adminiſtrare. Idem Trident. *ſeſſ.* 22. *cap.* 3. *de reform.* iis verbis: *Nec eius* (hoc eſt, diſtributionis) *quoquo modo dominium acquirat, niſi perſonaliter adſint.* ergo ſi adſit dominium, acquiret. & *ſeſſ.* 23. *cap.* 1. *de reform.* ibi, *cum pro rata temporis fructus non facere ſuos*; idem enim eſt, facere fructus ſuos, & dominium acquirere, ex *cap. vnic. de cleric. non reſident.* ergo qui adſunt, fructus faciunt ſuos. & *ſeſſ.* 24. *cap.* 12. *verſ. præterea.* ibi, *quos ratione præbendæ & reſidentiæ fecit ſuos.* & *verſ. prouiſi autem.* ibi, *fructus non faciant ſuos.* Idem habetur in Decret. Concilij Lateranenſis *ſeſſ.* 9. *can.* 9. & conſtit. Pij V. de qua ſuprà, ibi, *beneficiorum ſuorum fructus pro rata omiſſionis officij ac temporis ſuos non faciant.* Addit Leſſ. à *num.* 45. duplicem rationem. Prima ducitur ex eo, quòd non conſtet eam partem quæ ſupereſt congruæ ſuſtentationi deberi pauperibus lege iuſtitiæ; non enim primò ex modo donationis fidelium, quia non conſtat eos ſub hac conditione donaſſe, etſi enim deſiderauerint, vt hoc fieret, non tamen hanc obligationē impoſuerunt; non ſecundò ex præcepto Eccleſiæ, quod nullum adeſt: non tertiò, quia ſint decimæ, quia hæ ſunt debitæ lege iuſtitiæ Eccleſiaſticis, ratione adminiſtrationis ſpiritualiū, vt docet S. Thom. 2. 2. *quæſt.* 77. *art.* 1. non quartò, quia prædia & cenſus à fidelibus relicta ſunt data cum tali onere, quia non conſtat, imò potiùs relicta ſunt ad ſplendorem, & ad fundationem Eccleſiarum, aut monaſteriorum: non quintò ex diſpenſatione Eccleſiæ, tum quia in iure id non eſt explicatum, eſſet autem ſi Eccleſia ita diſpoſuiſſet, cùm id fecerit in aliis minoris momenti: tum quia Eccleſia non reſcindit contractus, quibus beneficiarij diſtrahunt fructus ſuperfluos, vel profanè illos expendunt. Cùm ergo non conſtet hæc obligatio ex iuſtitia, non eſt, quòd obligentur beneficiarij ad reſtitutionem, nam in dubio nemo ſpoliandus eſt iure quod poſſidet, & in pari cauſa melior eſt conditio poſſidentis. Dixi in concluſione, *modo Religioſi non ſint*; quia hi ratione voti paupertatis non poſſunt acquirere dominium, ſed tantùm ius adminiſtrationis eorum, & diſpenſandi; tum ad ſui ſtatus congruam ſuſtentationem, tum ad alias pias & honeſtas cauſas.

40. *Tenentur partem quæ redundat, expendere in pauperes, & pios vſus.*

DICO SECVNDO, teneri partem illam, quæ redundat, expendere in pauperes, & pios vſus, ſub obligatione peccati mortalis, communis ſententia ex Leſſio *numer.* 47. Ratio, quia de hoc datum eſt præceptum ab Eccleſia in Tridentino *ſeſſ.* 25. *cap.* 1. *de reform.* iis verbis, *omnino interdicit, ne ex reditibus Eccleſiæ, conſanguineos familiaréſque ſuos augere ſtudeant, cùm & Apoſtolorum canones prohibeant, ne res Eccleſiaſticæ, quæ Dei ſunt, conſanguineis donentur.* & infrà, *In quibuſcunque Eccleſiaſtica beneficia, &c. obtinentibus, &c.* Ratione etiam idē conſtat, quia ſicut ante diuiſionem tenebantur Epiſcopi, qui bona Eccleſiaſtica adminiſtrabant, portionem eorum dare pauperibus, vt ita ſatisfacerent inſtitutioni fidelium; ita cùm poſt diuiſionem non ſit ſepoſita portio pro pauperibus, tenebuntur ſinguli beneficiarij de eo, quod ipſis ſupereſt, facere eleemoſynas, de qua re plura Leſſ. *loc. cit.* Quòd ſi dicantur bona Eccleſiæ patrimonium Chriſti, res Dei, & bona pauperum, & clericos beneficiarios eſſe tantùm adminiſtratores, &c. intelligi debent pro tempore, in quo non erant erecta beneficia, nec diuiſæ portiones. Item dominium patrimoniorum Chriſti, quia propter Chriſtum, & eius cultum donata ſunt bona pauperum, quia omnia ſuperflua dicuntur pauperum, quia ſcilicet illis diſtribuenda ſunt ex Curatione.

DICO TERTIO, iure communi beneficiarium non poſſe teſtari de fructibus beneficij, aut de acquiſitis ex iis, at ex conſuetudine poteſt. Primò probatur ex *cap. Epiſcopi. cap. manifeſta* 12. *quæſt.* 1. *cap.* 1. *cum ſeqq. de pec. cleric. c. relatum.* 2. *de teſtam.* & ratio eſt, quia agri, domus, & ſimilia acquiſita bonis Eccleſiaſticorum, pertinent ad Eccleſi, non ad ipſos clericos, vt ex *cap. placuit.* 12. *quæſt.* 3. *cap. ſacerdos.* 12. *quæſt.* 4. & toto titulo *de pec. cleric.* & licèt ſint domini fructuum, tamen vſus dominij in certo actu, vt in condendo teſtamento, potuit impediri per Eccleſiā, ſicut ius ciuile fecit in impubere. Meritò autem id egit Eccleſia, vt hac ratione auocarētur Eccleſiaſtici à ſtudio accumulandi & incitādi eos ad erogandum in pios vſus in vita. Vide Garz. *cap.* 1. *à num.* 8. qui alios citat. Secundò ex eo conſtat, quod docet Couarr. *cap. cùm in officiis. de teſt. num.* 23. moribus receptum eſſe, vt ſolis Epiſcopis teſtandi licentia ſit neceſſaria, clericos enim cæteros omnes liberè teſtari, &c. Leſſius *cap.* 19. *num.* 42. Azor *cap.* 9. Garz. *num.* 11. Et ratio eſſe poteſt, quia hæc conſuetudo non eſt per ſe mala, neque corruptela, ſi ad pias cauſas referatur. Vnde etiam poteſt habere locum in Epiſcopis, vt alicubi fieri teſtatur Leſſ. Quare potuit conſuetudo abrogare ius poſitiuum. atque hæc conſuetudo eſt approbata per Rotam, vt refert Garz. *num.* 12. An autem peccēt mortaliter ſi diſponāt de iis ad cauſas profanas, dicendum cum communi DD. apud Leſſ. *num.* 44. peccare mortaliter; ſi enim peccant mortaliter diſponendo ita de iis inter viuos, multò magis peccabūt in morte. Et licèt conſuetudo derogarit iuri communi, quoad teſtandum, non tamen, quoad teſtandum in cauſas profanas, & portionem bonorum ſuperfluam congruæ ſuſtentationi, quicquid contra Garz. *n.* 16. quoad fructus, qui eſſent ſpolia Cameræ, vel ſucceſſorum, vel Canonicorum. Ex quibus patet, eſſe peccatum mortale relinquendo in cauſis profanas, tamen eſſe diſpoſitionem validam ſecundùm noſtram ſententiam; quia verè ſunt domini, licèt ſecundùm probabilem aliorum, ſi non ſint domini, diſpenſatio etiam eſſet irrita, vt Leſſ. *loc. cit. num.* 46. 41. *An teſtari poſſint de fructibus beneficij, aut de acquiſitis ex iis.*

DICO QVARTO, beneficiarium non poſſe locare prædia, vel fundum ipſius beneficij vltra triennium, at poſſe fructus, ex probabili opinione, etiam per totam vitam, & Syluest. *Simonia, numer.* 14. Tolet. *lib.* 5. *cap.* 91. & aliis apud Garz. *num.* 26. & ex Abb. & Couarr. Azor *cap.* 11. *quæſt.* 3. quæ etiam in praxi videtur deducta frequenter, quamuis in rigore conformius ſit Extrauag. *Ambitioſæ. de reb. Eccleſ. non alienand.* nec fructus percipiendos, & naſcituros, qui ſeruando ſeruari poſſunt, poſſe alienari vltra triennium, vt rectè ponderat Garz. ex illis verbis, *omnium rerum & bonorum Eccleſiaſticorum.* nam fructus 42. *Non poſſunt locare prædia vel fundum beneficij vltra triennium, ſecus de fructibus.*

fructus etiam ſunt res & bona Eccleſiaſtica. Item ex illis contentis in exceptione, *ac de fructibus & bonis quæ ſeruando ſeruari non poſſunt*, &c. vbi apparet, per bona etiam intelligi fructus, & pro exceptione firmari regulam in contrarium, quoad fructus, qui ſeruari poſſunt, & hanc ſententiam ſequitur Nau. *cap. 25. num.* 137. *& conſ.* 11. *de rebus Eccleſ. non alienand.* & alij apud Garz. *num.* 33. qui etiam affert deciſionem Rotæ. Excipit locationem, vel potiùs venditionem fructuũ penſionis, quam facit Italus, ad cuius vtilitatem eſt reſeruata in capite Hiſpani, vt Nau. *conſ.* 62. *de ſim.* ſunt enim res merè temporalis, & ſic poteſt vendi vltra triennium.

43. *De fructibus obuenientibus tempore vacationis quid.*

Dico qvinto, fructus beneficij obuenientes tempore vacationis reſeruantur ſucceſſoribus de iure communi, niſi expendantur in Eccleſiæ, ipſorúmque beneficiariorum vtilitatem. *cap. cùm voti. de off. ordin. cap. præſenti. eod. in 6.* & alibi Nau. *de ſponſ.* §. 10. *& conſ.* 37. *de ſimonia.* In Italia autem quoad beneficia reſeruata ſunt Cameræ Apoſtolicæ, ex *conſtu.* 36. Pij IV. ſic etiam in Hiſpania fructus Epiſcopatus ſede vacante ſpectant ad Cameram, vt Garz. *n.* 91. præterquam in Regno Portugaliæ, & in Epiſcopatu Pampilonenſi.

44. *Quid ſi fructus diuidendi ſint inter beneficiarium defunctum & ſucceſſorem.*

Dico sexto, quando fructus diuidendi ſunt inter beneficiarium defunctum & ſucceſſorem, quia ſcilicet ille reliquerit eos teſtamento hæredibus, etſi probabilis ſit ſententia, attendendam eſſe diuiſionem ſicut in vſufructuariis; ſi enim percepti ſunt fructus, toti erunt defuncti, ſi non ſunt percepti, toti ſucceſſoris: attamen videtur magis recepta ſententia aſſerens diuiſionem faciendam eſſe pro rata anni, quia cùm beneficium detur propter officium & ſeruitium Eccleſiæ, videtur iuxta tempus ſeruitij diſtribuendos eſſe fructus, atque adeò diuidendos, ſicut fit in dote, quæ datur propter onera matrimonij, eóque magis confirmatur, quia beneficia non ſunt vſufructuarij, ſed domini fructuum, vt diximus 1. *concl.* & hanc ſententiam docet Couar. 1. *var. cap.* 15. *num.* 12. *& ſeqq.* Pariſ. 61. *quæſt. 6. à num.* 79. Sarmient. 64. *de redd. cap. 6. num.* 13. & alij cum Garz. à *num.* 97. vbi tamen eſt recepta conſtitutio Iulij III. vbi ſtatuitur, beneficiorum fructus tempore obitus beneficiarij inexactos ſpectare ad ſucceſſores, & non ad hæredes, vbi non pertinent ad Cameram tanquam ſpolia; ſequenda enim prima ſententia, nam in Hiſpania, & prouincia Mediolanenſi aſſerit Garz. non eſſe receptam, *num.* 103. Idémque dicendum eſt in penſione, diuidenda enim eſt pro rata temporis, & pars danda hæredibus penſionarij, pars beneficiario, vt Couar. *loc. cit.* & Garz. dicens *num.* 122. ſic magis Romæ ſeruari, etſi Nau. *de redd. quæſt.* 2. *num.* 16. ſicut in vſufructuariis dicat diuiſionem eſſe faciendam.

45. *Distributiones.* *Quid diſtributionum nomine veniat.*

NONO QVÆRO, de diſtributionibus, quid iuris de illis. Pro reſponſione ſupponendum, nomine diſtributionum intelligi eas penſiones pecuniarum, quæ dantur quotidie beneficiariis ex eo, quòd interſint ſtatis horis officiis diuinis, nec veniunt nomine præbendæ, vel fructuum beneficij tam in iure communi, quàm in literis Apoſtolicis, & regulis Cancellariæ. Hinc abſentes à ſuis Eccleſiis etiam priuilegio Papæ, non acquirunt diſtributiones, poterunt autem fructus ſuorum beneficiorum: illæ enim dantur tantùm præſentibus, vel iis, qui tanquam præſentes cenſentur, vt alibi.

Respondeo & dico primo, eſſe tria genera diſtributionum, primum eſt earum, quæ conſiſtunt in certa menſura panis & vini ad victum, & certa pecunia ad veſtitum: quæ videntur potiùs præbendæ & beneficia, ideóque eos lucrantur etiam qui reſident, etiamſi non ſint præſentes diuinis officiis, non autem qui non reſident, niſi conſuetudine aut priuilegio aliud habeatur. Secundum eſt earum, quæ deſtinatæ ſunt à præbendariis, & ſumuntur à menſa communi, & diſtribuuntur inſeruientibus ad diuina officia ſaltem aliqua, & aliquando etiam non inſeruientibus, modò reſideant. Tertium earum, quæ quotidie dantur iis, qui præſentes ſunt officiis diuinis: & hæ propriè ſunt diſtributiones, de quibus canones loquuntur. Azor ex Hoſt. Ioan. Andr. & aliis *lib. 2. cap. 7. quæſt.* 3. Hinc patet penſiones funerales ſeu anniuerſaria, quæ diuiduntur in ſingulos beneficiarios, non cenſeri diſtributiones, etſi gaudeant eodem iure, quo illæ, cùm non dentur niſi inſeruientibus. Azor *q.* 4. 46. *Diſtributionum genera tria.*

Dico secvndo, diſtributiones quotidianas de iure communi dandas eſſe tantùm præſentibus ad officia diuina, non autem iis, qui tantùm reſident in loco, ſed non inſeruiunt officiis, habetur *cap. 1. de cleric. non reſid. in 6.* innouatur à Tridentin. *ſeſſ. 24. cap. 12. de reform.* Quare damnatur illa conſuetudo, qua aliqui ex Canonicis per vnam hebdomadam Eccleſiæ inſeruientes, lucrantur diſtributiones etiam aliarum hebdomadarum, quæ aliis inſeruientibus dantur. Alij approbant eiuſmodi conſuetudinem, eo quòd tandem referatur in vtilitatem Eccleſiæ, ſic enim alliciuntur Canonici ad inſeruiendum faciliùs; verùm niſi approbetur Papæ auctoritate, haud dubium eſſet contra iura citata, quæ approbatio adeſſe cenſenda eſt Romæ per omnes ferè Eccleſias Collegiatas, incipiendo à primis Cathedralibus, Lateranenſi, S. Petri, & B. Mariæ Maioris, is enim mos ſeruatur, vt diſtribuantur Canonici terni, quaterni, vel ſeni, aut deni in ſuas hebdomadas, in quibus inſeruientes lucrantur etiam diſtributiones aliarum hebdomadarum. Atque id locum habet tam in iis Canonicatibus, in quibus diſtributiones tantùm ſunt annui fructus, tunc enim beneficium cenſetur in diſtributionibus, quàm in iis, in quibus eſt diſtincta præbenda, quam vocant *à diſtributionibus:* vtriuſque enim generis diſtributiones ſunt in Eccleſiis Vrbis, & tamen idem ius ſeruatur in omnibus. 47. *Diſtributiones quotidianæ quibus dandæ de iur. commun.*

Hinc infertur primò, Canonicos abſentes ob Eccleſiæ negotia, vel præſentes quidem in loco, ſed abſentes ab Eccleſia ob infirmitatem, acquirere poſſe diſtributiones, ſi conſuetudine ita inductum ſit, eſt enim ſatis rationabilis, vt ex Archid. docet Azor *c. 7. q.* 5. 48. *Canonicos abſentes ob negotia Eccleſiæ, vel infirmos poſſe acquirere diſtributiones.*

Infertur ſecundò eadem ratione, poſſe acquirere diſtributiones eas, quæ ipſis abſentibus ad breue tempus, vt trium menſium ad ſummum, lucrifiant ab aliis præſentibus: quamuis enim iure communi à Trid. innouato prohibitum ſit, tamen induci potuit conſuetudine tacita Papæ conſenſu interueniente, vt Romæ paſſim fieri videmus. 49. *Item abſentes ad breue tempus acquirere poſſe eas, quæ lucrifiunt ab aliis præſentibus.*

Infertur tertiò, diſtributiones, quas Canonici ob abſentiam amittunt, aliquando aliis accreſcere præſentibus, aliquando fabricæ Eccle- 50. *Cui accreſcãt diſtributiones quas amittunt Canonici ob abſentiam.*

Eccleſiæ, in quo legitimæ cõſuetudini locorum ſtandum erit. Vide Nauarr. *de hor. Canon. cap.* 22. *num.* 50. Sanchez *de viſit. lib.* 1. *cap.* 15 *n.* 25. Azor. *quæſt.* 8. Trident. *ſeſſ.* 22. *cap.* 3.

51. *Abſentes non poſſe recipere diſtributiones, quas ipſis præſentes remittunt.*

Infertur quartò, abſentes non poſſe recipere diſtributiones, quas ipſis præſentes remittunt, prohibetur enim à Trid. *ſeſſ.* 24. *c.* 12. *de reform.* iis verbis, *Diſtributiones verò, qui ſtatis horis interfuerint recipiant; reliqui quauis colluſione, aut remiſſione excluſa, his careant.* Si tamen poſtquam eas præſentes accipiunt, liberè, non ex pacto, donent abſentibus, hi retinere poterunt, vt Azor *q.* 9.

52. *Cauſa quibus beneficiarius abſens poteſt diſtributiones adquirere.*

Infertur quintò, tribus ex cauſis beneficiarium abſentem poſſe licitè diſtributiones acquirere, primò ob infirmitatem. Secundò ob iuſtam & naturalem corporis neceſſitatem. Tertiò ob Eccleſiæ vtilitatem euidentem. ita *c. conſuetudinem. de cleric. non reſid. in* 6. Qui autem non bene valet, non ſolet inſeruire diuinis officiis, nec etiam poteſt tuta conſcientia recipere, cùm ægrotet, ex communi DD. *in cap.* 1. *cit.* vt docet Azor *q.* 11. contrà de eo, qui ſolet intereſſe, etiamſi ſua culpa in morbum incidiſſet: vel de eo, qui per iniuriam in carcerem detruſus eſſet, vt ex eod. *loc. cit.* vel de ſenio iã confecto, & ob id impedito, vt *q.* 12.

53. *In eadem Eccleſia habens dignitatem & Canonicatum, an duplices diſtributiones accipiat.*

Dico tertio, ſi contingat quempiam in eadem Eccleſia habere Dignitatem & Canonicatum, non propterea videtur debere duplices diſtributiones accipere. Ratio eſt, quia hæ dantur ratione duplicis operæ, quæ à duabus perſonis exerceantur in recitando officio, vel inſeruiendo choro, dum illud recitatur. At qui habet duplex beneficium modo dicto, non propterea duplicem operam præſtat in eo propter quod dantur diſtributiones, ſed vnicam tantùm, vnde vnicam tantùm merebitur diſtributionem. Quòd ſi duplices operas præſtaret, vt in diuerſis temporibus, & propter earum quamlibet detur diſtributio, vtique poſſet hac ratione duplices diſtributiones referre. Quo pacto exponi poſſunt DD. qui inter ſe contrarij videntur apud Azor. *q.* 13. Reliqua ſpectantia ad diſtributiones, de quibus idem *q.* 14. 15. 16. *&* 17. patent ex dictis, &c.

54. *Annata.*

Decimo qværo de Annatis, quæ à beneficiariis pendi ſolent vt conſeruentur in beneficiis adeptis.

Pendi ſolita an vitio ſimoniæ careant.

Resondeo & dico primo, Annuám penſionem, ſiue annatam à beneficiariis cùm primùm beneficia obtinuerint pendi ſolitam, carere omni vitio ſimoniæ. Ratio eſt primò, quia Papa poteſt facere legem, vt qui deinceps Eccleſiaſticum beneficium obtinuerit, integros fructus primi anni, vel dimidios ſoluat in ſubſidium Hoſpitalis, monaſterij vel Eccleſiæ particularis; poterit ergo idem præcipere in ſubſidium miniſtrorum ſibi inſeruientium, vel Romanæ Curiæ. Secundò quia penſiones, quæ quotidie imponuntur à Papa ſuper beneficiis, & reſeruãtur particularibus perſonis, abſque ſimonia imponuntur, quia non in pretium collationis beneficij, ſed in ſuſtentationem clericorum, & ſubſidium indigentium imponuntur: at eadem eſt ratio de Annata, quæ annua quædam pẽſio eſt, & temporalis, impoſita beneficiariis in ſubſidium impenſarum Eccleſiæ vniuerſalis, his enim dicitur Papa victum ſibi, ſuæque familiæ quærere, cùm alij reditus ob publicas vtilitates obligati ſint cenſibus ſuper iis impoſitis à pleriſque Pontificum. Tertiò, quia pari ratione poſſet Papa ſuper omnia beneficia imponere vigeſimam vel trigeſimam partem quolibet anno à beneficiariis ſoluendam in ſuſtentationem ſui, familiæque Cardinalium, & Eccleſiæ Romanæ, & abolere Annatam, vt optaſſe dicitur Ioan. Andr. *in cap. inter cætera. de offic. ordinar.* Sed idem iuris eſſet de hoc vectigali quod eſt de Annata: ſi ergo illud non eſſet ſimoniacum, neque etiam hoc erit. Neque obſtat, quòd Coſmas *in Prag. ſanction. tit. de Annatis*, & Duaren. *lib.* 6. *de ſacris Eccleſ. miniſteriis c.* 3. ſcriptum reliquere, Annatas eſſe contra ius diuinum, Canonicum & ciuile. Primò contra diuinum, quia Chriſtus dixit, *Gratis accepiſtis, gratis date.* Item rerum ſpiritualium nundinatio eſt contra ius diuinum, nec pretio vllà ſpiritualia æſtimari poſſunt. Secundò contra Canonicum, quia 1. *q.* 1. multis iuribus prohibetur, ne ſpiritualia pretio dentur, vel acquirantur. Item, quia ſpecies quædam ſaltem nundinationis & venditionis videtur: ab omni autem ſpecie mali canones præcipiunt eſſe abſtinendum. Tertiò denique contra ciuile, quia ex prouinciis & regnis exteris pecuniæ ingens ſumma contrahitur, & deputatur in Romanam Curiam: non, inquam, hoc obſtat.

Ad primum enim reſpondetur ipſam beneficij collationem gratis dari, nec pecuniam exigi in pretium collati beneficij, ſed in ſubſidium miniſtrorum, quorum opera vtitur in regimine vniuerſalis Eccleſiæ, & ſicut in impoſitione penſionis diximus, nullam committi ſimoniam, vt omnes concedunt; ita fateantur oportet, neque in impoſitione Annatæ cõmitti. Immo sũt qui affirment huiuſmodi penſionem iure diuino ſummo Pontifici dari, exemplo veteris legis, in qua decima ſoluebatur à Leuitis & Sacerdotibus Summo Pontifici, ex Decimis, quæ à populo illis ſoluebantur. ita Cordub. *tract. de Annatis.* Alij ſaltem eſſe conformem veteris legis inſtituto, vt Eckius in Enchiridio citatus ab Azor. *cap.* 12. *q.* 2. quod tantùm concedi verè poteſt, neque enim ſequitur, ex fructibus beneficiorum decimam partem iure diuino ſoluendam eſſe Pontifici, quia ſic olim iubebatur in lege, cùm lex eiuſmodi iudicialis eſſet & cæremonialis, ac propterea Chriſti morte iam abrogata.

Ad ſecundum iam dictum eſt, Annatam non ſolui in pretium collati beneficij: quod ſi imperitum vulgus ita cenſeat, non eſt quòd propterea ſapientum iudicio approbetur, qui norunt diſtinguere inter rem quæ datur in ſuſtentationem miniſtri, & quæ datur in pretium. Et primo modo fatentur dari poſſe pecuniam pro re ſpirituali, vt pro Miſſa, pro ſuffragio, pro ſacris, non autem ſecundo, quo pacto idem contingere aſſerimus in Annata.

Ad tertium, ſi quid valeret, beneficiarij Romæ commorantes non poſſent reditus ſuos ex beneficiis in Gallia huc transferre; nec etiam Oratores, aut exteri quicumque, ex eo regno pecuniam aliò extrahere, quod per ſe conſtat eſſe vanum & futile. Dico ergo iure extrahi Annatam, quia iure debentur Summo Pontifici in ſubſidium ſuorum miniſtrorum; quod tandem ceditur in vtilitatem Eccleſiæ, atque adeò etiam ipſius Prouinciæ & Regni Franciæ.

Dico secvndo, in quibus prouinciis ſoluantur eiuſmodi Annatæ, & quæ ſumma ſit in iis taxata, pertinet ad Cancellariam. apud Gigant. *in fine de penſionibus.* Solet apponi taxa Cancellariæ, ſic etiam extat conſtitutio Nicolai V. *Ad ſacram Petri ſedem*, &c. in qua agitur de Annatis per Germaniam. Vide Azor. *c.* 12. *quæſt.* 2. 55.

In quibus prouinciis ſolui debent, & quæ illarum ſumma, ad Cancellariam pertinet.

Digitized by Google

56. *Quindenium in locum Annatæ introductum, & quid illud ſit.* DICO TERTIO, in locum Annatæ pro beneficiis vnitis alicui monaſterio, vel hoſpitali, vel Collegio clericorum ſæcularium introductum eſt Quindennium, quod eſt penſio, quæ decimoquinto quoque anno Rom. Pontifici ſoluitur ex beneficio alicui communitati vnito.

Prima ratio huius vectigalis eſt, quia cùm beneficia vnita communitati non ampliùs vacent, atque ita non poſſit ex iis ſolui Annata debita ex vacatione, ne miniſtri Pontificij ob id Annatæ fructibus fraudarêtur, fingitur decimoquinto quoque anno vacare, (hæc enim eſt menſura diuturna experientia obſeruata, in qua beneficia ſolent vacare) & denuò conferri, ideóque exactis quindecim annis ſoluuntur dicti fructus vnius anni, vel dimidia eorum pars.

57. *Illius auctor quis.* Secundò, quis auctor fuerit huius vectigalis, non conſtat: veriſimile eſt fuiſſe Paulum II. cuius extat conſtitutio de Quindenniis, vt auctor eſt Azor c. 13. in qua ſolùm præcipitur, vt ſoluatur Quindennium ex beneficiis vnitis poſt Martinum V. Verùm ex alia Pauli IV. *Decens eſſe*, &c. decernitur, Quindennium deberi ex omnibus beneficiis annexis cuilibet loco ante Martinum V. Denique Sixtus V. in ſua conſtitut. de hac re ſanxit, vt Quindennium ſoluatur ex quibuſlibet beneficiis vnitis cauſa alicuius Collegij, vel Vniuerſitatis; ſiue id factum ſit auctoritate Apoſtolica, ſiue auctoritate Legatorum, aut Nunciorum Apoſtolicorum, ſiue etiam Ordinariorum cuiuſuis loci.

58. *An labe ſimoniæ careat.* Tertiò, hoc etiam vectigal procul eſt à ſimoniæ labe, quia ſucceſſit in locum Annatæ, hæc verò non eſt ſimonia, vt diximus; neque videri debet graue Collegio vel monaſterio ex beneficio iam acquiſito toties ſoluere Annatam, quia non tenetur Pontifex exhibere vnionis perpetuę gratiam cum præiudicio ſuorum redituum, vt omittam, Papam poſſe penſionem imponere in ſingulos annos ſoluendam; huius ergo loco impoſuit Quindennium.

59. *An ſoluendum quando beneficium vnitum eſt alteri.* Quartò, ſi quod beneficium vnitum ſit alteri, vt Dignitati, quia hæc vacabilis eſt, iam non eſt ſoluendum Quindennium de beneficio vnito alteri vacabili: vnde in conſtitutionibus citatis dicitur, vt ſoluatur ex beneficiis vnitis in perpetuum non ampliùs vacaturis. Quòd ſi beneficium vnitum euerſum ſit in quotidianas diſtributiones, vel pertineat ad ius patronatus laici, vel ſit adnexum Collegio, vel monaſterio exempto, parum refert, quoad obligationem ſoluendi Quindennij, omnia enim illa ſoluendi Quindennij ex Pontificiis conſtitutionibus obnoxia ſunt, vt docet Azor q. 6.

60. *Taxationes, computationes, ſeruitia communia, labe ſimoniæ carent.* DICO QVARTO, Taxationes, computationes, communia ſeruitia, quæ ſolui debent in Curia Romana propter diplomata Pontificia, immunia etiam eſſe à labe ſimoniæ. Ratio, quia ſunt iuſta ſtipendia miniſtrorum, & tanquam talia dantur à beneficiariis. Quòd ſi quis abuſus in quantitate ſit, vel in electione beneficiariorum, habito reſpectu magis ad diuitias cæteráſque temporales commoditates, quàm ad animum ſpiritúſque aptitudinem, id non in rem ipſam, ſed in malos eſt miniſtros referendum, vt pleræque res humanæ.

61. *Reſcripta quibus ſe tueri ſolent beneficiarij.* VNDECIMO QVÆRO de quibuſdam reſcriptis, quibus ſe tueri ſolent beneficiarij. Pro reſponſione aduertendum eſt, dari genera ſex reſcriptorum, quibus beneficia acquiſita conſeruari valent. Primum dicitur, Perinde valere. Secundum, Noua prouiſio. Tertium, Rationi congruit. Quartum dicitur Subrogatio. Quintum, reſcriptum, Si neutri, Si nulli, Si alteri. Sextum, Diſpenſatio. de quibus nonnulla breuiter ſuo ordine.

DICO PRIMO, reſcriptum, *Perinde valere*, dicitur illud, quo gratia quæ aliquam ob cauſam infirma erat, & inanis, reualeſcit, & vires denuò ſumit, ac ſi ritè & iure tunc facta fuiſſet. ita notat ex Bartol. *in l. ſi is qui. de vſucap.* Azor *lib. 7. cap. 31. q. 1.* Ita ſi quis impetrauit beneficium, nec expreſſit defectum ætatis, aut tacuit eſſe curatum, aut defectum natalium, aut quid ſimile, in perpetuum irrita eſt; at per reſcriptum, *Perinde valere*, obtentum confirmatur prima gratia, & vires reſumit, ac ſi defectus fuiſſet expreſſus, vnde retrotrahitur ad tempus primæ gratiæ conceſſæ. 62. *Reſcriptum, Perinde valere, quod.*

In quo notandum Primò, per illud non derogari iuri alteri quæſito. Rebuff. *in praxi p. 2. n.* 27. conſequenter per illud non aufertur ius in re, ſeu ad rem alteri acquiſitam. *cap. quamuis. de reſcript. in 6. & cap. cùm olim. de conſuetudine.* Imò ſæpe ſolet id exprimere in reſcriptis, dummodo non ſit ius alteri quæſitum. Quòd ſi diceret, *non obſtante, quòd ſit ius alteri quæſitum*, Rebuffus tenet non valere, quia tunc creditur fraude impetratum. Ita ſi diceret, *non obſtante vlla collatione*, debet intelligi de collatione alioqui infirma. *c. 11. ne ſede vacante.* Felin. *in cap. cauſam. de reſcript.* Item ſi redderet irrita alia omnia ſecus facta, intelligitur de iis, quæ iure ipſo non ſubiiciebantur. *c. audita. de reſtitut. ſpoliat.* Denique ſi dicat, *non obſtante iure alteri acquiſito*, intelligitur de iure, quod ipſo facto non valebat. 63. *An per illud derogetur iuri alteri quæſito.*

Notandum ſecundò, exprimenda eſſe in eiuſmodi reſcriptis ea omnia, quæ fuerant prætermiſſa in prima petitione, ob quam impetratio non valuit. Ita qui beneficium impetrauerit ante legitimam ætatem, & habens defectum natalium, & curatum ſine eius expreſſione, in reſcripto, *Proinde valere*, omnia illa tria exprimenda erunt, alioquin vnius tantùm reticentia facit gratiam nullam. Quòd ſi in reſcripto ſit clauſula, *Quod factum eſt valeat, in omnibus, & per omnia, ac ſi de his expreſſa mentio habita fuiſſet*, vtique valebit in his tantùm, quæ non ſunt contraria reſcripto, ſecus in iis, quæ ſunt aduerſa, vt ex gloſſ. *in l. ſacrilegi. ff. ad leg. Iuliam peculatus*, docet Azor q. 3. 64. *Exprimenda ſunt in eiuſmodi reſcriptis, quæ in prima petitione fuerant omiſſa.*

Notandum tertiò, qui crimine conſtitutus beneficium impetrat, irrita eſt prouiſio, & in reſcripto debet facere mentionem, non ſolùm criminis, verùm etiam fructuum perceptorum. Qui verò vt diploma gratis impetraret, falſum ſcripſit in ſupplicatione, debet in reſcripto tum falſi mentionem facere, tum ſoluere quod debet pro diplomate, tum abſolui ab exceſſu facto, atque ita reſcriptum impetrabit. 65. *Irritam eſſe prouiſionem, ſi in crimine conſtitutus beneficium impetrat.*

DICO SECVNDO, Reſcriptum, quod dicitur *Noua prouiſio*, eſſe illud, quod fit à Rom. Pontifice ad alterius per alium antè iam factam confirmationem. *c. poſt electionem. de conceſſ. prabend.* gloſſ. *in reg. 52. Cancellar.* Quare noua prouiſio eſt, cùm Rom. Pontifex denuò concedit, quod fuerat ab alio conceſſum. Hæc autem fit, quando is cui antea fuerat, v.g. beneficium collatum, dubitat, an ſit validum, néne quòd factum fuerat, & per nouam prouiſionem non reſcinditur prius reſcriptũ, ſed ſolùm denuò confertur quod fuerat ab alio conceſſum. De quo, 66. *Reſcriptum, Noua prouiſio, quod.*

Notan

Digitized by Google

67. *A reſcripto Proinde valere, differt.*

Notandum primò, differre à reſcripto, *Proinde valere*. Primò, quia hoc datur ab eodem, quia primum fortè fuit irritum, at noua prouiſio à diuerſa perſona, à qua confirmatur factum ab alia. Secundò, quia noua prouiſio valet tantùm à die conceſſionis, nec retrotrahitur: at reſcriptum *Proinde*, retrotrahitur ad primam conceſſionem.

68. *An diſſoluatur, quando prima diſſoluitur tanquã inutilis.*

Notandum ſecundò, etiamſi prima prouiſio, v. g. facta ab Ordinario, poſtea diſſoluatur tanquam inutilis, non tamen propterea diſſoluitur noua prouiſio facta à Papa in confirmationem prioris. Gomez *in regul. de Annali, q. 78. in fin.* Rebuffus *in prax. tit. de iure prouiſ. numer.* 13. Ratio eſt, quia etiamſi remiſſo principali, remiſſum quoque ſit acceſſorium, noua tamen prouiſio eſt æquè principalis ac prima, ideóque ſubſiſtit prima etiam reſciſſa.

69. *Quando detur in Rom. Curia.*

Notandum tertiò, in Rom. Curia non ſolere dari reſcriptum nouæ prouiſionis niſi in tribus caſibus. Primò in vnionibus. Secundò in beneficiis præceptoriarum S. Ioan. Hieroſ. & aliarum militiarum. Tertiò in prouiſionibus Sanctimonialium. Ex his patet differre nouam à ſimplici prouiſione; hæc enim eſt, cùm alia facta haud narratur, ideóque nullus antea titulus præceſſiſſe memoratur: at in noua præcedit, vt diximus. Vide plura apud Azor. *quæſt.* 7.

Noua & ſimplex prouiſio differũt.

70. *Reſcriptum, Rationi cõgruit, quod.*

Dico tertio, reſcriptum, *Rationi congruit*, illud eſt, quod impetratur à nouo Papa, ad conſeruandum beneficium ab alio demortuo acceptum viua tantùm voce, aut per ſcripturam ſignatam, ſed literis non expeditis. Dicitur autem, *Rationi congruit*, quia ſic incipit, de quo Rebuff. *in prax. p. 2. tit. de gratia, Rationi congruit.* Azor *cap. 31. quæſt.* 2. Iure autem illud Papa concedit, quando per teſtes, vel alia ratione probat, ſe gratiam impetraſſe à prædeceſſore.

71. *A reſcripto, Proinde valere, differt.*

De quo notandum primò, differre à reſcripto, *Proinde valere*; primò, quia hoc confirmat, quod alioqui erat irritum & inutile: at reſcriptum, *Rationi congruit*, confirmat impetrationem ratam illam quidem, ſed non adhuc abſolutam. Secundò reſcriptum, *Proinde valere*, datur ab eodem Pontifice; at, *Rationi congruit*, à diuerſis, vt diximus. In vtroque autem gratia retrotrahitur ad diem gratiæ priùs conceſſæ. Rebuff. *loc. cit. numer.* 20. *&* 21. Azor *quæſt.* 9.

72. *In reſcripto, Rationi cõgruit, exprimẽda ea quæ in prima impetratione.*

Notandum ſecundò, in hoc reſcripto eſſe exprimenda omnia, quæ in prima impetratione. *cap. ad aures, cap. in nobis. de reſcript.* ideo ſi prima impetratio ſignata minùs amplam gratiam continebat, & ſecunda maiorem, cenſetur ſecunda ſubreptitia, conſequenter reſcriptum, *Rationi congruit*, irritum.

73. *Immediatè & mediatè impetrari poteſt.*

Notandum tertiò, non ſolùm poſſe impetrari à Pontifice immediatè, ſed etiam mediatè, vt ſtatuit Paulus III. *in Reg.* 8. & Iulius III. ſtatuit, vt conceſſa à Clemente VII. expedirentur, vſque ad ſex menſes duntaxat. Rebuff. *loc. cit. n.* 25. Azor *q.* 10.

74. *Reſcriptum ſubrogationis quid, & quomodo fieri poſſit.*

Dico qvarto: Reſcriptum Subrogationis eſt, quo Pontifex mandat aliquem in locum alterius de certo beneficio litigantis ſubſtitui. *cap. 1. vt lite pendem. in 6.* Poteſt autem fieri primò, ſi Papa præcipiat ordinario loci, vt aliquem ſubroget in omne ius, & locum alterius defuncti. Secundò ſi ipſemet Papa ſubroget, & hoc ſecundum plerumque ſit ad lites citiùs dirimendas, ideóque præferri ſolet litigans cæteris, ſi intra menſem petierit, vt habetur *reg. 19. Cancellar.* cùm verò ſubrogatur alius intra menſem, tunc derogatur regulæ prædictæ.

75. *Succedit ſubrogatus in omni iure quod habebat alter litigantium quũm obiit, vel iure ceſſit.*

De quo notandum primò, ſubrogatum ſuccedere in omni iure, quod alter litigantium habebat, quo tempore obiit, vel ſuo iure ceſſit. Et quamuis *cap. 2. vt lite pendente, in 6.* decernat, vt tantum quis ſubrogetur in ius rei & defenſoris, non actoris, attamen vſus eſt in contrarium, mortuo enim actore conſertur illius ius ſubrogato, non autem nouum; ideo non poteſt iuuari nouo titulo, niſi adderetur clauſula; *& de nouo ſi opus ſit etiam prouidemus.*

76. *Quæ in hoc reſcripto requirantur.*

Notandum ſecundò, in huiuſmodi reſcripto debet fieri mentio primò poſſeſſionis, quam habebat is, in cuius locum alius ſubrogatur. Secundò, ſi impetretur à Papa, debet fieri mentio de beneficiis, quæ ſubrogatus obtinet. Tertiò, ſtatus litis & cauſæ, & iudex apud quem delata eſt, & pendet. Vide Rebuff. *in Praxi tit. de ſubrogat. n.* 19.

77. Notandum tertiò, cùm ſubrogatus ſubrogetur tantùm in ius demortui, ſi hic non habebat poſſeſſionem, nec etiam ſubrogatus poterit illam apprehendere; ſi habebat, in eáque ſubrogetur, vtique poterit eam habere, modò habeat ad id literas Papæ expeditas. Non poteſt autem Ordinarius loci ſubrogare alium lite pendente in locum demortui. *cap. 1. & 2. vt lit. pendent. in 6.*

78. *Regula Cancellariæ de ſubrogandis collitigantibus quæ.*

Notandum quartò, Regulam Cancellariæ de ſubrogandis collitigantibus continere primò, vt collitigantes præferantur quibuſcunque ſubrogatis infra menſem, niſi collitigantes eſſent intruſi, vel lis mota eſſet contra poſſeſſorem pacificum per triennium. Secundò, vt nullus in iure, vel ad ius in beneficio defuncti ſubrogetur, quod illo viuente impetrauit in caſu periculi vitæ ob ſenium, vel infirmitatem, vel ſimile. Tertiò, idem ſeruandum in impetrantibus beneficia per priuationem & amotionem ex quibuſuis criminibus.

79. *Intruſus in illa regula quis.*

Notandum quintò, intruſum dici eum in prædicta regula, qui quocumque modo intruſus vocatur. Propriè enim tãtùm dicitur is, qui ſine auctoritate eius, ad quem pertinet, beneficium obtinet. Vnde etiam is, qui aduersùs titulum, v. g. ſenem, vel infirmum, intendit ei litem, & beneficij poſſeſſionem per vim capit, vt impetret poſt eius mortem ſubrogationem, dicitur intruſus.

80. *Pacificus poſſeſſor triennalis quis.*

Notandum ſextò, per triennalem pacificum poſſeſſorem intelligitur is, qui beneficium per biennium quietè poſſederit, ſiue verum titulum habuerit, ſiue coloratum, vt Mandoſ. *in gloſſ. reg. de triennali*, ex deciſ. Rotæ. Regula item dicta denegat ſubrogationem impetrantibus beneficia quorumcumque viuentium, maximè tamen ſenum, & infirmorum, & criminoſorum, vt fusè docet Azor *c. 31.* poſt *q. 6. quæſito* 3.

81. *Subrogatus ad omne ius defuncto, cenſetur etiam ſubrogatus in poſſeſſionem.*

Notandum ſeptimò, ſubrogatum ad omne ius defuncto quomodolibet competens, cenſeri etiam ſubrogatum in poſſeſſionem, non autem ſubrogatum ſimpliciter in ius defuncti. Mandoſ. *quæſt.* 7. Rot. *in antiquis, deciſ.* 284. ſubrogatus autem in litem & poſſeſſionem, etiam cenſetur ſubrogatus in ius proſequendi ſpolium, hoc eſt, poſſeſſionem ereptam, vt Mandoſ. & Gomez ex Azor. *loc. cit. q.* 5. Neque habet locum

Digitized by Google

cum regula, quando alicui lis eſt intenta vi reſcripti ſubreptitij, propter quod cùm nullum ſit, habetur pro non facto, vt Azor *queſt.* 6. ex Gomez.

82. *Reſcriptum, ſi neutri, quod. Quod, ſi nulli, & quod, ſi alteri.* DICO QVINTO, Reſcriptum, *Si neutri*, eſt, quando duo litigant de beneficio, & tertius intelligens neutrum obtinere in eo ius, impetrat illud ea conditione, vt ſi neuter ius habuerit, ſibi conferatur. *Si nulli*, tunc eſt, quando tres vel plures de beneficio litigant, & alius impetrat à Papa, ſi nullus eorum ius in beneficio habuerit. Denique, *Si alteri* datur, quando duo litigant de beneficio, & vnus eorum impetrat à Papa, vt ſibi conferatur, ſi alteri quæſitum ius non ſit, de quibus etiam dictum eſt ſuprà, cùm de Mandatis Papæ.

83. *Hoc vbi locũ habeat.* Circa quod notandum, non habere locum, niſi in beneficiis litigioſis nondum extincta lite, ideóque ad id impetrandum debet fieri mentio beneficij litigioſi. Item non prodeſt, quando ius eſt alicui quæſitum, ſiue ſit ius in re, ſiue ad rem. Rebuff. *in praxi, tit. de reſcript. Si neutri*, &c. ideo poſt ſententiam quæ tranſiuit in rem iudicatam, non valet, niſi quia eſſet reſtitutus in integrum, & penderet adhuc reſtitutio; vel niſi appellaſſet à ſententia, & appellatio adhuc penderet. Denique non dantur huiuſmodi reſcripta poſt tres ſententias conformes datas contra eum, tunc enim beneficium etiam alteri adiudicatur. *Clem.* 1. *de ſent. & re iudic.* Rebuff. *loc. cit. numer.* 22. ex Azor. *queſt.* 8.

84. *Reſcriptum, Diſpenſatio, quid & quotuplex ſit.* DICO SEXTO, Reſcriptum quod dicitur *Diſpenſatio*, eſt cùm Papa iuſtis de cauſis iuris communis rigorem relaxat. ita canones ex Azor. *cap.* 33. *initio.* Duplex autem eſt, Expreſſa, cùm in ſupplicatione Papæ continentur verba, *Diſpenſare dignemini*; vel, *Diſpenſamus omnem ſupplentes defectum*; vel, *Permittimus.* ex *cap. literas. de fil. presbyt. cap.* 1. *de ætat. & qualit. in* 6. Tacita, cùm ſciens Rom. Pontifex indigno, vel inhabili beneficium confert: habet autem eandem vim, quam expreſſa, vt gloſſ. *cap. qui in aliquo. d.* 15. Innoc. & alij ex Azor. *q.* 1. Vnde ſi domeſtico & familiari ſuo Papa confert beneficium, nulla facta mentione diſpenſationis, etiamſi beneficia ſint incompatibilia, vel is ſit inhabilis, cenſetur diſpenſare tacitè.

85. *Quando id concedi ſoleat. Diſpenſatio & priuil. quid differunt.* De quo notandum primò, diſpenſationem non ſolere concedi, niſi ad petitionem eius, cui intereſt: ius enim non ſolet relaxari niſi aliquo petente, aliquando tamen etiam conceduntur motu proprio, ex Mandoſ. apud Azor. *q.* 4. Differt autem à priuilegio, tum, quia hoc ſine cauſa ſolo Principis arbitratu conceditur, at diſpenſatio non datur ſine cauſa, tum quia priuilegium pleniſſimè interpretamur. Diſpenſatio eſt ſtricti iuris, quamuis facultas diſpenſandi ſit pleniſſimè interpretanda, vt Azor *q.* 6.

86. *Quid ſi pro diſpenſationibus Pontificiis aliquid detur vltra ſtipẽdia miniſtris debita.* Notandum ſecundò, pro diſpenſationibus Pontificiis ſi quid detur vltra ſtipendia debita miniſtris, id ſoluitur in pœnam relaxationis à lege communi, vel ob commutationem & redemptionem voti, vel vt cæteri arceantur à diſpenſationibus petendis. Diſpenſat autem Papa propriè loquendo in iis tantùm, quæ ſunt de iure Canonico, in aliis de iure naturali, aut diuino non propriè diſpenſat, ſed commutat materiam, & transfert obligationem eandem in eam, vt dicetur ſuo loco.

87. *Papa vbi diſpenſet.* Notandum tertiò, quod attinet ad beneficium, diſpenſat Papa primò in defectu natalium, quoad beneficia ſimplicia: quoad dignitates autẽ & principalia beneficia non ſolet diſpenſare, niſi cum illegitimo valde nobili, vel docto, vel inſigniter probo, vel de Eccleſia benè merito. Secundò in defectu ætatis: & hæc de duobus tantùm annis dari ſolet, habita præuia per fideles teſtes informatione de dignitate perſonæ. Tertiò ad plura beneficia, etiamſi vnum, quod habet, ſufficiens ſit, debet tamen mentionem facere primi. Ad incompatibilia, non enim facilè datur diſpenſatio, niſi valde literati ſint, vel bene meriti. Quartò, vt ſub eodem tecto, id eſt, Eccleſia quis habeat duo beneficia diſſimilia, vt vnum curatum, vel dignitatem, & aliud ſimplex: vel duo ſimilia, ſed ſimplicia, vt duas Capellas, duo altaria, duo præſtimonia. Quintò, vt quis ad Eccleſiam ſubleuandam promotus retineat priora beneficia. Sextò, vt Monachus vnum beneficium Parochiale habeat, vel clericus vnum Regale, &c. Septimò, diſpenſat cum vitiatis corpore. Octauò cum Parocho ne cogatur intra annum fieri Sacerdos ſtudij cauſa, & interim etiam fructus beneficij percipiat. Nonò, vt extra tempus ordinetur, & interſtitiis non ſeruatis. Decimò, vt ſimoniacus beneficium retineat, fructúſque percipiat. Vndecimò, ne in Eccleſia cogatur reſidere, requiritur tamen magna & grauis cauſa. Duodecimò, cum neophyto, vt ordines ſuſcipiat, vt habeat beneficium, &c. Vide plura apud Azor. *cap.* 33. per totum.

DVODECIMO QVÆRO de duplici regula Cancellariæ, qua beneficiarij tueri ſe ſolent, nempe de Annali, & Triennali poſſeſſione. 88. *Annalis & triennalis poſſeſſionis regula.*

RESPONDEO, & DICO PRIMO, per regulam de Annali poſſeſſione conſeruari beneficiarium in ſuo beneficio. *Per regulam de Annali poſſeſſione cõſeruari beneficiarium in ſuo beneficio.* Patet ex regula quæ refertur ab Azor. *cap.* 34. in qua primò ſtatuitur contra eos, qui moleſtare contendunt annalem beneficij pacificum poſſeſſorem, vt cauſam in impetratione exprimat, cur nullum ipſi poſſeſſori ius in beneficio competat. Secundò, vt qualitates poſſeſſoris aperiant, nomen, gradum, & nobilitatem, & quot annis poſſederit. Tertiò, vt infra ſex menſes poſſeſſorem ipſum faciat ad iudicium euocare, & cauſam perſequi, vſque ad ſententiam definitiuam infra annum: alioqui impetratio, & quæ inde ſequuntur, nulla ſint, & teneantur ſatisfacere de damnis & intereſſe prędicto poſſeſſori. Quartò ſi repertus fuerit friuolè moleſtaſſe & indebitè ipſum poſſeſſorem, ſoluat Cameræ Apoſtolicæ 50. florenos auri. Quintò non ſuffragetur impetranti alius modus, quàm præmiſſæ vacationis, nec cenſeatur propterea in antea beneficium illud litigioſum.

Circa quam regulam notandum primò, finẽ regulæ fuiſſe ad reprimẽdos improbos conatus, & motus exquirentium aliis lites, ne beneficiotum poſſeſſores inique vexarentur, ne poſſeſſiones ipſæ dubiæ eſſent, & incertæ: vnde patet eã eſſe in gratiam Annalium poſſeſſorum & fauorem, & odium iniquè beneficiarios tales moleſtantium. 89. *Finis illius regulæ quis.* Dicitur autem litigator iniquus, non eo ipſo, quòd quis litem in eum intendit, ſed ſi condemnatus fuerit, quòd contenta in regula non ſeruarit.

90. *An regula defendat annales poſſeſſores & regulares, vel aliàs ineptos.* Notandum ſecundò, quodlibet beneficium comprehendi hac regula, ſiue Regulare, ſiue ſæculare, ſiue ſimplex, ſiue duplex, ſiue liberæ collationis, ſiue ius

Digitized by Google

ius patronatus. Extenditur etiam ad vnita, vt pluribus Azor *quæſt.* 4. & ad reſeruata, ſi anni ſpatio pacificè illud poſſedit. Non defendit autem eos, qui beneficiis ipſo iure priuati eſſent, vel ineptus, vel hæreticus, ſed ſolùm dat ius excipiendi contra aduerſarium, quòd eius beneficium petierit, & impetrauerit, non ſeruatis iis, quæ hac regula præcipiuntur, ita vt ſubreptitia ſit impetratio, ſi quid omiſſum ſit eorum, quæ hac regula continerentur. Non requiritur autem titulus verus, nec veriſimilis, nec vt poſſeſſor ſit beneficij capax, ſufficit poſſeſſio, vt dicunt, aſinina, vt ſcilicet corporaliter detinuerit beneficium: nec mirum, quia regula nullum poſſeſſori ius tribuit, nec à petitione liberat, ſed tantùm iubet ne intendatur contra eum lis, niſi ea ratione, qua præſcribitur.

91. *An infra annum litigatus, vel non recipiens fructus dicatur pacificus poſſeſſor beneficij.*

91. Notandum tertiò, per poſſeſſorem pacificum intelligitur is, qui beneficium ſine lite poſſederit & controuerſia, ſi citatio interueniat, etiamſi irrita fuerit, dummodò reipſa peruenerit ad poſſeſſorem, tollit pacificam poſſeſſionem: ſi verò non recipiat fructus, ſunt qui aſſerant, non dici pacificum, alij affirmant, quia ſatis eſt, ſi titulum pacificè poſſederit, vt ex Rebuffo & Azor. *quæſt.* 6. Annus autem intelligi debet completus, inchoandus à die poſſeſſoris, & debet eſſe continuus, alioqui ſi per citationem fuiſſet interpellatus, non ſuffragaretur, vt Azor *quæſt.* 7. quemadmodum nec ſuffragatur poſſeſſio pacifica in reſignante, ipſi reſignatario, hæc enim regula vnum requirit annalem poſſeſſorem.

92. *An regula comprehendat etiam eum qui beneficiũ impetrat motu proprio.*

92. Notandum quartò, hac regula comprehendi etiam eum, qui beneficium impetrat motu proprio, vt docet Mandoſ. & Azor *quæſt.* 10. neque enim motus proprius derogat iuri alteri quæſito, neque ſtatutis, niſi de illis ſpecialem mentionem fecerit. Non egreditur autem hæc regula Curiam Romanam, & beneficia impetrata ab Ordinariis contra annalem poſſeſſorem non comprehendit: Ordinarij enim creduntur habere plenam cognitionem perſonarum & beneficiorum. Coram Legato autem dubium eſt, an ſit ſeruanda, & Rebuffus quidem & Mandoſ. affirmant, quos ſequitur Azor *quæſt.* 12. ob eandem rationem deceptionis, quæ in Legato eſſe poteſt.

93. *Verba, ſpecificam, & determinatam cauſam, quid denotent.*

93. Notandum quintò, verba illa, *ſpecificam & determinatam cauſam*, ſignificare cauſam indiuiduam, & certam, abſque vllo dubio, vnde non eſſet ſatis expreſſio quædam generalis. Menſes autem ſex, infra quos in regula dicitur eſſe euocandum poſſeſſorem, computandos eſſe à die impetrationis beneficij ab eo, qui litem vult intendere contra poſſeſſorem. Haberet autem iuſtam excuſationem impetrans beneficia, ſi tempus ſex menſium prætereat, antequam euocatus ſit ipſe poſſeſſor, ſi hic tam potens ſit, vt nemo ad ipſum citatum accedere audeat, habebitur enim pro citato, quando ipſe in cauſa ſit, ne citetur, vt ex Rebuffo & Gomez docet Azor *quæſt.* 14.

94. *Annus, intra quem cauſa vſque ad ſententiam proſequenda, vnde computari debeat.*

94. Notandum ſextò, annum infra quem cauſam vſque ad ſententiam definitiuam perſequi debet impetrator beneficij, computandum eſſe à die, quo impetrans vocauit ad iudicium annalem poſſeſſorem, vt ex Gomeſ. & Rotæ deciſ. refert Azor *quæſt.* 15. Non eſt autem neceſſe, vt cauſa vno anno abſoluatur: ſatis eſt, ſi per ipſum non ſteterit. Denique per ea verba, *nec alius quàm præmiſſe vacationis modus*, &c. prohiberi impetranti, ne lite pendente alium vacationis modum exprimat, vt per litteras, *ſi neutri, ſi nulli, ſi alteri*, &c. ac ſi beneficium litigioſum eſſet, neque enim tale cenſendum eſſe.

95. *Per regulam de triennali poſſeſſore etiã beneficiarium conſeruari in beneficio.*

95. Dico secundo, per regulam de triennali poſſeſſore etiam beneficiarius conſeruatur in adepto beneficio. Patet ex eadem regula relata ab Azor. *cap.* 35. *initio.* In ea autem ſtatuitur primò, vt quicunque per triennium pacificè poſſederit aliquod Eccleſiaſticum beneficium, modò abſque ſimoniaco ingreſſu, ex Apoſtolica, vel ordinaria collatione habuerit, non poſſit ſuper eo moleſtari. Secundò quòd impetratio beneficij ſic poſſeſſi nulla cenſeri debeat. Tertiò explicatur, beneficium ſic poſſeſſum non debere eſſe reſeruatum aliqua generali reſeruatione clauſa in corpore iuris, in quo ſe talis poſſeſſor intruſerit.

96. *An irregulares, & ij qui beneficia incõpatibilia, vel Parochi intra annum non promoti, defendantur hac regula.*

96. Circa quam notandum primò, non defendi hac regula eum, qui alioqui beneficij capax non ſit iuxta canones; ideóque neque ſpurius, neque laicus, neque fœmina, neque coniugatus, neque bigamus, hæreticus, infamis, aut alius inhabilis iuuari poteſt: iura enim loquentia de perſonis, intelligi debent de idoneis. *l. vt gradatim. ff. de mun. & hon. & c. Eunuchus d.* 55. Imò ex gloſſ. antiqua Rebuff. ſentit Azor *quæſt.* 1. quicquid contrà Gomeſ. aſſerat, quemlibet iuuari.

97. *An hi iuuentur, qui habẽt beneficia contra canones.*

97. Notandum ſecundò, dubium eſſe, an hac regula iuuentur ij, qui beneficia habent contra canones, ſed ſunt alioquin eorum capaces & habiles: vt ſi quis Parochus intra annum ad ſacerdotium non ſit promotus, ſi plura incompatibilia beneficia ſuſceperit, ſi penſionẽ non ſoluerit, aut dimidiam partem fructuum ad ſe retinuerit, aut per vim beneficij curati poſſeſſionem inierit, &c. & quamuis Rebuſtus neget, Gomeſ. tamen & Nauarr. vnà cùm Azor. affirmant, quorum ſententiæ adhæreo; tales enim ſi per triennium pacificè poſſederint, poſſunt iuuari hac extenſione, modò manifeſtè non conſtet eos eſſe titulo priuatos per ſententiam iudicis, vel propriam confeſſionem in iudicio, vel euidentia facti.

98. *Iuuari eum, qui beneficiũ triennio poſſedit pacificè.*

98. Notandum tertiò, eum, qui per iniquam ſententiam beneficium triennio pacificè poſſedit, defendi poſſe hac regula, excipiendò contra eum, qui litem illi intentaret: hæc enim fuit mens Pontificis, qui eam regulam condidit, ne qui per triennium beneficium pacificè poſſedit, moleſtaretur ab alio. Cæterùm autem triennio poſſediſſe pacificè qui probauerit ſe primo & tertio anno pacificè poſſediſſe, cùm enim de duobus extremis conſtat, etiam medium probatum remanet, Azor *quæſt.* 5. ex Rebuff.

99. *Item eum, qui biennio poſſedit, & reſignauit, poſtea reſignatione autem irrita, ad ſuum beneficium redit.*

99. Notandum quartò, eum qui biennio, v. g. poſſedit pacificè, poſtea reſignauit fauore alterius, ſed quia irrita facta eſt reſignatio rediit ad ſuum beneficium, & per alium annum pacificè poſſedit, iuuari poſſe hac regula; neque enim is cenſendus eſt beneficium dimiſiſſe abſolutè, ſed cum conditione, vt daretur alij: quare non ſecuta conditione, reſtituitur in ſuo beneficio: ſufficit autem ad poſſeſſionem pacificam aſſerendam, ſi maiorem fructuum partem quis ſine lite percepit, etiamſi lis in minori parte fuerit intenta.

Digitized by Google

100. *An regula tribuat ius poſſeſſori illud aliàs non habenti.*

Notandum quintò, dubium eſſe, an hæc regula tribuat ius poſſeſſori, néc ne, ita vt, excepto ſimoniaco & intruſo in beneficium reſeruatum iure communi, quilibet triennalis poſſeſſor, aliàs iniuſtus, illud retinere valeat, vtpote titulo & iure acquiſito per hanc regulam. Et breuiter dicendum, eſſe eandem rationem huius regulæ, quæ eſt præſcriptionis & vſucapionis. Papa enim ne tituli incerti eſſent, & ne populi ambigerent animo, an is qui per biennium fuit eorum paſtor, legitimus fuerit néc ne, potuit ob commune pacis bonum, & populi ſalutem, eam legem condere. Azor *quæſt.* 8. An autem requiratur bona fides, dic primò ad excipiendum, & ſe defendendum non requiri. Secundò ad acquirendum titulum, & faciendum ſuum beneficium, etiam in contrarium, ſi adſit bona fides, certiſſimum eſſe id ſatis eſſe, ex Nauarr. *conſil.* 8. *num.* 2. *de renunciat.* Tertiò, etiam ſecundùm Gomeſ. *ibid.* & Rotam, ſui temporis certum eſſe non requiri bonam fidem, ſed mala fide poſſidentem etiam iuuari. Ex quo infertur, ordinarium poſſe quidem exquirere titulum beneficij à ſuis beneficiariis, ſi quis tamē illum non aſſignet, ſed pacificè per triennium poſſederit, non poteſt deiici; idque habet etiam locum in foro conſcientiæ, vt de lege præſcriptionis communiter dicitur.

101. *Intruſi qui.*

Notandum ſextò, intruſum dici propriè illum, qui ſine auctoritate eius, ad quem pertinet, beneficium arripuit. *cap. ad aures. de exceſſ. prælat.* ideóque qui ſe infert in beneficij adminiſtrationem abſque vllo titulo, vel per vim beneficium occupat, dicitur intruſus. Secundò, qui poſt electionem ante confirmationem beneficium adminiſtrat, nam ipſe iure amittit ius acquiſitum. *cap. auaritiæ. de elect. in* 6. Tertiò, qui retinet beneficium poſtquam eſt amotus ab eo per iudicis ſententiam. Quartò, qui detinet beneficium alteri adeptum, omiſſo ordine iuris. Quintò, qui in cenſura illud adeptus eſt. Sextò, qui crimen admiſit, quo meretur amoueri à beneficio; ſed niſi ipſo iure ſit beneficio priuatus, non cenſetur intruſus, vt aduertit ex Rebuffo Azor *quæſt.* 10. Septimò, qui ſine literis Pontificiis poſſeſſionem accipit beneficij. Octauò, qui nominatus, vel præſentatus abſque inſtitutione beneficium adminiſtrat. Hi igitur omnes non gaudent beneficio huius regulæ. Hæc ſatis de hoc capite.

CAPVT VII.

De pluralitate beneficiorum in vno, eodémque beneficiario.

SATIS ampla huius capitis materia eſt, ac de ea tractatus integri ſunt à variis auctoribus conſcripti, vt à Rebuffo *in praxi part.* 2. *tit. de diſpenſ. ad plura beneficia.* Ioan. de Lignano *de pluralit. beneficior.* & Alphonſo Dieda *de beneficiorum incompatibilitate & compatibilit.* Nos omnia complectemur quæſt. ſeqq. Primò, quo iure pluralitas damnata ſit, & an conſuetudo contrarium inducere queat. Secundò, quibus ex cauſis ſit prohibita iure Canonico, quibúſque conceſſa. Tertiò, ſíntne aliqua incompatibilia in genere, & quæ. Quartò, quódnam dicatur ſufficiens, & an plura inſufficientia haberi iure poſſint. Quintò, in particulari agemus de incompatibilitate ſimplicis cum quolibet alio. Sextò, de incompatibilitate duplicis curati cum quolibet alio. Septimò, de incompatibilitate dignitatis cum aliis. Octauò, de incompatibilitate Abbatiæ cum aliis. Nonò, de incompatibilitate Epiſcopatus cum aliis. Decimò, de incompatibilitate beneficiorum ſub eodem tecto. Vndecimò, quæ ſint compatibilia in particulari, & quibus modis multa haberi poſſint. Duodecimò, cuius ſit diſpenſare in pluralitate beneficiorum. Decimotertiò, de pœnis contra pluralitatem.

PRIMO ergo QVÆRO, quo iure pluralitas damnata ſit, & an conſuetudo poſſit inducere contrarium. 1. *Pluralitas quo iure damnata, & an conſuetudine poſſit induci contrarium. Iure Canonico prohibetur pluralitas.*

RESPONDEO & DICO PRIMO, iure Canonico generaliter prohiberi pluralitatē beneficiorum. probatur multis canonibus, præcipui ſunt hi, *cap. ſanctorum. d.* 70. in qua Eccleſia quis intitulatus eſt, in ea perpetuò perſeueret. Omnino autem in duabus Eccleſiis aliquem intitulari non liceat. *cap. clericus* 21. *quæſt.* 1. Clericus ab inſtanti tempore non connumeretur in duabus Eccleſiis. *cap. clericum. eod.* clericum in duarum Eccleſiis ciuitatum conſcribi non oportet. *cap. Eccleſias.* 14. *quæſt.* 1. Eccleſias ſingulas ſingulis Presbyteris dedimus. Hæc in Decreto. In Decretalibus, *cap. quia in tantum. de præbend. & cap. quia nonnulli. de cleric. non reſid.* Dixi *generaliter*, quia an prohibeatur tantùm pluralitas beneficiorum, quorum vnum ſit ſufficiens, an etiam quando duo vel plura ſunt inſufficientia, eſt controuerſia inter DD. vt videre eſt apud Azor. *lib.* 6. *cap.* 10. *quæſt.* 2. Garz. 11. *part. cap.* 5. *numer.* 260. *& ſeqq.* Leſſ. *cap.* 34. *dub.* 27. Oied. 1. *part. cap.* 17. *&* 2. *part. cap.* 1. Syluest. *Beneficium* 4. *numer.* 1. primò enim fuerunt qui dicerent, tantùm prohiberi pluralitatem Dignitatum, perſonatuum, curatorum, ex *cap. de multa. de præbend.* contra quos facit *cap. ſanctorum, cit.* cum aliis ſuprà. Secundò alij tantùm prohiberi plura duobus, non duo; contra quos iidem canones faciunt. Tertiò alij non damnari pluralitatem ſimplicium non requirentium reſidentiam, niſi ratione extrinſeci, hoc eſt, ambitioſæ cupidinis. Innocent. *cap. dudum.* 2. *de elect.* vbi gloſſ. *verſ. Intitulata. de præbend.* & alij Canoniſtæ, vt Ioan. Andr. Calderinus, Geminianus, Franc. & Lap. Quartò alij damnari pluralitatem, quando vnum ſufficiens ad ſuſtentationem. Card. *cap. gratiam. de reſcript. in* 6. gloſſ. *cap. dudum* 2. *de elect. verſ. Retinere.* Hoſt. Goffred. & aliorum apud Azor. *quæſt.* 2, licèt diuiſi ſint, dum alij aſſerunt, conſuetudine ius commune eſſe abrogatum, & poſſe retineri duo etiam ſufficientia: alij non concedunt id eſſe conſuetudine introductum, de qua re infrà.

DICO SECVNDO, iure diuino non inueniri aliquid decretum circa hoc. Ratio, quia de hoc mentio non fit expreſsè in Scriptura, etiā trahi poſſint ex illa argumenta ad id probandum, vt Syluest. docet *Beneficium.* 4. *initio.* Nec mirum, quia adhuc non erant introducta beneficia, neque erecta. 2. *De hoc nihil inueniri in iure diuino.*

DICO TERTIO, iure naturali an ſit pluralitas beneficiorum damnata, eſt in controuerſia, & neutra pars euidenter probatur. Primò igitur eſſe in controuerſia patet, nam S. Thom. *quodl.* 9. *numer.* 10. affirmat eſſe contra ius naturale; ſequuntur Sot. 3. *de iuſt. q.* 6. *art.* 3. Azor *cap.* 11. *quæſt.* 5. & multi Canoniſtæ, vt Hoſt. 3. *An iure naturali ſit damnata, controuertitur.*

Panorm.

Digitized by Google

Panorm. Gemin. Anchar. Ioan. de Lignan. & alij recentiores ex Azor. *loc. cit.* At Innocent. Ioan. Andr. Goffred. quos citat & ſequitur Card. *cap. gratiam. de reſcript. in 6.* negant, quia, inquiunt, non eſt iure naturali præcepta reſidentia in beneficiis quibuſcunque, ſed tantùm iure Canonico. Secundò neutram partem euidenter probari, ex ſeqq. patere poteſt. Nam primò S. Thom. his rationibus probare ſolet. Primò, quia videtur pugnare cum recta ratione, vt vnus habeat ſtipendia, alimenta, & præmia duorum. At beneficia ſunt ſtipendia clericorum. Secundò, quia contra ius naturale eſt Eccleſiam priuari miniſtris ſibi debitis: at per hanc pluralitatem beneficiorum in vno & eodem Eccleſia priuatur; ergo. Tertiò, fraudari beneficiorum fundatores, eorúmque intentionem contra ius naturale, &c. Intentio autem fundatorum fuit Eccleſias prouidere ſuis miniſteriis debitis, quod pluralitate tollitur. Quartò, diuinum cultum minui, labi templa, dare locum ambitioni & auaritiæ, afferre ſcandala, non ſeruari iuſtitiam diſtributiuam, contra ius naturale eſt: at hæc omnia ſequuntur conceſſa pluralitate beneficiorum. Quintò, quia multi pauperes forte magis idonei, magiſque vtiles Eccleſiæ futuri, fruſtrantur ſua aptitudine & ſcientia. Addi poſſet in confirmationem huius ſententiæ conſenſus DD. Pariſienſium, qui anno 1270. propter hoc congregati, vnanimiter ſenſerunt duo ſufficientia ſimul haberi non poſſe; quibus cùm duo tantùm contradicerent, ex iis vnus, Cancellarius ſcilicet Pariſiẽſis paulo pòſt mortuus, tertio ab obitu die Guglielmo Epiſcopo Pariſienſi viſus eſt, eique dixit, ſe apud inferos æternis ſupplicijs damnatum ob tria crimina, quorum primum erat, quòd ſenſerit, pluralitatem beneficiorum, vbi vnum ſufficit, iure naturali non improbari. ita refert Azor *quæſt.* 5. ex Dion. Richelio Monach. Carthuſ.

Sententia prima D. Thomæ.

4. *Sententia ſecunda.*

Secunda ſententia, quod tantùm iure Canonico prohibita ſit ex his conſtare poteſt. Primò, quia ſi etiam iure naturali prohibita eſſet, non poſſet Papa diſpenſare in eiuſmodi pluralitate, neque enim diſpenſat in iure naturali ſe ſuperiore: at videtur paſſim diſpenſare in Rom. Curia, & ita ſemper eſſe factitatum. ergo. Secundò, quia conſuetudine videtur iam inducta pluralitas beneficiorum, vt ex Innocent. *cap. fin. de cleric. non reſid. num.* 1. *& cap. iam dudum. de præbend. numer.* 2. *&* 4. docet gloſſ. *cap. gratiam. de reſcript. in 6.* & alij apud Garz. *loc. cit. num.* 264. & Rebuff. *in praxi tit. de diſpenſat. ratione ætatis. verſ. in Cathedralibus*, ait communem hanc ſententiam, & ab ea non eſſe recedendum in conſulendo & iudicando, licèt non procedat de rigore iuris. & Card. *d. cap. iamdudum. & Clem. gratia. de reſcript. num.* 12. dicit opinionem Innocentij, ſeruare conſuetudinem, quam Papa ſcit, & tolerat, & aliter dicendo, totus mundus damnatur. Et Capra *reg.* 90. *num.* 96. dicit, quòd iſta opinio de conſuetudine inualuit, & Specul. *tit. de diſpenſ. §. dicendum. num.* 6. inquit, quòd cum iſtam conſuetudinem Papa ſciat, & toleret, videtur excuſare, idem Ferret. *conſil.* 255. *numer.* 3. Theologi etiam vt Sotus 3. *de iuſt. quæſt.* 6. *art.* 3. *concl.* 4. ait in beneficiis ſimplicibus non requirentibus reſidentiam, non eſſe neceſſariam diſpenſationem, vt plura eadem perſona obtineat, & quòd non ſolum iam receptus vſus, verùm etiam ratio id doceat. Sequitur Arragonius 2. 2. *quæſt.* 63. *art.* 2. *concl.* 3. Valentia 2. 2. *diſput.* 5. *q.* 7. *part.* 2. Card. Tuſch. *conſil.* 61. *lit.* B. Cùm ergo ex his pateat conſuetudine eſſe iam inductam pluralitatem beneficiorum, infertur non eſſe contra ius naturale, quia contra hoc conſuetudo non valet, nec excuſare poſſet.

Tertia, quia ſi eſſet contra ius naturale, certè non poſſet in eo diſpenſari ſaltem abſque iuſta cauſa, & ad ſummum in duobus vel tribus ſufficientibus: at videmus in aliquo coaceruari ingentem beneficiorum multitudinem, vt ad centum millia, & eo amplius aureorum annui reditus proueniant, nec apparet cauſa ſingularis, vt ſcientia, bonitas, prudentia, Eccleſiæ vtilitas. ergo ne ſuperiores darentur, dicendum erit, non eſſe contra ius naturale, ſed ad ſummum contra ius Canonicum, in quo Papa poteſt liberè etiam abſque cauſa diſpenſare, ſaltem ad hoc, vt gratia valida ſit. 5.

Sententia tertia.

Quare ad rationem pro prima ſententia ita poteſt reſponderi. Ad primam non eſſe contra rationem, vt vnus habeat plurium ſtipendia, ſi is exiſtimetur adeò vtilis futurus Eccleſiæ, ac plures eſſent; quemadmodum etiam videmus in exercitu, Decuriones & Capitaneos, multóque magis ipſum Ducem, habere ſtipendia multorum militum, quibus pares ſunt virtute & officio. Eodémque modo in quibuſdam Eccleſiis Canonicatus duplos reditus habeat comparatione beneficiariorum, Dignitates duplas comparatione Canonicarum, Prior vel Decanus duplos ad alios, Epiſcopus triplos & quadruplos etiam ad cæteros: parum autem refert, vnum tantùm eſſe beneficium, vel multa, ſi illud vnum multis in reditu æquiualeat.

Reſponſio ad rationes primæ ſententiæ.

Ad ſecundam non priuatur propterea Eccleſia miniſtris debitis, quia beneficiarius plurium habet varios ſubſtitutos, quibus, ſi Eccleſia ſeruitium aliquod exigat, inſeruit Eccleſiæ, & alioqui ipſi etiam ſubſtituti aluntur Eccleſiaſticis ſtipendiis, & officia diuina recitant pro fundatoribus plurium illorum beneficiorum. Quòd ſi nullum Eccleſia ſeruitium exigat, vt in præſtimoniis, ita inſeruit vnus ac multi, cum opus ſeruitio non ſit: officium autem diuinum nec erat olim debitum ob præſtimonia, neque nunc debetur, niſi ratione præcepti Pij V. alioquin cùm ſint penſiones ex beneficiis pinguioribus extructæ, non fraudantur fundatores, cùm ſuperſint ſemper iidem beneficiarij, qui pro fundatoribus preces fundant. 6.

Ad tertiam, non fraudantur fundatores, tum quia, vt dixi, per ſubſtitutum ſæpe beneficiarij ſupplent, tum quia ſæpe vnũ officium à ſanctiori beneficiario recitatum plura poteſt impetrare, quàm plura à minus ſanctis: tum quia pro omnibus illud vnum officium offertur, & eſt impetratorium eodem modo, quo ſi pro vno offerretur: tum quia ſuppletur aliis operibus factis in Eccleſiæ vtilitatem à beneficiario inſigni probitate, vel ſcientia: tum quia ſupplere poteſt eleemoſynis pluribus collatis, quæ à pluribus vix conferri poſſent in pauperes, cùm vix propriis neceſſitatibus ſufficiant, ab vno quia abundant, refundi poſſunt in pauperes. Et ita faciendum eſt, quod ſi non fiat, improbitati beneficia multa poſſidentis tribui debet, non pluralitati. 7.

Ad quartam, imò illa omnia multò melius præſtari poſſunt ab vno eodémque beneficiario, 8.

Digitized by Google

quàm à multis, nam, vt dixi, in plures diſtributa vix illis multis alendis ſufficiunt, cùm præſertim quiſque velit ſuam familiam & conſanguineos ex iis ſuſtentare: at in vnum congeſta, multa ſuperſunt, quæ in diuini cultus augmentum impendi poſſunt. Hinc eriguntur Templa, altaria inſigniter ornantur, exædificantur xenodochia, cœnobia Religioſorum: quæ niſi multa beneficia in vnum confluerent, ea nunquam effici potuiſſent. Ambitioni autem ſi locus detur, id prouenit ex malitia beneficiarij, non ex pluralitate, quæ etiam occaſio eſſe poteſt largitatis & miſericordiæ in alios. Nec affert ſcandalum, ſi bene diſpenſentur, vnde etiamſi in multos diſtribuantur, ſi illi voluptatibus ſe dedant, & in ludos, venationéſque impendant, multò plura ſcandala exiſtent. Denique non eſt contra iuſtitiam diſtributiuam, imò maximè illi conforme, vt Eccleſiaſticis nobilitate, ſcientia, probitate, fide & religionis zelo inſignibus, plura beneficia conferantur, vnius enim perſæpe virtus, & inſignis pietas, mille aliis beneficiariis ordinariæ ſortis antecellit: quare iuſtitia diſtributiua, quæ Geometricam proportionem ſpectat, non Arithmeticam, tot beneficia illi vni, quot mille, deberet largiri, ſi virtus & merita vnius, aliorum mille virtuti par ſit.

9. Ad quintam iam dictum eſt, vnũ perſæpe vtiliorẽ fore multis Eccleſiis, quàm multos. Id ergo beneficia largienti præcipuè attendendum, vt cùm plura vni confert, in perſonam virtute multis æqualem conferat. Ad viſum, & verba Cancellarij dic, non conſtare de veritate & auctoritate eiuſmodi viſionis, multa tribui viſionibus, quæ ſomnia potiùs, & imaginationes ſunt: multa eſſe inuenta ad proprias ſententias aſtruendas, & deficientibus bonis rationibus, recurrendum ad viſiones & miracula. Potuit etiam contingere, vt Cancellarius contra rationis proprium dictamen, & auctoritatem Epiſcopi, cui in dubio adhærendum erat, obſtinatè & ex auaritia noluerit plura illa beneficia dimittere, ideóque peccarit mortaliter, & in eo mortuus iure damnatus ſit.

Reſponſio ad argumenta ſecundæ ſententiæ.

Iam verò ad argumenta pro ſecunda ſententia poteſt reſponderi. Ad primum etiam poſſe à Papa diſpenſari in iis, quæ ſunt de iure naturali, quæ poſitis quibuſdam circumſtantiis honeſtari poſſunt, vt etiam fieri conſtat in iure diuino.

10. Ad ſecundum multa tribuuntur conſuetudini, quæ potiùs corruptelæ & abuſui tribuenda eſſent; quare etſi interueniente conſenſu Papæ poſſunt multa tribui conſuetudini, etiam in iis, quæ ſunt de iure naturali modo explicato; attamen quòd non omnia de legitimo conſenſu Papæ factitata eſſent, oſtendit Trident. *ſeſſ.* 24. *cap.* 17. vbi pluralitas beneficiorum vocatur peruerſio totius ordinis Eccleſiaſtici. & antea Alexander III. *cap. quia in tantum. de prabend.* dixerat, pluralitatem beneficiorum certum continere animarum periculum. & Ioannes XXII. in Extrauag. *Execrabilis.* decem incommoda refert ex beneficiorum pluralitate, vt appareat plus corruptelæ inualuiſſe hac in re, quàm legitimæ conſuetudinis.

11. Ad tertium, iuſta cauſa vtique ineſſe debet ad legitimam diſpenſationem, eámque adeſſe putandum eſt, dum ſuperiorum, & quidem maximorum actiones iudicandas aſſumimus. An autem inſint, nécne, quæſtio eſt facti, quæ ad Iuriſperitum minimè pertinet. Ex his ergo

Dico qvarto, non videri pluralitatem beneficiorum rem intrinſecè malam, nec omnino indifferentem, ſed quæ bonitate circumſtantiarum cohoneſtari poſſit, etſi ſpeciem quandam mali præ ſe ferat. 12.

An pluralitas beneficiorum ſit res intrinſecè mala.

Quòd primò non ſit res intrinſecè mala probant argumenta ſecundæ ſententiæ, & reſponſiones allatæ ad primam: ſiue enim pluralitas beneficiorum ex officio & dignitate ſpectetur, ſiue ex copia redituum, ſiue ex intentione fundatorum, ſiue denique ex oneribus adiunctis orationum quibus defraudentur illorum authores, dignæ rationes interuenire poſſunt, ob quas, vt accidit etiam in aliis temporalibus beneficiis & officiis, expediat, & multò melius ſit, multas dignitates, reditus & onera in vnum congeri, quàm in multos: vt potior ratio habenda ſit in eligenda perſona, quæ multis beneficiis par ſit, quàm in diuerſitate & pluralitate beneficiorum, quæ in vnum & eundem conferantur.

Quòd ſecundò non ſit res omnino indifferens, probant argumenta pro prima ſententia & ſecunda, quæ & ſpeciem quandam mali præ ſe ferre, & cohoneſtari poſſe bonitate circumſtantiarum, ſatis etiam demonſtrant. atque id demum vult S. Thom. *loc. cit.* vt Leſſius *dub.* 27. docet.

Dico qvinto, ſi conſuetudo cohoneſtantibus circumſtantiis coniuncta ſit, poteſt per eam induci pluralitas beneficiorum. eſt eorum, quos citauimus in ſecunda ſententia, & in ſpecie Nauarr. *cap.* 25. *num.* 125. & Sot. 3. *de iuſt. quæſt.* 6. *art.* 1. & aliorum cum Garz. *numer.* 273. Probatur, quia ea ratione non eſt contra rationem, hoc ipſo quòd honeſtentur debitis circumſtantiis. ergo etiamſi eſſet contra ius Canonicum; attamen conſuetudo poteſt contra id præualere, vt ſuo loco dicetur. Et quidem Oied. 1. *part. cap.* 2. hanc conſuetudinem tolerabilem aſſerit, & Fed. de Sen. *conſil.* 206. ait duo incompatibilia poſſe teneri ex conſuetudine, & fuit idem dictum in cauſa Tiraſon. iuris præſentandi coram D. Bubulo. Abb. *cap. dudum. cit. numer.* 36. ait valere conſuetudinem, quando diſponit circa poteſtatem retinendi beneficia plura ſimplicia. idem Selua 3. *part. quæſt.* 39. *numer.* 2. Quoniam verò ſi obſeruantia iuris Canonici præcipiatur de nouo, reuocetúrque conſuetudo contraria, iuri obtemperandum eſt, ideo ſeruatur hac in re Trident. *ſeſſ.* 24. *cap.* 17. *de reform.* ibi, *cùm Eccleſiaſticus ordo peruertatur*, &c. nec pluralitas admittenda; niſi prout ius ipſum admittit, vt dicetur infrà. 13.

Quid ſi conſuetudo ſit coniuncta circumſtantiis cohoneſtantibus.

Secvndo qværo, quibus ex cauſis pluralitas hæc prohibita ſit iure Canonico, quibúſve concedatur. 14.

Quibus ex cauſis ſit prohibita iure Canonico.

Respondeo & dico primo prohiberi multas ob cauſas: & primò, quia ſicut ſponſus cum vna ſponſa coniungitur perpetuò, ita qui in vna Eccleſia intitulatus eſt. *cap. ſanctorum. d.* 70. Secundò, quia negotiationis & turpis lucri commodum videtur eſſe pluralitas beneficiorum. *cap. clericus* 21. *quæſt.* 1. Tertiò, quia nemo poteſt duobus dominis ſeruire; ſic neque vnus duabus Eccleſiis. *ibid.* Quartò, quia vnuſquiſque in quo vocatus eſt, in hoc manere debet. ergo in vna Eccleſia collocari, non pluribus.

Digitized by Google

bus. *ibid.* Quintò, quia quæ propter turpe lucrum in Eccleſiaſticis rebus efficiuntur, aliena continent à Deo. *ibid.* Sextò, quia ambitionis eſt habere duas vel tres Eccleſias. *cap. quia in tantum. de præbend.* Septimò, quia eſt materia diſſolutionis & euagationis, & quæ certum animarum periculum continet. *ibid.* Octauò, quia eſt auaritiæ, quod vnus vix implere poteſt, velle vnum multa. *cap. quia nonnulli. de cleric. non reſid.* Nonò, quia vendicat ſibi ſtipendia plurimorum. *ibid.* Decimò, omnes prædictæ cauſæ & aliæ coaceruantur, in Extrauag. *Execrabilis. de præbend.*

15. *Quò uſque conceſſa.* DICO SECVNDO, concedi pluralitatem iure Canonico multas ob cauſas. Et primò, quando habent exiguos reditus. *cap. vnio 10. q. 3.* gloſſ. *cap. dudum. 2. de elect. v. Intitulatus, & 21. q. 1.* Secundò, quando vnum beneficium eſt alteri coniunctum & vnitum. *cap. eam te. de ætat. & qualit.* Tertiò, quando clericus non inuenitur idoneus. *cap. clericus. 21. q. 1. in fin.* Quartò, quando vnum datur in titulum, alterum in commendam. *cap. qui plures. 21. q. 1.* Quintò, quando vnum habet curam animarum actû, aliud habitu tantùm, quia ob aëris intemperiem vel bellum populus abſceſſerit. gloſſ. *in cap. licèt canon. de elect. in 6.* Sextò, quando ex conſuetudine duo beneficia ſimul poſſidentur. Septimò, ratione iuſtæ & debitæ indulgentię videtur auctoritas ſuperioris, ex cauſa diſpenſationis. *c. ſanctorum d. 70.*

16. *Sintne aliqua incompatibilia,* TERTIO QVÆRO, an ſint aliqua beneficia incompatibilia in genere, & quæ.

RESPONDEO & DICO PRIMO, abſque dubio aliqua eſſe incompatibilia. patet ex *cap. gratia. de reſcriptis. in 6.* ibi, *ſi talia ſint beneficia, quæ ſimul nequeant de iure teneri.* & *Clem. gratia. de reſcriptis.* ibi, *quòd ſimul de iure communi dignitatem eam retinere non poſſes.* Denique in Trid. *ſeſſ. 7. cap. 4. de reform.* ibi, *quicunque de cætero plura curata, aut alia incompatibilia beneficia,* &c. Ratio autem eſt, quia dantur aliqua beneficia, quæ iure communi, conſuetudine, ſtatuto & fundatione requirunt beneficiarij præſentiam perſonalem: at beneficiarius vnus non poteſt eſſe præſens pluribus Eccleſiis. ergo, &c. Azor. *c. 10. q. 1.*

17. *& quæ.* DICO SECVNDO, talia beneficia eſſe primò omnia, quæ habent curam animarum, ſiue in foro conſcientiæ tantùm, vt parœciæ, ſiue etiam in foro contentioſo, vt Epiſcopatus, Archiepiſcopatus, Patriarchatus, &c. Secundò, omnia beneficia, quæ dicuntur Dignitates, perſonatus, vel officia eſſe incompatibilia, quia etiam hæ requirunt reſidentiam, & diſtinctionem perſonarum, vt cultus Eccleſiæ honeſtior ſit. Tertiò, canonicatus eodem modo, iiſdémque de cauſis. Quartò, portionatus in Cathedralibus & Collegiatis. Quintò, aliqua dicuntur incompatibilia ſub eodem tecto, hoc eſt, Eccleſia. Sextò, aliqua dicuntur incompatibilia in viro Religionis vel Monacho. Septimò, duo etiam ſimplicia dicuntur incompatibilia, quorum vnum eorum eſt ſufficiens, tunc enim iure communi non poſſunt in eodem multiplicari. Octauò, duo quælibet ſimplicia iure communi etiam dicuntur incompatibilia, quia olim quodlibet requirebat reſidentiam, & habebat aliquod ſeruitium Eccleſiæ adiunctum; at quia ex conſuetudine introducta eſt abſentia in nonnullis ſimplicibus, quæ nullum requirebat ſeruitium, vel non erat tale, vt non poſſet commodè exerceri per ſubſtitutos, inde factum eſt, vt non quælibet ſimplicia hodie dicantur incompatibilia. Ex his declarandi nonnulli canones, qui abſolutè de quibuſlibet ſimplicibus affirmant reſidentiam, vt *cap. ſanctorum. d. 70. cap. clericus. 21. q. 1 c. ſingula. d. 81. c. quia in tantum. de præb. c. quia nonnulli. de cleric. non reſid.* & ſimilia.

Dices, quid requiratur ad duo incompatibilia obtinenda ab eo, qui poteſt. Reſpondeo & dico primò, ſi tenue ſit beneficium, quod quis habeat, & aliud petat, non eſt opus de eo facere mentionem, ſi ſimplex ſit, non requiretur reſidentia, & alioqui compatibile cum eo, & qui confert, ſit ordinarius. *Clem. etſi ab Apoſtolica. de offic. ordin.* ibi, *in alijs tamen quibuslibet collationem beneficiorum habentibus,* &c. Dixi primò, *ſi ſimplex ſit,* &c. quia tale eſſet incompatibile, vt conſtabit ex infrà dicendis. Dixi ſecundò, *& alioqui compatibile,* quia ſi incompatibile, debet fieri mentio, alioqui collatio nulla eſt. ex *cap. ordinarij. de offic. iudic. ordin.* Dixi tertiò, *& qui confert,* &c. quia ſic habetur *loc. cit. Clem.* ſi enim eſſet Legatus Rom. Pontificis, & non fieret mentio prioris, impetratio eſſet ſubreptitia. *cap. vlt. de off. legat. in 6. & d. Clem. & ſi ab Apoſtolica.* quod valet etiamſi primum tenue ſit, vt Azor *c. 10. quæſt. 5.* 18. *Quid requiratur ad duo incompatibilia obtinenda.*

Dico *ſecundò*, quando motu proprio Legatus conferret ſecundum habenti vnum, etiamſi non fiat mentio primi, valet collatio. Ratio eſt, quia ius cùm decernit irritam collationem, *c. cit.* id fecit ob vitium & culpam impetrantis, non vitio Legati: quando autem confertur motu proprio, non interuenit vlla impetratio culpæ. ita Azor *q. 6.* & Ioan. Andr. Anchar. Card. & Vital. *in Clem. dict.* etſi Archid. & alij *in cap. vlt. de offic. legat. in 6.* contrarium ſentiant.

QVARTO QVÆRO, quódnam dicatur beneficium ſufficiens, & an plura ſufficientia haberi iure poſſint. 19. *Quódnam dicatur ſufficiens.*

RESONDEO & DICO PRIMO, ſufficiens in genere dicitur, quod clerico ſuſtentando, ſuíſque ſufficit. gloſſ. *cap. cùm adeò. de reſcript. v. Sufficientia,* communiter recepta. Azor *c. 10. q. 8.* alij apud Garz. *p. 11. cap. 5. num. 320.* Ampliatur autem primò, vt poſſit etiam ex beneficio hoſpites, & peregrinos hoſpitio excipere, & Epiſcopalia iura perſoluere. *cap. de monachis. de præbend. & c. ſicut. de ſuppl. negl. prælat.* Secundò, debet haberi ratio nobilitatis, nam diuites non ſunt cogendi viuere pauperum cibo. *cap. non cogantur. d. 41.* Vnde poſſunt vti conſuetudine infirmitatis ſuæ, & ſi vtuntur ſuperfluis, dent ſaltem inopibus neceſſaria; ſi vtantur pretioſis, dent pauperibus vilia. Tertiò, habenda eſt ratio ſcientiæ & literaturæ. *cap. de multa. de præbend.* Quartò, habenda eſt ratio dignitatis. *l. 1. §. in honorarus. ff. de variis & extraordin. cognit.*

DICO SECVNDO, ſufficiens in ſpecie arbitrio boni viri definiendum eſt. Et quidem primò Pariſiis an. 1228. iudicatum fuit in congregatione Theologorum & Iuriſconſultorum ad id coacta, ſufficere clerico ſimplici alendo 45. aureos. Secundò, Trid. *ſeſſ. 24. cap. 13.* ſtatuit, ne penſionibus onerentur Cathedrales, quæ ſummam mille aureorum non excedunt, nec Parochiales, quæ centum non ſuperant. Tertiò, Nau. *miſcell. 62.* beneficiario infimæ ſortis ſat illud eſt, quod ad ſe alendum, famulum vnum, coquum & equum ſufficit, quæ ſaltem ad 200. 20.

aureos

Digitized by Google

aureos aſcendant; præſertim ſi connumeretur etiam habitatio, quæ ſit conducenda. Beneficiario Doctori, vel Licentiato ſat illud eſt, quod ad ſe alendum, famulos duos, coquum & equum pro more patriæ ſatis ſit. Beneficiario nobiliori ſufficiens illud dicitur, quod ad ſe alendum, famulis tribus, vel quatuor, equis duobus cum curru, coquo, & conductore domeſtico ſatis ſit; & ſic de ſingulis habita proportione. Quartò, Maior 4. *d.* 24. *q.* 18. Epiſcopo ſat eſſe ait, ſi 12. vel 14. famulos ſuſtentare queat. Quintò, appellatione famuli veniunt primò famuli, ſecundò parentes, tertiò fratres & ſorores, ſi egeant, quartò filij, etiam ſpurij, ſi quem haberet, quintò etiam nepotes, aliique conſanguinei egentes.

21. Dices, quódnam dici poteſt ſufficiens pro Cardinalibus. Reſpondeo, id quoque arbitrio boni viri definiendum eſſe. Quibuſdam in Rom. Curia aſſuetis, & alioqui prudentibus viris non videtur excedere ſufficientiam, ſi quilibet Cardinalis habeat in ſingulos menſes mille aureos: è quibus centum impendi poſſint in menſam, centum in ſtabulum, centum in famulis minoribus, 300. in maioribus, quos nobiles vocant, centum in ſupellectilem, centum in veſtiendis parafrenariis, centum in veſtitu pro ſe & camerariis, centum, qui ſuperſunt in eleemoſynam. Cardinales autem Principes, vel nepotes Pontificum mille in ſingulas hebdomadas non videtur excedere ſufficientiam; nam centum aurei in ſingulos dies vix ſatis ſunt in minore Cardinali, vt etiamſi pertingat ad 60. millia aureorum in anno, pro Principibus non videatur excedere ſufficientiam. Denique pro Cardinalibus infra Principes & nepotes, at ſupra communes, vel ratione ſingularis nobilitatis, vel antiquitatis & gradus, vt Vicecancellarij, Camerarij, Vicarij Papæ, & huiuſmodi, 500. aurei in ſingulas hebdomadas non excederet ſufficientiam: quòd ſi quid ſuperſit, erogetur in pauperes, & pia loca, conſtruant templa, Hoſpitalia, Collegia pro pauperibus ſcholaſticis alendis, & ſimilia: nam etiam ad hæc par eſt Cardinales habere tantum in reditu, vt vel in totum, vel in partem transfundere poſſint. Neque hæc menſura mihi ſuperflua videtur.

22. *An plura ſufficientia haberi iure poſſint.*

Dico tertio, plura non ſufficientia ſi ſimplicia ſint, non requirentia reſidentiam, haberi iure poſſunt, debet tamen eorum mentio fieri in ſupplicatione. At plura ſufficientia haberi non poſſunt ſine diſpenſatione Papæ. Primum ex eo probatur, quia etſi iure communi vnum tantùm beneficium obtineri poſſet, vel quia olim ſemper habebant adiunctum ſeruitium, & ſic requirebant reſidentiam, vel quia ſic decreuerat in canonibus, vt *cap. proponente. de reſcriptis. cap. ſi motu proprio. de præbend. in 6. cap. non poteſt. eod.* Attamen conſuetudine erat introductum, vt quando vnum non ſufficiebat, addi poſſet ſecundum, & hæc vigebat ante Concilium; poſt illud *in ſeſſ.* 24. *cap.* 17. ſtatuitur, vt in poſterum vnum tantùm vni conferatur; quod ſi ad vitam honeſte ſuſtentandam non ſufficiat, liceat aliud ſimplex ſufficiens ei conferri, modò vtrumque perſonalem reſidentiam non requirat; atque ita iam ſine vlla relaxatione iuris poſſunt plura conferri, modò non excedant ſufficientiam. Et quidem pro duobus ſatis eſt auctoritas Epiſcopi, pro pluribus Papæ, vt *infrà.* Dixi, debere tamen fieri eorum, quæ quis habet, mentionem: id enim clare decernitur *cap. cit.* etiamſi exiguum ſit. Hinc eſt, vt ſi beneficium impetrans dicat tantùm ſe eſſe pauperem, non exprimat autem beneficium modicum, quod habet, impetratio ſubreptitia & doloſa cenſeatur. ex gloſſ. *cap. ſi proponente, cit.* ſi mentiatur dicendo ſe nullum habere, multò magis erit irrita & doloſa. Si denique per ignorantiam, vel obliuionem non fiat mentio eius, quod iam quis obtinet, non propterea efficitur, vt impetratio vitioſa non ſit, & ſubreptitia, vt gloſſ. *cap. ſi motu proprio, cit.* & docet etiam Azor *cap.* 10. *q.* 3. Sanc. *lib.* 8. *diſp.* 21. *num.* 13. quæ omnia valent, quando collatio beneficij fiat ad alterius petitionem; ſi enim fiat motu proprio, & in literis id exprimatur, gratia valida erit, vt docet gloſſ. cit. ex Clem. *ſi Romanus. de præbend.* quicquid contrà Ioan. Monachus. Secundum verò, quòd plura ſufficientia haberi non poſſint ſine diſpenſatione Papæ, patet ex dictis *in* 2. *&* 3. *q.* & colligitur ex Trid. *ſeſſ.* 24. *cap.* 16. *de reformat.* cùm enim concedat poſſe alterum conferri, ſi vnum non ſufficiat; ergo à contrario, ſi vnum ſufficit, non poterit conferri ſecundum, quod etiam iure communi ſancitū erat *in cap. ii cui. de præbend. in 6. cap. poſtulaſti. de reſcriptis.* & alibi, & nos plura *infrà.*

Q V I N T O Q V Æ R O in particulari de incompatibilitate ſimplicis cum quolibet alio. 23.

De incompatibilitate ſimplicis cū quolibet alio.

Pro reſponſione notandum primò, ſimplex poſſe comparari, primò cum alio ſimplici. Secundò, cum curato. Tertiò, cum dignitate. Quartò cum Abbatia, vel Epiſcopatu. Quintò, cum Cardinalatu.

Notandum ſecundò, eſſe duplicem incōpatibilitatem in beneficiis. Prima, quia ipſo iure vnū alterum excludat, & vacet primum per adeptionem ſecundi. Secunda, quia ſimul retineri licitè non poſſunt, non vacat tamen vnum altero adepto. Item quædam dicuntur incompatibilia ſimplicia, alia ex conditione, ſi videlicet ſint ſub eodem tecto. De his ergo breuiter dicendum eſt.

D I C O P R I M O, ſimplex ſufficiens eſt incompatibile cum quolibet alio, non ſufficiens autem eſt compatibile, ſi vtrumque reſidentiam non requirat, nec ſit ſub eodem tecto. Primum docet fusè Oied *p.* 1. *cap.* 19. ex gloſſ. *in cap. dudum.* 2. *de elect.* quam ſequitur Abb. *num.* 36. Ioan. Andr. & alij. Et probatur præcipuè ex Trid. *loc. in præced. q. alleg. in* 2. *p. concl.* idque probant generaliter rationes contra pluralitatem. Quando autem ſecundum per ſe non eſſet ſufficiens, etſi iure etiam incompatibile videatur, tamen vbi eſſet conſuetudo, poſſet vtrūque haberi, vt dicit Oied. *loc. cit. num.* 12. eſſe in Hiſpania, vbi dignitas, perſonatus, ſeu officium poſſunt ſimul haberi cum Canonicatu, ſeu penſione non ſufficiente. Secundum verò, quòd ſi vtrumque per ſe ſit inſufficiens, ſit compatibile, etiam patet ex præced. q. *in vlt. concl.* & docet Leſſ. *dub.* 27. *num.* 147. in primo caſu. Dixi, *ſi vtrumque reſidentiam non requirat,* nam ſi hanc requireret, non eſſet compatibile, ex Trid. *ſeſſ.* 24. *cap.* 17. *de reform.* ibi, *dummodo vtrumque perſonalem reſidentiam non requirat.* Quòd ſi alterum tantùm requireret reſidentiam, tunc non ſunt incompatibilia, vt idem docet *loc. cit. in* 1. *caſu &* 2. Vnde ſi Eccleſia Cathedralis ſit inſufficiens, vel Parochialis, vel dignitas, poteſt cum ea coniungi aliud ſufficiens, non requirens reſidentiam. Hæc autem incompatibilitas eſt tantùm

24. *Simplex poſſe comparari in alio ſimplici.*

tùm

Digitized by Google

tùm ſecundi generis, non primi, vt docet Leſſ. *loc. cit.* Et quamuis referatur declaratio Congregationis, quòd vacet beneficium etiam ſimplex eius, qui obtinuit Parœciam; tamen id intelligitur, quando vtrumque reſidentiam requirit: nos autem loquimur in caſu, quo alterum non requirat. Dixi, *nec ſit ſub eodem tecto*, quia id peculiariter prohibitum eſt, vt dicetur ſuo loco.

25. *Cum Curato, Dignitate, Abbatia, Epiſcopatu, Cardinalatu.*

DICO SECVNDO, ſimplex cum Curato, vel Dignitate, vel Abbatia, vel Epiſcopatu, vel Cardinalatu, ſi requirat reſidentiam, incompatibile eſt, ſi autem non requirat, & alterum ſit inſufficiens, eſt compatibile. Ratio primi eſt, quia duo reſidentiam requirentia ſunt incompatibilia ſecundi generis, ſcilicet ſi ſint ſimplicia primi, etiamſi dignitates, vel habentia curam animarum. *cap. de multa. de prabend. & Extrauag. Execrabilis. eod.* Ratio autem ſecundi patet ex dictis *in 1. concl.*

Dices, Aſſumptione ad Epiſcopatum vacant omnia beneficia quæ antè obtinebat. *cap. cùm in cunctis. §. cùm verò. de elect.* ergò ſimplex cum Epiſcopatu non eſt compatibile. Reſpondeo, ſi ſimplex ſit ſufficiens, videtur eſſe certum, ex prædicto cap. ſi autem ſit inſufficiens, probabile etiam eſt ita eſſe, quia dicitur, omnia beneficia priùs obtenta vacent: vbi autem ius non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus; & ita videtur ſentire Leſſ. *num.* 138. *verſ. ſecundò.* dicens, *ſi Epiſcopus pauper ſit, probabile eſt ei poſſe conferri beneficium ſimplex, quia etſi amittat priora*, &c. Tunc ſaltem verum erit, poſſe ſimul conſiſtere cum Epiſcopatu, ſi hoc tenuius ſit: quia non extat ius, quo efficiatur inhabilis Epiſcopus ad futura ſimplicia, vt docet Nau. *conſil. 3. de conceſſ. prebend.*

26. *De incompatibilitate duplicis curati cum quolibet alio.*

SEXTO QVÆRO de incompatibilitate duplicis, quod curatū ſit cum quolibet alio. Pro ſolutione notandum comparationem eſſe poſſe primò cum alio curato. Secundò cum dignitate. Tertiò cum Abbatia, vel Epiſcopatu. Quartò cum Cardinalatu, comparatio enim cum ſimplici iam facta eſt *q. præced.*

Curatū cum Curato incompatibile.

REPONDEO ergo & DICO PRIMO, curatum eſt incompatibile cum curato. eſt expreſſa *in cap. de multa. v. præſenti decreto. de prebend. cap. Ordinarij. de off. ordin. in 6.* & alibi, ex Oied. *part. 1. cap. 13. num.* 12. Ratio eſt, quia habens curatum neceſſariò tenetur in illo reſidere, videtur enim electa induſtria perſonæ, vnde non poteſt eam alteri delegare. *cap. is cui. de off. deleg. in 6.* Impoſſibile autem eſt, vt quis reſideat vno eodémque tempore in diuerſis Eccleſiis. Hæc autem incompatibilitas eſt primi generis, quia vacat primū per obuentum ſecundi. *cap. de multa. cit. Clem. gratiæ. de reſcriptis. & Extrauag. Execrabilis.* In quo

Notandum primò, valere tam in curatis ſæcularibus, quàm in Regularibus. *cap. cùm ſingula. de præb. in 6.* Franc. *ibi*, & alij communiter. Secundò procedit etiam in eo, qui haberet plura curata ex diſpenſatione, nam habito alio, vacant priora. *cap. non poteſt. de prabend. in 6.* Tertiò, etiamſi quis fuerit ſpoliatus primo beneficio curato, ſi enim aliud curatum acceptat, priuatus eſt iure primo beneficio, vt Oied. *num.* 16. ex Ioan. Andr. Capra, & aliis. Quartò procedit in eo, qui etiam ſe intrudit in ſecundo curato, vacat enim primum: neque enim melioris conditionis debet eſſe inuaſor eo qui iuſtè ingreditur. *cap. eum qui. de prebend. in 6.* & *ibi* DD. Quintò, non modò cenſetur obtinens ſecundum renunciare primo, verùm etiam iuri ad rem, quod habebat ad aliquod curatum. *Clem. gratia. de reſcript.* & *ibi* DD. Sextò valet etiamſi ſecundum curatum non ſit ſufficiens ad congruam ſuſtentationem. Oied. *num.* 22. ſed vtrūque requiratur, ex Abb. & aliis. Septimò, etiamſi eſſet contraria conſuetudo, niſi ſubeſſet aliqua rationabilis cauſa eius, vt fusè Oied. à *numer.* 24. Credit tamen Leſſius *numer.* 148. ſi eſſent duo curata valde vicina, ita vt vnus poſſet vtrique ſatisfacere, & non poſſent facilè inueniri, qui vni ſoli deſeruire velint, poſſe duas eidem committi, iuxta *c. clericus 21. q. 1.*

Notandum ſecundò dari aliquos caſus, in quibus non vacat primum per adeptionem ſecundi. Primò, ſi ſecundum pendeat à primo, vt quia ſit illi vnitum. Sed hoc nihil eſt, iam enim non ſunt duo, ſed vnum. Secundò, quando ſecundum eſſet in commendam, & primum in titulum; ſed de hoc *infrà*. Tertiò, quando ſecundum non fuit acceptatum cum licentia ſuperioris primi curati, quia non dicitur vacare, quouſque ſuperior primi habeat ratam ipſam renunciationem. Quartò, quando non reciperet fructus ſecundi, nec haberet eius poſſeſſionem pacificam; non vacat enim primum beneficium, donec pacificus poſſeſſor ſecundi non fuerit: hoc autem pacificè poſſeſſo vacat primum, etiamſi litigioſum, non contrà ſi obtento primo litigioſo, accipiatur ſecundum litigioſum, & interim primi poſſeſſio pacifica acquiratur, vacabit ſecundum litigioſum, quia id non eſt iure cautum. Nau. *conſ.* 31. *de preb.* Quintò, ſi ſecundum non ſit curatum perpetuum, ſed ad tempus, vt Vicariatus: vel non ſit curatum actu, ſed tantùm habitu: vel non ſit curatum de iure, ſed tantùm de facto, quia ſcilicet ſacerdos ibi exercet de facto curam, vt ex Innoc. & Cald. Oied. *numer.* 55. apud quem vide alios caſus, ſed allati ſunt præcipui.

Notandum tertiò, quando dicimus primum vacare, hæc omnia ſimul intelliguntur. Primò non eſſe neceſſe adire iudicem beneficij, & petere ab ipſo declarationem priuationis, nec citare ipſum beneficiarium, ſed poterit fieri prouiſio primi beneficij, quod vacat ipſo iure. Secundò obligari ipſum beneficiarium in foro conſcientiæ ad dimittendum primum, vt docet ex multis Oied. *numer.* 61. ideoque non poteſt diſponere de illo permutando, vel reſignando, &c. Tertiò, non eſſe ampliùs locum pœnitentiæ, niſi ſecundum fuiſſet acceptatum calore iracundiæ; ſed quoniā diximus ſuprà, requiri poſſeſſionem ſecundi, inter quam & acceptationem ſolet tempus intercedere, non videtur tamdiu poſſe excuſare calorem iracundiæ. Quartò, etiamſi dimiſerit ſecundum poſt eius pacificam poſſeſſionem, non propterea primum poſſe retinere, quia iam vacauit, conſequenter parochiani illius poſſunt ſe ſubtrahere ab obedientia illius, & conductores non dare illi penſionem debitam à die adeptæ poſſeſſionis ſecundi, vt pluribus Oied. *num.* 66. apud quem vide alia.

Notandum quartò, quod diximus de duobus curatis in titulum collatis, dicendum etiam eſt de duobus curatis in commendam ſiue temporalem, ſiue perpetuam. *cap. rem deincepſ. de elect. in 6.* Ratio eſt, quia commenda intenta eſt in fauorem Eccleſiæ, vt ſcilicet non deſtituatur neceſſario ſeruitio: at ſi duæ vni poſſent commendari, non poſſet vnus vtrique deſeruire; & de

tempo

Digitized by Google

tēporali loquitur text.cit.& multò magis probat etiam de perpetua,de qua eſt expreſsus textus *in cap.* 17. *ſeſſ.* 24. Trid. ibi, *quacumque etiam commendata,* &c. quod etiam extendit Oied. *cap.*14. *num.* 15. ad duas dignitates in commendam, vel ad vnam dignitatem , & vnum Curatum, quod in eadem ciuitate an ſit compatibile , dicetur *infrà.*

Notandum quintò , idem dicendum eſſe de Curato cum Vicaria perpetua , vel de duabus Vicariis perpetuis,ex *cap.* 2. *de off. Vicar.* ibi, *prouideas, ne in Epiſcopatu patiaris aliquem plures vicarias,* &c.& ratio eſt eadem,quæ de duobus curatis,vt pluribus Oieda *part.* 1. *cap.* 15. *num.* 9. *& ſeqq.*

27. *Incompatibile cum dignitate.* DICO SECVNDO, Curatum eſt incompatibile cum dignitate. Nomine dignitatis hoc loco non modò dignitatem ipſam , ſed etiam perſonatum, & officium intelligo , eadem enim eſt omnium ratio. Probatur concluſio ex *cap. ordinarij. de off. ordin. in* 6. ibi , *perſonatum aut dignitatem & alia beneficia,* &c.& in Extrauag. *Execrabilis. de prabend.* ibi , *qui verò deinceps receperit dignitatem,* &c. gloſſ.vtrobique, & DD. ex Oied. *part.* 1. *cap.* 16. *num.* 1. Hinc eſt, vt per obtentionem dignitatis vacet Curatum ipſo iure , ex *leg. cit.* & qui vtrumque haberet , alterum dimittendum ei eſſet, ex eod. *num.* 13. idque verum ſit ſiue dignitas habeat curam animarum, ſiue non habeat , vt gloſſ. *in d. Extrauag. v. ſimile.* ſi tamen dignitas non eſſet ſufficiens ad ſuſtentationem , nec haberet animarum curam, probabile eſt poſſe conferri etiam Curatum in eadem ciuitate , vt mos eſt in ciuitate Senenſi, argumento eorum quæ nouiſſimè diſponit Trident. *ſeſſ.* 24. *cap.* 17. & colligi poteſt ex Oied. *num.* 15.

Abbatia, Ex his infertur primò , eſſe etiam Curatum incompatibile cum Abbatia , quia de regulari non eſt dubium , agimus enim de Curato ſæculari : de ſæculari autem Abbatia etiam probatur, tum quia hæc dignitas eſt,& quidem de maioribus , tum quia hæc etiam habet curam animarum,& iuriſdictionem in foro externo,tum quia per adeptionem eius vacant cætera , vt Oied. *c.* 6. ex multis. Quòd ſi Abbatia eſſet beneficium ſimplex, vel non requireret reſidentiam, vel eſſet in commendam , probabile eſt , non eſſe incompatibile Curatum cum illa , vt ſuo loco dicetur.

Epiſcopatu, Infertur ſecundò, multò magis Curatum eſſe incompatibile cum Epiſcopatu , cùm per huius adeptionem illud vacet , per *cap. cùm in cunctis.* §. *cùm verò. de elect.*

& Cardinalatu. Infertur tertiò,eſſe etiam incompatibile cum Cardinalatu , tum quia hic eſt maxima dignitas poſt Papatum , tum quia huius adeptione illud vacat,vt dicetur ſuo loco.

28. *Dignitatem eſſe incompatibilem cum alia.* SEPTIMO QVÆRO de incompatibilitate dignitatis cum quolibet alio.

RESPONDEO & DICO PRIMO, dignitas eſt incompatibilis cum alia dignitate. Probat fusè Oieda 1. *part. cap.* 7. *num.* 3. præcipuè ex *cap. ſicut. de exceſſib. prælat. cap. de multa. de prabend. & Extrauag. cit.* DD. *in cap. cùm ſingula. de prabend. in* 6.Ratio eſt, quia ſi habet curam animarum , vel iuriſdictionem in foro externo,non poteſt vnus rectè inſeruire duabus dignitatibus ; ſi non habet , ſaltem requirit reſidentiam perſonalem , & non poteſt vnus eodem tempore duorum officium exercere. Hinc eſt, vt per obtentionem ſecundæ, niſi ſtatim dimittatur prima in præſentia publicarum perſonarum, ſit priuatus vtraque , & inhabilis ad beneficium , & ad ordines,vt hodie mos eſt poſt Extrauag. *Execrabilis,* & probat textus in Trid. *ſeſſ.* 7. *c.* 4. Infertur idem eſſe dicendum de perſonatibus duobus, & officiis , eſt enim eadem ratio, vt docet Oied. *c.* 8. 9. *&* 10. *Idem de duobus perſonatibus & officiis.*

29. *Item cū Abbatia, Epiſcopatu, Cardinalatu.* DICO SECVNDO, dignitas eſt incompatibilis cum Abbatia,vel Epiſcopatu , vel Cardinalatu. Ratio breuiter eſt , quia ſi Abbatia habeat curam animarum, vel iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem , erit incompatibilis , ſicut dictum eſt de Curato, & dicetur de dignitate & Epiſcopatu: ſi ſit beneficium ſimplex , vel commenda,idem iuris erit , quod diximus de ſimplici & commenda. Secundò, de incompatibilitate cum Epiſcopatu conſtat , tum quia per adeptionem huius cætera vacant , ex *cap. cum in cunctis, cit.* tum quia hic habet curam animarum: quare erit incompatibile ſicut Curatum. Tertiò, de Cardinalatu patet eodem modo, tum quia hic eſt maxima dignitas , tum quia dignitas requirit reſidentiam in propria Eccleſia , à qua debet eſſe liber Cardinalis.

OCTAVO QVÆRO de incompatibilitate Abbatiæ cum quolibet alio. 30.

RESPONDEO & DICO PRIMO, Abbatia eſt incompatibilis cum alia Abbatia. Et primò quidem ſi ſermo ſit de Regulari,ſiue hæc maior ſit Epiſcopatui ſimilis,ſiue minor illi ſubiecta,poteſt eſſe incompatibilis, ex *cap. vnum* 21. *quæſt.* 1. ibi , *vnum Abbatem duobus monaſterijs præſidere intenderimus.* idem eſt *cap. Monachum.* 20. *q.* 4. *& cap. fin. de relig. domib.* Secundò ſi loquamur de ſæcularibus ; ſiquidem hæ habeant curam animarum , vel habeant iura quaſi Epiſcopalia, eadem erit earum ratio , quam dixi de Curatis , & dicemus de Epiſcopatibus ; ſi non habeant,ſed ſint mediæ inter Dignitates & Epiſcopatus, tunc ſi requirant reſidentiam , eadem erit de iis ratio, quam diximus de Dignitatibus; ſi non requirant , erunt ſimplicia beneficia ; atque adeò idem de iis dicendum , quod diximus de ſimplicibus. Denique alicubi, vt in regno Neapolitano,omnes presbyteri vocantur Abbates,ex Abbate *cap. ex tranſmiſſa. de renunc. num.* 5. plura Oieda *p.* 1. *c.* 5. *Abbatiam eſſe incompatibilē cum alia Abbatia,*

DICO SECVNDO, Abbatia eſt incompatibilis cum alio quocumque. Et primò ſi loquamur de ſe inferiore , patet ex præcedentibus cōparationibus : ſi de ſuperiore illo, vt de Epiſcopatu,patet , quia per obtentionem huius cætera vacant. *cap. cum in cunctis.* ſæpe cit. Neque obſtat *cap. cauſam quæ vertitur. de iudic.* ex quo colligitur,poſſe aliquem ſimul eſſe Epiſcopum , & Abbatem alicuius monaſterij: ſermo enim ibi eſt de Epiſcopatu & Abbatia , ſimul vnitis auctoritate Apoſtolica , vel Cathedralis Eccleſia erat regularis , quæ ſolùm communis eſt, ex Abb. *d. cap. cauſam.* & Oied. *cap.* 5. *num.* 9. Si de Cardinalatu,eodem modo dicendum eſt,nam per adeptionem Cardinalatus vacant omnia beneficia habentia curam animarum,vel Dignitates,aut officia,vt reſoluit Abbas per *c. de multa. de prabend.* & Oieda *p.* 1. *c.* 2. *n.* 15. 31. *& quocumque alio.*

NONO QVÆRO de incompatibilitate Epiſcopatus cum quolibet alio. 32.

RESPONDEO & DICO PRIMO, Epiſcopatus eſt incompatibilis cum alio Epiſcopatu,ſiue in titulum, ſiue in commendam. Probari poſſet iure antiquo *in cap. clericum.* 21. *q.* 1. *& c. cum in cunctis* §. *cùm verò. de elect. & cap. ſicut. de exceſſ.* *Epiſcopatum eſſe incompatibilem cum alio Epiſcopatu.*

Digitized by Google

exemſ. ſpectat, ſed ſatis ſit ampliſſimum teſtimonium Trid. *ſeſſ. 7. c. 2. de reform. Nemo quæcunque dignitatem, &c. in titulum, vel commendam*, &c. *recipere, aut ſimul retinere præſumat.* Plures etiam rationes congerit Oied. *p. 1. cap. 3.* quæ à nobis ſuprà ſignatæ ſunt. Vnde per obtentionem ſecundi vacat primum, ex *cap. de multa. de præb.*

Idem in duobus Archiepiſcopatibus, Patriarchatibus, vel Epiſcopatu cum Archiepiſcopatu.

Eadémque ratio eſt in duobus Archiepiſcopatibus, Patriarchatibus, &c. vel Epiſcopatu cũ Archiepiſcopatu, &c. Diſpenſat tamen aliquando Papa iuſtis de cauſis, præſertim in regionibus Septentrionalibus, propter inopiam Prælatorum, qui reſiſtere valeant hæreticis, vt nuper diſpenſauit cum Epiſcopo Bambergenſi, aſſumpto etiam ad Herbipolenſem Epiſcopatum.

33. *Incompatibilem eſſe cum quolibet alio.*

DICO SECVNDO, Epiſcopatum eſſe incompatibilem cum alio quolibet. Et quidẽ cum aliis eo inferioribus iam dictum eſt in eorum comparatione. Cum Cardinalatu autem, exceptis Epiſcopatibus ſex Romani territorij Hoſtienſi, Portuenſi, Sabinenſi, Prænestino, Tuſculano, & Albanenſi, eſt communis ſententia, quòd ſit Epiſcopatus incompatibilis iure communi & pluribus probat Oied. *p. 1. c. 2. à num. 2.* Primò, quia Epiſcopus debet reſidere in ſuo Epiſcopatu, Cardinalis autem debet adeſſe Rom. Pontifici, cum quo facit vnum corpus, & quem adiuuat in adminiſtratione vniuerſalis Eccleſiæ. Idem autem non poteſt adeſſe in duobus locis. Secundò, quia ſicut per obtentionem Epiſcopatus vacant alia beneficia, ita per obtentionem Cardinalatus vacare debent eo inferiora: hodie enim Dignitas Cardinalatus eſt maior Epiſcopali, vt monent DD. *in c. dilectus 1. de præbend.* quare per aſſumptionem in Cardinalatum vacabit Epiſcopatus. Tertiò, probatur ex Curiæ ſtylo, nam Papa non ſolet conferre Epiſcopatum in titulum Cardinali, ſed ſolùm in commendam, vt ſuſtentari valeat cum commoditate, quamuis non placeat ipſe modus Soto: ſed approbatur à Oied. *num. 6.* Stylus autem Curiæ facit legem, vt ex multis idem probat *num. 7.* Hodie tamen Curiæ ſtylus eſt in contrarium, nam conſeruatur Epiſcopatus Cardinali, etiam in titulum, & aliqui quidem eos retinent, & diſpenſantur à reſidentia, vel quia officium aliquod exerceant in Vrbe maioris vtilitatis, vel quia cœlum, in quo habetur Epiſcopatus, non ita ſalubre habeatur, vel alia iuſta de cauſa, vt pat eſt credere. Alij reſignant cum reſeruatione fructuum, relictis nonnullis reſignatario, quantum neceſſitas exigere videatur. Id autem an bene fiat, vel ſecus, aliorum ſit iudicium. Quartò probari poteſt ex *cap. bona memoriæ 1. de poſtulat. prælat.* vbi Cardinalis poſtulatus in Epiſcopum, non eſt admiſſa poſtulatio à Papa, quia præſentia dicti Cardinalis vtilior erat Eccleſiæ Romanæ: ſi autem eſſet compatibilis, non poſtulatus fuiſſet, ſed electus. Quintò eſt auctoritas Tridentini *ſeſſ. 24. cap. 17. de reform.* ibi, *quòd in quibuſcunque perſonis quocunque titulo, etiamſi Cardinalatus honore fulgeant.* Non obſtant, quæ adducuntur in contrarium per Andr. Siculũ Barb. *in tract. de præſtantia Card. 1. p. q. 12.* Nam primò quod adducitur ex *c. dilectus. 1. de præb. & c. Eccleſia veſtra. 2. de elect.* quòd Cardinalis poſſit promoueri in Epiſcopum. Soluitur, quòd poſſit quidem, ſed ita vt relinquat reſidentiam Curiæ, & aſſumat reſidentiam in proprio Epiſcopatu; etſi etiam poterit Epiſcopus fieri Cardinalis, ad hoc vt relicto Epiſcopatu, faciat reſidentiam in Curia, non autem ad hoc, vt vtrumque beneficium retineatur, & alterius reſidentia omittatur. Quòd ſi aliquando vtrumque retineatur ex diſpenſatione Papæ, non eſt quòd trahatur ad diſpoſitionem iuridicam, & ius commune, cui derogatur per diſpenſationem. Nec obſtat ſecundò, quòd Cardinalis poteſt eſſe etiam Canonicus. *cap. Eccleſia veſtra. 2. de elect.* ſed eadem ratio eſt de Epiſcopatu, quia ille etiam requirit reſidentiam. Reſpondeo enim primò eſſe diuerſam rationem de Epiſcopatu, & de Canonicatu. Primò, quia hic eſt beneficium ſimplex, non habens curam animarum: at Epiſcopatus habet, & licèt requiratur etiam in eo reſidentia, tamen in ea poteſt ex iure communi dari diſpenſatio, cùm ſcilicet Canonicus eſt in ſeruitio Epiſcopi. *cap. ad audientiam. de cleric. non reſid.* at iure communi non datur diſpenſatio in reſidentia Epiſcopi. Secundò, quia nec Cardinalis poteſt eſſe Canonicus iure communi; ſed tantùm ex diſpenſatione Papæ; quo pacto etiam concedimus Epiſcopum poſſe eſſe Cardinalem. Non obſtat tertiò, quòd iura generalia loquentia non comprehendunt Cardinales. Ioan. Andr. *in cap. 1. de ſchiſmatic. lib. 6.* quia habent ſupereminentem qualitatem. Reſpondeo enim iura ſpecialiter loqui etiam de Cardinalibus, vt Trident. & ſaltem *cap. bonæ memoriæ 1. de poſtul. prælat.* vt oportet, quando diſpenſatio prohibet quid malum, comprehendi etiam Cardinales, vt in *cap. ſi quis ſuadente. & c. omnis vtriuſque ſexus. de pæn. & remiſſ.* & alibi, ex Oied. *cap. 2. num. 6.* Ex his ſequitur per aſſumptionem ad Cardinalatum vacare cætera beneficia requirentia reſidentiam, per *cap. de multa. de præbend.* quæ autem non requirunt, non vacant, vt docet Oied. *num. 15.* niſi eſſet Cardinalis, & ſimul Epiſcopus, nam tunc omnia vacant, ex eodem citante Abb.

DECIMO QVÆRO de incompatibilitate beneficiorum ſub eodem tecto.

34. *Incompatibilia eſſe duo beneficia ſub eodem tecto.*

RESPONDEO, & DICO PRIMO, in eadem Eccleſia prohibitum eſſe iure communi habere duo beneficia, ſiue ſimilia, ſiue diſſimilia. probatur ex *cap. de multa. de præbend.* ibi, *addentes, vt in eadem Eccleſia nullus plures Dignitates aut perſonatus habere præſumat*, &c. notant DD. *ibid.* vt Ancar. Ant. Abbas & alij ex Oieda *p. 1. cap. 20. numer. 1.* Azor *lib. 6. cap. 11. q. 1.* dicúntque iura magis abhorrere duo beneficia in eadem Eccleſia, quàm in diuerſis, & magis duas præbendas in eadem Eccleſia quàm aliàs duo Curata in diuerſis. Ratio duplex eſt. Prima, quia cùm iure communi beneficia requirant reſidentiam, dato quòd vnus habeat duo, Eccleſia priuaretur miniſterio neceſſario vnius; non ita ſi in diuerſis Eccleſiis, nam diuerſo tempore poſſet modò reſidere in vna, modò in alia. Secundò, quia duplicitas illa beneficiorum in eadem Eccleſia ſolet eſſe occaſio iracundiæ, inuidiæ, & contentionis in aliis non habentibus; ideo iure optimo prohibita eſt. Hinc eſt primò, quòd Epiſcopus non poſſit diſpenſare cum beneficio, vt habeat in Eccleſia duo beneficia, quomodocunque ea ſint. gloſſ. *Clem. vlt. de præbend. v. vacabit.* & DD. *in c. litteras, de conceſſ. præbend.* Secundò, quòd non valeat conſuetudo habendi duas præbendas, vel duo beneficia in eadem Eccleſia, gloſſ. *d. cap. litteras. v. ex conſuetudine.* & communis ex Oied *numer. 3.* Tertiò, quòd diſpenſatus ad duo beneficia

non cenſetur diſpenſatus, vt illa habeat in eadẽ Eccleſia, niſi id expreſſum ſit in diſpenſatione. Ancar. *c. permittimus. de ætat. & qualitat.* & alij ex eod. *n.* 4. dicente communem, etiamſi ſit diſpẽſatus motu proprio, quia clauſula, *Motu proprio*, non tollit defectum intentionis, quia ſcilicet in tali diſpenſatione ad plura beneficia non adeſt intentio Papæ ad plura in eadem Eccleſia, ſi enim id voluiſſet, expreſſiſſet, vt pluribus idẽ à *n.* 13. Quartò, quòd neque in eadem Eccleſia poſſit quis habere duas penſiones abſque diſpẽſatione, niſi conſuetudo ſit in contrarium: quod intelligendum eſt de duabus penſionibus quæ darentur in titulum, vel eſſent ſuper eodem beneficio: nam de penſionibus non aſſignatis in titulum, nec ſuper eodem beneficio, ſed diuerſis, non videtur prohibitum per hanc conditionem, quòd ſint ſub eodem tecto, vt tenet Gigas *de penſionibus q.* 32. Quintò, quòd non poſſit haberi penſio & beneficium in eadem Eccleſia. *Clem. gratia. de reſcriptis.* ibi, *niſi fuerit ſecum diſpenſatũ*, &c. ſed intelligendum eodem modo, de penſione ſcilicet in titulum aſſignata, vt ex Mandoſ. idem *n.* 22. Dixi, *ſiue ſimilia, ſiue diſſimilia*, quæ alij dicunt conformia, ſiue difformia; ſimilia enim ſunt duæ penſiones, duo Canonicatus, duæ Capellaniæ, &c. diſſimilia Canonicatus cum Capellania, vel dignitas cũ Canonicatu, &c. Quãuis enim ſint, qui dicant duo diſſimilia poſſe haberi iure ſub eodem tecto, vt Abb. *conſ.* 926. *vol.* 2. Lap. & Rebuffus cum aliis cit. ab Oied. *n.* 25. Attamen verius eſt, quod alij dicunt, iure communi eſſe prohibita. *in c. literas. de conceſ. prælat.* vt docet Innocent. Mandoſ. & alij cum Oied. *loc. cit.* & Azor *quæſt.* 2. ſed conſuetudine induci poſſe facilius in diſſimilibus, quàm in ſimilibus, & alicubi eſſe id introductum.

35. *An primum vacet per obtentionem ſecundi ſimilis.*

Dices, An vacet primum obtento ſecundo ſimili. Reſpondeo vacare, ex eod. *cap. literas.* ſequitur Abbas, Cardinalis, Lambert. & alij ex Oied. *num.* 26. & Azor *quæſt.* 3. quod valet etiam in diſſimili, ſi loquamur iure communi, etſi cõſuetudine introducta, poteſt nõ vacare, ſi iam per eam inductũ ſit, vt ſimul haberi poſſint.

36. *Quæ ſint compatibilia in particulari, & quibus modis haberi multa queant.*

VNDECIMO QVÆRO, quæ beneficia ſint compatibilia, & quibus modis multa haberi poſſint.

RESPONDEO & DICO PRIMO, compatibilia beneficia eſſe multis modis, quos breuiter recenſebimus ex Oied. *part.* 2. *de compatibil. beneficiorum.* Primus, quando ſunt multa ſimplicia reſidentiam non requirentia ſiue de iure, ſiue de conſuetudine, ſiue quolibet alio modo: patet nouiſſimè ex Trident. *ſeſſ.* 24. *cap.* 17. *de reform.* & multis probat Oied. *cap.* 1. Dixi, *ſiue de iure*, &c. quia iure communi, vt aliàs diximus, quodlibet beneficium, etiam ſimplex, requirit reſidentiam, ſed iam, vt diximus, conſuetudine multa non requirunt, & iure probabile eſt in præſtimoniis non requiri, quicquid contrà Ioan. de Lignano, Abbas, & Mandoſ. apud eundem *num.* 3. Secundus, quando vnum requirit reſidentiam, ſed non alia; præſuppoſito enim quòd illud non ſit ſufficiens ad ſuſtentationem, & alia non requirant reſidentiam, iam eodem Concilio concedente poſſunt ſimul haberi; dicitur enim *loc. cit. quorum vtrumque perſonalem reſidentiam non requirat*; quare ſi vnum tantùm requirat, poterunt, vt pluribus Oied. *cap.* 2. Ex quo infert Card. poſſe conferri alia ſimplicia reſidentiam non requirentia vſque ad congruam ſuſtentationem, ſed quia congrua ſuſtentatio multorum reditus exigit, ideo non ſunt conferenda beneficia tenuia illis, qui ſcilicet non excedant ducentos coronatos, ex Lateran. ſub Leone X. ſequitur Caſſadorus & Rebuffus. Item cum Dignitate, perſonatu, vel officio poſſunt compati alia ſimplicia reſidentiã non requirentia, vt etiam cum Canonicatu, non tamen curato: cum hoc autem eſt compatibile aliud ſimplex non requirens reſidentiã, vel Capellaniam, vel aliud Curatum in habitu, non autem actu, vt Oied. *loc. cit.* Tertius, ſi ſint plura beneficia vnita, vt duo Epiſcopatus, vna parochialis, & præbenda ſimul; vna præbenda & Capellania. nam propter annexionem verè eſt vnũ tantùm beneficium, vt pluribus Oieda *c.* 3. ſiue huiuſmodi vnio fuerit à Papa, ſiue habeatur legitima præſcriptione. Quartus, ſi vnum ſit in titulum, aliud in commendam. *c. qui plures* 21. *q.* 1. *c. illud quoque. ibid.* & alibi. Fuit autem Commenda primùm inuenta tempore Leonis IV. ex *c. qui plures, cit.* ſiue vtrumq; ſit ſimplex, ſiue vnũ ſimplex, aliud Curatũ, ſiue vtrumq; curatũ, ſiue ſint duæ Abbatiæ, ſiue etiã duo Epiſcopatus, ſiue Papa commendauerit, ſiue ordinarius, ſiue ſit cõmẽda tẽporalis, ſiue perpetua, vnde etiã Cardinalibus Epiſcopis poteſt concedi Abbatia in cõmendam, ſeu in adminiſtrationem, imò etiã plures, ſi non excedant congruam ſuſtentationem, vt Oied. *c.* 4. Quintus, ſi ſint plura tenuia. *c. vnio.* 10. *q.* 3. ibi, *quæ verò minus, aliis coniungatur Eccleſiis. & c. eam te. de ætat. & qualit.* vbi DD. cõmuniter ex Oied. *c.* 5. qui etiam id extendit ad duo Curata, ſi tenuia ſint. Et quidem ante Trid. iure communi poterant haberi duo Curata, poſt illud, ex *c.* 17. *ſeſſ.* 24. non poſſunt abſque diſpenſatione Papæ, licèt probabile ſit, ſi eſſent valde vicina inter ſe, ita vt vnus poſſet vtrique ſatisfacere, & non poſſit inueniri, qui vni ſoli deſeruire velit, poſſe eidem conferri, vt etiam docet Leſſ. *c.* 34. *n.* 148. Sextus, ſi ſint duo Curata, vnum actu, aliud habitu. *c. paſtoralis.* 7. *q.* 1. nã quod eſt habitu, propriè non eſt curatum, hoc ipſo, quòd nulla cura eius habenda eſt, dum populo deſtitutus eſt, vt pluribus Oied. *c.* 6. Septimus, ſi vnum ſit in titulum, cum penſionibus, vel præſtimoniis non in titulum; ſed hoc non pertinet ad beneficiorum pluralitatem propriè loquendo, & de eo multa Oieda *cap.* 7. ſicut etiam ſi multa præſtimonia ſint, non in titulum, de quo idem *c.* 8. ſed hodie dantur in titulum, etſi ſunt incompatibilia, vt idem *num.* 15. *in fin.* Octauus, ſi deficiant perſonæ idoneæ, tunc iure communi poſſent dari multa eidem. Hoſt. *in c. graue nimis. de præbend.* Abb. & alij cum Oied. *c.* 9. Ratio ducitur ex neceſſitate, ob quam multa permittuntur, quæ alioquin prohibita eſſent. Nonus, ſi beneficium coniungatur cum Vicariatu generali Epiſcopi, vel alterius ordinarij: ratio clara eſt, quia Vicariatus non eſt beneficium, debet enim illud beneficium eſſe tale, quod poſſit ab eo etiam exerceri: vt ſi ſit Dignitas, vel perſonatus, vel Curatum in eadem ciuitate, in qua eſt Vicariatus, de quo Oied. *cap.* 10. Decimus, ſi conſuetudine pluralitas ſit introducta: vt enim diximus initio, pluralitas non eſt ita mala, vt non poſſit per debitas circumſtantias iuſtificari, nec eſt adeò indifferens, vt liceat ſine vlla circumſtantia iuſtificante: ſed iam diximus, id verum eſſe, quotieſcumque conſuetudo non ſit contra aliquid attingens ius naturale, vt pluribus Oieda *c.* 11. Vndecimus modus eſt, ſi multa habeantur per diſpenſationẽ,

Commenda quando cœperit.

de

Digitized by Google

de quo idem *cap.* 12. pluribus. Nos autem, quia plura dicenda ſunt de diſpenſatione in ſeq. quæſito, ea comprehendemus.

37. *Cuius ſit diſpenſare in pluralitate beneficiorum.*

DVODECIMO QVÆRO, cuius ſit diſpenſare in beneficiorum pluralitate. Pro reſponſione notandum, ad tres poſſe pertinere eiuſmodi diſpenſationem, ad Papam, ad Legatum, ad Epiſcopũ: de quibus breuiter dicendũ.

Papam diſpenſare poſſe.

DICO PRIMO, Papam poſſe diſpenſare in pluralitate beneficiorum, liberè quidem vbi tantùm eſſet contra ius commune; non niſi iuſtis de cauſis, vbi eſſet contra ius naturale, aut diuinum. Primò, quòd liberè poſſit in iis, quæ ſunt contra ius commune, patet, quia eſt ſupra illud. & quòd in particulari poſſit diſpenſare in pluralitate, patet ex *c. dudum. 2. de elect. c. de multa. de prebend. c. ordinarij. de offic. ordin. & c. 1. de conſuet. lib.* 6. DD. *ll. cit.* præcipuè Innoc. Ant. Anchar. & Abb. Nau. *c.* 25. *num.* 125. *& ſeqq.* Azor *lib.* 7. *cap.* 12. Oied. *cap.* 12. *à num.* 11. Secundò quòd non niſi iuſtis de cauſis, vbi eſſet contra ius naturale, &c. patet, quia huic Papa ſubiicitur, & tantùm interueniente iuſta cauſa interpretari poſſumus eſſe illi datam poteſtatem in eo diſpenſandi, cùm data ſit in ædificationem, non in deſtructionem: ideóque dato, quòd non adeſſet iuſta cauſa, quam tamen ſemper adeſſe iu licandum eſt, niſi euidenter contrarium conſtet, non eſſet tutus in conſcientia habens plura illa beneficia, etiamſi non incurreret pœnas iuris contra pluralitatem, vt Azor *q.* 7. Tres autem omnino numerantur iuſtæ cauſæ diſpenſandi. Prima, iuſta neceſſitas Eccleſiæ. Secunda, pia eiuſdem vtilitas. Tertia, euidens prærogatiua meritorum, quæ tandem cedat in maius commodum & vtilitatem Eccleſiæ. *c. diſpenſationes. c. tali.* 1. *q.* 7. Per meritorum autem prærogatiuam intelligitur nobilitas generis, patria, vel dignitas perſonæ, egregia litteratura, induſtria, prudentia & virtus, vt colligitur ex *c. de multa. & Extrauag. Execrabilis. de preb.* An autem iuſta cauſa ſit, impendere bene in opera charitatis fructus beneficiorum, affirmat Card. *Clem. gratia. de reſcript. num.* 12. & Nau. *c.* 25. *numer.* 128. quæ ſententia probabilis eſt, quoad retinenda plura beneficia, ſi iam collata eſſent, non quoad accipienda de nouo conferenda. & Abb. cum aliis. Neque etiam probat primum, quia alij etiam, quibus conferuntur plura illa beneficia, poſſunt fructus eorum impendere in honeſtos vſus, & videtur idem ſentire Azor *q.* 3. qui etiam *q.* 4. addit, indigentiam conſanguineorum in beneficio poſſe eſſe iuſtam cauſam diſpenſandi. Item ſolam Cardinalitiam dignitatem, & multò magis, ſi illi iungatur nobilitas generis, litteratura, induſtria, probitas.

38. *Poſſe diſpenſare Legatũ,*

DICO SECVNDO, Legatum Papæ poſſe etiam diſpenſare in pluralitate beneficiorum, ſed limitatè. Primò, vt non ſint Epiſcopatus, Dignitates, aut curata beneficia, per *c. de multa.* à contrario ſenſu, & per *c. cum te. de reſcriptis.* gl. *c. ſanctorum d.* 77. *& c. penult. de elect.* Secundò, vt non excedant congruam ſuſtentationem, ex *c. cum adeò. de reſcriptis.* Tertiò, vt non ſint ſub eodem tecto. *c.* 1. *de conſuet. lib.* 6. plura vide apud Oied. *p.* 2. *c.* 12. *à num.* 13.

39. *& Epiſcopum.*

DICO TERTIO, Epiſcopum poſſe diſpenſare in beneficiorũ pluralitate, ſed limitatè. Primò cum limitationibus dictis de Legato, vt etiam docet Oied. *n.* 14. & Azor *c.* 12. *q.* 6. Secundò, ſi duo beneficia ſub eodem tecto diſſimilia ſint, & vnum non ſufficiat ad congruam ſuſtentationem, poteſt diſpenſare. Io. Andr. *c.* 1. *de conſuet. in* 6. Abb. *c. literas. de conceſſ. preb. in* 6. & alij ex Azor. *q.* 6. *verſ. Quæres.* Vnde in eadem Eccleſia poteſt cum dignitate vel curato, cõferre præſtimonium, vel Capellaniam, vel Canonicatum, vel portionem, & multò magis Canonicatum, ſeu præſtimonium, vel capellaniam, &c. Tertiò, ſi ſimilia ſint ſub eodem tecto, non poteſt, vt diximus, cùm de incompatibilitate eorum, & idem etiam dicendum de Legato.

Dices primò, quot beneficia poſſint conferri à Papa licitè vltra congruam ſuſtentationem, vel quorum ſingula ſufficiant congruæ ſuſtentationi. Reſpondet Azor vſque ad decem excluſiuè, nam ſicut in iure lõgum tempus appellatur decennium, ita decem beneficiorum multitudo immodica iure cenſenda eſt. Sed verius eſt arbitrio prudentis id relinquendum eſſe, & ſatiùs duxerim defendere, vel excuſare pluralitatẽ ob ſplendidiorem & opulentiorem ſuſtentationem, quam exigit is, qui plurium beneficiorum dignus cenſetur, quia conceſſo exceſſo congruæ ſuſtentationis, tueri pluralitatem certè noſtris temporibus ad 40. Abbatias in vnum collatas vidimus, recténe, an ſecus, non eſt meum iudicare. 40. *Quot beneficia conferri poſſint à Pontifice vltra congruam ſuſtentationem, vel quorum ſingula ſufficiant congruæ ſuſtentationi.*

Dices ſecundò, An abſolui poſſit, qui plura beneficia poſſidet. Reſpondeo, ſi ſint plura beneficia curata, & ſequatur damnum animarum, ex abſentia Prælati, etiamſi per Vicarios adminiſtretur, vel detur ex hoc ſcandalum populis, non eſſe abſoluendum, niſi vno retento cætera dimittant: nam iure diuino tenetur ad reſidentiam, vt ſupponimus. Si verò ſint Dignitates, Perſonatus, Canonicatus, & alia huiuſmodi, quæ reſidentiam requirunt, ſiquidem adſit iuſta cauſa, non eſt quòd denegetur abſolutio, non exiſtente iuſta cauſa euidenter, & coniuncto ſcandalo, vel murmuratione clericorum, aut populi, tenetur is, qui ea habet, retento vno ſufficiente, alia dimittere, ſi non faciat, non erit abſoluendus; nam ea retentio inuoluit aliquid contra ius naturale & diuinum, vt rectè Leſſius *dub.* 28. *n.* 151. ex S. Thom. Adr. Caiet. Sot. Tol. & aliis Iuriſperitis & Canoniſtis. In aliis ſimplicibus ſecluſo ſcandalo poteſt confeſſarius ſequi probabilem opinionem DD. Canoniſtarũ, atque adeò poteſt abſolutionem impartiri. Vide Caietan. in Summ. *v. Beneficium Eccleſiaſt.* Azor *q.* 11. & c. Denique illud notandum, collationem ſecundi beneficij, tertij, & reliquorũ, ſemper eſſe validam, etiamſi plura ſimul haberi non poſſint, nam ad nullum eorum eſt, qui recipit, inhabilis, tenetur tamen reſignare ſuperflua, vel in quibus non adeſt legitima cauſa: fructus autem interim perceptos poteſt retinere, ſi muneri ſatisfecerit ſaltẽ per ſubſtitutos; ſi non ſatisfecit, etiam fructus tenebitur reſtituere Eccleſiæ, vel ad pias cauſas. *An abſolui poſſit qui plura poſſidet.*

DECIMOTERTIO QVÆRO de pœnis contra pluralitatem beneficiorum. Pro reſponſione notandum, pœnas cenſeri vel vacationem beneficij incompatibilis cum altero, vel obligationem vnius dimittẽdi altero obtento. Primò ergo de beneficiis vacantibus per adeptionem alterius. Secundò de aliis dimittendis. 41. *De pœnis contra pluralitatem.*

DICO PRIMO, beneficia incompatibilia primi generis, de quibus ſuprà, vacant per adeptionem ſecundi. Talia ſunt primò, Eccleſiæ Cathedrales, ſiue Epiſcopatus, ſeu habeantur in titulum, ſeu in commendam, ſeu alio quouis modo. Trid. *ſeſſ.* 7. *c.* 2. *de reform.* Secundò, di- 42. *De beneficiis vacantibus per adeptionẽ alterius.*

Digitized by Google

gnitates, perſonatus, officia, & curata. *c. de multa. de præb.* & Extrauag. *Execrabilis. eod.* Ante Lateran. ſub Innoc. III. cuius eſt *c. de multa.* non vacabant prima beneficia, ſed vel habebat optionem, vt vnum ex illis eligeret, quod mallet. vt *c. præterea, & c. referente. de præbend.* ſub Alex. III. vel priuabatur primò auctoritate iudicis: vt *c. quia nonnulli. de cleric. non reſid.* ſub Innocentio III. ante Concilium Lateranenſ. Tertiò, præbendæ vniformes, ſeu ſimiles ſub eodem tecto. *c. literas. de conceſſ. præb.* Difformes verò ſeu diſſimiles non vacãt, immò poſſunt ſimul haberi auctoritate Epiſcopi, vt ſuppono. Quartò ſi quod aliud ſtatuto cautum ſit, vt non poſſit ſimul haberi cum altero, tunc etiam illud vacabit, obtento ſecundo, vt Azor *c. 13. q. 8.* ex gloſſ. *Clem. gratia. de reſcriptis.* ſaltem poſt Trid. Quintò, ſi tertium obtineatur incompatibile, vacabunt duo priora, eodémque modo, ſi quartum, tria priora, vt Azor *q. 10.* quòd ſi quis duo incompatibilia habeat ex diſpenſatione, obtento tertio ſine diſpenſatione, vacabunt etiam duo priora. *c. ordinarij. §. in conferendis. de off. ordin.* & Azor *ibid.*

43. *De iis quæ dimittenda per adeptionem alterius.*

DICO SECVNDO, beneficia incompatibilia ſecundi generis non vacant per adeptionem ſecundi: ſed ſimul retineri licitè non poſſunt abſque diſpenſatione. Talia ſunt primò, duo ſimplicia reſidentiam non requirentia, quorum alterum ſufficit ad ſuſtentationem, nam abſque diſpenſatione ſimul retineri nõ poſſunt, ex Trident. *ſeſſ. 24. c. 17. de reform.* ibi; *ſi vnum ſatis ſit ad vitam.* non tamen ipſo iure vacat primum obtento ſecũdo, quia talis pœna nõ eſt expreſſa in Trid. vt pluribus Azor *q. 4. verſ. cenſent.* nec ante Trid. vt *ibid. initio q. 4.* Secundò duo requirẽtia reſidentiam, ſi ſimplicia ſint, & non ſub eodem tecto, poſt Trid. videntur adnumeranda ſecundùm quoſdam incompatibilibus primi generis, primum enim vacat adepto ſecundo, nam Trid. extendit pœnam *c. de multa.* ad omnes, qui duo beneficia incompatibilia ſimul obtinent, vt docet Azor *q. 5. & 7.* at ſecundùm alios, vt Leſſ. *num. 144.* citante Nauar. etiam poſt Trid. non ſunt incompatibilia primi generis, & verò ante Trid. non vacabat; quia non erat beneficium habens dignitatem, vel perſonatũ, vel officium, vel curam animarum, vt dicitur *c. de multa.* ſed priuabatur fructibus vnius, vel vno retẽto, quod mallet, altero priuabatur, ex *c. referente, &c. de præb.* vt ſuprà diximus. Tertiò, quando ſecundum obtentum eſſet litigioſum, non vacat prius in caſibus poſitis in primo dicto: poſtquam autem ſecundum pacificè poſſeſſum fuerit, vacat prius etiamſi hoc eſſet litigioſum. Si obtento vno, quoad titulum, non quoad poſſeſſionem, acquiratur ſecundum litigioſum, & poſtea pacificè poſſideatur primum, non amittitur ſecundum litigioſum, quia id iure ſtatutum non eſt, vt docet ex Nau. *conſ. 31. de præb.* Leſſ. *c. 34. num. 141.* Denique non ſatis eſt habere poſſeſſionem tituli ſecundi beneficij, ſed requiritur etiam vt fructus percipiantur, vnde ſi alteri eſſent reſeruati, non vacaret primum. *cap. ſi tibi conceſſo. de præbend. in 6.* Atque hæc ſatis de pœnis, & de iſto capite.

CAPVT VIII.

Quibus modis beneficia obtenta, & ob quæ crimina amittantur.

HOc eſt tertium & vltimum caput tractationis de beneficiis, in quo hæc potiſſimùm breuiter exponenda ſunt. Primò, quid ſit vacatio beneficij. Secũdò, quot modis contingat hæc vacatio. Tertiò, quot modis vacet ipſo iure. Quartò, quot modis ſine delicto, & primò de matrimonio. Quintò, de beneficio incompatibili. Sextò, quia intra annum Parochus non ordinetur. Septimò, quia vacet per tranſlationem ad aliam Eccleſiam. Octauò, quot modis vacet ipſo iure ob delictum. Nonò, de effectibus conſequentibus priuationem ipſo iure. Decimò, quot modis vacet per ſententiam iudicis.

PRIMO ergo QVÆRO, quid ſit vacatio beneficij. 1. *Vacatio beneficij quid.*

RESPONDEO breuiter, eſſe deſtitutionem beneficij à poſſeſſore: vt enim *l. qui cœtu. §. vlt. ff. ad l. Iuliam de vi publica*, vidua mulier dicitur vacans, & locus apud Phyſicos carens corpore dicitur vacans, ſiue vacuum, quia eo repleri ſolet; ſic beneficium carens poſſeſſore, dicitur vacans, quia illò repletur. Ideóque cùm moritur poſſeſſor, dicitur vacare, ad differentiam penſionarij, qui cùm obit, non dicitur vacare penſio, ſed extingui, quia finitur morte penſionarij: beneficium verò non finitur, ſed vacat.

SECVNDO QVÆRO, quot modis cõtingat hæc vacatio. RESPONDEO tribus. Primò 2. *Quot modis contingat.* vacat tantùm de facto, quia ſcilicet quis poſſeſſionem amittat, non titulum; ſiue quia primò violentia exturbetur à poſſeſſione, vt *c. accepta, & c. olim. de reſtit. ſpol.* ſiue quia ſecundò per metum à populo iniectum cogatur quis dimittere beneficium, cùm aliàs ritè electus eſſet, vt *c. ad aures. de his quæ vi*, &c. ſiue tertiò, quia clerici habent beneficium pro derelicto, vt *c. 2. & 3. de cleric. non reſid.* ſiue quia quartò in beneficio ſibi collato nondum quis conſentiat. *c. ſi tibi abſenti. de præb. in 6.* Secundo modo vacat tantùm de iure, vt cùm quis auctoritate iuris beneficio ipſo iure priuatus exiſtit, poſſidet tamẽ de facto beneficium. *c. licèt Epiſcopus. 2. de præb. in 6. & c. cùm noſtris. de conceſſ. præb.* Tertio modo vacat de facto, & de iure, cùm quis illud deponit, & nondum eſt alteri collatum, vel cùm vacat per obitum beneficiarij.

TERTIO QVÆRO, quot modis dicatur 3. *De modis quibus vacat ipſo iure.* vacare ipſo iure.

RESPONDEO, item tribus. Primò, ſi vacet ſine delicto beneficiarij, quod quia poteſt eſſe multis modis, de iis dicetur in ſequenti quæſito. Secundò ſi vacet ex delicto beneficiarij, vel ex quaſi delicto: quo pacto plures alij recenſentur modi, de quibus *in q. 8.* Tertiò, ſi vacet per mortem naturalem clerici, vel ciuilẽ, qui eſt ingreſſus in Religionem. Hoc autem loco tãtùm agemus de quatuor modis, nempe primo, quando per matrimonium validè initum vacat beneficium. Secundo, quando per alterius incompatibilis aſſecutionem vacat primum. Tertiò, quando Parochus non eſt ordinatus infra annum. Quartò, quando vacat per tranſlationem beneficiarij ad aliam Eccleſiam; de quibus ſingulis in ſequentibus quæſitis.

QVARTO QVÆRO, de modis qui- 4. *Quibus ſine delicto.* bus vacat ſine delicto, & de primo modo per matrimonium, quid iuris de illo.

RESPONDEO & DICO PRIMO, vacare ſine delicto tribus modis. Primò per mortem naturalẽ, hæc enim omnia vincula diſſoluit, de quo nil occurrit

Digitized by Google

occurrit dicendum. Secundo per mortem ciuilem, hoc eſt, per ingreſſum, & profeſſionem in Religione approbata, expreſsè vel tacitè factam. *cap. beneficium. de regul. in 6.* hac enim ſecuta beneficium vacat, de quo non eſt controuerſia inter DD. Tertio per matrimonium validè initum, in hoc enim ferè DD. conueniunt, & ducti ratione, quòd ſit incompatibile beneficium cum vnione matrimonij: cùm ergo ſpontaneè quis ſe vinculo illo innodat, ſpontaneè etiam videtur beneficio renunciare, & quaſi pro derelicto habere. *c. ex transmiſſa. de renunciat. cap. cum renunciato 32. q. 1.* Hinc eſt, vt non poſſit clericus illud reſignare, vtpote carens omni iure in illud, vt ex communi docet Pariſ. *lib. 3. de reſignat. q. 1. num. 21.* quod valet, etiamſi matrimonium nondum conſummatum ſit, vacant enim ſtatim poſt matrimonium initum per verba de præſenti. Nau. *cap. 25. num. 120.* & alij apud Sanchez *de matrim. lib. 7. diſput. 42. num. 5.*

Dubium eſt de matrimonio inualido, cùm

5. *An vacet per matrimoniū inualidum.* etiam per hoc vacet beneficium. Pro qua re

Dico secundo, etſi probabile ſit vacare beneficia etiam per matrimonium inualidum, præſertim quando id oritur ex impedimento dirimente, vt ob contagionem, vel affinitatem. Alterum videtur probabilius, non vacare ipſo iure, ſed priuandum eſſe contrahentem per ſententiam. Dixi primò eſſe probabile, tum ob auctoritatem DD. quos refert & ſequitur Azor *cap. 16. q. 5. & 6.* tum ob rationes ſatis probabiles, præſertim ex *cap. cum qui. de prebend. in 6. & c. cum ſingula. eod.* in quibus deciditur per primi curati adeptionem vacare primum ipſo iure, quamuis irrita ſit adeptio ſecundi, quia, inquit, non decet, vt ſtultus melioris, quàm peritus conditionis exiſtat, vel quòd inuaſor eo, qui iuſtè ingreditur, priuilegio potiori: at ſic eſſet in caſu noſtro. Dixi ſecundò, præſertim quando id oritur ex impedimento dirimente, quia ſic ſentit communis ferè ſententia, ex Sanchez *diſput. 43. num. 5.* Dixi tertiò, eſſe probabilem ſententiam, non vacare ipſo iure, tum quia non præſtat impedimentum, quod de iure non ſortitur effectum. *reg. non præſtat. de reg. iuris in 6.* & quod nullum eſt, nullum poteſt producere effectum. *l. 4. ff. de ſent. & re iudic.* Nec eſt conſiderabile tale impedimentum, vt Pariſ. *de reſignat. lib. 11. q. 6. num. 118.* Matrimonium autem irritum nullum effectum præſtat, quare nec erit conſiderabile, cùm præſertim nullus textus ſit diſponens in hoc euentu, quòd ſufficiat ſola attentio, ſicut etiam in aliis exemplis adductis, & perſonalia non ſint extendenda, alioqui poſſet concludi iniuſtum occiſorem feræ, putantem eſſe ſuum inimicum, eſſe irregularem, quia etiam iuſtus occiſor hominis eſt irregularis, & non debet eſſe peioris conditionis iuſtus occiſor, quàm iniuſtus: tum quia vt verè non aſſumitur ſtatus incompatibilis hoc ipſo quòd matrimonium initum eſt; nec committitur beneficium in pœnam delicti, quia ſic requireretur ſcientia condemnatoria, nec ex tacita renunciatione, non habita ratione ſtatus incompatibilis, quia nec expreſſa renunciatio ſatis eſt, niſi fiat in manibus Epiſcopi, vel ſuperioris. *c. niſi cùm pridem. de renunc.* qua de re plura Sanchez *loc. cit. à num. 3.*

6. *An ordinarius in ſacris contrahens matrimoniū amittat beneficia.* Ex quo infertur primò, Ordinarium in ſacris contrahentem matrimonium non amittere ipſo iure beneficia, ex *cap. 1. de cleric. coniug.* vbi loquens de clericis in minoribus ducentibus vxores, decidit vxores retinendas, beneficia dimittenda; de clericis in ſacris tranſeuntibus ad nuptias, ſolùm dicitur vxores eſſe dimittendas, & ita ſentiunt multi Canoniſtæ, vt Ioan. Andr. Anton. Anchar. Imol. Henric. Francus, & alij apud Sanchez *num. 4.*

Infertur ſecundò, beneficiarium contrahentem matrimonium initum ob conſanguinitatem eodem modo, non amittere ipſo iure, ſiue ſcienter, ſiue ignoranter id matrimonium contractum ſit, vt probatum eſt in concluſione, & docet idem *num. 5.* 7. *An beneficiarius contrahens matrimoniū initū ob conſanguinitatem.*

Infertur tertiò, idem dicendum, quando eſt irritum defectu ætatis, vel defectu conſenſus, vt idem *num. 6. & 7.* 8. *An, quando eſt irritum defectu ætatis, vel defectu cōſenſus.*

Qvinto qværo de ſecundo modo per adeptionem beneficij incompatibilis, quid iuris de illo. 9. *De beneficio incompatibili.*

Respondeo, de hoc diximus *cap. preced.* præcipuè *q. vlt. de pœnis.* Breuiter tamen Dico primo, colligendo eorum ſententiam, non vacare primum per adeptionem ſecundi, niſi quando ſecundum eſt incompatibile primi generis. Tale autem eſt, quando vtrumque eſt curatum, vel dignitas, vel perſonatus, vel officium. Item, quando vtrumque eſt ſimile ſub eodem tecto: ſi verò ſecundum ſit ſimplex, quamuis requirens reſidentiam, iam ſuprà diximus, non vacare ipſo iure curatum, vel dignitatem cum illo, multò minus ſi non requirat, etiamſi ſuperet ſufficientiam.

Dico secvndo, quando primum vacat ipſo iure, non vacat, niſi ſecundum pacificè poſſideatur, & recipiantur ex illo fructus. patet ex *cap. licèt Epiſcopus. de preb. in 6. cap. commiſſa. de elect. in 6. cap. ſi tibi conceſſo. de prebend. item in 6.* Azor *cap. 16. q. 9.* & nos *preced. cap.* Addit item Azor primò, ſi Papa contulerit ſecundum his verbis, *vt primum vacet poſſeſſione ſecundi apprehenſa*, non vacare primum, ſi fructus ſecundi alteri debeantur, ex DD. *c. cit.* Secundò poſſe retineri primum ratione impenſarum, quæ factæ fuiſſent ex patrimonio, *in illo cap. quicunque 12. q. 4.* Abb. *cap. de multa. de prabend. num. 15.* Tertiò, non vacat primum, ſi ſuperior noluerit confirmare adeptionem ſecundi, & reuocauerit clericum ad primam Eccleſiam. Abb. *loc. cit.* Quartò, ſi clericus ſubito iræ calore ſecundum beneficium acceperit, ſi ſtatim facti ſui eum pœnituerit, non vacat primum. Abb. *ibid. num. 13.* Quartò, ſi primum beneficium caret cura animarum, non vacat per adeptionem ſecundi cum cura. Quintò, ſi adeptio ſecundi ſit irrita, vacat primum, quia punitur in hac parte animus coniunctus facto quomodocunque. Abb. *c. 1. de cleric. coniugat. num. 8.* & nos *preced. quæſito.* Sextò formula vacationis huiuſmodi beneficij continetur *in c. licèt Epiſcopus. de prebend. in 6.* ex qua patet, ſi primum de facto poſſideatur, non poſſe clericum à poſſeſſione deiici, niſi vocetur & citetur, vt Azor *ibid.* 10.

Sexto qværo de tertio modo, quando parochus intra annum non ordinatur, quid iuris de illo. 11. *Quid iuris quando Parochus intra annum non ordinatur.*

Respondeo & dico primo, vacare poſt integrum annum elapſum, & non, quando tantùm pars eius elapſa eſſet, vt non poſſet is intra ipſum ordinari ad ſuccedendum, habetur *cap. licèt canon. cap. commiſſa. de elect. in 6.* Computatur autem annus à die poſſeſſionis

G 5 pacifi

Digitized by Google

pacificæ, niſi per eum ſteterit: ſi legitimè fuiſſet impeditus, non computatur annus; vt ſi Epiſcopum intra annũ non inuenit, vel infirmus fuit in lecto, vel ſi poſt impetrationem beneficij factus eſſet irregularis ſine ſua culpa, vt quia oculum amiſit, vel aliam partem neceſſariam, ex *cap. commiſſa, & gloſſ. ibid.*

12. *An prædicta pœna habeat locum in Vicario perpetuo, & in Priori Conuentuali, Præpoſitis, Decanis, Epiſcopis, &c.*

DICO SECVNDO, etiam in Vicario perpetuo habet locum prædicta pœna. *Clem.* 1. *de offic. vicar.* Item in Priori Conuentuali, ſeu clauſtrali, ſiue in titulum, ſiue in commendam habeat Eccleſiam. *Clem. ne in agro. de ſtat. monachor.* Non autem habet locum in Præpoſitis, Decanis, & aliis, de quibus ſermo eſt *in cap. cum in cunctis. §. inferiora. de electiõ.* Neque in Epiſcopis, aut aliis Dignitatibus habentibus curam animarum in foro externo, neque in Eccleſiis collegiatis, etiamſi Parochiales ſint. gloſſ. *cap. licèt canon. ver. Parochialis. de electiõ. in 6. & c. ſtatutum. eodem.*

13. *Quid quando vacet per tranſlationem ad aliam Eccleſiam.*

SEPTIMO QVÆRO de quarto modo, quando vacat per tranſlationem beneficij ad aliam Eccleſiam, quid iuris de illo.

RESPONDEO, & DICO PRIMO, ſi legitima auctoritate Epiſcopus ab vna Eccleſia transferatur ad aliam, prima vacat per ſecundæ poſſeſſionem pacificam. *cap. ſi quis iam tranſlatus.* 21. *quæſt.* 2. gloſſ. & DD. *ibi.* ſi non legitima auctoritate, vtramque amittit ipſo iure. *c. quanto. de tranſlat.* In quo

Notandum primò, per promotionem ad Epiſcopatum, poſt pacificam eius poſſeſſionem vacare omnia beneficia, etiam ſimplicia, de quo *ſuprà.* Secundò, ſi intra menſes tres confirmationem non petat, aut per ipſum ſtet, quominus intra id tempus confirmetur, amittit omne ius acquiſitum per electionem. *cap. qua ſit. de elect. in 6.* Tertiò, confirmatus, ſi infra tres menſes non conſecretur, aut per ipſum ſtet, amittit ius quæſitum, *cap. cum in cunctis. §. cum verò. de elect.* Quartò, ſi electus non præſtet conſenſum electioni infra menſem, aut tempus ſibi conſtitutum, amittit ius. *cap. quàm ſit. de elect. in 6.* Quintò, ſtylus Curiæ habet, vt etiamſi poſſeſſionem Epiſcopus non ceperit, beneficia eius tanquam vacantia conferantur, in quo potuit conſuetudo à Papa ſcita & tolerata præualere, contra canones *cap. cum in cunctis*, &c. Sextò, in Epiſcopis, qui titulares dicuntur, non vacant beneficia, quia poſſeſſionem Eccleſiarum non apprehendunt, nec fructus recipiunt. Mandoſ. *reg.* 26. *Cancell. q.* 4.

14. DICO SECVNDO, ſi Epiſcopus poſt confirmationem ſtatim conſecretur, non vacant beneficia, donec poſſeſſionem acceperit: ſi eam cepit etiam ante tres menſes elapſos, vacare cenſentur. Ioan. Andr. & Abb. ex Azor. *quæſt.* 12. *verſ. Quæres.* Quòd ſi ante confirmationem electus obeat, non propterea dicetur Eccleſia vacare in Curia, durat enim adhuc prima vacatio. Ibi autem dicuntur vacare beneficia, vbi Procurator habens mandatum apprehendit poſſeſſionem Epiſcopatus: vbi autem amicus, vel negotiorum actor renunciat, non ibi vacant, ſed eo loco, vbi beneficiarius ratam habet renunciationem. plura vide apud Azor. *loc. cit.*

15. *Modi quibus vacat ipſo iure ob delictum.*

OCTAVO QVÆRO, quot modis vacet beneficium ipſo iure per delictum.

Reſpondeo numerari multos modos: præcipui ſunt decẽ. Primò ratione Hæreſis. *c. ad abolendam. de hæretic.* §. 1. nec illi prodeſt poſſeſſio triennalis, ex Rebuff. Secundò, Schiſma. *cap. quia diligentia. de elect.* Tertiò, percuſſio Cardinalis, vel Epiſcopi. *cap. felicis. de pœn. in 6.* Quartò, homicidium qualificatum, vt per conductum pretio ad Chriſtianum occidendum. *cap.* 1. *de homicid. in 6.* Quintò, falſificatio literarum Apoſtolicarum. *cap. ad falſariorum. de crimine falſi.* Sextò, Sodomia ſæpiùs exercita. Pius V. in Bulla apud Nau. *cap.* 27. *num.* 249. Septimò, occiſio per ſe, vel per alium, Rectoris, vel alterius clerici ſuæ Eccleſiæ, in qua habet beneficium. *cap. in quibuſdam. de pœn.* Octauò, Simonia confidentiæ. Pius IV. & V. in Bulla apud Nau. *cap.* 23. *num.* 100. Nonò, alienans bona Eccleſiæ abſque forma in iure præſcripta, & inconſulto Rom. Pontifice. *Extrau. ambitioſæ. de rebus Eccleſ. non alien.* Decimò, qui vi poſſeſſionem beneficij ingreſſus eſt. *cap. cum qui. de præbend. in 6.* Alia ſunt pertinentia ad Epiſcopos, & Parochos, de quibus ſuprà ſuis locis, vt ſi Epiſcopus electus & confirmatus, non conſecratur infra tempus debitum: item ſi Parochus non fuerit promotus ad ſacerdotium infra annum. Alia ad incompatibile beneficium, quo pacto obtinerent duo incompatibilia primi generis, ſi ſimul vtrumque retineat, vtrumque amittit. Item examinatores ad Parochialem, ſi pro examine aliquid acceperint. Addunt aliqui primò, crimen læſæ maieſtatis, ex *c. cum ſecundùm leges. de hæret. in 6.* Secundò, Simoniæ, per *Extrauag. deteſtabile. cap.* 1. *de elect. in 6.* Quartò, dantes & recipientes pro iuſtitia, vel gratia obtinendi apud ſedem Apoſtolicam. Quintò, non promulgantem reſignationes. Sextò, non geſtantem habitum clericalem, ſi beneficiarius ſit, vel penſionarius. Septimò, clericum malè promotum. Sixt. V. Verùm eſt de his etiam aliqua controuerſia ſuis locis pertractanda. Vide Azor. *c.* 17. Leſſ. *c. & dub.* 34.

NONO QVÆRO de affectibus conſequentibus priuationem ipſo iure. 16. *Effectus conſequentes priuationem ipſo iure.*

RESPONDEO & DICO PRIMO, numerari quinque effectus. Primus eſt, quòd poſſint impetrari ante vllam ſententiam condemnationis. *cap. licet Epiſcopus.* 2. *de præbend. in 6.* Secundò, priuatus ipſo iure non facit fructus ſuos, ſed debet reſtituere in conſcientia. *c. cum deteſtabile. de ſim.* Tertiò, à tempore priuationis non poteſt quicquam diſponere de beneficio, ideo neque renuntiare, nec permutare, &c. Quartò, agenti pro priuato in petitione obiici poteſt cauſa ex qua priuatus eſt. Diaz *in prax. c.* 116. Quintò, moriente reo criminis, non debet impetrari per mortem beneficium, ſed per delictum factum ante mortem.

DICO SECVNDO, omnes ſupradictos delinquentes priuatos ipſo iure non cogi ante delicti declarationem dimittere beneficium, quia eſt pœna, quæ non debetur ante iudicis declarationem: ſed interim non facere fructus ſuos, ideóque debent curare conualidationem per ſeueram pœnitentiam, ſiquidem delictum ſit occultum. Valent tamen acta ratione publici muneris, & officij, quod habet, ſi delictum non ſit notorium. Vide Azor. *q.* 4. 17.

DECIMO QVÆRO, quot modis vacet beneficium per ſententiam iudicis. 18. *Quot modis vacet per ſententiam iudicis.*

RESPONDEO. per quinque crimina mereri priuationem à iudice. Primum eſt, quia non reſideant in ſuis beneficiis. *c. conquerente. de cleric. non reſid.* Secundum, ſi ſit homicida. *cap. clericus. ne cleric. vel monach.* Tertium, ſi ſit publicus concubinarius, & monitus ab Epiſcopo non deſerat concubinam. Trid. *ſeſſ.* 25. *cap.* 24. *de reform.*

Quartum,

Digitized by Google

Quartum, ſi ſit periurus. gloſſ. *cap. querelam. de iureiurand.* Quintum, ſi blaſphemus in Deum, vel Sanctos. *cap. ſi quis per capillum. 22. quæſt. 1.* Addi poteſt ſextum obtinentis ſecundum beneficium, requirens reſidentiam cum primo, & non ſit Dignitas vel Curatum. Trid. *ſeſſ. 7. cap. 4.* Hæc ſatis.

CAPVT IX.

De permutatione Beneficiorum; quæ eſt vnus ex modis, quibus amittuntur.

IVXTA propoſitum ordinem initio tractationis, agendum eſt de permutatione, & primò quid ſit, & de eius requiſitis. Secūdò, an prohibita priuatis perſonis, & quo iure. Tertiò, cuius auctoritate facienda ſit. Quartò, de permutatione vnius cū pluribus. Quintò, de permutatione inæqualiū. Sextò, de permutatione beneficiorū, ac penſionibus, & iuribus. Septimò, de perſonis permutantibus, quales eſſe debent. Octauò, quæ ſeruanda in permutationibus. Nonò, de tempore in quo debet fieri, & an per temporum interualla fieri poſſit. Decimò, de fraudulenta permutatione. Vndecimò, de cauſis ex quibus facienda eſt. Duodecimò, de effectis eius.

Agunt autem DD. de ea, Canoniſtæ quidem in Decretalib. *tit. de rer. permut.* Summiſtæ *verb. Permutatio.* Edidit tractatus de ea Petrus Vbaldus Peruſinus, & eo antiquior Federicus de Senis, item Ægid. Bellamera, & Petrus Andreas Gambarus; recentiores, vt Azor *tom. 2. lib. 7. cap. 29. & 30.* Leſſ. *lib. 2. cap. 34. dub. 36.* Garzias *de benef. part. 11. cap. 4.* apud quem alij.

1. *Permutatio. Quid,* PRIMO QVÆRO, quid ſit permutatio, & quæ ad eam requiſita.

RESPONDEO & DICO PRIMO, Permutatio generatim ſumpta, eſt certæ rei ad alteram facta mutua præſtatio. *l. 1. ff. de rer. permut.* Accommodatur autem permutationi beneficiorum, quæ duo beneficia liberè dimittunt, vt vnus alterius beneficium obtineat; vnde nil aliud eſt, quàm reciproca quædam reſignatio, quæ adinuicem inter permutantes fit auctoritate legitimi ſuperioris. *cap. vnico. de rer. permut. in 6. & Clem. 1. eod.* Caſſad. Rota, & Rom. apud Gonzalez ſuper *reg. 8. gloſſ. 14. num. 40.* Pariſ. *de reſign. lib. 11. quæſt. 5. num. 19.* Hinc dici ſolet, quòd permutatio habet in ventre reſignationem in fauorem permutantium, ex eod. Gonzal. *loc. cit.* includit enim reſignationem, & addit nouam collationem eorundem beneficiorum ſic reſignatorum, expreſſam vel tacitam, inter permutantes.

2. *& quæ eius requiſita.* DICO SECVNDO. Ad eam ſeptem ferè requiruntur. Primò, vt permutantes ſint domini ſuorum beneficiorum; hoc eſt, habeant ius in ſuis beneficiis eo modo, quo illis conuenire poteſt tanquam adminiſtratoribus, neque enim ſunt verè domini, vt aliàs dictum eſt. Hinc excluduntur primò ij qui habent tantùm ius ad beneficium, vt præſentati: vt qui haberent expectatiuas ratione literarum Apoſtolicarum, etſi hodie ſublatæ ſint; vt qui tantùm electi eſſent nondum confirmati, & ſimiles. Azor *cap. 29. q. 24.* Garzias *part. 11. cap. 4. num. 16.* citans alios multos. Secundò excluduntur ij, qui habent beneficium incompatibile cum primo; cùm enim hoc ipſo vacet, & non ſit ipſius, non poterit talis permutare cum alio. Tertiò, qui habent beneficium litigioſum, debet enim pacificè poſſideri, vt Garzias *loc. cit. num. 20.* & ſi poſt permutationem deprehendatur ſubiectum liti, debet qui illud reſignauit, litem proſequi, & ſi fuerit euictum, alter redibit ad ſuum. *cap. ſi beneficia. de prabend. in 6.*

Secundò requiritur, vt permutatio libera ſit, non autem extorta metu, vel dolo, alioquin eſt inualida; contractus enim, cui dat cauſam metus, non obligat, præſertim ſi ita velit is qui paſſus eſt metum, & ſic arbitrio eius ſaltem reſcindi poteſt. Si quis autem ſpoliatus beneficio, cogeretur permutare, poteſt intentare remedium. *cap. redintegranda. 3. quæſt. 1.* nec debet audire in iudicio detentor, niſi ſpoliato fuerit reſtituta poſſeſſio. *cap. ſuper hoc. de renunt.* An autem poſſit clericus compelli ad permutandum ex cauſa neceſſitatis, vel vtilitatis Eccleſiæ, dicetur *q. 11.*

Tertiò requiritur vt vterque beneficium ſuū reſignet in manibus Ordinarij, cui beneficium ſubiectum eſt, ſiue ſit vnus & idem, ſiue diuerſi, de qua re dicetur infrà *q. 3.*

Quartò, vt beneficia conferantur permutantibus, non aliis, alioqui irrita eſt collatio. *Clem. vnica. de rer. permut.* An autem ſit neceſſe fieri colluſiones eodem tempore, nécne, dicetur *quæſt. 9.*

Quintò requiritur conſenſus eorum, ad quos beneficiorum permutandorum electio, aut præſentatio pertinet; alioqui non valebit permutatio. gloſſ. *in d. Clem.* cum aliis. Quando tamen patronus requiſitus conſentire nollet, & alioqui permutatio Epiſcopi arbitrio vtilis eſt Eccleſiæ, poteſt ipſe ſupplere, & valebit permutatio, ex Rebuffo *in Praxi benef.* §. *de permutat. numer. 22.*

Sextò ſi permutans infirmus ſit, debet ſuperuiuere 20. dies poſt reſignationem, alioquin cēſetur beneficium vacare per obitum. *Reg. Cancel. de infirmis.*

Septimò, ſi permutatio fiat in Curia, debet publicatio fieri intra 6. menſes à die ſupplicationis oblatæ computandos, ſi ſint beneficia citra mōtes; intra 9. ſi vltra montes. Si extra Curiam, intra menſem ordinarius debet conferre, permutantes verò intra tres publicare, idque in loco beneficij, vt alibi dictum eſt; alioqui prædicto tempore elapſo, nulla eſt prouiſio, & beneficium vacare cenſetur eo ipſo. Azor *lib. 7. c. 24. q. 2.* Leſſ. *n. 199.*

SECVNDO QVÆRO, an prohibita ſit priuatis perſonis, & quo iure. 3. *An prohibita perſonis priuatis,*

RESPONDEO & DICO PRIMO, eſſe prohibitam priuatis perſonis permutationem. *cap. cum vniuerſorum. de rer. permut.* licèt ipſi per ſe de iure non poſſint Eccleſiaſtica beneficia commutare. Ratio autem eſt, ob vitanda multa inconuenientia, ſi priuatorum arbitrio id relinqueretur; quia ergo aliquando poteſt eſſe vtilis vel etiam neceſſaria permutatio, ideo non debuit omnino prohiberi, ſed fieri interueniente auctoritate ſuperioris.

In particulari autem afferuntur ab Azor. *cap. 24. quæſt. 2.* rationes quatuor, cur prohibita ſit permutatio priuatis perſonis. Prima, vt omnis occaſio auaritiæ & ambitionis clericis præcidatur. Secunda, ne clerici de beneficiis tanquam de rebus ſuis profanis ſtatuere videantur. Tertia, ne putent idem ius ſe habere in beneficiis, quòd in patrimonio. Quartum, quia is qui permutat, eo ipſo ſuum beneficium dimittit & reſignat

in manibus ſuperioris, & acquirit aliud : nemo autem poteſt aliud acquirere, niſi ei conferatur à legitimo ſuperiore.

4. *& quo iure.* DICO SECVNDO, iure tantùm Eccleſiaſtico prohibitam eſſe eiuſmodi permutationem factam priuata auctoritate. eſt communis DD. ex Suarez *lib. 4. de ſimon. cap.* 30. *num.* 8. eámque tenet in particulari Maior 4. *d.* 25. *q.* 5. *&* 6. Sot. *lib. 9. de iuſtit. quæſt.* 1. *art.* 2. Ratio eſt, quia iure naturali & diuino prohibita tantū eſt ea permutatio, in qua res ſacræ & ſpirituales permutantur cum temporalibus, & generaliter permutatio rerum ſpiritualium cum aliis tanquam pro pretio, vel pretio æſtimabilibus; at in permutatione beneficiorum commutantur res adnexæ ſpiritualibus conſequenter intenſè, quarum permutatio tantùm iure Canonico prohibita eſt fieri propria auctoritate. *cap. vniuerſorum. de rer. permut.* Non obſtat quòd *Matth.* 16. dicatur, *Gratis accepiſtis, gratis date.* At permutatio beneficiorum, propria auctoritate facta, non eſt contractus gratuitus, ſed conditione affectus, *Do vt des*, vel *Facio vt facias*; erit ergo contra ius Euangelij, ac propterea contra ius diuinum. Reſpondeo enim iis verbis tantùm prohiberi dationem rerum ſpiritualium non gratuitam, hoc eſt, pro pretio, vel re pretio æſtimabili, ideo ſtatim ſubiungitur, *Nolite poſſidere aurum, neque argentum*, quaſi id acceptum in commutationem rerum ſpiritualium; qua de re plura dicentur ſeq. tract. *cap.* 7. *q.* 2. *& ſeqq.*

5. *Cuius auctoritate facienda.* TERTIO QVÆRO, cuius auctoritate facienda ſit permutatio beneficiorum.

RESPONDEO & DICO PRIMO, faciendam eſſe auctoritate Ordinarij, qualis eſt Papa, Legatus à latere, & proprius Epiſcopus, vel alius inferior habens Epiſcopalem iuriſdictionem, etſi non habeat dignitatem.

Et primò quidem de Papa dubitatio non eſt, quippe qui non modò permutationem beneficiorum ſimplicem, de qua hìc loquimur, ſed etiam illam, quæ eſſet cum adiecto onere penſionis, vel reciproca, vel triangularis, admittere poteſt, & approbare, vt dicetur pleniùs *cap. ſeq.*

Secundò, de Legato à latere etiam conſtat; quia hic etiam connumeratur inter Ordinarios reſpectu prouinciæ cui præeſt, & habet ex priuilegio Epiſcopalem iuriſdictionem, & multo maiorem; vt docent Bellam. Gamb. & alij apud Garz. *d. cap.* 4. *num.* 61. Pariſ. *de reſig. lib.* 7. *q.* 13. *num.* 16. & Azor *d. cap.* 29. *q.* 4. *in* 3. *dub.* ex communi ſententia, dicens, poſſe eas admittere, quas Epiſcopus.

Tertiò, de Epiſcopo etiam certum eſt ex ordinaria & communi praxi, & recepta ſententia DD. & probari poteſt ex *cap. quæſitum. de rer. permut.* ibi, *ſi autem Epiſcopus*; & *cap. vnico. eod. in* 6. iis verbis, *in manibus tuis ipſa reſignant*. Nec obſtat Bulla Pij V. 42. vbi ſuſpendit facultates Ordinariorum recipiendi reſignationes & permutationes beneficiorum, donec detur modus : in Bulla autem 58. dat modum in reſignationibus; ergo ſuſpenſio durat à permutationibus; quod dubitationem fecit Pariſ. *lib.* 5. *quæſt.* 6. *numer.* 231. Reſpondeo enim in Bulla *d.* 58. expreſsè concedi Ordinariis beneficiorum permutationes quæ Canonicis ſanctionibus, & Apoſtolicis conſtitutionibus permittuntur, cum decreto irritante ſi ſecus fiat. Quales autem ſint eæ quæ iure non permittuntur, dicetur ſeq. concl. ita exponit Garz. *num.* 63. ex Fuſco, Zerola, Vgol. & aliis. Vnde falſum eſt quod dicit Mandoſ. *in ſign. tit. de permut. ad fin.* quòd permutationes in manibus Papæ tantùm fieri poſſunt.

Quartò, de alio inferiore habente Epiſcopalem iuriſdictionem, etiam res eſt ſatis clara, quia Epiſcopo competit eiuſmodi poteſtas ſolùm ratione iuriſdictionis : ſi ergo alius inferior eam habeat, & illi competat collatio beneficiorum permutandorum, poterit etiam approbare permutationem; & ita ſentiunt Abb. Franc. Gamb. Coraſ. & alij, vt Garzias *num.* 70. & nos etiam *tract. ſeq. cap.* 7. *quæſt.* 8. Vicarius autem Epiſcopi etiam poteſt, ſi habeat ad id ſpeciale mandatum, ex communi ſententia apud Azor. *quæſt.* 4. *cit.*

DICO SECVNDO, permutationes iure prohibitas coram Ordinariis locorum has eſſe. 6. *Permutationes iure prohibita coram ordinarijs locorum quæ.* Primò, ſi ſint beneficiorum Papæ reſeruatorum; cùm enim ea conferre ordinarij non poſſint, & in permutatione includatur collatio, non poterunt ea permutari coram ordinario, quæ conferri ab ipſo non poſſunt. Secundò, ſi permutetur vnum cum pluribus, quæ iure communi ſimul haberi non poſſint; atque adeò ordinarij concedere non poſſint eorum plurium retentionem. Tertiò, ſi ſint exempta ab auctoritate ordinarij. *Clem.* 2. *de rer. perm.* ob eandem rationem cū dictis primo loco. Quartò ſi ſint inæqualia quoad fructus, & minus debeat compēſari in poſitione penſionis, id enim ad Papam pertinet, vt infrà *quæſt.* 5. Quintò, ſi beneficium permutandum obtentum ſit à Papa relaxante ius commune, non enim tranſit relaxatio Pontificia ad aliud cum quo permutat.

Sextò, ſi ficta eſſet permutatio, vt ſi permutaret cum beneficio quod non extat, vel quod non habet is cum quo permutat: de qua re infrà *q.* 10. Azor *quæſt.* 16.

Ex his infertur ſolutio eius dubitationis, an Capitulum ſede vacante poſſit auctoritatem præſtare permutationi. 7. *An Capitulū ſede vacante poſſit auctoritatem præſtare permutationi.* Primò enim ſi collatio eorum beneficiorum quæ permutanda eſſent, pertineat tantùm ad Epiſcopum, tunc Capitulum non poterit dare auctoritatem permutationi; quia cùm non ſuccedat in talium beneficiorum collatione, vel alio modo prouiſionis, nec etiam poterit ſuccedere in conſenſu neceſſario ad permutationem. gloſſ. *in Clem.* 1. *de rer. permut. v. conferantur.* Card. *ibi num.* 17. Vital. & alij, quos refert & ſequitur Garz. *num.* 75. Azor *cap.* 29. *quæſt.* 4. *in* 2. *dub.* Rota *deciſ.* 6. *de rer. permut.* ſi tamen Epiſcopus admiſiſſet reſignationem ex cauſa permutationis, & deinde decederet, poſſet in eo caſu Capitulum præſtare auctoritatem permutantibus, cùm iam præceſſerit conſenſus Epiſcopi, & ſolùm deerat iuriſdictio neceſſaria, in qua ſuccedit Capitulum, vt ex de Miliis docet idem Garz. *num.* 81. Secundò, ſi collatio eorum pertineat ad Epiſcopum ſimul cum Capitulo, vel ad Capitulum ſolùm, poterit Capitulum admittere talium permutationem, ex gloſſ. *in Clem. cit.* quam ſequitur Azor *loc. cit.* ex Bellam. & Petro Vbaldo. & approbat etiam Garz. ex aliis *num.* 75. tunc enim poteſt conſentire vt Capitulum, & dare auctoritatem tanquam Epiſcopus, in cuius iuriſdictione ſuccedit. *cap. vnico. ne ſed. vac. cap.* 6. Tertiò, addit Garz. *num.* 78. ex Greg. Lopez, P. de Peruſio, Feder. de Sen. & aliis, poſſe Capitulum ſede vacante, recipere reſignationem beneficiorum ſpectantium ad collationem ſolius Epiſcopi, non

Digitized by Google

pi, non poſſe tamen perficere permutationem, ſed expectandum Epiſcopum, qui eam perficiat; quod ſi nolit, vel cogi poteſt per ſuperiorem, vel redibunt renunciantes ad ſua beneficia, quia ſunt reſignata ex cauſa permutationis, non alio modo.

8. *Permutatio vnius cũ pluribus.* QVARTO QVÆRO de permutatione vnius beneficij cum pluribus.

RESPONDEO & DICO PRIMO, poſſe permutari vnum beneficium cum pluribus, quando & plura ſimul haberi queunt, ſaltem auctoritate ordinarij; ſecus, ſi plura ſint incompatibilia, & ex Papæ diſpenſatione obtenta ſint, neque enim diſpenſatio habitu tranſit in alterum. *cap. ſanè. de priuil.* Azor ex Ioan. Andr. Calder. Abb. & aliis, *q.* 12.

9. DICO SECVNDO, eum qui habet plura beneficia ex diſpenſatione non poſſe permutari vnum eorum cum Curato. Ratio eſt, quia non eo ipſo quòd retinet plura beneficia ſimplicia, poteſt etiam vno ex iis dimiſſo retinere aliud, vel alia ſimul cum Curato, difficiliùs enim in hoc diſpenſatur. Azor *q.* 13. ex Federico de Senis.

10. DICO TERTIO, nec etiam poſſe eum qui habet duo Curata, permutare vnum ex illis cum alio Curato. Ratio, quia retentio illorum ex diſpenſatione odioſa eſt, ideóque non trahitur ad alia, ſed finitur in primis illis. *cap. non poteſt. de præbend. in 6. & cap. ordinarij. de off. ordin.* Feder. Gamb. Vbald. ex Azor. *quæſt.* 14. Hinc eſt, vt ſi coram ordinario permutet, rata ſit adeptio eius quod acquirit, ſed amittit duo quæ habebat; vnum quia reſignat, alterum quia vacat per adeptionem alterius, cum quo ſimul haberi nequit: vt ex Feder. Vbald. & Gamb. *ibidẽ* docet Azor.

11. *Permutatio inæqualium,* QVINTO QVÆRO de permutatione inæqualium; & quæ beneficia ſimul permutanda.

RESPONDEO & DICO PRIMO, beneficia inæqualia duobus modis eſſe poſſe. Primò, quoad dignitatem, vt Decanatus & Canonicatus, Epiſcopatus & Abbatia, & ſimilia. Secundò, quoad fructus, quia vnum habeat plures reditus alio. Quocumque modo inæqualia ſint, certum eſt permutari poſſe coram ordinario, niſi reſeruata ſint Papæ: & ſiquidem inæqualia ſint quoad dignitatem, certum item eſt compenſari non poſſe dignius, onere aliquo temporali, ſic enim eſſet ſimonia contra ius diuinum; ſi verò inæqualia quoad fructus, compenſari quidem poteſt inæqualitas, addita penſione ſuper pinguius beneficium; ſed id fieri non poteſt coram ordinario, ſed tantùm Papæ auctoritate; ordinarius enim ſine diminutione conferre & permutare debet; vt ex Io. Monach. Ioan. And. Feder. & aliis docet Azor *c.* 29. *q.* 15. Quòd ſiquis beneficium pingue permutaret cũ tenui, non hoc ipſo cenſenda eſſet fraudulenta permutatio, ex eo quòd nemo facile ſuas res iactet. *l. cum de indebito. ff. de probat.* Sed aliis coniecturis vtendum: vt ſi auunculus permutaret pinguius cũ tenui nepotis ſui, præſumeretur enim conuentio de relinquendis fructibus pinguioris auunculo. Eodémque modo ſi quis morte proximus commutaret cum amico, vel ſenex cum iuuene. *cap. vlt. de renuntiatione, in 6.* ita Feder. & alij apud Azor. *d. q.* 15. *in fine.*

12. *& quæ beneficia ſimul permutanda.* DICO SECVNDO, vt validè ac rectè beneficia inter ſe permutentur, primò curandum ne ſit vnum ex iis litigioſum, res enim litigioſa quamdiu lis pendet, nequit alienari; nec pignori tradi, vt Azor *quæſt.* 5. ex Rota contra Rebuffum; niſi liberè permutans cum litigioſo cederet iuri ſuo; tunc enim Rebuffi opinio probabilis eſſet. Secundò, ſi alterum eſſet iuriſpatronatus, citra patroni conſenſum permutari non poteſt, ex communi *in cap.* 1. *de rer. permut. in 6.* teſte Azor. *quæſt.* 6. Quòd ſi auctoritate Epiſcopi inſcio patrono permutetur, reſcindenda erit permutatio, ſi patronus voluerit, modò intra tempus præfixum reclamet & offerat clericum quem voluerit, vt ex Rota, Rebuffo & aliis idem *quæſt. cit.* Tertiò, ne beneficia ſint vnita monaſterio, v. g. quia permutatio impediret effectum vnionis, & ſic noceret monaſterio; & ſi vnitum eſſet alteri beneficio, nec permutari poteſt, quia cenſetur membrum principalis, vt Azor ex aliis *quæſt.* 7. Quartò, ne ſint in diuerſis diœceſibus, ſic enim requireretur auctoritas vtriuſque Epiſcopi; in permutatione enim vtrumque dimittitur, & confertur. communis opinio ex Azor. *quæſt.* 8. Quintò, ne ſint reſeruata, reſeruatio enim tollit iuriſdictionem ad ea conferenda neceſſariam in permutatione. Quòd ſi ſcienter reſignent in manibus ordinarij, hoc eſt, ſcientes eſſe reſeruata, valida eſt reſignatio, ſed permutatio deinde fieri debet auctoritate Papæ; & ſi hic nolit, non poſſunt permutantes redire ad ſua beneficia, ſecus ſi neſcientes eſſe reſeruata renunciaſſent, tunc enim inualida eſt renunciatio, & reuerti poſſunt ad ſua beneficia; vt Azor *quæſt.* 10. Sextò, commendatum beneficium poteſt permutari, ſi ſit commendatum in perpetuum; ſi ad tempus, requiritur auctoritas eius qui commendauit, ex Abb. & aliis apud Azor. *quæſt.* 11.

SEXTO QVÆRO de permutatione beneficiorum cum penſionibus & iuribus. 13. *Permutatio beneficiorum cum penſionibus,*

RESPONDEO & DICO PRIMO, beneficia cum penſionibus ſiue clericalibus, ſiue laicalibus, permutari non poſſunt coram ordinario ſaltem de ſtilo Curiæ; ratio eſſe poteſt; quia materia permutationum odioſa eſt, cùm contineat diſpenſationem quandam iuris communis: Ordinariis autem ſolùm conceſſa eſt permutatio beneficiorum; non ergo iure ſunt extendenda ad penſiones, hæc enim non veniunt nomine beneficij. Azor *quæſt.* 22. Suarez *lib.* 4. *de ſim. cap.* 33. Garzias *part.* 11. *cap.* 4. *num.* 18. de qua re etiam dicetur *tract. ſeq. cap.* 7. *quæſt.* 10. Coram Papa autem beneficia cum penſionibus clericalibus permutari poſſunt, ſunt enim etiam hæ res ſpirituales; cum laicalibus autem non poſſunt, quia hæ ſunt res temporales; Papa tamen alia ratione poteſt idem efficere, vt pluribus dicetur infrà *loc. cit.*

DICO SECVNDO, nec poſſe permutari cũ aliis iuribus, vt iure decimarũ, gratia expectatiua, iure præſentationis, electionis & ſimilibus. 14. *& iuribus.* rationem attulimus ſuprà *quæſt.* 1. *concluſ.* 2. & patet etiam ex præcedenti concluſione, quia hæc beneficia non ſunt. An autem hæc iura permutari poſſint inter ſe, certum eſt priuata auctoritate fieri non poſſe, ex communi ſententia apud Leſſ. *cap.* 34. *num.* 199. præſertim in gratiis expectatiuis, quia ſunt perſonales, & non excedunt caſum expreſſum; quare nec perſonam cui conceduntur. Quòd ſi fierent auctoritate ordinarij, qui eas admitteret ex iuſta cauſa, vt ad componendam litem, probabile putat Leſſ. *loc. cit.* non fore irritans.

SEPTI

Digitized by Google

15. *Perſona permutantes.* SEPTIMO QVÆRO de perſonis permutantibus, quales eſſe debeant.

RESPONDEO & DICO PRIMO, permutantes poſſe inter ſe tractare & agere de beneficiis permutandis, concludere etiam tractationem, & permittere ſe permutationem perfecturos in ordine ad conſenſum ſuperioris, non autem abſolutè paciſci, alioqui niſi pactum tollat, & conſtituantur in priori libertate, nec perficiant niſi in ordine ad conſenſum ſuperioris, ſimoniam committerent, & tantùm coram Papa purgari poſſet, exprimendo pactum initum. *cap. vlt. de pact.* gloſſ. Io. And. Abb. Goffred. & alij cum Azor. *q.* 18.

16. *Quales eſſe debeant.* DICO SECVNDO, poſſe etiam conſtituere Procuratores, per quos ſua beneficia permutent. communis ſententia ex eodem *q.* 14. ſicut enim conſtitui poteſt ad deponendum beneficium ſimpliciter; ita ad permutandum, nec eſt neceſſe clericum eſſe Procuratorem, etſi melius ſit, vt iudicatum eſſe in Rota *deciſ.* 18. *de rer. permut.* docet Azor *loc. cit.* debet autem habere ad hoc ſpeciale mandatum. Duo item clerici poſſunt conſtituere vnum & eundem Procuratorum, cùm vnus & idem fungi poſſit duorum officio, vt ex Federico idem docet. An autem vacent beneficia vbi Procurator permutat, an verò vbi principales commorantur, dic vacare vbi Procurator permutat; vnde ſi hic ſit in Curia, etiamſi permutãtes ſint extrà, dicẽtur beneficia vacare in Curia; è contra ſi Procurator conſtituatur extra Curiam, etiamſi permutãtes ſint in illa, dicentur beneficia vacare extrà, vtputa apud Ordinarium. *cap.* 2. *de præb. in* 6. Archid. Domin. Gamb. & alij *loc. cit.*

17. Ex his inferri poteſt primò ſolutio illius dubitationis, an Clericus adeptus Parochialem, & intra annum promouendus ad ſacerdotium, ex *cap. licèt ea non, & c. commiſſa. de elect. in* 6. ſi versùs anni finem promotus non ſit, poſſit beneficiũ permutare cum alio. Reſpondendũ enim eſt poſſe, cùm adhuc beneficium eius ſit, nec obſit futura vacatio poſt elapſum annum; nam etiam qui crimen commiſit depoſitione à beneficio dignum, dum non deponitur, permutare & reſignare illud alteri poteſt. Ioan. de Ligna. Archid. Ioan. And. Gamb. & alij cum Azor. *q.* 25. Is tamen qui illud acquirit ex permutatione, debebit intra alium annum ordinari ad ſacerdotium, vt debebat prior. quod ſi non faciat, ſub exitum anni poterit quoque permutare; nec enim eſt directa ratio, vt iidem docent.

18. Infertur ſecundò ſolutio alterius, an permutantes debeant facere mentionẽ aliorum beneficiorũ. Reſpondendũ eſt debere ex Curiæ ſtilo, ſiue fiat permutatio coram Ordinario, ſiue coram Legato à latere, aut Papa; tum quia non ſemper idem eſt aptus ad omnia beneficia, tum quia non ſemper expedit quodlibet beneficium cõmutari cum quolibet; ita Azor *quæſt.* 27. ex Ægidio, & Federico, licèt ſtando in iure communi non eſſet neceſſarium, ex P. Vbald. Gambaro & aliis.

19. *Quæ in permutationibus ſeruanda.* OCTAVO QVÆRO, quæ ſeruanda ſint in permutationibus.

RESPONDEO conſtare ex dictis; primò enim permutantes agere poſſunt inter ſe de permutatione, vt declaratum *q. præced. concluſ.* 1. Secundò poſſunt etiam agere per Procuratores, vel per vnum & eundem, vt docuimus *q. præced. concluſ.* 2. Tertiò debent facere mentionem aliorum beneficiorum quæ poſſident, & conditionem eorundem, vt ſi ſint Curata, dignitates, iuriſpatronatus, vt *q. præced. corollario* 2. Quartò, debet permutari beneficium cum beneficio tantùm, ſi fiat coram Ordinario; at coram Papa poteſt etiam commutari cum penſione clericali, vt explicuimus *q.* 6. Quintò poteſt permutari vnum cum vno, vel cum pluribus, modo expoſito *in q.* 4. Sextò ſeruanda ſunt requiſita in permutationibus, de quibus *q.* 1. *concluſ.* 2. Septimò, ſi beneficia ſint inæqualia, vel in diuerſis diœceſibus, ſeruanda quæ dicta ſunt *quæſt.* 5.

NONO QVÆRO de tempore in quo debent fieri, & an per interualla fieri poſſint. 20. *Quo tempore fieri debeant.*

RESPONDEO & DICO PRIMO, non eſſe certum tempus conſtitutum, intra quod Ordinarius debeat conferre beneficia reſignata ex permutatione, vt ex Feder. Vbald. Ægid. & aliis docet Azor *cap.* 30. *q.* 2. Qui tamen ſuperior eſt Ordinarius, vt Archiepiſcopus, poteſt Ordinario inferiori, vt Epiſcopo, præcipere vt intra determinatum tempus permutationem abſoluat; alioquin eo tranſacto ipſe perficere poterit.

DICO SECVNDO, ſecuriùs fieri citra vllum temporis interuallum, vt admonet Io. Monachus, & Ioan. Andreas apud Azor. *cap.* 30. *q.* 1. ſi tamen aliter fiat, valet permutatio; quod contingit cùm permutantur beneficia exiſtentia in diuerſa diœceſi, priùs enim Titius coram Epiſcopo ſuo beneficium reſignat cauſa permutationis, & poſt aliquot dies recipit beneficiũ Caij reſignatum in altera diœceſi; itaque fit, vt Caius aliquando ad plures dies, vel etiam menſes poſſit vtrumque beneficium poſſidere, & ſi contingeret interim Titium mori, Caius vtrũque beneficium poſſideret; ſuum, quia adhuc non reſignauit; & illud Titij, quòd cauſa permutationis reſignatum iam recepit: dummodo vtriuſque capax ſit, vel impetret diſpenſationem; beneficia enim ob permutationem dimiſſa, permutantibus conferri debent. *cap.* 1. *de rer. permut. & Clem.* 1. *eod.* Hinc eſt vt tutius ſit, vel vt alter alterum conueniat, & auctoritate ſuorum Epiſcoporum permutationem expediat, vel vnus vices ſuas in hac parte alteri committat, vel denique vterque committat tertio, qui nomine amborum beneficia permutet. quod etiam dixerunt Io. Monachus, & Io. Andr. teſte Azor. *d. q.* 1. 21. *& an poſſint per interualla.*

DECIMO QVÆRO de fraudulenta permutatione. 22. *Permutatio fraudulenta.*

RESPONDEO & DICO PRIMO, præſumi fraudulentum primò, cùm beneficium, quod alioqui ſtatim erat vacaturum, cum alio commutatur; vt diximus de eo qui obtenta Parochiali, & intra annum recepturus ſacerdotium prope anni finem quando iam ordinari non poteſt, commutat illud cum ſimplici non requirente ſacerdotium; vel ſi ob commiſſum crimen aliquod, priuandus erat beneficio quod permutat cum penſione, & ſimilibus caſibus. Secundò cùm beneficium pingue commutat cum valde tenui, nemo enim cenſetur iactare rem ſuam; præſumitur enim retinere fructus aliquos ſaltem quoad exceſſum, & conſequenter initum aliquod pactum ſimoniacum. Tertiò multo magis, ſi qui commutat pingue ſit auunculus cum tenui nepotis, vel alterius conſanguinei; vel ſenex cum iuuene. Quartò, ſi qui beneficium reſignat, eo reſignato retinet adhuc poſſeſſionem, præſumitur enim pactum initum cum alio de retinendis fructibus. Quintò, ſi beneficium

Digitized by Google

neficium reſignetur in graui infirmitate, præſumitur enim ſi ſuperuiuat recepturum fructus ex pacto. Sextò, quando permutatur beneficium inæquale, niſi ſit magna inæqualitas, non hoc ipſo præſumitur fraudulenta, niſi aliæ coniecturæ accedant.

23. Dico secvndo, qui beneficium permutat eo pacto, vt alter permutantium ſoluat debita quibus eſt oneratum; ſiquidem æs alienum contractum ſit proprio nomine, aut in rem ſuam conuertit pecuniam, aut quia impenſas fecit de ſuo in beneficio, non modò præſumitur fraudulenta, ſed etiam eſt ſimoniaca permutatio; ſi verò æs alienum contraxiſſet nomine Eccleſiæ, tunc neque ſimoniaca, neque fraudulenta eſſet, licitè enim poteſt apponi pactum, & conditio, quæ tacitè ineſt. *cap. ſignificatum. de preb. & cap. ſignificaſti. de elect.* & expreſſio eorum quæ tacitè inſunt nihil operatur. *l. conditiones. ff. de cond. & demonſt.* At tacitè ineſt hoc onus, vt beneficiarius ſoluat debita facta nomine Eccleſiæ, & in vtilitatem eius; ergo, &c. Vnde in foro conſcientiæ fieri poteſt talis permutatio; vt ſentit etiam Azor *q.* 31. ex Feder. Gamb. Ioan. And. & aliis.

24. *Cauſæ, ex quibus facienda permutatio.* VNDECIMO QVÆRO de cauſis, ex quibus facienda eſt permutatio.

Respondeo & dico primo; permutatio debet fieri ex cauſa. *cap. quæſitum. de rer. permut.* DD. *ibi*, Anchar. Bellam. Decius & alij cum Garzia *d. cap.* 4. *numer.* 44. Ratio eſt, quia permutatio res eſt odioſa, quia contra ius commune. *cap. maioribus. de preb.* ideóque reſtringenda; & non facienda ſine iuſta cauſa, ex qua Epiſcopus diſpenſet.

25. *Iuſta cauſa duplex.* Dico secvndo, duplex eſt iuſta cauſa, prima neceſſitas: ſecunda vtilitas Eccleſiæ communis opinio ex Azor. *cap.* 30. *quæſt.* 4. probatur ex *d. cap. quæſitum. verſ. ſi autem Epiſcopus. de rer. permut.* & tradunt multi DD. relati à Garzia *numer.* 45. In qua re adnotanda ſunt aliqua. Primò, teneri Ordinarium admittere permutationes quæ ex aliqua ex dictis cauſis fiunt. Garz. *num.* 48. Secundò, iuſtam cauſam etiam eſſe cauſam quálibet ſpiritualem, vtpute maius Dei ſeruitium, vt meliùs vterque permutantium, vel alter Deo ſeruiat. S. Thom. 4. *d.* 25. *quæſt.* 3. *art.* 3. Syluest. *Permutatio* 2. *numer.* 3. Tertiò, ſufficit etiam vtilitas perſonarum, & quòd ſic iis expediat, hæc enim redundat in augmentum diuini cultus, & vt meliùs Deo ſeruiatur. *gloſſ.* 2. *in cap. cùm vniuerſorum. de rer. permut.* Abb. *ibi numer.* 7. & alij apud Garz. *num.* 46. Quartò, ſi ſola intercedat commoditas temporalis abſque vllo reſpectu ad diuinum cultum, primò peccatum eſſet ſuo genere graue, non tamen ſimonia, niſi latè ſumpta. Secundò, probabile eſt fore nullam coram Ordinariis, quia diſpenſatio in iure comuni abſque cauſa iuſta, nulla exiſtimatur; præſertim accedente Bulla Pij V. 58. *verſ. ad hæc.* vbi ſolùm conceditur Ordinariis admittere permutationes, quæ Canonicis ſucceſſionibus permittuntur, cum decreto irritanti, ſi ſecus. Garz. *numer.* 49. ex Bellam. & Tuſcho. Tertiò, beneficia ſic abſque iuſta cauſa permutata vacabunt reſeruata ſedi Apoſtolicæ, aut ſuperioribus Ordinarij. Quartò, admittens talem permutationem incurret pœnam ſuſpenſionis, de qua in Bulla Pij V. 58. *verſ. qui verò.* An autem præſumenda ſit iuſta néc ne in foro externo, vide Garz. *num.* 52.

DVODECIMO QVÆRO de effectis permutationis. 26. *Permutationis effectus qui.*

Respondeo. Vltra effectus intrinſecos quodammodo permutationi, qui ſunt aſſecutio beneficij ex illa, ius ad fructus, & ad alia beneficio adnexa, numerari ſolent primò, quòd impediat optionem; hæc enim conſuetudine Eccleſiarum inducta eſt, vt nimirù antiquior Canonicus aſcendere poſſit ad beneficium vacans; at permutatio habet ius ſuum ſuámque vim ex ipſo iure, ideóque præfertur conſuetudini; vt patet ex *Clem.* 1. *de rer. permut.* Azor *cap.* 30. *quæſt.* 7. ex Feder. Card. Vbald. Gamb. & aliis. Secundò, quòd impediat & excludat literas expectatiuas; quamuis enim de rigore habentes eiuſmodi literas præferri poſſent, tamen ex æquitate non debuerunt, cùm permutatio introducta ſit vtilitate vel neceſſitate Eccleſiarum; & ſi permutantes ſcirent alios ea beneficia obtenturos, vtique non permutarent. ita conſtitutum eſt *cap. licèt. de rer. permut.* Tertiò, per permutationem dici vacare beneficia eo loci vbi fit permutatio; ideóque ſi duo clerici Neapolitani, v. g. vel Bononienſes reſignarent ſua beneficia cauſa permutationis in manibus ſuorum Epiſcoporum exiſtentium in Curia, dicerentur talia beneficia vacare in Curia, conſequenter non ab Epiſcopis, ſed à Papa conferenda eſſent talia beneficia. colligitur ex *cap. licèt. de preb. in* 6. Ægid. Gamb. & alij apud Azor. *quæſt.* 9. Quartò, admiſſis permutationibus, & collatis beneficiis, eo ipſo acquiritur ius & titulus iis qui permutarunt ante poſſeſſionem adeptam. Innoc. & Hoſt. *in cap. inter cætera. de preb.* Quintò, qui compleuit permutationem, adigere poteſt alterum ad complendum. Azor *q.* 11. ex Ægid. & aliis. Ex his infertur, quando permutantes bona fide poſſederunt beneficia permutata, permutatio tamen ipſo iure non valuit, ſi poſtea moriantur; non dicentur vacare per reſignationem, ſed per mortem; quia quando permutarunt, neſciebant ſe permutare non poſſe; quod ſi ſciuiſſent, tunc dicerentur vacare per reſignationem. ita Federic. & Azor *q.* 13. Hæc ſatis.

CAPVT X.

De reſignatione Beneficiorum, quæ eſt alius modus vacationis.

Etsi permutatio reſignatio quædam ſit, atque adeò priùs videbatur agendum de reſignatione; quia tamen illa ſimplicior quædam reſignatio eſt, & facilior, præmiſſa à nobis eſt. Generatim ergo de reſignatione has præcipuas quæſtiones exponemus. Primò, quid ſit, quotuplex, & quæ ad eam conſequantur. Secundò, de cauſis requiſitis ad renunciandum. Tertiò, qui poſſint reſignare, & quibus. Quartò, quomodo reſignatio facienda per Procuratorem. Quintò, de reſignatione cum reſeruatione fructuum. Sextò, de reſignatione cum regreſſu, acceſſu, & ingreſſu. Septimò, de reſignatione in fauorem alterius. Octauò, quæ debeat ſeruare reſignatarius. Nonò, quæ beneficia dimitti debeant per reſignationem. Decimò, de reſignatione facta per metum, aut dolum. Vndecimò, de promulgatione reſignationis. Duodecimò, de regula Cancellariæ pro infirmis reſignantibus.

Digitized by Google

tibus. de qua materia præcipuè legendi Rebuff. *de reſign.* Pariſ. *lib.* 14. Leſſ. *cap.* 34. *dub.* 35. Azor *lib.* 2. *à cap.* 19. Garzias 11. *part. cap.* 3.

1. *Reſignatio quid,* PRIMO QVÆRO, quid ſit reſignatio, quotuplex, & quæ ad eam conſequantur.

RESPONDEO & DICO PRIMO. Reſignatio, vel renunciatio generatim ſumpta, eſt iuris proprij ſpontanea, & libera dimiſſio, ſeu ceſſio. Rebuff. *loc. cit. in princ.* Pariſ. *lib.* 1. *q.* 2. *numer.* 32. & alij communiter. Hæc comprehendit etiam tacitam reſignationem, quæ fit ex iuris diſpoſitione abſque vlla verborum expreſſione, vt Clericus in minoribus contrahens matrimonium, tacitè renunciet beneficio ſi quod habeat, & omni iuri competenti ad beneficium, etiam penſioni ex cauſa ceſſionis ſibi reſeruatæ, vt ex communi opinione docet Pariſ. à *numer.* 9. ſic etiam qui conſequitur ſecundum beneficium incompatibile cum primo, tacitè illi renunciat; & qui fieret miles ſæcularis, tacitè renunciaret beneficio quod obtinet; de quibus Pariſ. *loc. cit.*

2. DICO SECVNDO, Reſignatio preſsè ſumpta, eſt libera beneficij dimiſſio facta cum cauſa coram legitimo ſuperiore. Pariſ. *num.* 34. & communiter. dicitur *libera*, quia coacta per iniuriam nulla eſt, vel certè annullanda. cæteræ particulæ claræ ſunt, & conſtant ex *cap. præced. q.* 1. Dixi *preſsè ſumpta*, vt comprehenderem tantùm eam quæ dicitur *expreſſa*, quæ nimirum expreſſis verbis fit modo dicto. *c.* 1. *de renunc. in* 6. *& Clem. eod. tit.*

3. *& quotuplex.* DICO TERTIO, Duplex eſt reſignatio expreſſa, vna ſimplex, ſeu pura, cùm abſque conditione beneficium dimittitur coram ſuperiore; altera in fauorem tertij, ſeu conditionalis, cum voluntate Summi Pontificis, eiúſque permiſſione recipit aliquam conditionem, vel modum. Pariſ. *q.* 2. & alij communiter. Hunc ſecundum aliqui diuidunt primò in eam quæ fit in fauorem tertij, cùm ſcilicet reſignatur cum conditione vt detur tertio, & quamuis natura reſignationis eſt vt ſit libera & pura ab omni conditione, tamen ſtilus Curiæ contrarium obſeruat, vt nimirū Papa ſciente & permittente fieri poſſit ſub modo & conditione, vt ex multis docet Pariſ. *num.* 6. Hodie tamen non exprimitur in ſupplicatione eiuſmodi conditio, ſed reſignans purè dimittit; ſed in eadem ſupplicatione alter petit ſibi concedi, atque ita conceſſio fit ſine pacto, & abſque expreſſa conditione. Secundò in eam, qua quis dimittit titulum, ſed reſeruat fructus ex toto, vel ex parte. Tertiò, in eam qua quis dimittit cum regreſſu, vel ingreſſu, vel acceſſu, hoc eſt, reſeruato ſibi iure vt poſſit ad illud redire, & eius poſſeſſionem accipere. Quartò in eam, quæ fit cauſa permutationis, de qua *cap. præced.*

4. *Simplex à conditionali differt.* DICO QVARTO differre ſimplicem à conditionali in duobus, primò, quia ſimplex fieri poteſt coram Ordinario, conditionalis autem tantùm coram Papa, excipitur ea quæ fit cauſa permutationis, nam ea etiam coram Ordinario fieri poteſt, ex dictis ſupra *cap. præced.* Secundò, quia in ſimplici ſtatim reſignans abdicat ius, & manet ſine titulo etiam colorato, vnde vt vacans poteſt liberè conferri & impetrari; in conditionali verò non abdicatur ius niſi impleta conditione. Pariſ. *q.* 3. citans alios. Vnde primò ius non abdicatur à reſignante, niſi beneficium reſignatum acquiratur reſignatario, in cuius fauorem dimiſſio facta eſt; & ſi reſignatarius abſens ſit antequam acceptet, non abdicatur à reſignante. Secundò reſignans reſeruato regreſſu, ſi hic non eſt reſeruatus, reſignatio nulla eſt, quia conditio ſeruata non eſt; quamuis hodie ſublatus ſit regreſſus. Tertiò idem de reſignante reſeruatis fructibus, vel penſione; vt pluribus idem Pariſ. per totum *q.* 3.

An autem beneficium vacet per reſignationem? dic vacare, & ſi quidem ſimplex ſit, poteſt cuilibet conferri; ſi verò conditionata, non vacat vt cuilibet conferri poſſit, ſed tantùm vt conferatur reſignatario cum conditionibus appoſitis. Vnde non vacat ad effectum vt comprehendatur in iuribus & priuilegiis loquentibus de beneficiis vacantibus, vel in expectatiuis, vel ſimilibus prouiſionibus; ſed tantùm vt conferatur reſignatario; vt pluribus Pariſ. *quæſt.* 4. 5. *An vacet per reſignationē.*

6. *An reſignans per reſignationem amittat ius quod habet in beneficio.* DICO QVARTO, reſignantem per reſignationem amittere omne ius quod habet in beneficio poſtquam admiſſa eſt à ſuperiore; etſi retineat poſſeſſionem de facto, & naturalem quodammodo. Et in ſimplici quidem admiſſa reſignatione per ſuperiorem legitimum, & præſtito conſenſu, reſignans non percipit ampliùs fructus, qui ei debentur vſque ad illud tempus: in conditionali autem debentur reſignanti vel vſque ad tempus expeditionis literarum, in fauorem reſignatarij, vel, vt habet praxis ex Pariſ. *quæſt.* 6. *num.* 68. vſque ad diem præſtiti conſenſus à reſignatario, nam vſque ad illud reſignans poteſt pœnitere, vt idem *num.* 41. fructus verò pendentes diuidendi ſunt pro rata temporis inter reſignantem & reſignatarium, iuxta Couarru. 1. *variar. cap.* 15. & Pariſ. *numer.* 80.

Hinc eſt, vt in ſimplici reſignans poſt admiſſam renunciationem & conſenſum præſtitum, non poſſit incumbere poſſeſſioni, vnde ſi beneficium eſt Curatum, Epiſcopus debet deputare Vicarium cum congrua fructuum aſsignatione, donec prouideat de Rectore per concurſum; in conditionali autem reſignans incumbit poſſeſſioni, & exercet pertinentia ratione illius, donec reſignatarius capiat poſſeſsionem: ius enim in tali reſignatione non abdicatur à reſignante, niſi fuerit acquiſitum cum effectu reſignatario; vt ex Rebuffo docet cum aliis Pariſ. *quæſt.* 7. *num.* 9. Conſequenter nec tenebitur reſignans poſt reſignationis admiſsionem, & conſenſum præſtitum, ad penſionem, ſed ſi reſignatio fuit ſimplex, tenebitur ſucceſſor; ſi conditionalis in fauorem, tenebitur reſignatarius, vt pluribus Pariſ. *quæſt.* 8. *num.* 22. *& ſeqq.* nec etiam tenebitur ad Horas Canonicas; ſed bene ſucceſſor, vel reſignatarius poſt captam poſſeſsionem, vt idem *quæſt.* 9. quemadmodum nec reſidere qui reſignauit, ſed ſucceſſor vel reſignatarius à die captæ poſſeſsionis, vt idem *quæſt.* 10. 7.

DICO QVINTO, reſignantem etiamſi reſignatio redacta ſit in ſcriptis, vel conſtitutus Procurator ad illam, poſſe pœnitere, donec non ſit admiſſa à ſuperiore, poſt eam admiſſam; ſi fiat coram Ordinario, non ampliùs poteſt; ſi coram Papa etiamſi ſupplicatio ſignata ſit, & admiſſa reſignatio, adhuc pœnitere poteſt, donec fuerit conſenſus reſignantis præſtitus in Cancellaria, & extenſus; poſtea non eſt ampliùs licitum, vt Pariſ. *quæſt.* 11. etiamſi ſoluta eſſet compoſitio, vel ſupplicatio regiſtrata; etiam in præiudicium reſignatarij; hinc eſt, vt ante præſtitum conſenſum in Cancellaria; ſi reſignans 8. *Reſignans an & quando pœnitere poſſit.*

moriatur,

moriatur, beneficium dicatur vacare per obitum: & ſi quis reſignaſſet bis in fauorem diuerſorum, anterior in conſenſu præſtito in Cancellaria præferendus anteriori in data, vt idem *n.* 55. *q.* 12.

9. *In reſignatarium tranſeunt quæ competebant reſignanti.* Ex his patet in reſignatarium tranſire omnia, quæ competebant reſignanti, tam onera, quàm commoda: locationi verò factæ non tenetur ſtare; debita autem contracta pro neceſſitate Eccleſiæ, ſoluere tenetur, non alia, vt idem *quæſt.* 16.

10. *Cauſa requiſita ad reſignandũ quæ.* SECVNDO QVÆRO de cauſis requiſitis ad reſignandum.

RESPONDEO duplices cauſas exponendas eſſe. Primò, quæ requiruntur ad reſignationem faciendam. Secundò, quæ ad eam admittendam requiſitæ ſunt ex Conſtitutione Pij V.

11. *Quæ ad reſignationem faciendam.* DICO PRIMO, ſex potiſſimùm de cauſis introductas eſſe renunciationes in Eccleſia, habentur *in c. niſi cum pridem. de renunciat.* latè de iis Pariſ. *lib.* 5. *q.* 3. apud quem alij.

Prima eſt conſcientia criminis, intellige talis, vt poſt peractam eius pœnitentiam impediat ordinis executionem, tale eſſet hæreſis externa, & omne crimen quod ipſo iure irrogat infamiam.

Secunda corporis debilitas, ſiue ſit infirmitas, qua redderetur impotens ad executionem officij ſui; ſiue ſenectus eiuſmodi, qua redderetur quis arbitrio ſuperiorum inhabilis ad officium ſuum.

Tertia defectus ſcientiæ, qui impediat executionem officij: qualis autem illiteratura in Epiſcopo impediat, & qualis ſuſtineri poſſit, vide Pariſ. à *n.* 98.

Quarta malitia plebis, propter quam Epiſcopus vel Parochus non poſſit tradere doctrinam illi neceſſariam, nec aliter poſſit illi occurri.

Quinta graue ſcandalum in vita, doctrina, aut iuſtitia.

Sexta irregularitas, hæc enim prohibet ordinis executionem, niſi in ea diſpenſetur.

Addi ſolent aliæ, vt ob aëris intemperiem, ob potentiorum hominum violentiam, ob capitales inimicitias, ob ingreſſum in religionem, ob nuptias celebrandas in cleris minorum ordinum; denique quæcumque alia, modò ſit vtilis & honeſta.

12. *Quæ ad eam admittendã.* DICO SECVNDO, in admittendis reſignationibus beneficiorũ extra Curiam Romanam coram Ordinariis locorum, requiritur aliqua ex duodecim cauſis contentis in Bulla Pij V. *Quanta Eccleſiæ Dei.* 58. Refertur à Pariſ. *lib.* 5. *quæſt.* 4. & fusè explicatur.

Prima igitur cauſa, ſi beneficiarius ſenio confectus ſit, vt ſeptuagenarius, vel arbitrio iudicis.

Secunda, ſi infirmus ſit, quod etiam arbitrio iudicis relinquitur.

Tertia, ſi corpore impeditus, ita vt iniuncto oneri ſatisfacere non poſſit, vt ſi leproſus, paralyticus, apoplecticus, morbo comitiali laborans, gallico, vel ſimili ſit.

Quarta, ſi corpore vitiatus, vt cæcus vtroque oculo, claudus mutilatis manibus, cruce abſciſſo, gibboſus, vel notabili corporis parte diminutus ſit.

Quinta, ſi crimini obnoxius ob quod beneficio priuandus eſſet; vt homicidio, ſimonia, adulterio, ſodomia, concubinatu, periurio, & ſimilibus.

Sexta, ſi cenſuris Eccleſiaſticis ligatus, vt excommunicatione, ſuſpenſione, interdicto.

Septima, ſi nequeat aut non debeat Eccleſiæ, vel beneficio inſeruire, vt ſi publicè relegatus, arreptitius, irregularis quomodocumque, turpiter, aut cum aliorum offenſione viuat.

Octaua, ſi duo vel plura beneficia habeat incompatibilia, quorum alterum vel plura dimittere debeat ipſo iure, vel iudicis ſententia.

Nona, ſi per aſſecutionem incompatibilis vacet primum.

Decima, ſi religionem ingreſſurus, vel matrimonium contracturus ſit.

Vndecima, ſi adſit aliqua ex cauſis *cap. niſi cum pridem.* de quibus concluſione præcedente.

Duodecima, ſi nequeat beneficij in loco reſidere ob capitales inimicitias.

His de cauſis ordinarij reſignationes admittere poſſunt, & quidem ſi reſignans ſit in ſacris, debet habere vnde viuat, alioqui non debet admitti, niſi religioſus fiat: beneficia verò reſignata ex prædictis cauſis ordinarij conferre non poſſunt ſuis, aut reſignantium conſanguineis, affinibus, vel familiaribus; ſi conferant ſcienter, ſuſpenſi ſunt à collatione, electione, & inſtitutione beneficiorum, donec meruerint à Papa abſolutionem obtinere; quòd ſi nihilominus conferant, eligant, aut inſtituant, excommunicationem incurrunt ipſo facto, ſi ſint perſonæ ſingulares; ſi Capitula, aut Conuentus, ſuſpenſionem à diuinis Papæ reſeruatam. Illi etiam qui beneficia ſic dimiſſa receperunt, incurrunt ſuſpenſionem, ideóque abſtinere debent ab omni iure & officio, quod eis conuenit ratione beneficiorum. Dixi, *ſi conferant ſcienter*, quia ſi per ignorantiam id fecerint, in conſcientiæ foro eam non incurrunt, vt Pariſ. *d. q.* 6. *n.* 110. & Azor *c.* 19. *q.* 5. *verſ. Quæres.* Quòd ſi locorum ordinarij admittunt reſignationes abſque aliqua ex dictis cauſis, nullam pœnam incurrunt; niſi quòd ipſæ reſignationes irritæ ſunt & inanes, etiamſi per ignorantiam admiſſæ ſint, eſt enim decretum irritans, non pœna. Denique Cardinales non comprehenduntur ea conſtitutione quoad pœnam, vt Azor *loc. cit.*

TERTIO QVÆRO, quis poſſit reſignare, & quibus conferri. 13. *Qui poſſint reſignare.*

RESPONDEO & DICO PRIMO, generatim reſignare poſſunt omnes qui habent beneficia, communis ex Pariſ. *lib.* 3. *q.* 1. Azor. *cap.* 20. *q.* 4. Garzia 11. *part. cap.* 3. *numer.* 44. Ratio, quia quiſque poteſt renũciare rebus ſuis, & iuribus, dummodo non cedat in alterius præiudicium, quod in beneficiis accidere non ſolet. Id autem intelligitur, dummodò legitimè reſignetur beneficium in manibus ſuperioris, & reſignans ſi ſit in ſacris, habeat vnde aliunde viuere poſſit, vt dictum eſt *q. præced.* Rectè tamen aduertit Garz. 11. *p. c.* 3. *n.* 45. in Curia non admitti abſolutè omnes reſignationes parochialium, & aliorum requirentium reſidentiam, præſertim cum penſione; ſed exprimendum eſſe tẽpus, in quo reſignans poſſedit, & ſi breue eſt, vt minus 5. annis in circa, hoc eſt 4. cum dimidio; vel ſaltem tribus, reſignatio reiicitur; cœpit autem hic ſtilus anno 1590. ſub Greg. XIV.

Dubitari tamen in particulari ſolet primò de infirmo, de quo breuiter dicendum, iure cõmuni poſſe reſignare. *c. penult. de renunt.* vbi Abbas. At ex reg. Cancell. *de infirmis reſignantibus*, non valet, niſi ſuperuiuat 20. dies, de qua infrà *q. vlt.* Pariſ. *lib.* 11. latè. 14.

Digitized by Google

15. Secundò, de minore, de quo latè Pariſ. *lib.* 3. *q.* 7. Azor *c.* 20. *q.* 9. Garzias *loc. cit. n.* 59. & dicendum, minorem 14. annis, qui ex diſpenſatione poſt Trid. *ſeſſ.* 23. *c.* 6. *de reform.* beneficium obtinuerit, non poſſe reſignare niſi auctoritate tutoris, & cum cauſæ cognitione, vt Pariſ. *n.* 59. Minor verò 25. & maior 14. poteſt etiam ſine curatore; ex communi apud eundum *n.* 2. in beneficialibus enim habetur pro maiori, ex *c. vlt. de iudic.* Etſi quidem læſus non ſit, vt quia reſignauit ad fauorem conſanguinei, vel amici, vel quia religionem ingredi ſtatuerat, vel matrimonium contrahere, vel ſimili de cauſa, non gaudet beneficio reſtitutionis ex ſola ætate; ſi verò fuerit læſus, tunc ſi res adhuc eſt integra, vt quia nondum beneficium collatum eſt, gaudet beneficio reſtitutionis; ſi non eſt integra, ſententiæ ſunt inter DD. ex Par. *n.* 58. at iuxta deciſionem Rotæ apud Garz. *n.* 61. non eſt reſtituendus, niſi probetur reſignãtem facto reſignatarij, vel alterius tertij fuiſſe læſum; vel ſi ad reſignandum dolo circunductus fuerit, tunc enim potius habetur ratio metus & doli, quàm ætatis.

16. Tertiò de priuato ipſo iure beneficio ob crimen cõmiſſum. Et reſpõdeo non poſſe reſignare, quia caret titulo à die commiſſi criminis, etiamſi poſſeſſione non careat, vt ex communi docet Azor *q.* 8. ſecus de eo qui priuandus eſſet, etiamſi accuſatus fuiſſet; quia enim adhuc habet ius & titulum in beneficio, reſignare validè poteſt, vt ex multis docet Garzias *n.* 63. & Azor *loc. cit.*

Quod procedit primò etiam de reſignatione in fauorem alterius, ex multis apud Garz. *n.* 64. contra Praxim Archiep. Neap. *c.* 64. *n.* 9. Secũdò, etiamſi quis impetraſſet beneficium in euentum priuationis; nec enim impeditur reſignatio ex tali impetratione, vt Garz. *n.* 71. reſpondens ad obiecta. Tertiò etiam poſt ſcientiam impetrationis factam à tertio in euentum priuationis, iure enim ſuo vti adhuc poteſt, nec fraudem illam propterea committit, vt idem *n.* 84. Quartò etiam poſt ſententiam latam priuationis, ſi ab ea fuerit legitimè appellatum, nã per appellationem ſuſpenditur ſententia; niſi in priuationis ſententia contineretur etiam adiudicatio beneficij; vt idem à *n.* 91. Quintò etiamſi quis pro homicidio condemnatus eſſet pœna perpetui carceris; nam ſi priuatus non eſt beneficio, reſignare illud poterit, vt idem *n.* 97. niſi crimen ipſo facto induceret priuationem beneficij, vt pluribus idem à *n.* 102.

17. *& quibus.* Dico secvndo, ij, quibus beneficia reſignata conferuntur, debent eſſe ad ea habiles & capaces; in quo autem poſita ſit huiuſmodi habilitas, dictum à nobis eſt latè *c.* 5. huius tractationis, neque enim eſt peculiaris ratio de recipientibus beneficia ex reſignatione, ſed communis aliis.

18. *Quomodo reſignatio facienda per Procuratorem.* QVARTO QVÆRO, quomodo reſignatio facienda ſit per Procuratorem.

Respondeo, multa cognoſcenda eſſe ad id neceſſaria, ex quibus hæc erunt præcipua, qui poſſint eſſe Procuratores in reſignatione, requiratúrne ſcriptura, an ſolus abſens per Procuratorem reſignare queat, quo tempore, & vbi vacet beneficium; ad quæ reſpondebitur ſingulis concluſionibus, præmiſſo quòd Procurator conſtitui poſſit ad reſignandum.

19. Dico primo, Clericum poſſe per Procuratorem beneficiũ ſuum dimittere; qui namque per ſe aliquid poteſt, etiam per alium poteſt, niſi lege prohibeatur. *l. Labeo, ff. de vſucap.* confirmat id communis praxis omnium beneficiariorum, etiam Epiſcoporum, & Cardinalium, vt noſtris temporibus accidit Ferdinandi Magni Ducis Etruriæ, Alberti Comitis Belgij, Ferdinandi Ducis Mantuæ, & aliorum: Pariſ. *lib.* 8. *q.* 4. Rebuff. *in Praxi part.* 3. *tit. de Procur. ad reſign.* Azor *c.* 20. & 22. vtrobique *q.* 1.

Dico secvndo, etiam laicus poteſt eſſe Procurator, neque enim ſuo, ſed alterius nomine beneficio cedit, ex gloſ. *in Clem.* 1. *ver. Procuratorem. de renunc.* communi conſenſu recepta, vt Rebuff. & Azor *locis citatis.* Monachus verò, vt etiam quilibet religioſus, prohibitus eſt iure Canonico. *c. monachi* 2. 16. *q.* 1. ne vagandi occaſionem accipiat, vt Pariſ. *loc. cit.* & Azor *c.* 22. *q.* 3. quod intelligitur, niſi ſuperioris conſenſus acceſſerit: vt ex gloſ. & Rebuffo, docet Azor *loc. cit.* Multi item Procuratores eſſe poſſunt, vel ita vt ſinguli ſint in ſolidum, vel ita vt omnes ſimul. Denique vnus & idem reſignantis & reſignatarij Procurator eſſe poteſt, illius nomine dimittendo, & huius recipiendo, vt Azor *q.* 4. & 5. 20. *Qui poſſint eſſe Procuratores in reſignatione.*

Dico tertio, requiri ſcripturam à publico Tabellione confectam, in qua abſens mandatum id tradat Procuratori ſuo ſigno publico iudicis Ordinarij, vel communitatis, à Tabellione ſubſcriptum. Facultas expreſſa ad id dari debet, beneficium nominari, & locus, in quo ſitum ſit. Non ſatis eſt generalis Procurator cum libera adminiſtratione, reſignatio enim quædam donatio eſt, quam neque liberam habens adminiſtrationem facere poteſt; requiritur ergo vt ſit ſpecialis, multóque minus ſatis eſſet, ſi Procurator factus fuiſſet per literas de mandato iam tradito, vt ex Rebuff. & Pariſ. docet Azor *q.* 6. 21. *Requiratúrne ſcriptura.*

Dico qvarto, ſolum abſentem reſignare poſſe per Procuratorem; ſic enim vſu receptum eſt, & cautum *reg.* 40. *Cancellariæ.* quæ locum etiam habet in Cardinalibus, hi enim cùm in Curia præſentes ſunt, conſenſum præſtare ſolent per ſyngrapham propria manu conſcriptam, & ad Cancellariæ, vel Datariæ notarios tranſmiſſam, vt ex Par. & Reb. idẽ docet *q.* 8. 22. *An ſolus abſens per Procuratorẽ reſignare queat.*

Dico qvinto, quoad tempus, ſupplicatione ſignata, Procurator conſenſum præſtare debet ante 6. menſes, vt poſſit intra 6. menſes reſignatio publicari, iuxta cõſtitutionem Gregor. XIII. ſi verò ſupplicatio ſignata non ſit, quia nec data eſt antè, tunc conſenſus præſtari poteſt etiã poſt quadriennium à die mandati, ex Pariſ. *lib.* 9. *q.* 13. etſi mandata de reſignando beneficio poſt annum elapſum in Francia non admittantur, vt teſtatur Azor *q.* 9. Trahitur autem reſignatio ad diem mandati, ita vt ab eo die dicatur beneficium vacare, nam reſignãs ab eo die videtur cedere; vt Pariſ. *q.* 15. Denique etiam poteſt Procurator conſtitui poſt ſupplicationem ſignatam, præcipuè enim is conſtituitur ad conſenſum præſtandum, qui poſt ſignatam ſupplicationem præſtari ſolet in Cancellaria ad literas conficiendas, vt Azor *q.* 11. ex Sarmiento *in reg. de infirmis reſign. q.* 31. 23. *Quo tempore.*

Dico sexto, beneficium dici vacare in loco, vbi Procurator reſignat, vel nomine principalis permutat; non autem vbi principalis mandatum dedit, vt Pariſ. *q.* 14. & Azor *q.* 15. An verò conſtitui poſſit Procurator certo modo, forma & conditione, dicendum eſt apud 24. *& vbi vacet beneficium.*

Ordina

Digitized by Google

Ordinarium nequaquam, quia hi non poſſunt admittere reſignationes, niſi liberè & ſimpliciter; apud Papam verò poſſe, qua de re plura Azor *q.*12. ex Pariſ. *q.*17.

25. *Reſignatio cũ reſeruatione fructuum.* QVINTO QVÆRO de reſignatione cum reſeruatione fructuum.

RESPONDEO, & DICO PRIMO, hæc eſſe, cùm reſignans transfert in reſignatariũ ſolum ius & titulum beneficij, reſeruatis ſibi fructibus: quæ reſignatio iure communi fieri non poteſt, tum quia beneficium diuidi nequit. *c. maiorib. de præb.* tum quia non videtur æquum vt vnus habeat onus tantùm beneficij, alius verò fructus: at diſpenſatione Papæ ſolet admitti iuſtis de cauſis, vel vt reſignans habeat vnde cōmode ſuſtentari poſſit, cùm alioqui titulum adminiſtrare, & functiones exercere non poſſit, vel vt ſoluantur debita in Eccleſiæ vtilitatem contracta. *c. ſi tibi conceſſo. de præb.* vel ad gratificandum beneficiarium, qui ratione laboris, & munerum egregiè geſtorum, vel ratione prærogatiuæ perſonæ, vt Cardinalis; id iudicio Papæ meretur, vt docet Azor *c.*21. *q.*1.

26. DICO SECVNDO, reſignatio cum reſeruatione omnium fructuum, inualida eſt, ſi Procurator reſignet nullis fructibus reſeruatis; at ſi Papa nolit admittere reſeruationem omnium, ſed tãtùm pro medietate, probabilior opinio docet, eam valere, quia Procurator vtiliter geſſiſſe videtur negotium ſui principalis, vt Pariſ. docet *lib.*9. *q.*17. & Azor *c.*22. *q.*12.

27. Cæterùm clauſula quæ ſolet apponi in reſignatione cum reſeruatione omnium fructuũ, nimirum *data facultate, vt eos propria auctoritate percipiat*, ita intelligenda eſt, vt reſignans eos capere poſſit per ſeipſum abſque alterius conſenſu, ac ſi beneficium reſignatum retineret; alioqui non poſſet ſine conſenſu reſignatarij. Supponitur autem in acceptatione beneficij facta a reſignatario eius cōſenſus in tali reſeruatione, ideóque nulla fit ei iniuria, ſi ſciens & volens titulum ſuſcepit abſque fructibus.

28. *Reſignatio cũ regreſſu,* SEXTO QVÆRO de reſignatione cum regreſſu, acceſſu, & ingreſſu.

RESPONDEO & DICO PRIMO, reſignatio cũ regreſſu eſt, quando reſignans habet ius, vt ſi reſignatarius, cuius gratia beneficium dimittitur, præmoriatur, ipſe propria auctoritate ad beneficium dimiſſum regrediatur: neceſſe eſt autem vt reſignatarius obtinuerit poſſeſſionem beneficij reſignati, alioqui ſi præmortuus fuiſſet ante poſſeſſionem, reſignans non diceretur regredi, ſed permanere in eius poſſeſſione.

29. *acceſſu,* Reſignatio cum acceſſu eſt, cùm reſignãs habet ius poſtquam legitimã ætatem adeptus fuerit, vel purgatus aliquo crimine, vel liber à cenſura aut irregularitate, accedendi ad beneficiũ, & capiendam poſſeſſionem illius, quod antea nunquam obtinuerat.

30. *& ingreſſu.* Denique reſignatio cum ingreſſu eſt, cùm reſignans habet ius ſi reſignatarius præmoriatur, propria auctoritate ingrediendi poſſeſſionem illius beneficij dimiſſi, cuius antea habebat titulum, ſed non poſſeſſionem. Vnde regreſſus ſupponit habuiſſe titulum & poſſeſſionem, ingreſſus ſolum titulum abſque poſſeſſione, acceſſus neutrum, ſed ſolùm ius ad illud ſic habẽdum, impedimento remoto ætatis, criminis, cenſuræ, irregularitatis. ita ex Rebuff. *in Praxi. part.* 3. *de regreſſ.* & Azor *c.* 20. *q.* 2.

31. DICO SECVNDO, reſignatio cũ regreſſu, acceſſu, vel ingreſſu, ſolius Papæ auctoritate fieri poteſt; & vſu Curiæ Romanæ potius introducta fuit, quàm iure communi, in quo tantùm ex parte fit mentio *c. ſi beneficia. de præb. in* 6. Hodie verò ſublata eſt per Trid. *ſeſſ.* 25. *c.*7. *de reform.* quia referat imaginem hæreditariæ ſucceſſionis in beneficiis: & Pium V. Romani Pontificis prouidẽtia etiam quoad reſignationes ante factas. Regreſſus verò, acceſſus, vel ingreſſus qui conceduntur penſionario, ſi ei tempore conſtituto penſio non ſoluitur, adhuc vigent & ſunt in vſu; illi etiam qui iuri communi ſubſiſtunt, qualis eſt is, de quo *in c. ſi beneficia. cit.* non ſunt ſublati; vt Azor *q.*5. Qualis autem eſſet forma verborum eiuſmodi reſignationis, vide apud Mandoſ. *in Praxi ſignat. grat. tit. regreſſus*, &c. Azor *q.*6. qui eam refert ex illo.

SEPTIMO QVÆRO de reſignatione in fauorem alterius. 32. *Reſignatio in fauorem alterius.*

RESPONDEO, & DICO PRIMO, hanc fuiſſe introductam vſu Romanæ Curiæ, atque adeò licitam eſſe coram Papa; non autem coram Ordinario, coram quo reſignatio pura & libera eſſe debet, iuxta commune ius *c. cum pridem, c. fin. de pact.* & DD. quos refert & ſequitur Garz. 11. *p. c.* 3. *n.* 143. & 144. alioqui eſſet ſimoniaca, vt ex Rebuff. & aliis docet Azor *c.* 21. *q.* 2. & nos alibi. Qui tamen abſolutè reſignaret, animo tamen & deſiderio vt daretur alteri, v.g. Titio, non eſſet ſimoniacus. ex gloſ. *in c. ex parte. de off. iud. deleg.* & Nauar. apud Azor. *q.* 3. Garz. *d. c.* 3. *n.* 165. & nos infrà cùm de ſimonia. Quòd ſi reſignet in fauorem vnius, vt Caij, & detur alteri, vt Seio, tunc reſignans non amittit ius in beneficio, ſi modò in reſignatione fuit clauſula, *non aliter, neque alio modo.* vt Azor *q.*4.

DICO SECVNDO, perceptionem fructuum per reſignantem poſt reſignationem factam in fauorem alterius, inducere præſumptionem ſimoniæ, vel confidentiæ; purgari tamen ſi conſtet cauſa, ob quam fuerunt percepti, vt ex Pariſ. & aliis docet Garz. *d. c.* 3. *n.* 197. atque ita contra coniecturas poſitas à Pio V. in ſua conſtitutione *de Confid. verſ. ad probandum*, admittitur probatio in contrarium, & communiter ita practicari ait idem *n.* 197. Idem ſi poſt reſignationem fiat illicò donatio reſignanti omnium fructuum; ſecus ſi poſt aliquod tempus, vel ex aliqua cauſa.

OCTAVO QVÆRO, quæ debeat ſeruare reſignatarius. 33. *Quæ debeat ſeruare reſignatarius.*

RESPONDEO, quatuor præcipuè ſeruanda eſſe, vt colligitur ex Pariſ. *lib.* 10. Primò enim poſt ſignatam ſupplicationem, & à datario recognitam, debet præſtare ſuum conſenſum, quo beneficium reſignatum habeat acceptum; reſignatio enim donatio quædam eſt; donatio verò non tribuit ius donatario, niſi eam acceptam habuerit: debet autem eiuſmodi conſenſum præſtare intra triennium ad ſummum, alioquin eo elapſo iure ipſo priuatus cenſetur: vt Rebuff. *conſ.* 186. *n.* 2. & Azor ex ipſo *c.* 23. *q.* 4. quod verum cenſeo de iure communi, nam iure nouo de publicandis reſignationibus, ſi intrà 6. menſes à die ſupplicationis datæ, literæ Apoſtolicæ confectæ non fuerint & publicatæ, omne ius amittitur quod antea reſignatarius in beneficio habuiſſet.

Secundò, debet curare vt literæ Pontificiæ expediantur, quamuis enim per ſupplicationem ſignatam verbo *fiat vt petitur*, Pontificia gratia perficiatur, tamen vſu Romanæ Curiæ, &

Digitized by Google

& regulis Cancellariæ, ius omne beneficij amittitur, ſi abſque literis dictis poſſeſſio capiatur, ideóque dicitur gratia conceſſa in formis ante literas expeditas; vt diximus ſuprà *cap.7*. Expediendæ autem ſunt intra 6. menſes citra montes, & 9. vltra montes; vt infrà *cap.11*.

Tertiò, multa exprimenda ſunt in talium literarum expeditione & impetratione, ne ſint ſubreptitiæ; præcipuè verò ſeptem. *Primũ* qualitas beneficij reſignati, & conditio: quæ conſiſtit in aliis multis. Primò enim poni debet nomen Sancti illius, cuius honori dicata Eccleſia eſt, in qua ſitum beneficium. Secundò, an beneficium ſit in Eccleſia Cathedrali. Tertiò, an adiuncta ſit cura animarum. Quartò, an requirat reſidentiam. Quintò, an habeat dignitatem, & quam. Sextò, qualis ſit reſignatarius, Clericus ne ſæcularis, ſi beneficium eſt regulare; & an regularis, ſi beneficium ſæculare eſſet. Septimò, an beneficium ſit in Eccleſia hoſpitali. Octauò, an ſit de iure patronatus. Nonò, an ſit electiuum. Decimò, an ſit alteri adnexum: & ſi eſſent duo coniuncta, ſatis eſt principalis facere mentionem. Vndecimò, ſi beneficium ſit regulare, an ſit manuale. *Secundum*, quod exprimendum eſt, eſt valor beneficij ad ſoluendam Annatam, & vt ſciat Papa beneficij conferendi qualitatem. *Tertium*, ſitne clericus; laico enim beneficium iure non confertur, & cuius diœceſis, vnde ſi mentiatur ſe eſſe Romanum cùm non ſit, non valet reſignatio ſi beneficium ſit in aliqua Vrbis Eccleſia. *Quartum*, Quæ beneficia obtineat etiamſi tenuis reditus, etiamſi tantùm ius habeat ad illa. Præterea mentionem facere debet penſionum ex aliis beneficiis. *Quintũ*, exprimat impedimentum Canonicum ſi quod habeat; vt ſi criminatus, infamis, ſpurius, vel irregularis. *Sextum*, ſi ſit intruſus, non poteſt id reticere. *Septimum*, ſi alius per annum integrum intruſus ſit in beneficio reſignato, etiam exprimi debet. ita ex Pariſ. *lib. 10. q. 2.* Azor. *c. 23. q. 2.*

Quartò, reſignatarius debet apprehendere poſſeſſionem beneficij; quamuis enim ius in beneficio obtineat per ſolam Canonicam inſtitutionem; tamen id ius ratum ac firmum non eſt, niſi poſſeſſio ſequatur, quæ poteſt etiam apprehendi per Procuratorem, nec cenſetur intruſus ſi propria auctoritate adeat, ex communi apud Pariſ. *q. 6.* conſuetudine autem receptum eſt, vt per loci Ordinarium in poſſeſſionem immittatur: quòd ſi moriatur ante poſſeſſionem, beneficium dicitur vacare per obitum, quia habebat ius in beneficio: ſi ante literas expeditas, dicetur vacare per renunciationem. Vide Pariſ. *q. 6.* Azor. *q. 3.*

34. *Quæ beneficia dimitti per reſignationem.*

NONO QVÆRO, quæ beneficia dimitti debeant per reſignationem.

RESPONDEO, de hac q. latè Pariſ. *lib. 2.* per totum. nos ad hæc capita reducimus. Primò quòd ius requiratur in iis, ad hoc vt reſignari poſſint. Secundò, an aliquod excipiatur ob dignitatem. Tertiò, an aliquod comparatione eorum qui conferunt. Quartò, an ob aliam qualitatem. Quintò, de penſionibus.

35. *Quod ius requiratur in iis, ad hoc vt reſignari poſſint.*

DICO PRIMO, requiri ius in re ad reſignandum in fauorem, etiam literis Apoſtolicis non confectis, modò ſupplicatio ſignata ſit & regiſtrata; multóque magis confectis literis, ſed non plumbatis, vel abſque capta poſſeſſione, aut facta publicatione. Primò, dixi requiri ius in re ad reſignandum in fauorem, nam ad reſignandum ſimpliciter ſatis eſt ius ad rem, hoc enim eſt ius aliquod conſiderabile; non tamen adeò potens vt poſſit in alium transferri, vt Pariſ. *q. 23.* ſic electus, præſentatus, habẽs expectatiuam, vel regreſſum, aut acceſſum, renunciare ſimpliciter poteſt, quia habet ius ad rem; non autem in fauorem, quia nemo ex iis habet ius in re. Secundò dixi *etiam literis non expeditis*, quod verum eſt de iure antiquiori, vt docet Rcb. *in concord. de mand. Apoſt.* & Mandoſ. *in praxi ſign. grat. tit. reſignationis.* Hodie enim non facile admittitur, ex Pariſ. *q. 24. n. 2.* quia eſto quis habeat titulum per ſupplicationem ſignatam & regiſtratam, tamen non eſt perfectus, & gratia eſt adhuc informis. Tertiò, dixi *modò ſupplicatio ſignata & regiſtrata ſit*, id enim ſaltem requiritur, tunc autem ſit narratiua, quòd beneficium fuerat alteri collatum, qui conſentit expeditioni literarum, & renunciat omne ius. Quartò, dixi *multo magis literis confectis, & non plumbatis*, primò enim expediuntur literæ in Cancellaria, & poſtea mittuntur ad officium, vbi ſolet apponi plumbum, hoc eſt, ſigillum in plumbo. Quintò, dixi *vel abſque capta poſſeſſione*, ſic enim communis, ex Pariſ. *q. 26.* poſſeſſio enim non attenditur in ordine ad renunciandum. Sextò, dixi *vel abſque facta publicatione*, ius enim quæritur alteri per reſignationem admiſſam & ſignatam, ex communi apud Pariſ. *q. 27.*

DICO SECVNDO, nullum eſſe exceptum ob dignitatem. Vnde primò Papatus renunciari poteſt, eſt enim beneficium Eccleſiaſticum, vti egerunt Marcellinus & Celeſtinus, & alij ex Pariſ. *lib. 2. q. 1.* Secundò, etiam Cardinalatus, & multo magis, vti legimus factum à nonnullis. Tertiò, etiam Patriarchatus, & Primatus, ſunt enim Epiſcopatus quidã cum maiori iuriſdictione. Quartò, etiam Archiepiſcopatus, & Epiſcopatus; quibus omnibus id cõmune eſt, vt tantùm poſſint renunciari ſimpliciter in manibus Papæ, non autẽ in fauorem. Cætera verò iis inferiora, vt Abbatiæ, Prioratus, Dignitates etiã in Cathedralibus & Collegiatis, Perſonatus, Plebaniæ, officia Eccleſiaſtica, vt Theſaurariatus, Sacriſtatus, Præpoſitura, Cantoria, & Canonicatus, multò magis renunciari poſſunt, de quibus Pariſ. *q. 1.* à *n. 63.* Denique Parochiæ, Vicariæ perpetuæ, Capellaniæ, Præſtimoniæ, & alia eiuſmodi renunciari poſſunt, ex communi apud eundem à *n. 104.* Idem dicendum de beneficiis Conſiſtorialibus, quæ talia dicuntur, quia de iis diſponit Papa in Conſiſtorio coram Cardinalibus, vel quia ſcripta ſunt in libris Cameræ inter Conſiſtorialia, licèt non prouideatur de illis conſiſtorialiter ex conſuetudine; hæc enim omnia reſignari poſſunt & debent in manibus Papæ, cui ſunt reſeruata ſi valorem 200. florenorum auri communi æſtimatione excedant: vt Pariſ. *q. 2.* 36. *An aliquod excipiatur ob dignitatem.*

DICO TERTIO, Comparatione conferentium non prohibetur quominus beneficia reſignari non poſſint cum conditionibus requiſitis. Vnde primò beneficia iuris patronatus reſignari poſſunt, requiſito conſenſu Patroni, intereſt enim ipſis ne beneficiarij eã dimittãt ipſis ſpretis: vt pluribus Pariſ. *q. 4.* Secundò, etiam electiua; quæ ſcilicet conferuntur per electionem quæ exigit confirmationem, requiritur tamen conſenſus eligentium, omniũ quidem ſi fiat in fauorẽ reſignatio, maioris autẽ partis ſaltem ſi fiat ſimpliciter in vtilitatem Eccleſiæ; ſufficit autem vt conſenſus eorum ſaltem ſequatur reſigna- 37. *An aliquod comparatione eorum qui conferunt.*

Digitized by Google

ſignationem, vt Pariſ. *q.* 5. Tertiò etiam exempta, dummodo reſignatio fiat coram Papa, ſi ſoli illi ſubiecta ſint; aliquando enim poſſunt eſſe exempta à proprio Epiſcopo, ſed ſubeſſe proprio Prælato, & tunc ſi is habeat iuriſdictionem Epiſcopalem, aut priuilegium, poterit admittere reſignationem, vt Pariſ. *q.* 7. Quartò, vnita non poſſunt reſignari antequam vnio ſortiatur effectum; beneficium enim vnitum non eſt amplius beneficiũ, niſi cum eo, cui vnitum eſt; excipe niſi reſignatio fieret in Curia ad fauorem alicuius cũ narratiua vnionis, ſi enim Papa admitteret, vtique poſſet reſignari, vt Pariſ. *q.* 9. Quintò, beneficia ſuper quibus conceſſæ eſſent expectatiuæ, reſignari non poſſunt, eluderentur enim expectantes & concedentes, niſi fieret reſignatio corã Papa habita ſcientia expectatiuæ cum derogatione eius, vt Pariſ. *q.* 10. Sextò, reſeruata reſignari poſſunt etiam coram Ordinariis, reſeruatio enim efficit beneficium quoad poteſtatem conferendi, non autem quoad poteſtatem renunciandi; non poſſunt tamen Ordinarij ea conferre, ſicuti neque permutare; nec conferre litigioſa, quæ tamen admittere poteſt reſignata, vt Pariſ. *q.* 16. Denique quomodo beneficia alicuius diœceſis in qua quis habet indultum ea conferendi cùm vacant, vt habere ſolent Cardinales, reſignari poſſint, vide eundem *q.* 19.

38. *An ob aliam qualitatem.* DICO QVARTO, alia beneficia quomodo reſignari poſſint, vel non, patebit ex dicendis. Primò enim beneficium, ad cuius titulum quis ordinatus eſſet in ſacris reſignari non poteſt, ex Trid. *ſeſſ.* 21. *c.* 2. niſi haberet is aliunde vnde viueret, factáque de hoc mentione in ſupplicatione, vt pluribus Pariſ. *q.* 6. Secundò beneficium ſine reditibus, ſi aliquod eſſet, etiam renunciari poteſt, vt idem *q.* 8. Tertiò manuale reſignari poteſt etiã in fauorem; vacat enim per obitum & reuocationem ſuperioris; vt idem *q.* 11. Quartò etiam patrimonialia reſignari poſſunt, dummodo conferantur filiis patrimonialibus, & ſi reſignentur in fauorem, ſit in fauorem filiorum patrimonialium; vt Pariſ. *q.* 12. Quintò etiam hoſpitalia reſignari poſſunt, ſiue dentur in titulum, ſiue in adminiſtrationem: illa enim ſunt beneficia, hæc officia Eccleſiaſtica; quod etiam extenditur ad præceptorias datas ſiue in titulum, ſiue in adminiſtrationem, vt idem *q.* 14.

39. *De penſionibus.* DICO QVINTO, Penſiones reſignari non poſſunt in fauorem alterius; non enim ſunt beneficia, poſſunt tamen transferri in alium de licentia Papæ & priuilegio quod ſolent habere Conclauiſtæ, & tacitè etiam renunciari in fauorem illius ſoluentium, quia ſi non exigantur, cedẽt in fauorem beneficiarij, vt idem Pariſ. *q.* 15.

40. *Reſignatio facta per metũ,* DECIMO QVÆRO de reſignatione facta per metum, aut dolum.

RESPONDEO & DICO PRIMO, debere eſſe liberam reſignationem, ſicuti diximus *c. præced. q.* 1. de permutatione; alioqui ſi metu facta ſit, graui videlicet & iuſto, reſcindenda erit arbitrio eius qui dolum paſſus eſt, implorato iudicis officio, vel intentata actione, quod metus cauſa; vt pluribus docet Pariſ. *lib.* 13. *quæſt.* 1. & 2. Azor *cap.* 26. *quæſt.* 1. & 2. Vnde non poteſt talis propria auctoritate redire ad beneficium ſic reſignatum, ſed munere & officio iudicis per actionem quod metus cauſa, reſtituitur in priſtinum ius. Idem dicendum de metu reuerentiali, modò adſint minæ; vt Pariſ. *q.* 1. *n.* 173. & Azor *q.* 2. *in fine.*

DICO SECVNDO, idem iuris eſſe in reſignatione facta dolo, vel fraude; vel enim ipſo iure irrita eſt, deficiente voluntate in eo qui paſſus eſt dolum; vel irritanda arbitrio decepti. Coniecturis autem probatur, aliquid eſſe factum dolo, vel fraude, & ſufficiunt leuiores, quales eſſent, primò, ſi reſignatio cedat in vtilitatem auctoris doli. Secundò, ſi reſignans depoſuit beneficium quæſitum multis impenſis, & cuius fructibus commodè ſuſtentabatur. Tertiò, ſi minæ præceſſerunt. Quartò, ſi beneficium occultè dimiſſum eſt. Quintò, quando id perſuadet inſpecta conditio perſonarum. Eadémque ratio eſt de reſignatione facta per vim, quæ etiam coniecturis probatur. Vide plura apud Pariſ. *q.* 3. & 4. Azor. *q.* 3. & 5. 41. *aut dolum, ſiue fraudem.*

DICO TERTIO, reſignationem beneficij factam ab eo, qui ſpoliatus eſt beneficio, iure damnatam eſſe, & ſpoliato dari reſtitutionem in integrum. Ea tamen quæ fieret coram iudice idoneo poſt ſpoliationem, valeret, quia legitima eius auctoritas tollit ſuſpicionem violentiæ; multóque magis valebit, ſi conſtet ſpoliatum abſque vlla vi ſucceſſiſſe beneficio: in dubio tamen ſemper cenſebitur in iudicio inuitus ceſſiſſe. Denique reſignatio facta poſt ſpoliationem per Procuratorem ſponte delectum antequam ſpoliaretur, valet; cenſetur enim voluntaria, vt pluribus docet, ex communi Pariſ. *q.* 5. & Azor *q.* 2. 42.

VNDECIMO QVÆRO de promulgatione reſignationis. 43. *Promulgatio reſignationis.*

RESPONDEO, de hac latè egiſſe Pariſ. *lib.* 11. per totũ, in cuius initio refert conſtitutiones Pij V, & Gregor. XIII. in quibus ea præcipitur: nos breuiter ſequentia, primò, eius neceſſitatem & cauſas; ſecundò, quorum beneficiorum ſit facienda; tertiò, à quibus; quartò quando; quintò, vbi.

DICO PRIMO, promulgationem reſignationis omnino faciendam eſſe; præcipua autem cauſa fuit ad tollendas fraudes & incommoda occultarũ reſignationum, erãt enim perſæpe ſimulatæ; reſignantes poſt admiſſam reſignationem, in beneficia dimiſſa denuò ſe ingerebant, fructus percipiebant, & adminiſtrabant; populi etiam neſciebãt perſæpe quibus Paſtoribus ſubiecti eſſent, quibus ſoluendæ decimæ, à quibus Sacramenta recepturi eſſent. Vt autem conſtet reſignationem omnino faciendã, breuiter referã vtriuſque cõſtitutionis ſumma capita. 44. *Eius neceſſitas, & cauſſa.*

Primò ergo in conſtitutione Pij V. ſtatuitur primò vt reſignationes & ceſſiones iuris in quibuſcunque Eccleſiaſticis beneficiis, ſi fiat extra Curiam coram Ordinariis, publicentur infra vnum menſem: ſi in Curia intra 6. menſes à die datæ ſupplicationis, non autem à die conſenſus præſtiti. Secundò, vt fiant in Eccleſia ipſius beneficij, & etiam in Cathedrali, cui ſubeſt beneficium reſignatum, ſi beneficium ſit extra Cathedralem; ſi verò in Cathedrali, fiat in ipſa, dum multitudo populi ad audienda diuina cõuenerit, idque vel ab ipſis reſignantibus, vel ab aliis eorum nomine. Tertiò, reſignatarij intra idem tempus teneantur realem & actualem poſſeſſionem beneficiorũ reſignatorum apprehendere, vel ſaltem petere ab his, ad quos de iure traditio illius pertinet: ſi litigioſa ſunt quoad poſſeſſioné, vel eorũ poſſeſſio quacũque de cauſa capi nõ poſſit, habeant ſaltẽ literas expeditas, vel

inſtrumentum conſenſus cum data ſupplicationis, illúdque in actis Notarij cauſæ adnotetur. Quartò in omnibus caſibus dictis, teneãtur reſignatarij docere de conſenſu habito reſignantis antè obitum, & illic extendere in libris Cancellariæ, vel Curiæ Ordinarij; alioquin nullæ ſint reſignationes, &c. Quintò, declarat habere locum in omnibus beneficiis etiam conſiſtorialibus, & litigioſis, etiamſi reſignantes deceſſerint naturaliter vel ciuiliter extra poſſeſſionem eorundem beneficiorum, quocunque malo factæ ſint dictæ reſignationes, &c.

Secundò in conſtitutione Greg. XIII. ſtatuitur primò, vt quæcumque reſignationes, & ceſſiones litis & iurium de quibuſcunque beneficiis quæ fient in manibus Papæ, & prouiſiones ſuper eis quibuſcũque etiam Cardinalibus, publicari debeant cum literis Apoſtolicis deſuper confectis intra 6. menſes ſi beneficium ſit citra montes; intra 9. ſi vltrà, à data conceſſionis gratiæ, non à præſtito conſenſu: quòd ſi plures cõceſſiones gratiæ, & ceſſiones in alios interceſſiſſent, idem tamen terminus eſſe debet. Secũdò publicatio debet fieri in Cathedrali, & in Eccleſia beneficij, vel Eccleſiis, ſi in pluribus ſit, ídque inter Miſſarũ ſolennia literis oſtẽſis, vel authentico trãſſumpto; ſi Eccleſia beneficij ruralis ſit, vel careat populo, fiat in Parochiali, intra cuius limites ſitum eſt beneficium, & in Cathedrali; ſi nõ poſſet in ea, fiat in viciniori. Tertiò reſignatarius intra idem tempus poſſeſſionem beneficij apprehendat, ſi legitimè impeditus non poſſit, ſaltem literas cũ publicatione præſentet iudici, aut executori illarum per ſe, vel per Procuratorem, & inſtet pro poſſeſſione. Quartò forma tradita ſeruanda in omnibus reſignationibus, ceſſionibus, retroceſſionibus de quibuſcunque beneficiis, etiam regularibus militiarum, electiuis, manualibus, de iure patronatus laicorum, & aliàs quomodocunque, etiam Conſiſtorialibus, quæ admittantur extra Conſiſtorium. Quintò, ſi quidquam prædictorum omiſſum fuerit, elapſis terminis prædictis omnes diſpoſitiones & gratiæ ſunt irritæ; & tales ſunt inhabiles ad beneficia illa reſignata quandocunque obtinenda; beneficia verò ipſa vacare cenſeantur, nec reſignantibus ſi poſtea remanerent in poſſeſſione ſuffragetur regula de Triennali. Sextò, illorum impetrationes non comprehendantur ſub clauſulis generalibus derogationum, ſed ſpecialiter & expreſsè fieri debeant, & ſi pluribus gratiam fieri contigerit, is habeat qui primò publicauerit, & poſſederit, etiamſi in data poſterior eſſet. Septimò, reſeruationes tamen fructuum, & penſionum pro reſignantibus, qui poſſeſſionem ab initio dimiſerint, plenum effectum ſortiantur. Octauò, reſignationes verò in manibus Ordinariorum etiam Cardinalium & Legatorum à latere, expediantur intra menſem, etiam cauſa permutationis factæ; prouiſus verò intra tres menſes teneatur facere publicationem, & capere poſſeſſionem modo, & forma ſupradicta, alioqui illis elapſis nulla ſit prouiſio, & beneficia vacare cenſeantur. Ordinarij verò & alij, qui hæc non perfecerint, eo caſu priuati ſint poteſtate ea vice conferendi dicta beneficia, & deuoluantur ad Sedem Apoſtolicam, &c. Hæc circa primam concluſionem.

45. *Quorum beneficiorum ſit facienda.* DICO SECVNDO, promulgandas eſſe reſignationes quorumcunque beneficiorum; patet ex puncto 4. conſtitutionis Greg. Vnde etiam beneficia reſeruatã, iuris patronatus, & electiua publicari debent, vt patet ex eodem puncto 4. Conſiſtoralia autem, ſi dantur in Conſiſtorio, vt Epiſcopatus, eóque maiora, nõ indigent promulgatione; ſi verò dentur extra Conſiſtorium, publicanda ſunt, vt patet ex puncto 4. & docet Pariſ. *q.* 3. *n.* 27. & Azor *c.* 24. *q.* 5. De litigioſis idem dicendum, quòd publicanda ſint: an autem lis cum reſignante, vel reſignatario finiri debeat, vide conſtitutionem Greg. in puncto 7. de qua Pariſ. *q.* 3. *n.* 31. De hoſpitalibus verò, ſi ea dentur in titulum, certum eſt comprehendi ſub conſtitutione, vt Pariſ. *n.* 43. ſi dentur tantùm in adminiſtrationem, dubitatio eſſe poteſt, vnde recenſentur contrariæ ſententiæ; quia tamen refertur deciſio Rotæ à Pariſ. *n.* 47. *&* 48. eo quòd veniant in materia fauorabili, appellatione beneficiorum Eccleſiaſticorum illi adhærendum erit; vt omittam rectiùs poſſe dici officia Eccleſiaſtica; & quia in conſtitutione dicitur *de quibuſcunque beneficiis & officiis Eccleſiaſticis*. ideo ſatis probabile eſt ea etiam eſſe publicanda. Denique de Regularibus etiam clarum eſt, ea publicanda eſſe, vt patet ex puncto 4. & pluribus docet Pariſ. à *n.* 80. Vnde etiã Præceptoriæ S. Io. Hieroſolymitanæ, S. Antonij, & S. Spiritus de Saxia comprehenduntur, vt Azor *q.* 5. *in fine*, & Pariſ. *n.* 106. de Hieroſolymitanis; eadémque ratio de aliis eſt; dimiſſiones tamen earum quæ ſolent fieri intra tempus vacantis Præceptoriæ, quod eſt à die obitus equitis vſque ad feſtum S. Io. Baptiſtæ, & intra tempus mortuarij, quod eſt à dicto feſto, vſque ad aliud inſequentis anni non ſunt publicandæ, quia non inducunt nouam vacationem, & quia fiunt publicè coram magno magiſtro, & conſilio, & ſic ceſſat ratio fraudis, vt rectè Pariſ. *n.* 109.

DICO TERTIO, omnes reſignatarios teneri ad publicationem, patet ex puncto primo. 46. *A quibus.* Vnde primò etiam Officiales Curiæ, vt ſcriptores, abbreuiatores, &c. tenentur etiam familiares Cardinalium & Papæ, vt ibidem exprimitur. Secundò etiam Cardinales, vt patet ex puncto primo, in quo exprimuntur, vltra allegata à Pariſ. *q.* 4. *à n.* 5. Tertiò etiam exempti, quamuis enim non exprimantur, tamen ex generalibus verbis ſatis comprehenduntur; & exẽplo Cardd. qui ſunt exempti, & maximè priuilegiati, idem inferri poteſt de aliis, vt Pariſ. à *n.* 13. Quartò etiã ſecundus reſignatarius intra tẽpus & terminum aſſignatum publicationi faciendæ, tenetur publicare, ſiue primus publicauerit, ſiue non, vt patet ex puncto ſexto iis verbis, *pluréſque, & quotquot in alium, vel alias ceſſiones*, &c. vltimus enim reſignatarius tenetur publicare, & vnicus terminus triũ menſium ſi coram Ordinariis, 6. vel 9. iuxta dicta, omnibus currit; vt Pariſ. *num.* 21. Quintò etiam impetrãtes beneficia vacantia ob non publicationem, tenẽtur publicare, & ſi plures fuerint qui impetrent, qui primus publicauerit, & poſſeſſionem ceperit, is obtinebit; patet ex puncto 6. Sextò etiam minor 14. annis, ſi beneficium illi reſignatum ſit, tenetur publicare, nec ignorantia excuſat, vt pluribus Pariſ. *q.* 4. à *n.* 35. generaliter enim omnia beneficia per reſignationẽ collata vacãt, ſi intra debitum tempus non publicentur. Septimò etiam reſignatio facta cauſa permutationis publicanda eſt; patet expreſsè ex puncto 8. & docet Pariſ. *q.* 5. à *n.* 16. debet autem vterque permutationem publicare; quòd ſi vnus publicet, alter verò non, annullatur tantùm

Digitized by Google

tantùm collatio eius qui non publicauit, ex Rota *n.* 26, Octauò, etiam reſignatio beneficij cum reſeruatione omnium fructuũ, & nominatione tituli, publicanda eſt, idque in omni caſu, ex tribus allatis à Pariſ. à *num.* 28. patet ex puncto 4. illis verbis, *etiam cum reſeruationibus nominis, tituli, adminiſtrationis,* &c. Nonò etiam beneficij conceſſi in Commendam, vt puncto 8. & Pariſ. *numer.* 32. Decimò etiamſi beneficium reſignatum ſit ſimpliciter in manibus Papæ, vel Ordinarij, is enim cui confertur, tenetur publicare, vt Rota apud Pariſ. *n.* 49.

47. *Quando.* DICO QVARTO, circa tempus intra quod publicatio facienda eſt, diximus in puncto primo.

48. *Vbi.* DICO QVINTO, circa locum diximus puncto ſecundo, nec plura dicenda de hac quæſt.

49. *Regula Cancellaria pro infirmis reſignantibus.* DVODECIMO QVÆRO de Regula Cancellariæ pro infirmis reſignantibus.

RESPONDEO ex Pariſ. *lib.* 12. & Azor. *cap.* 28. regulam eiuſmodi congruere cum iure communi *cap.* 2. *de renunciat. in* 6. qui enim in morbo beneficia reſignant, in fraudem agere creduntur. Primò ergo ea tenentur etiam Cardinales, & maiori ratione Archiepiſcopi, Patriarchæ, &c. dicitur enim generatim *ſi quis.* ita Azor *quæſt.* 2. ex Gomeſ. Rebuff. & Pariſ. Secundò etiam exempti, familiares Cardinalium, Papæ, eiúſque officiales, vt idem *q.* 3. ex Pariſ. Tertiò, etiamſi olim ſanus reſignans, & poſtea intra 20. dies moriens non contineretur hac regula; tamen hodie continetur, vnde quilibet reſignans ſi poſt datum conſenſum non ſit ſuperſtes per 20. dies ex quacumque cauſa, etiamſi caſu pereat, nulla eſt reſignatio; ita ex ſtilo Curiæ Pariſ. *q.* 6. & Azor *q.* 3. Quartò valet etiam in iis qui reſignant coram Ordinariis locorum, & etiamſi cauſa permutationis beneficia dimittantur, vt expreſsè in regula: item etiamſi reſeruentur omnes fructus, ſiue fiat reſignatio per ſeipſum, ſiue per Procuratorem, vt ex Pariſ. *q.* 5. Azor *q.* 4. Quintò habet locum etiam in reſignatione beneficiorum iuriſpatronatus, ad patronum tamen ſpectabit præſentare: idémque in patrimonialibus, commendatis, reſeruatis, litigioſis, & electiuis; ſunt enim verba generaliſſima, *ſi quis beneficium reſignauerit.* Sextò etiam in beneficiis vnitis, ob ea verba, *ſeu ipſius beneficij vnionis diſſolutioni conſenſerint*; ſiue vniantur perpetuò, ſiue ad vitam alicuius, vt Azor *q.* 6. *in fin.* Septimò etiam in Conſiſtorialibus, modò conferantur extra Conſiſtorium; non tamen habet locum in penſionibus, quæ in alios transferantur; hæ enim beneficia non ſunt; vt ex Gomeſ. Azor *loc. cit.* neque in officiis Curiæ Romanæ, ob eandem rationem; bene tamen habet locũ in ceſſione iuriũ. Octauò, dies 20. cõputandi à die qua præſtitus eſt conſenſus incluſiuè vſq; ad 20. completum, ex Pariſio *quæſt.* 8. & Azor *quæſt.* 7. Nonò ſi reſignatio ſit ad fauorem tertij, & reſignans obierit ante vigeſimum diem, beneficij collatio erit Papæ reſeruata; quia vacabit in Curia, vbi fit reſignatio talis; ſi verò fiat ſimpliciter, poterit non eſſe reſeruatum Papæ, vt ſi reſignatio facta ſit coram Ordinario. Decimò, huic regulæ ſolet aliquando derogari per Papam in reſignationibus, quæ fiunt cauſa permutationis; in aliis extra Italiam abſentium gratia etiam derogatur, ex Mandoſio, rarò autem in Italia, præſertim in Curia, aut propè; ſemper autem requiritur derogatio expreſſa & ſpecialis, vt pluribus Azor *q.* 10. ex Gomeſ.

CAPVT XI.

De confidentia in Beneficiis.

DE hac integrum librum edidit Flam. Pariſ. Alij DD. tractant de ea cùm de ſimonia, vt Azor 3. *tom. lib.* 12. *cap.* 10. Leſſ. *lib.* 2. *cap.* 35. *dub.* 16. Suarez *lib.* 4. *de ſim. cap.* 43. Nos hæc præcipuè diſcutiemus. Primò quid ſit, & quotuplex. Secundò, quid de ea decernant conſtitutiones Pontificiæ Pij IV. & Pij V. Tertiò, quæ confidentiæ in vtraque conſtitutione comprehendantur. Quartò, an confidentiæ præteritæ puniantur in eadem. Quintò, an in foro etiam interno prohibitæ ſint. Sextò, de pactionali & mentali confidentia. Septimò, de quibuſdam particulis Bullæ, quomodo intelligantur. Octauò, de quibuſdam dubiis ex iis conſurgẽtibus. Nonò, de pœnis in eis cõtentis. Decimò, de tẽpore à quo obligant. Vndecimò, de confidentia in penſionibus & aliis rebus. Duodecimò, de comparatione conſtitutionum inter ſe, & aliis ad eas pertinentibus.

PRIMO QVÆRO quid & quotuplex ſit confidentia. 1. *Confidentia quid,*

RESPONDEO & DICO PRIMO, confidentia generatim ſumpta eſt ſpes quædam aliquid efficiendi in re vel perſona aliqua collocata; ferè autem ſemper accipi ſolent in malam partem, vt videri poteſt apud ſcriptores Latinos, & ſacrã etiam Scripturã, vt Ierem. 2. *quoniam obtriuit Dominus confidentiam tuam.* Ad Hebræos tamen 10. ſumitur in bonam partem, *nolite amittere confidentiam.* ſic etiam fiducia ferè ſemper accipitur in bonam. Matth. 14. *habete fiduciam, ego ſum,* &c.

DICO SECVNDO, multiplex eſſe poteſt confidentia; nam ſi eius obiectum reſpiciatur, ſeu materia, circa quam verſatur, ſicut multiplices res ſunt, in quibus confidere poſſumus, ita multiplices erunt confidentiæ. Vnde ſi quis confidat in honoribus, in diuitiis, in regno, in bonis huius vitæ, vel alterius, varias dicetur habere confidentias ex parte materiæ; ſi quis verò confidat in ſe, vel aliis hominibus, aut rebus, in propriis viribus, vel alterius, eodem modo ex parte obiecti varias confidentias habere dicitur. 2. *& quotuplex.*

DICO TERTIO, confidentia de qua agendum eſt, verſatur ſolùm in materia beneficiorum Eccleſiaſticorum, eſtque ea, qua quis confidit, quod alter acceptans Beneficium, ſibi poſtea vel alteri renunciabit, aut penſionem in eo, fructúſve eius ſibi vel alteri conferet. Confidit autem in illo vel vt amico, vel vt familiari, vel vt conſanguineo, ſiue ex pacto, vel ex aliqua alia cauſa, aut occaſione fiat, & de hac tántùm agitur in conſtitutionibus.

SECVNDO QVÆRO, quid de ea decernant conſtitutiones Pontificiæ Pij IV. & Pij V. 3. *Quid de ea decernant Conſt. Pontificiæ Pij IV.*

RESPONDEO quod attinet ad conſtitutionem Pij IV. ea diuiditur in partes tres. In prima refert varios abuſus in beneficiorum confidentiis, quæ pars ſolet dici Narratiua, in ſecunda definit tum de præteritis confidentiis, tum de futuris, quæ pars dicitur diſpoſitiua. In tertia reuocat omnia contraria priuilegia, con-

Digitized by Google

ſuetudines & ſtatuta; quæ pars ſolet vocari, Non obſtantibus. Ex his præcipua pars eſt ſecunda, quæ dicitur Diſpoſitiua.

In hac ergo quoad præteritas confidentias diſponit tria. Primum, quicumque recepit ante Bullam Eccleſiam etiam Cathedralem, & Metropolitanam, monaſterium, ſeu aliquod aliud beneficium intuitu, vel contemplatione alterius, (hoc eſt, in commodum, vel fauorem alicuius) per reſignationem, vel ceſſum, vel aliam dimiſſioné, vel per obitum, ſeu aliàs quomodocumque vacans; recepit autem vel ſimpliciter, vel in commendam, aut adminiſtrationem, aut in titulum, vel reſeruato alteri acceſſu, ingreſſu, vel regreſſu, aut aliter, etiamſi hæc in ſede Apoſtolica ei fuerint conceſſa & data, tamen in confidentiam incidit, & beneficium vacat & vacauit à prima die receptionis, & ab ea die reſeruatur, & deuoluitur ad ſedem Apoſtolicam eius beneficij collatio. Secundum, ſimiliter penſio in tali beneficio confidentiario, vel acceſſus, ingreſſus, vel egreſſus reſignati, & facultates transferendi penſiones, vel ceſſio, reſignatio, vel collatio reſeruata, aut poſtea facta, vel quæcumque alia diſpoſitio beneficij illius eſt & fuit ipſo iure nulla, & irrita. Tertium, & quicumque penſionem, fructus, aut eorum partem receperunt talis beneficij, vel ad quos peruenerit, & eorum hæredes tenentur ad reſtitutionem ipſi Cameræ Apoſtolicę in vtroque foro à prima die receptionis ipſius beneficij.

Quoad futuras autem duo diſponit. Primò, quicumque in futurum tale quid receperunt, tenetur ad eadem quæ dicta ſunt, & præterea ſi ſint Cardinales, aut Prælati, in virtute S. Obedientiæ hæc eis prohibentur, & ſunt eo ipſo interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ, & ſi alij ſint inferiores, in excommunicationem incidunt latæ ſententiæ ſummo Pontifici reſeruatæ. Secundò, quicquid ſecus à quoquam quauis auctoritate ſcienter vel ignoranter attentari contigerit, irritum ſit & inane.

4. *& Pij V.* Secundò, quod ſpectat ad Bullas Pij V. hæ duæ ſunt. Prima anni 1568. 5. Ianuar. continens tantùm aduocationem cauſarum confidentialium ad ſe & ad Romanos Pontifices pro tempore, quæ tamen ſequenti Bulla ex parte relaxatur.

Secunda anni 1569. Calendis Iunij, de confidentiis beneficialibus. Quæ diuidi poteſt in partes 9. In prima narrat breuiter tum prohibitionem Bullæ Pij IV. tum ſuam circa aduocationem cauſarum confidentialium. In ſecunda refert varios abuſus, quorum occaſione ad eos auferendos Bullam hanc edere decreuit. In tertia definit ponens caſus confidentiarum circa quinque vel ſex genera perſonarum, quæ ſolent incidere in has beneficiorum confidentias; hoc eſt, circa dimittentem beneficium & recipientem, circa collatorem, præſentatorem, electorem; circa patronum, qui ſcilicet ius habet patronatus, circa clericos Cameræ Apoſtolicæ, aut alios à ſolutione iurium Cameræ, vel Cancellariæ excuſatos, & circa habentes crimina, & irregularitates. In quarta agit de ſignis quibuſdam, & modo probationis in foro exteriori. In quinta ponit cenſuras & pœnas ipſo facto incurrendas. In ſexta reſeruat ſibi ſententiam cauſarum confidentialiũ, conceſſa ſolùm Ordinariis eorum inquiſitioné & cognitione, vt videlicet proceſſum tantùm conficiant, & ad ſe mittant. In ſeptima abrogat omnia in contrarium priuilegia. In octaua, Bullam Pij IV. vult nihilominus in ſuo robore permanere. In nona ponit Bullæ publicationem.

Porrò, omiſſis aliis partibus, in ea quæ eſt diſpoſitiua continentur caſus aliquot confidentiarum circa perſonas ſupradictas in tertia parte.

Primus eſt, ſi ab aliquo dimiſſum beneficium recipitur, vt detur idem beneficium, vel penſio, vel fructus eius, vel pars fructuum eidem dimittenti, vel alteri (etiamſi ſola dimittentis intentione fiat) cenſetur confidentia.

Secundus, ſi conferatur beneficium ab Ordinario, vel altero collatore, conditione tacita, vel expreſſa, vt poſtea detur idem beneficium, vel penſio, vel fructuum pars eidem conferenti, cedenti, vel alteri, erit confidentia.

Tertius, ſi patrono, aut præſentatori, ſeu electori idem contigerit, erit confidentia.

Quartus, ſi Clericus Cameræ Apoſtolicæ, vel Cardinalis, vel alius exemptus à ſolutione iurium Cameræ, aut Cancellariæ, acceptum beneficium per reſignationem, vel ceſſionem alicuius extranei (etiam confectis literis Apoſtolicis & poſſeſſione apprehenſa) retrocellerit in eundem reſignantem, ſeu cedentem modico ſpatio interiecto, veluti duorum aut trium menſium, & ex illa retroceſſione penſio, fructus, aut eorum pars ſeu quid aliud ſuper illud reſeruatum ſit, aut regreſſus, acceſſus, vel ingreſſus ad illud ipſi Clerico Cameræ vel alij exempto fuerit conceſſus, cenſebitur confidentia.

Quintus, ſi quis in irregularitate diſpenſatus, vel à crimine abſolutus, receperit denuo beneficium, quod ante, vel poſt commiſſum delictum, aut contractam irregularitatem dimiſerat, erit confidentia.

Præter hos duo notanda. Primum, hos etiam caſus velle quòd comprehenſi ſint in Bulla Pij IV. ac ſi in illa expreſſi eſſent. Secundum, omnes dicens confidentias intelligi, licèt confidentiæ crimen ab vnius tantùm partis conſcientia admiſſum eſſet.

Denique pœnæ in quinta parte poſitæ hæ ſunt. Vt qui hactenus receperunt, ac retinent aliquid ex dictis, videlicet beneficium, penſionem, fructus, &c. interueniente vitio confidentiæ, niſi celeri dimiſſione ſibi proſpexerint, & qui aliquid tale admiſerint in futurum, omnibus aliis Eccleſiis, monaſteriis, dignitatibus, adminiſtrationibus, beneficiis & officiis (quæ etiam ſedi Apoſtolicæ reſeruantur) nec non fructibus, penſionibus, & aliis rebus Eccleſiaſticis, ac etiam Romanæ Curiæ, & aliis officiis temporalibus ſint ipſo iure priuati, & ad futura inhabiles, & ipſo facto excommunicati excommunicatione ſummo Pontifici reſeruata; & nihilominus literis prædeceſſoris Pij IV. in ſuo robore duraturis.

TERTIO QVÆRO, quæ confidentiæ in vtraque conſtitutione comprehendantur. 5. *Quæ confidentia in v traque conſtitutione comprehendantur.*

RESPONDEO, has. Primò enim ſi quis recipit beneficium intuitu vel contemplatione alterius, hoc eſt, in eius fauorem aut commodum, vt videlicet poſtea idem beneficium, vel penſio, vel fructus, aut eorum pars illi vel alteri conferatur, eſt confidentia in Bullis damnata, etiamſi alterius tantùm partis conſcientia committatur. Secundò, hæc prædicta ſolùm recipientes, vel retinentes, aut reſeruantes ſibi regreſſus, acceſſus, ingreſſus, aut aliam aliquã diſpoſitionem

poſitionem circa illud beneficium, incidunt in pœnas & cenſuras confidentiarum poſt Bullam Pij I V. nam in ea fit diſtinctio præteritarum, & ſequentium confidentiarum, ſed per Bullam Pij V. incidunt, niſi ſibi proſpexerint celeri dimiſſione, non alij nihil recipientes, etiamſi interueniant in confidentiæ crimine. Tertiò, pœnæ ſunt, quòd vacat beneficium à prima die receptionis apud ſedem Apoſtolicam, & fructus ab eadem die debentur Cameræ Apoſtolicæ, & amittunt ipſo facto habita beneficia, & fiunt inhabiles ad futura, & incidunt in excommunicationem latæ ſententiæ ſummo Pontifici reſeruatam; ſed intellige excommunicationem & inhabilitatem ad futura beneficia eos tantùm incurrere, qui poſt Bullas dicto ũ Pontificum, præfatam commiſerint confidentiam, reliqua verò de iis qui antea', niſi celeri dimiſſione ſibi proſpexerint.

Aduertendum autem: nomine beneficij intelligimus omnia hæc contenta in Bullis, nempe Eccleſias etiam Metropolitanas, & alias Cathedrales, & monaſteria etiam Conſiſtorialia, Prioratus, Præpoſituras, Præpoſitatus, Dignitates etiam maiores & principales, etiam Conuentuales, Perſonatus, adminiſtrationes, & officia, cæteraque beneficia Eccleſiaſtica, cum cura & ſine cura, ſæcularia, & quorumuis Ordinum regularia, etiam de iure patronatus, etiam laicorum, etiam nobilium, & illuſtrium, etiam ex fundatione, & dotatione exiſtentia, & quæcumque denique alia beneficia.

6. *An confidentia præterita puniantur in eadem.*

QVARTO QVÆRO, an confidentiæ præteritæ puniantur in Bulla; & quid de iis quæ bona fide factæ ſunt.

RESPONDEO & DICO PRIMO, etiam præteritas puniri, patet primò ex Bulla Pij I V. à nobis relata; nam in prima eius parte diſpoſitiua, agit de præteritis ante Bullam, in ſecunda de futuris. Secundò, ex Bulla Pij V. in qua & approbatur Bulla Pij I V. & enumeratis caſibus omnibus earum confidentiarum, ſtatuit vt omnes caſus qui in ſua Bulla ponuntur, cenſeantur ac ſi expreſſi eſſent in Bulla Pij I V. Tertiò, quia ſæpe exprimuntur verba tum præteriti, tum futuri temporis, vt de collatore dicitur, *contulerit, & conferat*; & de patrono & electore, *contigerit, & contingat ad fieri.* Denique præteritæ confidentiæ commiſſæ ante Bullam puniuntur, ita vt niſi celeri dimiſſione ſibi proſpexerint, incidant rei in cenſuras; qui verò poſt Bullam eas admiſerint, ſimpliciter incidunt in cenſuras.

7. DICO SECVNDO, in his Bullis ſermo eſt de ſola confidentia beneficiali, cùm videlicet recipitur beneficium, vt alicui detur poſtea idẽ beneficium, vel eius penſio, vel fructus eius, aut pars; ſiue facta ſit tempore præterito, ſiue futuro facienda ſit; ſiue bona fide facta ſit, quia putabatur licita; ſiue mala; ſiue eſſet propriè ſimoniaca, ſiue pro tali habenda ſit ex Bullis & iure poſitiuo. Et primò quidem quòd tantùm ſit ſermo de confidentia in beneficiis, conſtat inter omnes, & patet expreſsè ex Bulla. Secundò, quòd etiam ſit ſermo de confidentiis præteritis iam probauimus concluſione præcedente. Tertiò, quòd etiamſi bona fide factę ſint, tamen comprehenduntur in Bullis, patet quia vniuerſaliter & indefinitè omnes præteritas confidentias damnat, & vult vt celeri dimiſſione ſibi proſpiciant; nam licèt ob bonam fidem non peccarint in iis faciendis, tamen quia reipſa commiſſa fuit confidentia, potuit ea etiam comprehendi & damnari, vt ſaltem abſque noua licentia Papæ non liceat ea beneficia retinere. Quartò, quòd etiam comprehendat eas confidentias, quæ propriè non ſunt ſimoniacæ; quia ſcilicet non ſunt factæ propter pecuniam, aut rem pecunia æſtimabilem, ex eo conſtat, quia etiam aliæ, quæ ex affectu inordinato, ambitione, vel ex cauſa ſimili factæ fuiſſent, ſed cum pacto, modo, & conditione, vt alteri traderetur deinde beneficium; ſicut poſt Bullas fieri non poterant, ita factæ declarantur irritæ, & niſi confirmentur Pontificia auctoritate, relinquendæ ſunt dimiſsis beneficiis, vt legenti Bullas apertè patet: ſic enim Romana tribunalia interpretantur, & alij viri docti ita intellexerunt, iuxta quæ accipienda ſunt quæ docuit Nau. *cap.* 23. *numer.* 109. neque enim tantùm confidentiam verè ſimoniacam, vt videtur interpretatus eſſe Nauarr. ſed eam etiam quæ ſpeciem eius habet, & pro tali cenſetur, comprehendit; vt docuit Maſcard. *de probat. concluſ.* 1306. *numer.* 35. Vide plura apud Pariſ. *quæſt.* 10. *& ſeqq.*

QVINTO QVÆRO, an in foro etiam interno prohibitæ ſint confidentiæ. 8. *An in foro etiam interno prohibita.*

Reſpondendũ eſt affirmatiuè, tũ quia ſi fuerint ſimoniacæ, non eſt dubium eas ſicut afficiunt lethali peccato animam, ita prohiberi etiam in foro interiori, tum quia eæ quæ ſimoniacæ verè non ſunt, tamen ſi fiant ex pacto, modo, & conditione prohibitis, ob ſpeciem ſimoniæ iure prohibitæ ſunt, atque ita eodem modo ſicuti qui eas committerent, peccato mortali contaminarentur, ita eas vitandi obligatio adſtringit etiam interius forum. Quæ verò tantùm præſumptiuè haberentur pro confidentiis, ſi verè animus non fuit reſignandi beneficium ſub confidentia, vel ſi fuit, animus non fuit ſigno aliquo externo manifeſtatus, eæ licèt prohibitæ ſint etiam quoad forum interius, vtpote mentales & internæ confidentiæ, tamen non ſubiacent pœnis Bullarum, quæ tantùm externas puniunt.

Poſſet etiam id probari ex verbis vtriuſque Bullæ; nam in illa Pij I V. dum ſermo eſt de præteritis confidentiis, dicitur & de fructibus ſic perceptis non ſolùm ipſos qui eos perceperunt; ſed eorum etiam hæredes ad integram illorum reſtitutionem in vtroque foro teneri. Sic etiam in futurarum confidentiarum prohibitione, Prælatis in virtute S. Obedientiæ, & ſub interdicti ingreſſus Eccleſiæ mandatur, vt ab iis caueat; reliqui verò ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna per contra facientes ipſo facto incurrenda, ab iiſdem prohibentur, patet autem præceptum S. Obedientiæ, & pœnam excommunicationis obligare in interiori foro. In Bulla verò Pij V. præterquam quòd ponitur confirmatio Bullæ Pij I V. quæ approbatur etiam quoad pœnas vtique in foro quoque interiori, adduntur priuationes beneficiorum, & reſtitutiones fructuum & penſionum, quæ ſine obligatione fori interni conſiſtere non poſſunt. Ex quibus ſatis patet, etiam in foro interno prohibitas eſſe confidentias.

SEXTO QVÆRO de pactionali & mentali confidentia. 9. *Pactionalis & mentalis confidentia.*

RESPONDEO & DICO PRIMO, ſi pactionalis confidentia pura eſt, & neutra ex parte conſummata, non inducit pœnas contentas in Bullis. Ratio eſt; quia pœnæ feruntur contra facientes & committentes verè confidentiam,

Digitized by Google

dentiam: at in caſu poſito nulla confidentia vere commiſſa eſt; ſed tantùm adfuit animus & conuentio eam faciendi.

10. Dico secvndo, ſi pactionalis confidentia ex altera parte conſummata eſt, vt quia traditum beneficium, tunc eo ipſo incurruntur cenſuræ & pœnæ Bullarum; nam Pius IV. decernit ab ipſa prima die receptionis vacare beneficium, & fructus debere reſtitui, & Pius V. ſubiicit excommunicationi eos qui receperint ſic beneficium, aut fructus. Nauar. *cap.* 23. *num.* 109. dicens hanc pactionalem confidentiam peiorem eſſe pactionali ſimonia; nam hæc ex vna tantùm parte conſummata non priuat beneficio, nec inducit cenſuras & alias pœnas; at pactionalis confidentia etiam ex vna tantùm parte conſummata modo dicto, inducit: immo peior etiam eſt ſimonia reali, nam hæc non priuat præteritis beneficiis; at pactionalis confidentia ſtatim recepto beneficio priuat omnibus præteritis beneficiis, redditque inhabiles ad futura, fructus etiam debentur Cameræ Apoſtolicæ, cùm ex ſimonia debeantur Eccleſiæ, vel pauperibus.

11. Dico tertio, ſi pactionalis confidentia conſummata ſit ex altera tantùm parte, vt quia recepturus beneficium ſoluat penſiones anticipatas futuri beneficij, vel aliis modis, probabilius eſt non eſſe eam ſubiectam pœnis Bullarum. ratio eſt; quia in Bullis ſolùm damnatur ea confidentia beneficiorum, in qua beneficium recipitur, vt deinde fructus vel penſio ſoluatur, vel vt idem beneficium alteri detur, ſemper enim dicitur, *ſi recipiatur, vel conferatur beneficium vt hoc vel aliud ſoluatur.* Cùm ergo in pœnis non ſit facienda ampla interpretatio, ſed potiùs ſtricta; dicendum erit tantum ad eam confidentiam pactionalem pertinere, in qua beneficiũ confertur, & recipitur. Confirmatur, quia pœna imponitur à prima die collationis beneficij: ſi ergo beneficium non recipiatur, etiamſi fructus vel penſio ſoluatur, aut dentur in confidentia; tamen non erit confidentia damnata in Bullis.

12. Dico qvarto, Mentalis confidentia, in qua re ipſa aliquid accipitur quod beneficium non ſit, non eſt ſubiecta cenſuris, ſicut diximus de pactionali confidentia ſimili; ſi verò accipiatur beneficium, ſubiicitur cenſuris, etiamſi fiat ſine vllo pacto externo. patet ex illis verbis Bullæ, *etiam ſola dimittentis intentione.* quaſi dicat, non ſolùm mutua vtriuſque partis, dimittentis ſcilicet, & recipientis intentione, ſed etiam ſola dimittentis intentione, committitur huiuſmodi confidentia. Nominat autem dimittentem, non recipientem: quia dimittens ſolet eſſe, qui frequentiùs alterum ad recipiendum impellit. Confirmatur; quia enumeratis omnibus caſibus confidentiarum, adiungit Pontifex, *licèt ipſum confidentiæ crimen alterius tantum partis conſcientia ſit admiſſum.* vbi per conſcientiam, intelligit cuiuſque ſecretum, & in proprio corde latentem ſuorum operum ſcientiam; nec mirum, quia punitur illa exterior collatio & datio beneficij facta illo animo confidẽtiario.

13. SEPTIMO QVÆRO de quibuſdam particulis Bullæ, quomodo intelligantur.

Particula quædam Bullæ exponitur.

Resondeo & dico primo, particula illa, *alterius partis conſcientia*, ſic intelligitur, vt ſi alter (dimittens nempe, vel recipiens) det beneficium, vel recipiat animo confidentiario, hoc eſt, animo vt detur penſio, vel fructus; etiamſi alteri id notum non ſit, tamen committitur confidentia prohibita in Bullis: cùm autem dicitur de collatore, ſi conferat (conditione tacita, vel expreſſa) ſenſus eſt non requiri propterea pactum aliquod inter dimittentem & recipientem; ſed conditionem poſſe eſſe appoſitam ex altera tantùm parte, vel expreſsè, altero tacente, aut non intelligẽte; vel tacitè, cùm dicuntur quædam verba æquiualentia, altero ſimiliter tacente, aut non intelligente, vel non conſentiente interiùs; tunc enim eſſet appoſita conditio vnius conſcientia, ſola ſcilicet ſcientia collatoris, electoris, præſentatoris, vel Patroni.

Ex his patet quid dicendum ſit ad caſum de clerico Cameræ, vel exempto, ſi intra tres menſes retrocedant beneficio, reſeruata penſione. Reſpondeo enim, ſi id fiat exteriùs bona fide, non animo confidentiario, factum quidem irritum eſſe, quia ſic decernitur in Bulla, tamen non incurri excommunicationem, ſi non adfuit culpa; potuit autem id fieri alterius partis conſcientia, vt ſi cedens vel reſignans in clericum Cameræ ceſſiſſet vel reſignaſſet ea intentione, vt ille deinde retrocederet.

Idem dic de eo qui a crimine abſolutus vel in irregularitate diſpenſatus, denuo recipit beneficium, quod ante vel poſt commiſſum delictum, aut contractam irregularitatem dimiſerat; nam ſi hic ea intentione dimiſerat vt iterum reciperet, vel contrà alter ea intentione receperat, vt retrocederet illo poſt abſolutionem, vel diſpenſationem; iam diceretur confidentia commiſſa, ſolùm alterius partis conſcientia. Atque ita conſtat habere locum particulam dictam in omnibus caſibus retentis confidentiæ.

Dico secvndo, particula illa in Bulla Pij IV. *ſi quis receperit beneficium cuiuſuis perſonæ contemplatione, vel intuitu*, ſic intelligitur, vt alteri videlicet poſtea det beneficium, vel penſionem, vel fructus, aut eorum partem; vel vt dato alteri beneficio reſeruet hæc ipſa ſibi, videlicet penſionem, vel fructus, vel regreſſum, acceſſum, aut ingreſſum, vel aliam quamcumque diſpoſitionem circa illud beneficium. Id patet ex præcedenti narratione multorum abuſuum, in qua continentur hæc quæ diximus; poſtquam adiunxit aduerbium *huiuſmodi confidentia*, ac ſi dixiſſet, confidentia antea à nobis narrata & explicata. 14.

OCTAVO QVÆRO de quibuſdam dubiis ex iis conſurgentibus. 15.

Dubia quædã ex iis conſurgentia.

Primum dubium eſt, ſi quis accipiat beneficium eo animo vt ſibi reſeruet penſionem dimiſſo beneficio, ingreſſum, vel regreſſum, erit ne confidẽtia. Reſpõdeo, ſi receperit vt ſibi reſeruet penſionem, non eſſe confidentiam, quia non accepit intuitu aut contemplatione alterius, ſed ſuimet, & in propriam vtilitatem; erit tamen factum non laudabile. Si quis verò recepit, vt det alteri, erit confidentia, quia iam accipit alterius partis conſcientia, vel intentione.

Secundum, ſi quis accipiat intuitu non alicuius particularis perſonæ, ſed in genere intuitu aliquorũ, vt alicuius ex conſanguineis, vel amicis meis, erit ne confidentia. Reſpõdeo affirmatiuè, prohibetur enim in his Bullis genus hoc cuiuſdam mercimonij, quo quis plura beneficia recipiebat, vt ea poſtea dimitteret ſuis conſanguineis, vel amicis, vel vt ea dimitteret retentis pro ſe penſionibus, regreſſu, &c.

Tertium,

Digitized by Google

Tertium, an ſi quis recipiat beneficiũ animo, vt iuuet ex fructibus parentes, vel fratres, aut ſorores, vel inſumet in alia opera pia, cõmittat confidentiã vetitam. Reſpondeo negatiuè, quia beneficia ſunt ad eos fines etiam inſtituta ſecundariò; idque indicatur iis verbis Bullæ, *intuitu perſonæ cuiuſuis, vt præfertur*, hoc eſt, intuitu pacti, familiaritatis, &c. in caſu autem poſito nõ eſt ita. Quod verum eſt etiamſi ad preces parentum, vel fratrum, vel ſororum, &c. beneficium acciperet, nam hæ tantùm excitant pietatem & miſericordiam in beneficiario, non debitum ex vi pacti.

Quartum, an ſi quis recipiat beneficiũ animo iuuandi parentes, & ex pacto cum illis inito, dandi illis fructũ, aut partem eius, ſit confidentia prohibita. Reſpondeo ſi pactum fiat, quia aliàs debitum eſſet, vt quia parentes ſunt in extrema neceſſitate, vel graui, & filius laicus negotiatione aliqua lucrabatur, parentes autem conſentiunt vt ſumat habitum clericalem neceſſarium ad beneficium cum pacto, vt ex eius fructibus præbeat neceſſariam ſuſtentationem; ſic, inquam, non eſt pactum neque ſimoniacum, nec confidentiale; ſi verò fiat, vt parentes ad id eum iuuent, & operam in eo collocent, ſic eſſet ſaltem ſimoniacum; quia cum pacto in iure prohibito. *cap. quam pio 1. quæſt. 2. cap. pactiones. de pactis*. & alibi ſæpe. Hæc ſatis.

16. NONO QVÆRO de pœnis contentis in prædictis Bullis.

Pœnæ in iis contenta.

RESPONDEO & DICO PRIMO, pœnas eſſe ſeptem. Primò enim beneficium receptum in confidentiam vacat à prima die receptionis, apud ſedem Apoſtolicam. Secundò, fructus debentur ab eadem prima die Cameræ Apoſtolicæ. Tertiò, omnes aliæ diſpoſitiones circa illud beneficium factæ, vt penſiones in eo impoſitæ, vel reſeruatæ, aut fructuum ſolutiones, ingreſſus, acceſſus, regreſſus, poteſtas transferẽdi, cõferendi pẽſiones, aut cõferẽdi beneficiũ illud, ceſſiones, retroceſſiones, renũciationes, collationes, & quæcũque deniq; aliæ diſpoſitiones cõſecutæ de tali cõfidẽtiario beneficio ſũt nullæ & irritæ. Quartò, amittũtur præterea omnia beneficia habita, & etiam dignitates omnes Eccleſiaſticæ ipſo iure, & officia etiam Romanæ Curiæ, & alia quoque temporalia beneficia. Quintò, fiunt inhabiles ad omnia beneficia, & alia officia dicta in futurum. Sextò, excommunicantur excommunicatione latæ ſententiæ ſoli Pontifici reſeruata, & ſi ſunt Cardinales, aut alij Prælati, ſunt etiam interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ ipſo facto. Septimò, etiam quicquid in contrarium fieri contingat, ſiue ſcienter, ſiue ignoranter, irritum eſt, & inane.

DICO SECVNDO, omnes qui interueniunt in confidentia prohibita, vt mediatores, collatores, præſentatores, patroni, partes denique omnes, vel recipiẽtes beneficiũ vel alias res, peccant quidem ſi hæc ſciẽter faciant; in cenſuras verò incidũt, ſi cõmittant ſimoniam antiquis iuribus conſtitutam, vtque etiam incident in illius pœnas, de quibus in tractatu de ſimonia in fine, vt ſi mediante pecunia reciperetur beneficium alteri dandum; & ſi idem beneficium impetretur apud ſedem Apoſtolicam, incident in cenſuras contra dantes & accipientes pro gratia, vel iuſtitia apud ſedem Apoſtolicam. In pœnas autem confidentiæ de nouo poſitas in Bullis Pij IV. & Pij V. non incidunt, niſi recipientes, vel retinentes beneficium in confidentia, vel ex tali beneficio recipientes penſionem, fructus, aut eorum partem, acceſſum, ingreſſum, vel regreſſum, aut ea retinentes. Alij verò nihil horum recipientes, vel retinentes, etiamſi grauiter peccent, committentes confidentiã, vt ſunt collatores, electores, præſentatores, patroni, mediatores cum cæteris omnibus, non comprehenduntur ſub pœnis illarum. Quare ſolùm pœnæ confidentiæ comprehendunt recipientes, vel retinentes beneficium, vel aliquid aliud ex eo beneficio ſic acceptum, quod patet ex verbis ipſis Bullarum.

DECIMO QVÆRO de tempore, à quo obligant pœnæ confidentiæ. 17.

A quo tempore illa obligent.

Cùm multi actus ſint vetiti in Bullis tanquam confidentiarij, vt prima dimiſſio beneficij per reſignationem, obitum, aut alio pacto, qua beneficium vacat; deinde electio, vel præſentatio & inſtitutio, vel collatio, poſtea eſt receptio ipſa beneficij poſſeſſio; fructus, penſio ſoluta; denique eſt retroceſſio, aut quæuis alia dimiſſio beneficij ex pacto confidentiario: quæſtio eſt, à quo tempore incipiant pœnæ, vt à quo tempore vacet beneficium, & reſtituendi ſint fructus; à quo tempore incipiant irritationes rerum omnium reſeruatarum in beneficio confidentiario, & penſionum, regreſſus, acceſſus, & cætera. Denique à quo tempore incipiant cenſuræ, & amiſſio ipſo facto aliorum beneficiorum prætetitorum, & inhabilitas ad futura; quibus reſpondebitur ſingulis concluſionibus. Reſpondeo ergo, &

DICO PRIMO, vacatio beneficij incipit à prima die receptionis eiuſdem in confidentiam, & fructus eius ab eadem die debentur Cameræ Apoſtolicæ. id habetur diſertis verbis in Bulla Pij IV. Quod certum eſt quando beneficium accipitur non vt dimittatur, ſed vt penſio, vel fructus, aut eorum pars ſoluatur; quando verò accipitur vt retrocedatur dimittenti, dicetur infrà. Porrò fructus decurſi ante receptionem beneficij, ſiquidẽ futuro beneficiato reſeruantur, eodem modo debebuntur Cameræ Apoſtolicæ; ſi verò applicati ſint Capitulo, vel fabricæ Eccleſiæ, vel Epiſcopo, vel alteri operi pio, tunc non debentur Cameræ, ſed illi operi, cui applicati erant; culpa enim eius qui poſtea illud beneficium recipit, non debet eſſe cauſa cur alij, qui immunes ſunt à culpa, puniantur. Et quamuis aliquis eorum fuiſſet in culpa confidentiariæ receptionis beneficij, non tamen propterea priuantur fructibus iis, qui alioqui legitimo iure ad eum, vel eos pertinebant. 18.

A quo tempore vacet beneficium, & reſtituendi ſint fructus.

Quando verò recipitur, vt poſtea retrocedatur dimittenti, vel alteri, tunc etiam vacat à prima die receptionis, & fructus eodem modo debentur Cameræ Apoſtolicæ; ratio eſt, quia tunc verè etiam prima receptio confidentiaria eſt, conſequenter à prima die receptionis beneficij currit pœna decreta generaliter cuilibet confidentiariæ receptioni beneficij.

Dices, in caſu quo clericus Cameræ vel alius exemptus intra tres menſes retrocedat beneficium in extraneum qui priùs renunciauerat, reſeruata penſione; quandónam vacat beneficium, à prima die retroceſſionis, an à prima die receptionis beneficij. Reſpondeo, ſi quando recipit, ideo recipit vt poſtea retrocedat, vacat à prima die receptionis; ſi verò recipit alia de cauſa, ſed poſtea mutato animo retrocedit, tunc eſt præſumpta confidentia, præſumitur enim tali animo priùs dimiſſum eſſe; ideóque ſecuta retroceſſione,

Digitized by Google

troceſſione, pœnam retroagi, & cenſeri vacaſſe à prima die receptionis; vt multi dicunt de ſimonia conuentionali ex altera parte conſummata, & de hæreſi quoad nullitatem contractuum, & priuationem bonorum à die commiſſi criminis. Idem dicendum, ſi retrocedatur beneficium in diſpenſatum ab irregularitate, vel abſolutum à crimine; qui eſt quintus caſus in Bulla Pij V.

19. *A quo tempore incipiant irritationes rerum omniũ reſeruatarum in beneficio confidentiario, & penſionum, regreſſus, acceſſus, &c.*

Dico secvndo, irritationes rerum omnium reſeruatarum à beneficio confidentiario & pẽſionum, regreſſus, & acceſſus, &c. incipiunt habere vim à prima die receptionis beneficij; ratio eſt euidens, quia cùm à prima die incipiat vacare, conſequenter cætera irrita erunt, quorum valor ab exiſtentia beneficij, & valida eius poſſeſſione pendet.

20. *A quo tempore incipiant cenſuræ, & amiſſio ipſo facto aliorum beneficiorum præteritorum, & inhabilitas ad futura.*

Dico tertio, cenſuræ & pœnæ incurruntur in prima die receptionis, ſeu retentionis beneficij, penſionis, fructus, vel partis eius, regreſſus, acceſſus, &c. patet ex iis verbis Pij V. *Qui beneficia, fructus, &c. intercedente hoc confidentiæ vitio, receperunt, ac retinent, niſi ſtatim ad ſe reuerſi & reſipiſcentes celeri dimiſſione ſibi proſpexerint, & quicquid tale admiſerint in futurum*, &c. Quibus verbis etiam inhabilitas ad futura beneficia continetur; ſequitur enim, *omnibus & ſingulis aliis beneficiis, &c. præſentium auctoritate priuamus, & ad futura inhabiles decernimus, & in iuris ſubſidium excommunicationis ſententia innodamus*, &c.

21. *Confidentia in penſionibus, & aliis rebus.*

Vndecimo qværo de confidentia in penſionibus, & aliis rebus.

Respondeo & dico primo, confidentia in penſionibus eſt, cùm quis penſionem, v. g. acceperit, vt eam alteri poſtea daret, vel transferret, aut eius partem, aut denique acciperet ad eam redimendam, & redemptionem poſtea alteri dandam. Quando verò recipitur beneficium, vt alteri detur, aut eius penſio, vel fructus, aut eius pars ex illo, tunc dicitur confidentia in beneficio.

22. Dico secvndo, in Bullis Pij IV. & V. ſolam confidentiam in beneficiis damnari; patet primò ex titulis ipſis Bullarum, in quibus ſolùm mentio fit de confidentia in beneficiis. Secundò ex narratione, & definitione caſuum confidentiæ; qui omnes verſantur circa receptiones beneficiorum in confidentiam, & penſionum ex illis. Et quamuis confidentia in ſolis penſionibus illicita ſit, & digna quæ prohiberetur; tamen non eſt cõprehenſa in Bullis, eodémque modo confidentia aliarum rerum, vt regreſſus, ſi quis illum reciperet, vt poſtea transferret in alium; acceſſus, &c. vt iuriſpatronatus, eſt quidem prohibita, ſed non comprehenſa in Bullis, neque ſub cenſuris; rarò enim hæc fieri ſolet, & ideo tantùm Pontifices egerunt de illa quæ contingit in beneficiis, in quibus hæc confidentia ſæpiſſimè accidebat.

23. *Comparatio conſtitutionũ inter ſe, & alia ad eas pertinentia.*

Dvodecimo qværo de comparatione conſtitutionum inter ſe, & aliis ad eas pertinentibus.

Respondeo primam comparationem fieri poſſe de caſibus in vtraque contentis, an Bulla Pij V. contineat omnes caſus confidentiæ Bullæ Pij IV. & è contra; & breuiter dicendum; ſi ſermo ſit de continentia expreſſa, nonnullos caſus contineri in vna, qui non continentur expreſsè in alia; nam in Bulla Pij V. continetur caſus de eo qui recipit ſola dimittentis intentione; item de criminoſo & irregulari recipiente beneficium antiquum quod dimiſerat: item de electore, vel præſentatore, vel patrono eligente, vel nominante, vel præſentante ſub conditione tacita, vel expreſſa, vt ſibi vel alteri penſio ſolueretur, aut fructus, qui tamen non continentur in Bulla Pij IV. Econtra in Bulla Pij IV. ſub illa clauſula, *Qui recipit beneficia contemplatione, vel intuitu cuiuſque perſonæ*, & ſub illa *in fauorem alterius, & in commodum alterius*, videntur multo plura comprehenſa, quàm in omnibus his caſibus enumeratis.

Si verò ſermo ſit de continentia virtuali, ſic dicendum, caſus expreſſos in Bulla Pij V. etiam contineri virtualiter in Bulla Pij IV. & è contra; nam Pius V. approbauit expreſsè Bullam Pij IV. & voluit in ſuo robore permanere; itémque voluit vt omnes caſus à ſe enumerati, continerentur ſub illa Pij IV.

Secunda comparatio fieri poteſt de caſibus numeratis in vtraque Bulla in ordine ad vitium confidentiæ, an videlicet omnes ſint veræ confidentiæ, an verò aliqui pro talibus puniantur, quamuis verè non ſint; ſed tantùm præſumptiuè. Reſpondeo omnes habere ſaltem aliquid confidentiæ, vnus enim, v. g. confidit quòd alter dabit poſtea beneficium, reſignabit eidem, vel alteri; vel retrocedet, vel confidit quod ſoluet penſionem, &c. Quòd ſi ignoranter & bona fide fecerit, tunc ſaltem eſſet caſus præſumptus.

Tertia comparatio fieri poteſt de caſibus confidentiariis prohibitis in his Bullis, cum iure antiquo, an videlicet hi eſſent antea prohibiti iure antiquo.

Respondeo & dico primo, confidentiæ, quæ fiebant interueniente aliquo pacto, vt quòd poſtea reſignaretur beneficium, vel daretur penſio, vel fructus, erant etiam prohibitæ iure antiquo. patet, quia omnis pactio in beneficiis & aliis rebus ſpiritualibus, illicita eſt, & ſimonia. *c. quam pio. 1. q. 2. c. quæſitum. de renuntiat.* & alibi ſæpe. 24.

Dico secvndo, confidentiæ quæ vel ex pacto ex altera tantùm parte adimpletæ erant, non habebant cenſuras iure antiquo. *cap. fin. de ſim.* Item quæ ex ſola intentione, & conſcientia alterius partis tantùm, neque habebant cenſuras; at verò iure Bullarum Pij IV. & Pij V. iam habent cenſuras. Item quæ ſine pacto vllo ex amicitia, familiaritate, conſanguinitate, gratitudine, vel intuitu & contemplatione alterius in commodum & fauorem illius, non erant vetitæ. Item eæ, quibus nihil ſpirituale pro altero emebatur, vel vendebatur, neque erat voluntas tale quid emendi, vel vendendi, ſed inerat potiùs donatio quædam beneficij, vel fructuum eius libera abſque ciuili obligatione, non erant vetitæ, cùm tales ſimoniaci non ſint. Iam tamen prohibentur per has Bullas, & ſub grauioribus pœnis, nempe commiſſionis omnium beneficiorum, vt dictum eſt. Hæc ſatis. 25.

TRACT

Digitized by Google

TRACTATVS QVADRAGESIMVS SECVNDVS

DE PENSIONIBVS:

QVI EST APPENDIX PRIMA AD TRActatum de Beneficiis.

BENEFICIIS *ſolent Eccleſiaſticæ penſiones imponi; ideo poſt illa, de penſionibus eſt agendum: quod hîc præſtabimus, ea quæ ad illas cognoſcendas ſpectant, ad hæc capita reuocantes. Primum erit de nomine, definitione, & diuiſione penſionis. Secundum à quo poſſit illa imponi. Tertium quibus poſſit conferri. Quartum qua de cauſa poſſit. Quintum in quibus beneficiis, & quomodo poſſit imponi. Sextum de obligationibus titularis penſione grauati. Septimum de obligationibus penſionarij. Octauum de ceſſatione penſionis. Nonum de peccatis, quæ circa penſionem poſſunt interuenire. Quæ omnia capita nos deinceps exequemur, varijs circa ſingula quæſtionibus præpoſitis, & explicatis: à recta eorum doctrina non recedendo, qui ante nos hoc idem argumentum pertractarunt. Sunt autem iſti præcipuè Joann. Baptiſta Caccialupus, Paulus Romanus Pœnitentiarius S. Petri, Gigas omnium accuratiſſimè, & ante illum Petrus Andreas, Gambarus* toto libr. 6. de offic. legati. *Lælius Zechius* de benefic. Eccleſiaſt. *Azor* tom. 2. libr. 8. capit. 5. *Pariſius* de reſignatione libr. 5. quæſt. 2. 3. 4. *Summiſtæ* verb. Beneficium, & verb. Penſio. *Leſſius* de iuſtitia, in vltima parte tractatus de beneficiis. *Thomas Zerula* in praxi fori Eccleſiaſtici, libro 2. *Garzias* de benefic. parte 1. cap. 5.

CAPVT I.

Penſio Eccleſiaſtica quid, & quotuplex ſit.

1. *Significatio nominis.* QVÆRO PRIMO quid nomine penſionis intelligatur?

RESPONDEO penſionis nomen in iure cōmuni duo ſignificare. Primò certam portionē fructuum ex beneficio detractam, & alteri in ſingulos annos aſſignatam, vel durante vita, vel ad certum terminum. In quo ſenſu penſionis nomen acceptum facti eſt, non iuris, id eſt, non ius ſignificat, ſed quod ex iure exigitur, aut exigendum eſt. Secundò penſio ſignificat ius, quod circa iſtam portionem verſatur, & duplex eſt, alterum actiuum in eo, qui penſionem poſſidet, habet & exigit, alterum paſſiuum in eo, qui eam iure ſoluere debet.

Ex hoc fit primò falſum eſſe, quod quidam apud Gigantem *quaſt.* 1. abſolutè tradunt, penſionem Eccleſiaſticam eſſe ius, &c. Si enim omnis penſio hoc eſſet, falſæ eſſent multæ ſequutiones in iure communi, quæ tamen veriſſimæ ſunt: vt cùm dicimus Titium exigere penſionem, & Caium illam ſoluere. Neque enim Titius ſoluit ius, cùm penſionem ſoluit, ſed id, quod ex iure debet, & quod eſt obiectum, & terminus illius iuris.

Secundò fit falſum eſſe, quod alij poſt Gigantem tradunt, penſionem Eccleſiaſticam generatim acceptam eſſe ius exigendi, &c. nam qui tenetur ſoluere penſionem, dicitur habere beneficium cum penſione, vel penſionem in ſuo beneficio, qui tamen nullum ius exigendi habet. Falſum ergo eſt abſolutè penſionem eſſe ius exigendi.

Tertiò fit communiter loquendo penſionis nomen accipi pro iure exigendi, vel ſoluendi, non pro penſione, quæ ſoluitur, & exigitur. Conſtat primò, quia in hoc ſenſu communiter accipitur in litteris Pon-

Digitized by Google

tificiis, quæ de penſionibus expediuntur. Secundò, quia penſio Eccleſiaſtica quæ conſtituitur in beneficiis, ac conceditur impetrantibus, fundatur in iure illam exigẽdi, vnde penſionis nomen communius, & principalius pro iure accipitur huius penſionis, quàm pro portione ipſa.

2. *Penſio Eccleſiaſtica quid.*

QVÆRO SECVNDO, quid ſit penſio Eccleſiaſtica latiſſimè ſumpta?

RESPONDEO, eſſe ius certæ penſionis ad tempus exigendæ, aut ſoluendæ, ex determinato beneficio, aut à beneficiario Eccleſiaſtica beneficia poſſidente. colligitur ex Gigante *q.* 1. apud quem Cardin. & Imola, quos ſequitur Azor *loc. cit. c.* 5. *q.* 1. Dixi eſſe *ius*, vt excluderem penſionem acceptam pro obiecto huius iuris; dixi *certæ penſionis*, quia penſio non eſt ius ad ſolum aliquod beneficium, ſed ad partem ex toto; dixi *ad tempus*, quia ſi perpetua eſſet iſta detractio, & detractæ portionis aſſignatio, naturam beneficij indueret, vt notant Abbas *c. conquerente. de clericis non reſidentibus, notabili* 1. *n.* 5. Caccialup. *q.* 12. Gigas *q.* 1. *&* 28. Dixi, *ex determinato beneficio*, &c. vt complectitur duplicem rationem aſſignandi penſionem; vnam in fructibus certi beneficij, quæ durat, durante vita penſionarij, ad quoſcunque illud beneficium deueniat; alteram in ipſo beneficiario, quæ extinguitur morte ſoluentis, de quibus DD. cit. præſertim Azor *c.* 6. *q.* 1. *&* 2. Abbas, Card. & alij apud Gigantem *q.* 6. indicat Suar. *lib.* 4. *de ſimon. c.* 51.

3. *& quotuplex.*

QVÆRO TERTIO, quotuplex ſit penſio Eccleſiaſtica hoc modo ſumpta?

RESPONDEO, duplicem eſſe, clericalem, & laicalem. Clericalis eſt quæ datur ob exercitium, aut ſuſtentationem ſtatus clericalis; laicalis, quæ ob temporale ſeruitium Eccleſiæ exhibitum, aut exhibendum. colligitur ex Gigante *q.* 67. Duar, *lib.* 7. *cap.* 4. Mandoſ. *queſt.* 11. *& de ſignatura gratiæ. tit. de penſionibus.* Leſſ. *extremo de benef.*

4. *Penſio Eccleſiaſtica laicalis quid.*

QVÆRO QVARTO, quid ſit penſio Eccleſiaſtica laicalis?

RESPONDEO, eſt ius ad certam penſionem beneficij, aut reditus Eccleſiaſtici, ob officium ſeruitij alicuius corporalis, Eccleſiæ exhibiti, aut exhibendi: huiuſmodi ſunt Eccleſiam exornare, tergere marmora, campanas pulſare, fores aperire, & claudere, canes abigere, &c. Dixi *officium*, quia pretium ſoluendum ob actuale ſeruitium non eſt penſio, ſed ſtipendium temporaneum, quod conducta opera debetur. In quo falluntur nonnulli ex auctoribus citatis, abſolutè definientes penſionem laicalem eſſe, quæ datur ob ſeruitium Eccleſiæ corporale. neque enim pretium accipiens, vt Eccleſiam exornet, & feſta. fronde coronet, aut reſarciat, aut mundet, &c. dicitur penſionem laicam habere, niſi hæc ex officio faciat; ſed ſtipendium ſuum accipere pro opera, quam Eccleſiæ prò tempore præſtitit. Dixi *ſeruitij exhibiti, vel exhibendi.* quia laica penſio conceditur, non ſolùm vt quis Eccleſiæ inſeruiat, ſed quia inſeruiuit, & iam ob infirmitatem, vel ætatem ſeruire non poteſt.

5. *Quid Eccleſiaſtica clericalis.*

QVÆRO QVINTO, quid ſit penſio Eccleſiaſtica clericalis?

RESPONDEO, eſſe ius ad certam quantitatem fructuum beneficij, conceſſum ad clericalem ſtatum ſuſtentandum, vel exercendum. conſentiunt Leſſ. Azor, Suar. cum Canoniſt. quos adducit, & ſequitur Garz. *p.* 1. *c.* 5. *n.* 10.

6. *Laica connumeranda ne inter corporalia, & temporalia, an inter ſpiritualia, vel annexa.*

QVÆRO SEXTO, an penſio laica ſit inter corporalia, & temporalia, an inter ſpiritualia, vel annexa connumeranda?

RESPONDEO, eſſe quid tẽporale, ex communi ſententia quam tradunt omnes DD. qui abſolutè, ſine diſtinctione docent penſionẽ eſſe quid temporale; de quibus quæſtione ſequenti.

Ex quo fit, cùm certiſſimum ſit in iure pẽſionem aliquam Eccleſiaſticam eſſe quid profanũ, & temporale, dubitari non poſſe laicam penſionem talem eſſe; nam, vt mox videbimus, penſio clericalis ſpiritualis eſt. Quare cùm omnis penſio vel laica, vel clericalis ſit, ſi hæc temporalis non eſt, neceſſe eſt laicam talem eſſe; quod diſtinctè docent Leſſ. Azor, Garz. Flam. *loc. citt.*

Ex quo fit in penſione Eccleſiaſtica laica ſacrilegium committi non poſſe, ac proinde nec propriam ſimoniam, nec confidentiam ſimoniacam, vt iidem tradunt.

7. *Clericalis an ſit quid ſpirituale.*

QVÆRO SEPTIMO, an clericalis penſio ſit quid ſpirituale?

RESPONDEO, duplicem eſſe ſententiam. Prima negat, quam fermè docuerunt omnes, qui ante Pium V. ſcripſerunt, vt Geminian. Philip. Francus, Felinus, Staphilæus, Selua, Gigas, Redoan. Caiet. *tr.* 17. *q.* 20. & omnes propemodum antiquiores, quos refert Garz. *p.* 1. *c.* 5. & Flam. *loc. cit. de reſignat.* & poſt Pium V. idem ſenſiſſe videtur Medina *in ſumm. lib.* 1. *c.* 14. *§.* 22. & alij apud eundem Garz. *n.* 7.

Secunda ſententia nunc communis & vera affirmat eſſe quid ſpirituale; ita Nauar. *conſ.* 34. *de præbendis*, Pariſius *de reſignat. lib.* 4. *q.* 2. Vega *in ſumm. p.* 2. *c.* 60. *caſu* 1. Rebuffus *de pacificis poſſeſſionibus, n.* 153. Mandoſ. *reg.* 19. *q.* 11. *n.* 11. Gabr. *conſil.* 191. Leſſ. *de benef. dub. vltimo*, Viuald. Lopez apud Garz. *p.* 1. *c.* 5. *n.* 18. Lælius Zechius *c.* 11. *n.* 9. Ratio eſt primò, quia beneficium Eccleſiaſticum eſt quid ſpirituale, ex D. Th. 2.2. *q.* 100. *art.* 4. vbi Garz. Bag. Val. Arag. Salon, Mol. Leſſ. Suar. Aluiſ. Turr. Nauarr. Manual. *cap.* 23. *n.* 108. Sot. *de iuſtit, lib.* 9. *q.* 1. *a.* 1. Abbas *c. contulere, de ſimonia,* vbi Felin. Sed eadem ratio quæ probat de beneficio [illegible] in penſione. Nam beneficium dicitur ſ[illegible]le, quia eſt annexum ſtatui ſpeciali, nempe clericatui, & datur propter officium ſpirituale, vt tradunt DD. citt. & explicat Garz. *p.* 1. *c.* 2. *n.* 6. Cùm ergo penſio clericalis ſit annexa ſtatui clericali, & detur propter officium clericale, erit etiam quid ſpirituale. Eſſe autem annexã ſtatui, & officio clericali, conſtat ex conſtitutione Pij V. & 30. Sixti V. in quibus decernitur penſiones Eccleſiaſticas non niſi deferentibus tonſuram poſſe conferri, & obligationem inducere officij B. Virg. recitãdi. Ex quo fit primò, licèt ante hos Pontifices ea de re poſſet aliqua eſſe controuerſia; nunc iã poſt illos non poſſe, cùm definierint penſionem omnem intrinſecè annexam ſtatui clericali exercendo, & officio recitando.

Fit ſecundò, quæ peccantur circa penſiones clericales, illas vendendo, redimendo, aut aliter in commercium illicitum, ſiue ex natura ſua, ſiue ex poſitiua prohibitione trahendo, ſacrilegij deformitatem continere, aut etiam labem ſimoniacam; ac proinde pœnas impoſitas ſimoniam in rebus ſpiritualibus admittentibus, ab his quoque incurri; qui circa penſiones ſimoniacè ſe gerunt, vt planiùs infrà.

8. *An beneficium Eccleſiaſticum.*

QVÆRO OCTAVO, an penſio clericalis ſit beneficium Eccleſiaſticum?

RESPON

Respondeo, duas eſſe ſententias. Prima aſſerit, quam tradiderunt Barbatias *cap. ad audientiam, el 2. de reſcriptis.* Paul. Rom. *c. 6. n.* 34. *c. 7. n.* 16. Gambar. *lib. 6. de offic. legati, n.* 304. & ex Theologis Maior *in 4. ſent. d.* 15. *q.* 5.

Secunda communis, & vera negat eſſe beneficium. Nauar. *conſil. 2. de conſtitut. n.* 8. *conſil.* 8. *de iure patronatus n. 9. conſil. 66. de ſimon. n.* 30. Couar. *practicarum c.* 36. *n.* 10. Pariſ. *de reſignat. lib. 1. q. 10. n. 69. lib. 2. q. 15. n. 1. lib. 11. q. 4. n.* 31. Suarez *tom. 5. de cenſuris d. 15. ſeſſ.* 7. Leſſ. *loc. cit.* Philip. Frãcus, Abbas, Felinus, Selua, Staphil. Gigas, Caccial. Redoan. & alij omnes, quos ſequitur Garz. *p. 1. cap. 5.* & latè refert Flamin. *loc. cit.*

Cur autem beneficium non ſit, nec illius nomine veniat intelligenda, variant auctores. Alij dicunt, quia penſio non eſt quid ſpirituale, quos ſuprà refutauimus, & ſtylus Romanæ Curiæ iã non admittit, qui facit ius. Nauarr. *conſil. 61. de ſimonia.* Flamin. *lib. 6. q.* 4. In Curia autem non tolerari, qui penſiones inter merè temporalia computant, conſtat ex conſtitutione Pij V. & iis, quæ adducunt Tolet. *lib. 6. c.* 9. Graff. *deciſ. lib. 2. c.* 50. Filiacus *de off. ſacerdotis 2. p. lib. 6. cap.* 3. Zerula *praxi Epiſcopali 1. p. v. penſio.* §. 8. Alij dicunt non eſſe beneficium, quia non datur propter officium, vt Tol. *lib. 5. cap. 76. &* 81. Sed poſt conſtitutionem Pij V. id falſum eſt, cùm conſtet dari propter officium paruum B. Virg. ad quod ita penſionarius clericus obligatur, ſicut ad magnum quilibet beneficiarius, vt conſtat ex ipſa conſtitutione, quã adducit Garz. *1. p. c. 1. n.* 5. Pet. Nauarr. *de reſtit. lib. 2. c. 2. n.* 100. Henriq. *lib.* 13. *c.* 13. §. 2.

Vera ergo ratio eſt, quia penſio non eſt ius percipiendi fructus ex bonis Eccleſiaſticis in ſe perpetuum, ſed tantùm temporale. Ad rationem autem beneficij requiritur, vt ſit ius in ſe perpetuũ, vt ſuprà oſtẽſum eſt cùm de beneficiis ageremus, *c. 1. q. 2. concl.* 4. Dixi *in ſe perpetuum,* quia non eſt neceſſarium vt ſit perpetuum in hoc, vel illo ſubiecto poſſidente, ſed poteſt eſſe tẽporale, vt patet in beneficiis regularibus & manualibus, quæ ſunt ad nutũ amouibilia, & tamen vera beneficia, vt docent Rebuff. Selua, Mandoſ. Caſſador. quos refert Pariſ. *de reſignat. lib.* 11. *q.* 3. *n.* 81. Gonzales ad regulam de menſibus *gloſ.* 5. §. 6. Garz. *p. 1. c. 2. n.* 66. ſed debet eſſe ius perpetuum [illegible]e, ita vt ex inſtitutione ſua durabile ſit, & e[illegible] alium poſſeſſorem transferibile, & proinde natura ſua vacabile, vt loquuntur in Curia, id eſt, ex vnius amotione, qui illud poſſidebat, alium requirens, cui conferri debeat. Ex hoc ſit primò non bene beneficium definiri à Garzia, Zechio, & aliis, quos ipſe citat *p. 1. c. 7. n.* 2. quòd ſit ius percipiendi fructus ex bonis Deo dicatis, clerico propter diuinum officium competens. Nam hæc definitio penſionem clericalem complectitur, cùm tamen Garzias, Tolet. & alij doceant, vt debent, penſionem non eſſe beneficium, vnde ad illam excludendam, neceſſe eſt in definitione beneficij apponere, quòd ſit ius perpetuum, vt ſuprà nos fecimus *c. 1. de benef. q.* 1. contra quam contendat Garz.

Secundò ſit poſt Concilium Trident. videri omnino certum, quòd penſio non ſit beneficium, licèt ante illud poſſet eſſe, vt erat inter aliquos ea de re nonnulla dubitatio. nam Concil. *c. 2.* §. 21. *& c. 15. ſeſſ. 25. de reform.* penſiones, & beneficia contradiſtinguit, & idem facit Sixt. V. *conſtitut. 30. & 31. de Tonſurâ, & habitu clericali.*

Tertiò ſit qui beneficia impetrant, non teneri penſionum, ſi quas habent, mentionem facere præciſè ex ea regula, quæ iubet, beneficia poſſidentem, niſi iam poſſeſſa denuntiet, alia impetrare non poſſe.

Quartò ſit eodem pacto illa regula non teneri, qui beneficium poſſidet, illius mentionem facere, cùm vult penſionem aliquam impetrare.

Quintò denique ſit pœnas impoſitas ſimoniam, aut confidentiam committentibus in beneficiis non comprehendere penſiones, vt per ſe patet, & explicant Nauarr. Fuſcus, Geminianus, Dias, Zerula, Vgolinus, Corduba, quos referunt, & ſequuntur Flam. Pariſius *lib. 6. de reſignat. q. 2. n. 124. & de confidentiis q. 23. n.* 40. Garz. *p. 1. c. 5. n.* 20.

CAPVT II.

A quo poſſint Eccleſiæ penſiones imponi.

QVÆRO PRIMO, quis poſſit de iure communi abſolutè loquendo, penſiones imponere? 1. *Quis penſiones imponere iure communi queat.*

Respondeo, nullum poſſe de iure communi, niſi ſummum Pontificem. Primò, quia quod de iure communi abſolutè prohibetur, ligat omnes de iure communi, præter ipſum ſummum Pontificem, qui ſolus eſt ſupra ius omne poſitiuum, quo quicunque alij præter ipſum tenentur, qui ſunt ſicut oues ſub ſuo paſtore. D. Th. *quodlibeto 4. q.* 4. Felinus *cap. ad audientiam, & 2. de reſcript.* Decius *conſil.* 112. & communis, quam refert Flam. *de confid. q.* 3. ſed de iure communi prohibẽtur cõferri beneficia cum diminutione, aut cum diuiſione. *c. cùm ſecundùm, & c. vlt. prope finem, de præbendis.* Sed liberè abſque diminutione aliqua conferri iubentur. *c. maioribus. 1. q. 3. c. vacante, & c. cùm cauſam, in fine, de præbendis, & in toto tit. vt eccleſiaſtica beneficia ſine diminutione conferantur. c. piæ, in fine.* 16. *q.* 7. Decius *conſil.* 341. Cùm ergo penſio ſit diminutio, & detractio quædam ex fructibus beneficij, non poterunt illam imponere quicumque iure communi tenentur integra beneficia, & ſine diminutione conferre.

QVÆRO SECVNDO, qui Prælati, & in quibus caſibus ab hac communi lege iure antiquo excepti ſint? 2. *Qui Prælati, & in quibus caſibus ab hac communi lege iure antiquo excepti.*

Respondeo, Epiſcopos exceptos eſſe, non abſolutè, ſed in certis caſibus, quibus facultas antiquitus concedebatur penſiones conferendi. Quòd iſti ſint excepti, conſtat ex *c. niſi. de præbendis.* vbi Innocent. ex *c. de cætero. de tranſactionibus. cap. audiuimus. de colluſionibus detegendis. cap. ad audientiam 2. col. 1. verſ. 2. c. veniens. de reſtitut. ſpoliatorum.* vbi Abbas; & explicant Oldradus, Ancharanus, Speculator & alij, quos affert Flam. *q. 28. de confid. n.* 120. poſt D. Th. 2. 2. *q.* 100. *art.* 4.

Quòd autem non abſolutè, ſed in certis caſibus excepti ſint Epiſcopi, conſtat ex iiſdem auctoribus, qui communi conſenſu tradunt, non liberè, ſed magna cũ reſtitutione poſſe Epiſcopos pẽſiones imponere, vt ex ſacris canon. habetur, quos ad hoc adducunt, & expendunt Innoc.

c. de cætero. de tranſactionibus. Ancharan. *conſil,* 279. Rebuff. *de pacifica poſſeſſione, numer.* 104. & plures alij, quos ſequitur Garz. *part.* 1. *cap.* 5. §. 2. *n.* 277.

3\. *Caſus, quibus iure antiquo poſſunt Epiſcopi imponere penſiones.*

QVÆRO TERTIO qui ſint caſus, in quibus iure antiquo poſſint Epiſcopi penſiones imponere?

RESPONDEO plures eſſe, Primus eſt, pro concordatione litis, & bono pacis. *cap. niſi, de prabend.* Secundus, pro pauperibus, & egenis. Innoc. *c. de cætero, de tranſact.* Tertius, pro benemeritis. Oldrad. *conſil.* 226. Quartus, pro vſu pio. D. Thom. 2. 2. *q.* 100. Quintus, pro renuntiante ex cauſa alimentorum, quæ ſint illi poſt renuntiationem ſubminiſtranda. Anchar. *conſil,* 179. Redoan. *de ſimon. cap.* 21. *part.* 2. *col.* 3. Sextus, vt non niſi in quantitate moderata. Felin. *cap. ad audientiam. de reſcript.* Septimus, ad vitam conſtituentis beneficium ſuſtentandam. Nauar. *conſil.* 43. *num.* 9. *de ſimon.* Octauus, ad coæquandos fructus in permutatione. Nau. *conſ.* 22. *n.* 4. *de ſimonia.* Nonò vniuerſaliter requiritur, vt niſi cum cauſa expreſſa Epiſcopi pẽſiones imponant. Nauarr. *conſil.* 20. *num.* 2. *de ſimon.* Azor *loc. cit.* Garz. *part.* 1. *cap.* 5. *n.* 270. & deinceps.

4\. *An huic iuri antiquo derogatum per conſt. Pij V.*

QVÆRO QVARTO, an huic antiquo iuri ex noua conſtitutione Pij V. aut aliter ſit derogatum?

RESPONDEO, quoſdam exiſtimare etiam ante Pium V. per non vſum, & diſſuetudinem facultatem Epiſcopis conceſſam penſiones in illis caſibus imponendi ceſſaſſe, & ab aula receſſiſſe. ita Rebuff. *de pacif. poſſ. num,* 105. Auctor *tract, de penſionibus,* qui habetur *tom.* 15, *tractatuum part.* 2. Alij, & ob hanc rationem, & quia Pius V. in conſtitutione ſua contra confidentias illam abrogauit. ita Flam. *q.* 28. *de confidentijs, num.* 120. *&* 121. Probat autem, quia verba prohibitiua Pij V. vniuerſalia ſunt reſpectu omnis collatoris, ac proinde complectuntur etiã Epiſcopos, vt conſtat ex ſecundo caſu, quẽ damnat, & punit, & his verbis declarat habendum pro confidentiali. *Quoties,* inquit, *collator, aut cedens iuſſerit, vel ſignificauerit ei, cui contulit, beneficium, vt ſoluat penſionem ſibi, vel aliis, ſeu illi, vel illis, quem, vel quos, idem collator aut cedens, vel alius pro ſe, ſcripto, aut verbo iuſſerit,* &c. Ex his enim verbis videtur manifeſtò omni collatori, ac proinde etiam Epiſcopo facultas auferri penſiones quaſcumque imponendi. Nam omnis penſio reſeruatur à collatore ſibi, vel aliis, ſed Pontifex decidit, quoties collator penſionem ſibi, vel alij in collatione reſeruat, habendum pro ſimoniaco confidentiali. Ergo cùm hanc damnet, prohibeat, & puniat, prohibet quoque talem reſeruationem, vt impoſitionem penſionis.

Vnde infertur ſecundùm Flaminium, ſi qui Epiſcopi iam penſiones imponant, nec ob id inquietentur, facere id ex tacita, vel expreſſa Pontificis facultate.

5\. *Cauſſæ iſtius derogationis quæ.*

Cur autem Pius V. motus fuerit ad hoc ius Epiſcopis auferendum, tres cauſas, dicit Flam, aſſignari poſſe. Prima eſt ad tollendos ſcrupulos. Cùm enim facultas illa reſtricta eſſet, vt non niſi cum cauſa penſionis impoſitio per Epiſcopum valeret, poterat ſemper eſſe ſcrupulus, an ea adfuiſſet. Secunda ad tollendas lites, quæ propter eandem rationem poterant ſuboriri. Tertia, quia iam in diſſuetudinem vſus illius facultatis abierat. Has tres cauſas explicat Flam. *q.* 28. *de confid. n.* 119. 120. 121. ex Nau. & aliis.

Aſt alij putant non obſtante conſt. Pij V. facultatem hanc in Epiſcopis adhuc remanere, vt Garz. *part.* 1. *c.* 5. §. 2. *n.* 313. Probat primò ex Rota in vna Mileuit. Canonic. coram Millino 6. Mart. 1595. vbi deciditur penſionem reſeruatam ab Epiſcopo certæ perſonæ, etiam de conſenſu præuio, coram Notario præſtito, non facere penſionem ſimoniacam, dummodo conſtet de cauſa, & penſionarius declaretur.

Dicendum exiſtimo Pij conſtitutione nullam facultatem Epiſcopis abrogatam, qua priùs vti licitè poſſent; ſed tantũmodo punitã impoſitionem penſionis ab ipſis factam ſine cauſa, & hoc non in omni caſu, ſed in collatione beneficij.

Ex quo infertur primò, poſſe Epiſcopos extra caſum collationis imponere penſiones ob illas omnes cauſas, quæ recenſuimus; illas enim Pij conſtitutio non attigit.

Secundò infertur in collatione præſumptionem confidentiæ tantùm adeſſe cùm penſio imponitur primò ſine cauſa vlla probabili; ſecundò, cùm reſeruatur in fauorem perſonæ declarandæ; tertiò, cùm collatio fit de beneficio vacante ob ceſſionem per reſignationem. Quod totum colligitur ex deciſionibus Rotæ, quas adducit Garz. *loc, cit.*

QVÆRO QVINTO an Legatus poſſit imponere penſiones. 6.

An Legatus imponere penſiones poſſit.

RESPONDEO poſſe eodem modo, quo poteſt Epiſcopus, cùm quicquid poteſt Ordinarius, poſſit etiam Legatus in ſua Prouincia, & longè plura. *cap. legatus. de off. legati.* Ioan. And. Baldus, Gambar. quos refert Pariſ. *q.* 28. *n.* 18. Abbas *c.* 1. *de off. legati.* Speculator *de legatis, verſicul.* 17. Itaque ſicut Epiſcopi non poſſunt in omni caſu, ſed limitatè; & non niſi certis de cauſis, & in tãta quãtitate pẽſiones imponere, ita nec Legatus, niſi aliud ſpeciali cõceſſione ſit illis in litteris ſuæ prouiſionis indultũ.

QVÆRO SEXTO, an omnis Legatus hoc poſſit, an tantùm Legatus à latere? 7

An omnis Legatus id poſſit, vel tãtum Legatus à latere.

RESPONDEO, tantùm Legatum à latere, vel eũ, qui nuntius mittitur cũ poteſtate Legati. ita Gig. *q.* 8. *n.* 18. Cucchus *in inſtit. paru. lib.* 2. *tit.* 8. §. *ante omnia.* Zech. & alij apud Garz. *p.* 5. *c.* 13. Omnes autem Cardinales, qui cum Legati munere mittuntur, eo ipſo Legati à latere cenſentur. Gambar. *de poteſt. Legati lib,* 6. *n.* 77. Dec. *conſ.* 149. Nau. *c. cùm contingat. remed,* 5. *n.* 2. *de reſcript.* Boërius, Socinus, Vameſius & alij, quos ſequitur Eraſmus Cochier *de eſſentionibus p.* 2. *q.* 2. Alij autem non Cardinales Legati à latere cenſentur, ſi cum poteſtate Legati à latere mittuntur.

QVÆRO SEPTIMO, an ad penſionem imponẽdam iuſta cauſa ſemper requiratur? 8.

An ad penſionem imponendam ſemper requiratur iuſta cauſa.

RESPONDEO, iuſtam cauſam tripliciter accipi, primò debitam, ſecundò legitimam, tertiò æquam, & rationabilem. Ius enim hæc tria inter alia ſignificat, debitũ, legem, & æquitatẽ. Vnde & iuſtum à iure deductũ hæc etiã ſignificabit.

DICO PRIMO, non ſemper requirit iuſtam cauſam, i. debitã, ſiue quæ ſit ex debito iuſtitiæ; ita vt ſi penſio non conferatur contra iuſtitiam peccetur. Patet, quia pleræque pẽſiones ponuntur in eorum fauorem, qui nullum ius, niſi æquitatis, & conuenientiæ habẽt ad illas reſignandas.

DICO SECVNDO, vt licitè imponatur penſio, ſemper requiri iuſtã cauſam, i. æquam, & rationabilem in imponente. Patet, quia omnis actus, qui recta ratione non regulatur, malus

Digitized by Google

malus eſt, ac proinde illicitus, & culpandus.

Dico tertio, vt inferior Papa validè penſiones imponat, debet ſemper interuenire iuſta cauſa, id eſt, legitima, qualem ſcilicet leges præſcribunt.

Ex quo infertur primò penſionem collatam ab Epiſcopo nulla cauſa expreſſa nullam, & inualidam eſſe; vt ex pluribus deciſ. probat Garz. *p.* 1. *c.* 15.

Secundò poſſe eam argui confidentiæ ſimoniacæ, vt conſtat ex iis, quæ tradit Flam. *q.* 28. *de confid.* & poſt illam Garz. *p.* 1. *c.* 5. §. 2.

Tertiò cauſam expreſſam, ſed non qualem leges permittunt, vitiare etiã impoſitionem penſionis ab Epiſcopo, cui tantùm iura concedunt hanc facultatem in certis caſibus, & propter cauſas expreſſas; vt bene Nauar. *conſil.* 4. *de ſimon.* Cucch. Reodan. Vega, Duad. Coraſius, Gambar. quos ſequitur Garz. *d. c.* 5. §. 2. *n.* 295.

9.
An illa requiratur in Papa.

Qværo octavo, an in Papa requiratur iuſta cauſa.

Respondeo & dico primo, requiri iuſtam, id eſt, rationabilem cauſam, ne peccet in imponendo.

Dico secvndo, non requiri iuſtam, id eſt, legitimam; quia nulla poteſt ei cauſa à lege taxari; cùm ſit ſuper legem poſitiuam.

Vnde valet penſio à ſummo Pontif. collata ſine vlla cauſa expreſſa; ſed ex ſolo beneplacito: vel cum expreſſa; ſed non qualem leges requirunt in inferioribus prælatis.

Malè ergo qui docent penſionem conſtitutam à Papa pro aliquo ſine cauſa, non prodeſſe obtinenti in foro conſcientiæ; quod tradunt Gambar. Abbas, Felinus, Victoria, Aragon, & alij plures apud Garz. *c.* 5. *p.* 1. §. 2. *n.* 275. Summus enim Pôtifex nulla lege poſitiua tenetur, vt validè penſiones cõferat; ſed tantùm vt licitè, & honeſtè, requiritur cauſa rationabilis, quæ ſæper adeſſe præſumitur, licèt non exprimatur, & penſionarius ſemper in cõſcientia tutus eſt dũ Pontifex penſionem aſſignat, non precibus motus, ſed ex certa ſua ſcientia, & beneplacito voluntatis. quæ eſt conſtans, & veriſſima ſententia meliorum DD. vt latè Flam. *lib.* 6. *q.* 2. *de reſign.* & Garz. *loc. cit.*

Ex quo infertur obtinentem penſionem tutum non eſſe. Primò, ſi Pontifex moueatur falſis precibus impetrantium. Secundò, ſi aliquam cauſam aſſignauit penſionis imponendæ, quæ ab impetrante non iuſtificetur: vt bene deciſum eſt in vna Reatina 1588. coram Pamphilio, vbi traditur penſionem nullam eſſe ſi cauſa narrata non eſt vera. Licèt enim Papa poſſit reſeruare penſionem ſine cauſa, tamen in dubio motus iuſta cauſa cenſetur. Et quando cauſa expreſſa eſt, indubitatum eſt illam debere iuſtificari, aliàs eſt nulla, &c. Vnde conſtans ſententia eſt penſionem ex falſa cauſa, & non ſubſiſtente conceſſam, nullam eſſe. Gigas *q.* 5. *n.* 5. Caputaquenſis *deciſ.* 298. *n.* 1. *p.* 2. Rota *deciſ.* 274. Pariſ. *lib.* 6. *q.* 2. *n.* 77. quod intellige, quando cauſa fuit motiua, & principalis, non impulſiua, & merè acceſſoria.

10.
An quis poſsit in ſuo beneficio conſtituere penſionẽ propria auctoritate.

Qværo nono, an poſſit quis propria auctoritate in ſuo beneficio pẽſionem conſtituere: Ratio dubitandi, quia poteſt beneficiarius obligare ſe per conſenſum gratuitum vel oneroſum ad certam portionem fructuum ſui beneficij cuipiam perſoluendam.

Respondeo & dico primo, poſſe beneficiarium per contractum fructus ſui beneficij obligare, ſeruatis, quæ requiruntur in alienatione, & longa locatione rerum Eccleſiaſticarum.

Dico secvndo, talem deciſionem fructuum, & ius quod per illam quis conſequitur ad certam penſionem fructuum beneficij, non eſſe penſionem. Primò, quia non conſtituitur ab habente legitimam poteſtatem. Secundò, quia obligatio non eſt directa ſuper fructibus, ſed ſuper beneficiario fructus poſſidente, vnde eo mortuo ceſſat omne ius, niſi aliud ſit prouiſum. Tertiò, non ſurgit inde vlla obligatio ſtatus clericalis, aut officij recitandi. Ex quo fit talem obligationem & ius, quod ex illa conſequitur, habere rationem contractus purè ciuilis, qui poteſt cum quibuſcunque perſonis lege non prohibitis, à beneficiario celebrari.

CAPVT III.

Qui ſint capaces, ſeu quibus poſſint Penſiones conferri.

1.
An detur exceptio perſonarum non habilium ad Eccleſiaſticas penſiones, reſpectu Papæ.

QVÆRO PRIMO, an reſpectu Papæ detur exceptio perſonarum non habilium ad Eccleſiaſticas penſiones?

Respondeo non dari, ſed omnibus perſonis tam veris, quàm fictis poſſe ab illo conferri; vt fœminis, infantibus, irregularibus, aut aliis quomodocunque aliter inhabilibus. item Collegiis, vniuerſitatibus & ſocietatibus; in quo tamen obſeruandum valere tantùm collationem, cùm conſtat ſummum Pontif. volentem, & ſcientem penſionem aliàs inhabili contuliſſe. Quod fit cùm exponit inhabilitatem ipſam, & nihilominus gratiam confert. Si autem nullam mentionem inhabilitatis facit, gratia valida non cenſetur, ſed ſubreptitia præſumitur, & ſummus Pontifex non bene informatus. Quæ omnia colliguntur ex iis, quæ plures auctores adducens tradit Flam. *de confid. q.* 3. & *q.* 27. *n.* 167. *q.* 28. *n.* 146. *q.* 33. *n.* 44. *q.* 40. *n.* 18.

2.
Regulares inhabiles ad pẽſiones obtinẽdas qui.

QVÆRO SECVNDO, qui ſint regulariter inhabiles ad penſiones obtinendas?

Respondeo primò, quicumque ſunt inhabiles ad ſtatum clericalem, vel abſolutè, vt fœminæ, vel durante impedimento, vt infantes, infideles, amentes, &c. Secundò, qui ſunt inhabiles ad officium recitandum. Vtrumque conſtat, quia penſio Eccleſiaſtica ſpiritualis annexa eſt ſtatui clericali, & officio recitando, vt habemus ex conſtit. 71. Pij V. & 21. Sixti V.

3.
An laicales penſiones omnibus conferri poſſint.

QVÆRO TERTIO, an laicales penſiones poſſint omnibus conferri?

Respondeo, nullas perſonas lege poſitiua excipi, quæ iure naturæ capaces ſint finis, ob quem poteſt laico penſio conferri; & ſic quicunque poteſt aliquid vnquam facere, aut etiam fecit in vtilitatem Eccleſiæ, poterit penſionem laicam accipere, vt ſuſtentetur, vel ad ſeruitia præſtita remuneranda, vel in ſpem eorum, quæ poteſt præſtare. Quare nec fœmina, nec infans, nec criminoſus, nec illegitimus, nec alij ſimiles excluduntur. Gambar. *lib.* 6. *de off. legati n.* 281. Azor *c.* 6. *q.* 12.

4.
Excommunicatus an penſionis de nouo obtinendæ capax.

QVÆRO QVARTO, an excõmunicatus capax ſit penſionis de nouo obtinendæ?

Respondeo, Suar. negat *tom.* 5. *d.* 3. *ſect.* 1. *n.* 9. quia in litteris Pontificiis ad effectum penſionis obtinendæ præmittitur abſolutio à cenſuris. Sed affirmat eſſe capacem Garzias

Digitized by Google

p. 1. c. 5. n. 134. & probabiliùs. Quia penſio laicalis non requirit Clericatum, nec officium, à quo vtroque repellitur excommunicatus, nec eſt quid ſpirituale annexum, quo bonorum genere priuat excommunicatio, impediens ne de nouo illorum dominium obtineatur.

5. *An habens impedimẽtum vitæ clericalis ſuſcipiendæ ſit incapax penſionis Eccleſiaſticæ.*

QVÆRO QVINTO, an omnis habens actuale impedimentum vitæ clericalis ſuſcipiendæ ſit regulariter incapax penſionis Eccleſiaſticæ.

RESPONDEO, vel illud impedimentum eſt amouibile per diſpenſationem, vt eſt Canonicum: vel non, vt ſunt impedimenta naturalia; ſi hoc, certum eſt, neminem poſſe cum hoc impedimento penſionem clericalem capere: ſi primum, controuerſia eſt inter auctores, quamuis puto poſſe componi.

DICO ergo PRIMO, qui cum impedimento Canonico non expreſſo, quòd nec vult, nec facilè poteſt per diſpenſationem tollere, penſionem impetrat, inualidè impetrat, nam talis ſubticentia videtur facere collationem ſubreptitiam, vt Nauarr. Couarr. Abb. & alij, cum quibus Suar. *tom. 5. d.* 40. *ſect.* 2. *n.* 30. Flam. *lib.* 4. *de reſign. q.* 3. apud quem Couar. Imola, Rebuff. & alij. vbi etiam *n.* 37. atteſtatur hoc eſſe de ſtylo Curiæ.

DICO SECVNDO, qui certus facilè ſe poſſe impedimenti diſpenſationem obtinere, & quamprimum vt eam obtineat eſt curaturus, tacito licèt impedimento, validè gratiam impetraret, ac proinde etiam penſionem; ita Syluest, *Excommunicatio* 4. *n.* 4. apud quem Felinus, & alij. Ratio eſt, quia ſubticẽtia talis impedimenti vitæ clericalis, non cenſetur rationabiliter facere gratiam ſubreptitiam, nam proximè accingendus habetur per accinctò, & quod parum diſtat, nihil diſtare videtur, & de minimis non curat Prætor. cùm ergo qui facile poteſt, & vult diſpenſationem impedimenti pro vita clericali obtinere, parum ab ea diſtet, & ſit proximè accingendus, habebitur pro accinctò, & expedito.

DICO TERTIO, qui impetrat penſionem à ſciente irregularitatem, vel aliud impedimentum illius, validè eam obtinet, licèt vterque peccet, ſi conferens ſit inferior Papa, aut non poſſit in eo impedimento diſpenſare. colligitur *c. is qui.* 2. *de ſent. excomm. in* 6. Abb. *c. vlt. de exceſſibus Prælatorum*; vbi docent, præceptum eſſe ne irregularibus beneficia conferantur, ac proinde ſi fiat, eſſe id contra præceptum, non tamen irritum, dummodo voluntas adſit conferendi.

6. *An laico conferri validè poſſit penſio clericalis.*

QVÆRO SEXTO, an Laico poſſit validè clericalis penſio conferri?

RESPONDEO poſſe, dummodo clericalem vitam ſuſcipiat, nec priùs fructibus gaudeat, quàm clericus efficiatur. ſi enim huic validè beneficium confertur, quanto magis penſio. qua de re Flam. *lib.* 6. *de reſig. q.* 2. *n.* 142. vbi docet in prouiſione facta Laico apponi clauſulam, *quamprimum clericali charactere inſignitus fuerit.* quod valet ad confirmandam doctrinam quæſtionis proximè præcedentis. Certum enim eſt vitam & ſtatum laicalẽ eſſe omnino repugnantem penſioni clericali, & tamen ea non obſtante validè hæc confertur, ſi qui eam obtinet clericatum vult ſuſcipere, & poſtea ſuſcipit. Potiori ergo ratione validè poteſt ab eo penſio impetrari, qui impedimentum vitæ clericalis habet, ſi illud paulo pòſt eſt amoturus.

7. *An ille obtinendæ capax qui impedimentum habet recitandi officium.*

QVÆRO SEPTIMO, an qui impedimentum habet officium recitandi, capax ſit clericalis penſionis obtinendæ.

Quæſtio locum poteſt habere in cæco, aut legere, & pronunciare quod legerit, neſciente. Ad quam RESPONDEO, ſic impeditum incapacem eſſe, & nullam eſſe collationem, niſi ſit facta ab eo, qui ſcit impedimentum, & poteſt in illo diſpenſare, vel obligationem officij in æquiualentem commutare.

Ex quo infertur Epiſcopum poſſe taliter impeditis penſiones conferre; quia poteſt de rationabili cauſa obligationem officij recitandi in aliam commutare.

8. *An Pontifex ſciens iſtiuſmodi impedimenta, eo ipſo cenſeatur diſpenſare, ſi penſionem nihilominus conferat.*

QVÆRO OCTAVO, an Pontifex ſciens impedimentum vitæ clericalis, aut officij recitandi, eo ipſo cenſeatur diſpenſare, ſi nihilominus penſionem conferat?

RESPONDEO affirmatiuè, quia nullus cenſendus eſt velle facere actum nullum, vel malum; quanto minus ergo ſummus Pontifex, pro quo omnia iura ſemper in bonum præſumptionem capiunt, Cùm ergo conferre penſionem impedito, ſine voluntate auferendi impedimentum, ſit actus malus, & irrationabilis, non debet præſumi in Pontifice, vt conſtat ex iis, quæ tradit Alciat. *de præſumptionibus reg.* 3. *præſumption.* 1. *& ſeqq.* Flamin. *de confident. quæſt.* 75.

9. *Quid ſi quis tacito impedimento penſionem poſtulet, & admittatur.*

QVÆRO NONO, an impeditus per irregularitatem, aut aliter, à vita clericali, peccet tacito impedimento penſionem poſtulans, & admittens.

RESPONDEO, ſi ſperat, & vult impedimentum auferre, probabile eſſe non peccare; ſi nec ſperat, nec vult, omnino peccat; primò quia in re graui Principem, aut Prælatum decipit; ſecundò, quia vult aliquid ſine iis, quæ in eſſe morali, ſunt ſimpliciter ad illud neceſſaria.

10. *Quid ſi inferior Papâ conferat ſcienter penſionem irregulari cum quo ipſe diſpenſare nequeat.*

QVÆRO DECIMO, an inferior Papa peccet conferendo ſcienter penſionem irregulari cum quo ipſe diſpenſare non poſſit. Ratio dubitandi eſt ex *q.* 5. vbi adduximus Abbatem, & alios qui hoc certum exiſtimarunt: quia facit contra præceptum de non conferendo beneficium irregulari.

RESPONDEO tamen, & DICO PRIMO, Prælatus inferior conferens ſcienter penſionem irregulari, quem ſcit facilè diſpenſandum, &c. & in eam ſpem citra omnem contemptum, collationem illam facit, non peccat; præceptum enim illud de quo Abb. & Imola, *cap. cum noſtris. de conceſſ. præbend.* Felin. *cap.* 2. *colum.* 2. *de reſcriptis. & cap. Inquiſitionis* 2. *notabili* 2. *de renunciat.* Rebuff. *de pacif. poſſeſſ. num.* 280. vel intelligitur de irregularitate difficile diſpenſabili, vel certè tantùm de beneficij collatione, ſub cuius nomine, vt diximus, penſio non intelligitur.

DICO SECVNDO, conferens penſiones ſcienter irregulari, quem ſcit non diſpenſandum, aut difficilè, grauiter peccat, vt docent iidem DD. cum Couarr. *cap. Alma mater. p.* 1. §. 7. *num.* 1. & conſtat, quia eſt actus in re graui valde rationi repugnans, vt cuipiam aliquid conferatur, ad quod retinendum impedimentum habeat non remouibile.

11. *De irregulari penſionem conſequuto, an rehabilitatione & noua collatione indigeat.*

QVÆRO VNDECIMO, an irregularis penſiones conſequutus, obtenta diſpenſatione, rehabilitatione, & noua collatione indigeat?

RESPON

Respondeo, quæſtionem pendere ex antedictis, ſi enim penſionis collatio fuit nulla, indiget, ſi valida fuit, non indiget.

Dico ergo primo, irregularitas ex natura ſua per ſe ſpectata, nõ facit, vt ſæpiùs diximus, collationem beneficij vel penſionis nullam, ſed ad ſummum illicitam. Hoc conſtat, quia irregularitas, vt ſic, de natura ſua nullam repugnantiam habet cum tali collatione, vt conſtat ex dictis & iis, quæ tradidimus de natura irregularitatis agentes *tom. 1.*

Dico secundo, irregularitas non ratione ſui, ſed ratione ſubreptionis quæ interuenit in gratia petenda dũ irregularitas ſubticetur, facit gratiam quãcũque, & in ſpecie impetratione beneficij & penſionis nullam, non ex oppoſitione immediata ipſius irregularitatis cum gratia facta, ſed ex defectu conſenſus conferentis. Ad gratiam enim conferendam requiritur poteſtas, & voluntas conferentis; vbi autem eſt error, ibi deeſt voluntas: error autem interuenit, vbi eſt obreptio, vt ſubreptio per reticentiam tam grauis circumſtantiæ, qualis eſt irregularitas, præſertim qualificata, quæ omnia colliguntur ex *c. quia diligentia. cap. qualiter, cap. innotuit. de electione.* in quibus electio irregularis, non dicitur ipſo iure nulla, ſed caſſanda, & non infirmanda.

Denique hoc ipſum videtur definire ſacra Congregatio Concilij ſuper *cap. 7. ſeſſ.* 14. docens incapacitatem ad beneficia ratione homicidij, non extendi ad penſiones. quod ſi verum eſt de hac grauiſſima inhabilitate, multo magis erit in qualitate alia leuiori, vt aduertunt Em. Sà *v. Irregularitas* 23. & Suar. *tom.* 5. *d.* 44. *ſect.* 4. *num.* 39.

Dico tertio, cùm ſuppreſſio irregularitatis nõ cenſetur facere ſubreptionem, vt cùm irregularitas exiſtimatur de facili diſpẽſabilis, & mox diſpenſanda, non videtur gratia nulla. Conſtat, quia cenſetur adeſſe conſenſus concedentis.

Ex his fit primò penſionem impetratam in irregularitate, non ſemper eſſe reualidandam, ſed tantùm cùm irregularitas qualificata eſt, & ſuppreſſa.

Fit ſecundò cùm irregularitas expreſſa eſt, aut ſcitur à conferente, quæcumque illa ſit, pẽſio collata reualiditione non indiget. Conſtat, quia validè collata fuit; nam irregularitas de ſe ſpectata non habet oppoſitionem cum penſione, aut alia gratia; niſi quatenus tacita tollit conſenſum conferentis, quod hîc non eſt.

Fit tertiò verum non eſſe, aut certè modificandum, quod abſolutè docet Nauarr. *conſil.* 2. 3. *&* 34. *de homicidio.* qui impetrauit beneficium, aut penſionem in irregularitate, reualidatione, & rehabilitatione indigere; ſi enim id fiat ad quietẽ conſcientiæ, repudiandum non eſt, quia abundantia in talibus non nocet: ſi quia neceſſarium ſimpliciter exiſtimatur, & in omni caſu, omnino falſum id eſt.

Fit quartò nec eſſe verum quod idem Nauarr. & cum eo Flam. Pariſ. docet *lib.* 4. *quæſt.* 3. *de reſignatione*, irregularitatem ita reddere quempiam inhabilem ad penſiones, ſicut ad beneficia; quia in iure Canonico tantùm mentio fit beneficij, non penſionis. Certa autem regula eſt, nihil circa irregularitatis effectus eſſe tenendum, niſi quod eſt in iure expreſsè diſpoſitum. *cap. is qui. de ſent. excom. in* 6. & idem Nauarr. *conſil.* 35. *de homicid.* Cùm ergo penſio non ſit beneficium, immeritò quod dicitur de irregularitate quoad beneficium impediendum trahitur ad penſiones. Concludo ergo quoties probabile exiſtimatur expreſſa irregularitate poſtulantis, Pontificem, aut alium penſionẽ collaturum, non fuiſſe, ſemper gratiam nullam eſſe, & reualiditatem eius poſtulandam, vt bene in hoc docet Nauarr. *conſil.* 66. *num.* 1. *de ſent. excommun. & Manuali cap.* 27. *num.* 254. Flam. *lib.* 4. *de reſignat. quæſt.* 3.

CAPVT IV.

Quæ cauſæ ſint Penſionis conſtituendæ, & conferendæ.

Earvm aliquas in præcedentibus enumerauimus, de quibus nunc diſtinctiùs non nihil attingemus.

Qværo ergo primo, an ſemper requiratur cauſa in conferente, vt penſio validè ſit collata? 1. *Sempérne requiratur cauſa in conferẽte, vt penſio ſit validè collata.*

Respondeo in quolibet ordinario, & inferiori ſummo Pontifice ſemper illam requiri, & quidem expreſſam, & iuſtificatam, vt *cap.* 2. docuimus, & tradit Gigas *q.* 27. *& q.* 87. Flamin. *lib.* 6. *de reſig. q.* 2. *à n.* 134.

Qværo secvndo, quæ ſint cauſæ in vniuerſum imponendæ penſionis? 2. *Cauſæ vniuerſim imponendæ penſionis quæ.*

Respondeo ad duo ſumma capita reduci, lucri nimirum, & oneris. Vnde penſionum aliæ dicuntur ex cauſa lucratiua, aliæ ex cauſa oneroſa. Gig. *quæſt.* 3. Flam. *quæſt.* 2. *lib.* 6. *numer.* 7. *de reſign.* Ex cauſa lucratiua ſunt quæcumque ad purum commodum penſionarij, nullo præcedente incommodo ſubleuando, conferuntur. Ex cauſa oneroſa, cùm penſionarius aliquod incommodũ paſſus eſt, à quo releuandus cenſetur penſione collata. Mandoſ. *de ſig. grat. tit. penſionis.*

Qværo tertio, quæ ſint cauſæ lucratiuæ? 3. *Cauſæ lucratiuæ quæ.*

Respondeo primam eſſe alimentorum, quæ dicitur pia, cùm pauperi Clerico, vt ſuſtentetur, penſio confertur, quæ cauſa iuſtiſſima eſt, & ad eam probandam ſufficit ægrè ſine penſione penſionarium ſuſtentari. Neque enim neceſſe eſt ſine penſione non habere ſimpliciter vnde viuat. Gabr. *conſil.* 191. *vol.* 2. Decius *conſil.* 72. *&* 120. vbi tradunt cauſam alimentorum piam eſſe.

Secunda cauſa lucratiua eſt commodioris ſuſtentationis non ſolùm in alimentis habendis, ſed in ſtatu ſuæ conditioni debito retinendo. Tales ſunt penſiones Cardinalibus, & aliis ſimilibus conceſſæ, de quibus Mand. & Gig. *quæſt.* 3. *cit.* & Flam. *quæſt.* 2. *numer.* 7. *lib.* 6. & ad has duas cauſas lucratiuas omnes aliæ reduci debent. Si enim penſio non ſit ad vitam penſionarij, vel ſplendorem illius ſtatui congruentem ſuſtentandum, non videtur eſſe iuſta, & rationabilis cauſa conferendi, qualis, exempli gratia, eſſet, ſi quis in ſtatu Eccleſiaſtico non degens, & ex propriis reditibus octo, vel decem millia aureorum percipiens penſionem Eccleſiaſticam poſſideret, nullis præſertim præcedentibus, nec etiam meritis impetrata.

Qværo qvarto, quæ ſint cauſæ oneroſæ imponendi penſiones? 4. *Oneroſæ quæ.*

Respondeo, primam eſſe ceſſationis

Digitized by Google

litis pro bono pacis obtinendæ. *cap. ad audientiam. de reſcript.* vbi Felin. ſecundò tranſactionis; tertiò reſignationis; quartò priuationis, cùm quis priuatus beneficio non habet vnde viuat. de quibus nos aliquid ſuprà *capit.* 2. & fusè Garz. *parte* 1. *cap.* 5. §. 2. Flamin. *quæſt.* 2. *libr.* 6.

CAPVT V.

Quibus beneficijs, & quomodo penſio poſsit imponi.

1. *An omnibus beneficijs poſſit conſtitui penſio.*

QVÆRO PRIMO, an in omnibus beneficiis poſſit penſio conſtitui?

RESPONDEO, nullum eſſe exceptum reſpectu Papæ de plenitudine poteſtatis agentis, quia ſupremus, & liber adminiſtrator eſt omniũ beneficiorum Eccleſiaſticorum, & nullus poteſt ei dicere, cur ita facis? Caputaquenſ. *deciſ.* 316. *part.* 2. Puteus *deciſ.* 193. *num.* 2. *lib.* 3. Decius *conſ.* 14. *col.* 2. *conſ.* 436. *num.* 13. Vnde inhabili ſcienter conferendo cenſetur cum eo diſpenſare. Cald. *conſ.* 8. *de reſcript.* Felin. *cap. cùm inter. col.* 1. *de except.* ibi Dec. *num.* 19. latè Ant. Gabriel *de præſumpt. concl.* 7.

2. *& quibus.*

QVÆRO SECVNDO regulariter loquendo, in quibus beneficiis imponatur penſio?

RESPONDEO PRIMO, in Parochiali 100. ducatorum non excedente penſio non poteſt imponi, ex Trid. *cap.* 13. *ſeſſ.* 24. quare de ſtilo Curiæ cùm Parochus talem Eccleſiaſticam parochialem reſignat, in ea nulla penſio imponitur, ſed in alio beneficio reſignatarij, aut etiã in beneficio tertij. Flamin. *quæſt.* 2. *num.* 23. *libr.* 6.

Secundò in antiquo iure in omni beneficio etiam parochiali imponebatur penſio. Gig. *q.* 9. Paul. Rom. *q.* 7. appoſita clauſula, *dummodo tertiam partem non excederet.* Rebuff. *in praxi tit. de reſignationibus.*

Tertiò in beneficio merè ſimplici quandoque ſolet imponi penſio non excedens medietatem, aut tertiam partem. Paul. Rom. *cap.* 1. *num.* 6. *de penſ.* & hoc cuiuſcumque valoris ſit illud beneficium; quare etiam in non excedente 24. ducatos fuit impoſita penſio ſub Sixto V. Flam. *q.* 2. *lib.* 6. *n.* 27.

Quartò in beneficio cum dignitate, vt Canonicatu, non imponitur penſio, niſi reditus ſint vltra 100. vt *ibid.* Flam.

Quintò in beneficio, cuius reditus conſiſtit in quotidianis diſtributionibus, pro præſentibus, & ſeruientibus iure antiquo penſio non conſtituebatur. Oldrad. *conſil.* 117. Ioan. And. *rubric. de conceſſ. prabend.* Felin. *cap. ad aures. de reſcript. concl.* 13. Ratio erat, quia penſio conſtituitur de fructibus, diſtributiones autem non ſunt fructus. Decius *conſil.* 280. Gambar. *lib.* 6. *de offic. legati num.* 17. Iure autem nouo etiam in diſtributionibus penſiones conſtituuntur. quod tamen numquam intelligitur, niſi exponatur, quod ſolet fieri appoſita clauſula, *etiamſi in ſolis diſtributionibus*, &c. Mand. *de ſig. gratiæ, tit. Penſiones. col.* 9. *verſ. clauſula præmiſſa.* Hinc fructus Canonicatus Toletani exprimitur 24. & imponitur penſio quingentorum ducatorum. Arag. *dec.* 38. Flam. *loc. cit.*

Sextò imponitur penſio ſuper maſſa reddituum, qui diuidendi ſunt inter eos, qui interſunt. Flam. *ibi, num.* 32. quod eſt de iure, & ſtilo nouo, nam ſecundùm antiquum penſio in huiuſmodi non imponebatur; cùm eſſet vniuerſalis regula, quòd vbicumque requireretur certum ſeruitium ad conſequendos fructus, ſuper illis penſio non poſſit imponi. Gambar. *lib.* 6. *numer.* 20.

QVÆRO TERTIO, quid ex dictis in vniuerſum ſtatuendum ſit de beneficiis, quæ poſſunt regulariter penſionibus aggrauari? 3. *Quid de iſtiuſmodi beneficijs vniuerſaliter ſtatuendum.*

RESPONDEO, & DICO PRIMO, beneficium ſimplex cuiuſcumque valoris id ſit, capax eſt penſionis, regulariter loquendo.

DICO SECVNDO, beneficium parochiale minoris valoris, quàm 100. aureorum, non eſt capax penſionis regulariter loquendo, quæ regula non ſolet excedi.

DICO TERTIO, Epiſcopatus, cuius reditus mille aureos non attingit, penſionem non admittere, ex Conc. Trid. hoc ſtatuente *cap.* 13. *ſeſſ.* 14.

Ex hoc infertur prouiſionem penſionis ſuper parochiali, vel Epiſcopali Eccleſia valorem prædictum non excedente nullam eſſe, niſi ſpecialiter à ſummo Pontifice decreto Cõcilij derogetur, vt bene obſeruat Puteus *deciſ.* 494. *lib.* 2.

Viſo ſuper quibus beneficiis penſio regulariter imponatur, videndum nunc qualiter, & quæ conditiones requirantur.

QVÆRO ergo QVARTO, an impetrans penſionem debeat facere mentionem alterius ſi quam habet. 4. *An impetrãs penſionem teneatur mentionem facere alterius, ſi quam habet.*

RESPONDEO, ex ſtilo Curiæ debere: alioquin ſecundæ impetrationem nullam eſſe. quod tamen intelligendum eſt cum limitatione, ſi beneficium, vel penſio de nouo poſtulata ſit ex cauſa lucratiua ſuſtentationis, aut in forma pauperum, tunc enim neceſſariò facienda eſt mentio de obtentis. Felin. Cardin. Selua, Cõraſius, quos ſequitur Garz. *part.* 1. *cap.* 5. *num.* 79. Quòd ſi motu proprio, & ſine vlla cauſa expreſſa detur, vel etiã ex cauſa oneroſa permutationis, &c. non eſt neceſſariò de obtentis mentio facienda. Flam. *lib.* 6. *q.* 2. *numer.* 10. Garz. *num.* 84. licèt in conſequentibus valdè perplexè loquatur.

Dixi de ſtilo Curiæ hanc mentionem faciendam, nam ſi iuri ſtandum eſſet, id non requiritur, quia iure tantùm cautum eſt mentionem fieri beneficij cùm beneficium impetratur: penſio autem non eſt beneficium; quare de iure illius mentio non eſt facienda, vt docet Cardin. Ioan. Andr. Felin. & alij plures apud Garziam *num.* 75. *cap.* 5. *part.* 1. ſtilum autem Curiæ hunc eſſe teſtatur *ibid.* Garz. *n.* 81.

QVÆRO QVINTO, an ſit facienda mentio penſionis alterius ſuper eodem beneficio iam conſtitutæ? 5. *An mentio facienda alterius penſionis ſuper eodem beneficio conſtituta.*

RESPONDEO affirmatiuè. Atque primâ tacitâ penſio ſecunda nulla eſt. Caſſador. *deciſ.* 3. *de penſionibus.* Gig. *quæſt.* 29. Flam. *lib.* 6. *q.* 2. *n.* 42.

QVÆRO SEXTO, an ſi reſignans neſciat beneficium iam grauatum, & alteram penſionem impetret ſibi reſeruari, validéne in beneficio iam grauato reſeruetur? 6. *Quid ſi reſignans neſciat beneficiũ iam grauatum, & alteram penſionem ſibi reſeruari impetret.*

RESPONDEO in hoc caſu validam eſſe ſecundam penſionem permanente prima, quia ignorantia reſignantis facit valere actum, argumento *leg. omnis. ff. de calum.* Crauetta *conſil.*

Digitized by Google

conſil. 101. *num.* 36. Flam. *loc. cit.*

7\. *An mentio primæ penſionis facienda ſpecificè.*

QVÆRO SEPTIMO, an mentio penſionis primæ ſit ſpecificè facienda?

Respondeo ſufficere generalem, vt Pontifex tantùm aduertat beneficium iam eſſe grauatum. qui ſtilus eſt Curiæ, vt docet Caputaq. *deciſ.* 296. *part.* 2. & ante illum Felin. *cap. ſed is. de reſcriptis, verb. Sextò declaratur.* Licèt malè contrarium teneant Caccialup. *q.* 26. & alibi apud Garz. *n.* 92.

8\. *An conſenſus beneficiarij requiratur in imponenda penſione.*

QVÆRO OCTAVO, an requiratur conſenſus beneficiarij in penſione imponenda?

Respondeo regulariter requiri; quia cùm penſio onus quoddam ſit beneficij, iuſtum eſt, vt qui beneficium ſuſcipit, oneris conſcius ſit, quòd ſimul cum beneficio eſt ſubſtitutus. Flam. *lib.* 8. *quæſt.* 8. *numer.* 99. Quare quod idem docet *lib.* 1. *quæſt.* 8. *num.* 35. inuito reſignatario poſſe aſſignari penſionem, intelligitur cùm ille abſolutè conſentit in beneficium, & nollet penſionem imponi. Nam ſi abſolutè penſionem non vult imponi, nec etiam cenſetur beneficium velle. Quòd ſi hoc admittit, eo ipſo cenſetur ſimpliciter in penſionem conſentire, licèt ægrè, & repugnanter.

9\. *Quouſque duret penſio ab Epiſcopis imponi ſolita.*

QVÆRO NONO, quouſque duret penſio ab Epiſcopis imponi ſolita, an vſque ad mortem penſionarij, ad quemcumque beneficium transferatur, an tantùm durante vita beneficiarij grauati?

Respondeo eſſe hac de re plures ſententias, quas breuiter ex dictis conciliabimus.

Dico ergo primo, penſio impoſita ab Epiſcopo cauſa concordię & litis componendæ durat tantùm viuente aggrauato, nec tranſit ad ſucceſſorem in beneficio. ita Garz. *part.* 1. *cap.* 5. §. 3. *num.* 334. vt conſtat ex *cap. niſi eſſet. de prabend.* vbi Papa non vult tolerare, vt penſio impoſita cauſa pacis inter beneficiatum, & penſionarium, tranſeat ad ſucceſſorem in beneficio. Et in hoc ſenſu tolerari poteſt ſententia eorum, qui abſolutè docent penſionem impoſitam ab Epiſcopo beneficiarij morte finiri, vt Nauarr. *conſil.* 8. *num.* 9. *de iure patronatus.* Pariſ. *de confident. quæſt.* 28. *num.* 120. Staphil. *de literis iuſtitia.*

Dico secvndo, penſio ab Epiſcopo impoſita ex rationabili cauſa, quæ euidenter Eccleſiæ auctoritatem concernat, duret viuente penſionario. Felin. *cap. ad aud.* 2. *num.* 2. Gambar. Cucchus cum Garz. *n.* 338. Ex quo

Dico tertio, probabilem non eſſe opinionem, quæ negat abſolutè poſſe ab Epiſcopis imponi penſionem ad vitam penſionarij. Eſſe in contrarium cum DD. quicquid communiter ſentire videantur Nauarr. Staphil. Pariſ. *loc. cit.*

Dico qvarto, improbabilem eſſe opinionem, quæ docet poſſe tantùm penſionem imponi ab Epiſcopo, quæ tranſeat ad ſucceſſores in cauſa concordiæ, & litis componendæ, ſtilus enim qui perpetuò ſeruatur eſt in contrarium, licèt aliter ſentiant Mandoſ. Redoan. Sarnient. Gig. & alij, quos refert Garz. *numero* 332.

10\. *An conuentione interueniente inter partes poſſit reſeruari penſio.*

QVÆRO DECIMO, an conuentione interueniente inter partes poſſit penſio ab Epiſcopo, vel inferiori Papa validè & licitè reſeruari.

Respondeo, inferiorem Papâ, niſi habeat ſpecialem conceſſionem, hoc non poſſe, cũ partes mutua pactione concurrant. habetur *cap. niſi eſſet. de præb.* ibi, *non quidem ex pactione partium,* & docet Rebuff. *de pacif. poſſ.* Cucchus *tit.* 8. §. *illa quoque.* Redoan. *de ſimon.* 2. *part. cap.* 14. *in fine.* Sicut enim coram Ordinario non poteſt fieri reſignatio in fauorem; ita nec reſeruata penſione reſignanti; quia id inuoluit pactum, aut conditionem reſignationis inter reſignantem, & reſignatarium, aut alium, in cuius fauorem ea agatur, vt iidem DD. & Boër. *deciſ.* 2. *num.* 45. Garz. *num.* 241. ſolus enim Papa admittit reſignationem cum penſione. Pariſ. *lib.* 7. *de reſig. quæſt.* 13. Garz. *num.* 242. apud quos alij.

Ex hoc infertur in impoſitione cauſa litis ſedandæ poſſe Ordinarium procedere tantùm quaſi compromiſſarium; non ex vi pactionis, quæ inter partes conuenerit, ſed ex eo, quod prò arbitrio ſuo pro bono pacis æquum iudicauerit, vt iidem obſeruant.

CAPVT VI.

De obligationibus titularis penſione grauati.

1\. *Beneficiarius an teneatur ſoluere penſionem beneficij poſſeſſione nõdum nacta.*

QVÆRO PRIMO, an beneficiarius teneatur ſoluere penſionem nondum habita beneficij poſſeſſione?

Respondeo cum diſtinctione, &

Dico primo, ſi in literis poſſeſſionis poſitum eſt, vt penſio ſoluatur poſſeſſione habita, aut non habita, tenetur vt per ſe conſtat, & ſtilus Curiæ ſeruat, de quo Flam. *lib.* 6. *quæſt.* 2. *num.* 146. Quod tamen ex æquitate quadam Rotæ Romanæ non ſolet extendere vltra tres annos, ſi ſine culpa beneficiarij poſſeſſio non obſeruatur, vt habet Ant. Arg. *deciſ.* 365. *lib.* 3. Sarnenſ. *deciſ.* 134. *lib.* 1.

Dico secvndo, ſi clauſula illa non apponitur, penſio non debet ſolui, niſi habita poſſeſſione, regulariter loquendo. Dixi *regulariter.* nam ſi beneficiarius culpa ſua negligeret, aut alia ratione poſſeſſionem non caperet, teneretur nihilominus in conſcientia, & à foro etiã exteriori compelleretur. ita Rota apud Gambar. *de auct. legati, lib.* 6. *num.* 668. Cùm enim per beneficiarium ſtet, quo minus poſſeſſionem capiat, non dicitur ex illius delicto alius iacturam facere.

3\. *An penſio ſoluenda, etiãſi fructus non percipiantur.*

QVÆRO SECVNDO, an cùm fructus non percipiuntur, penſio ſit in conſcientia ſoluenda?

Respondeo, ſi culpa beneficiarij non percipiuntur, illum nihilominus teneri ob rationem modò dictam; ſi aliunde id prouenit ſine vllo titularis dolo, vel culpa, tunc non tenetur, vt ex Rota docet Burſatus *conſ.* 361. *num.* 19. Pariſ. *de reſig. q.* 8. *n.* 48.

4\. *Quid ſi obligatus penſionẽ ſoluere de fructibus beneficij, poſtea reſignauerit, teneatúrne ad illã amplius ſoluendam.*

QVÆRO TERTIO, an qui obligauit ſe in forma Cameræ, & cum iuramẽto penſionẽ ſoluere de fructibus beneficij, data etiam cautione bancaria, poſt reſignationem factam, & admiſſam teneatur ampliùs ad illam?

Respondeo non teneri, quia cùm penſio ſit onus reale, tranſit cum reipſa, quæ cùm per reſignationem non ſit ampliùs in reſignante, nec etiam ad illum obligatio pertinebit, & fideiuſſores pro illo liberati ſunt; iuramentum enim

Digitized by Google

enim intelligitur rebus ſic ſtantibus, & poſſeſſione beneficij retenta. Gambar. *lib. 6. de auct. legati. tit. de penſ. num.* 421. Flam. *lib.* 1. *quæſt.* 8. *numer.* 1. 8. 44. Burſat. *conſil.* 421. *volum.* 4. ex pluribus deciſionibus Rotæ.

5. *De poſſidente beneficiū ſine iuſto titulo, vel inualidè reſignatū, & de excommunicato, &c.*

QVÆRO ergo QVARTO, an poſſidens beneficium ſine iuſto titulo, vel inualidè reſignatum, vel excommunicatus teneatur ad penſionem ſoluendam?

RESPONDEO teneri; quia percipiens fructus tenetur ad onera, quæ illos conſequentur, ita tamen, vt poſtea in reſtitutione fructuum malè perceptorum debeat id deduci quod fuerit pro penſione ſolutum. Gig. *conſil.* 124. *numer.* 1.

6. *Quid ſi in prouiſione adponatur clauſula, Etiamſi fructus non percipiātur.*

QVÆRO QVINTO, an cùm in prouiſione apponitur clauſula, *etiamſi fructus non percipiantur*, beneficiarius ad penſionem teneatur fructibus quocumque caſu non perceptis.

RESPONDEO teneri, ſibi enim debet imputare qui cum tali onere beneficium accepit. Quod autem dicit Gig. *quæſt.* 62. *num.* 2. & Flam. *quæſt.* 8. *lib.* 1. *num.* 49. id tantùm vno, vel altero anno ſeruandum, de quadam æquitate eſt intelligendum, etſi beneficiarius nihil fermè aliud poſſideret, præter beneficium: nam de rigore iuris, qui cum tali onere conſenſit, & beneficium admiſit, de ſe queri debet, & pactis ſtare.

7. *Quid ſi clauſula, dūmodo penſio medietatem non excedat, aut dūmodo remaneant 100. &c.*

QVÆRO SEXTO, an clauſula in prouiſione appoſita, *dummodo penſio medietatem non excedat, aut dummodo remaneant* 100. &c. conditione, vel modo illo non ſubſiſtenre teneatur beneficiarius ad penſionem, & quomodo, aut ad quantum?

RESPONDEO, ſi penſio eſt nulla, non teneri, ſi non eſt nulla, ſed reducenda, & reſtringenda, pro rata ad illam teneri, quod meliùs ex ſequenti quæſtione conſtabit.

8. *An clauſulis iſtis, vel ſimilibus non ſubſiſtentibus, penſio nulla vel reducēda.*

QVÆRO SEPTIMO, an prædictis, & ſimilibus clauſulis non ſubſiſtentibus penſio ſit nulla vel reducenda.

Duæ ſunt celebres ſententiæ. Prima dicit eſſe nullam, cui videntur fauere Pariſ. Mand. Gigas, Rota antiqua *deciſ.* 928. Felin. & alij quod refert Garz. *part.* 1. *cap.* 5. *num.* 416. Fundantur, quia clauſula illa importat conditionem, quæ autem conditionaliter aguntur, deficiente conditione inania redduntur, & ruunt. *l. item quia.* ibi, *nuptijs non ſequutis ipſo iure euaneſcit ſtipulatio. ff. de pactis*, cum aliis, quæ latè deducit Flam. *lib.* 3. *q.* 8. Secunda ſententia eſt, in eo caſu non eſſe nullam, ſed reducendam, quam cenſetur tradere Staphil. *tit. ſuper contentione de reductione penſionis*, & alij apud illum; fundantur, quia cùm iura ſint ſemper pro validitate actus, qui geritur, ſi hic in totum valere non poteſt, ſaltem pro ea parte ſuſtineri debet, qua poteſt, ne in totum annulletur. argumento *l. quoties. ff. de rebus dubijs.* Pro ſolutione

9. DICO PRIMO, cùm penſio ponitur titulo oneroſo, clauſulæ appoſitæ cēſentur importare conditionem, ac proinde iis non ſubſiſtentibus, penſio nulla eſt. Quare ſi reſignans reſeruat ſibi penſionem 100. dummodò medietatem non excedat, ſi id medietatem ſuperat, tota prouiſio corruit, & penſio nulla eſt. ita Garz. ex pluribus deciſ. Rotæ *part.* 1. *cap.* 5. poſt *num.* 422.

Ex quo fit primò in hoc caſu reſignationem, aut permutationem beneficij nullam quoque eſſe, & reſignatarium reſtituendum.

Fit ſecundò, ſi is, cuius intereſt, & titulo oneroſo penſionem reſeruatam habet, nihilominus conſentit vt reducatur, & non annulletur, tunc validam illam eſſe, & reſignatarium teneri ad penſionem reductam, vt colligitur ex iis, quæ Garz. & Flam. *ibidem.*

Fit tertiò penſione nulla ob non ſubſiſtentiā clauſulæ, *dummodo non excedat, aut dummodo remanant* 100. non remanere liberatum beneficiarium cum poſſeſſione beneficij, ſed totum beneficium ei reſtituendum, de cuius agitur præiudicio in reſignatione, vel permutatione, quia actus agentium non operantur vltra inſtrumentum eorum. *l. non omnis. ff. ſi certum petatur.*

Quare cùm noluerit permutare, aut reſignare niſi cum hac conditione, vt ſibi tanta penſio reſeruetur, hoc non adimpleto non reſignauit. Cardin. Pariſ. *conſ.* 18. Bald. cum aliis apud Flam. *lib.* 1. *q.* 3. *n.* 35.

DICO SECVNDO, ſi penſio ſit ex cauſa, & titulo lucratiuo, non ſubſiſtente clauſula, *ſi non excedat, vel dummodo remaneant* 100. &c. non eſt nulla, ſed reducenda. ita Garz. *loc. cit. num.* 493. & deinceps, licèt non ita clarè, & explicitè. Quod tamen probant apertè diuerſæ deciſiones Rotæ apud ipſum. Et conſtat, quia cùm hîc non agatur de præiudicio tertij, in cuius fauorem cedit annullatio penſionis, vt ex illa reſtituatur in integrum, & remaneat indemnis, ſed tantùm agatur de prouiſione lucratiua penſionarij ab eo facta, qui vult, & poteſt imponere pēſionem, debet attendi, & quantum poteſt, prouidentis intentio ſeruetur, vt impleatur, quod volunt iura, quæ ſunt pro validitate actus, de quibus ſuprà. Cùm ergo, qui vult dare Caio 100. ſine dubio ſi hoc non poteſt, velit ſaltem 20. cùm in maiori ſumma minor ſemper contineatur, vt in hoc caſu decidit Rota in vna Tolet. Lamantina, & Monopolitana, quas refert Garz. *loc. cit.* dicendum eſt quoties prouiſio facta eſt tantùm in fauorem prouiſi, ſemper penſionem reducendam eſſe, & nunquam annullandam, ſi clauſulæ appoſitæ in totum non ſubſiſtunt, quod præter Garz. docet expreſsè Flam. *lib.* 6. *quæſt.* 2. *num.* 144. & Creſcentius ex pluribus deciſ. Rotæ, *deciſ.* 231. 10.

QVÆRO OCTAVO, an reductio penſionis ſit regulanda iuxta fructus, & valorem beneficij tempore datæ; an iuxta quantitatem fructuum, qui in toto progreſſu ſubinde percipiuntur? 11.

De reductione penſionis, & quomodo illa regulanda ſit.

RESPONDEO clauſulas, *dummodo remaneāt* 100. &c. *aut medietatem fructuū non excedat*, &c. & ſimiles intelligi pro tēpore gratiæ, & non reſpectu annorum ſubſequentium. Valor enim beneficij æſtimatur pro tempore collationis. Felin. *cap. ad aures, limit.* 2. *num.* 17. *de reſcript.* Sarnenſ. *reg. de valore. quæſt. vlt.* Caputaquenſ. *deciſ.* 330. *part.* 3. Cæſar de Graſſis *deciſ.* 97. *num.* 3. Saluſt. Tib. *in praxi audit. Cam.* & ita deciſum ſæpe fuit in Rota, vt conſtat ex vna Monopol. apud Garz. *num.* 425. & alia Mileuit. relata ab eodē *num.* 463. & alia Opidenſi apud eundem *n.* 479. Ratio autem optima ad hoc eſt, quia alioquin eſſent ſemper infinitæ lites inter penſionarium, & titularem, vnde prouiſio facta cum conditione pendente ex euentu futurorum annorum, eſſet contra rectam rationem; quam legiſlator debet ſequi, cuius eſt litium materiam amputare. Secundò, quia gratia Pontificis ſemper eſſet in ſuſpenſo, vide Nauarr. *conſil.* 13. *de reſcriptis.*

Ex hoc infertur, ſi tempore gratiæ remanent titulari

Digitized by Google

titulari 100. qui poſtea caſu aliquo decreſcunt, & diminuuntur, teneri in omni foro titularem penſionem integram ſoluere, niſi recurſum habeat ad illos, qui poſſunt penſionem moderari, attento nouo grauamine. Roman. *conſil.* 369. Mandoſ. *in not. ad illum, littera I.* Staphil. *de litt. iuſtitia, tit. de reductione penſionis.* Pariſ. *lib.* 6. *q.* 2. *n.* 143. Garz. *c.* 5. *part.* 1. *n.* 440.

12. *Quid ſi fructus adeò deminuti, vt penſionis ſolutione exhauriantur toti.*

QVÆRO NONO, an cùm fructus ſunt ita diminuti, vt tota ſolutione penſionis exhauriantur, titularis teneatur?

RESPONDEO teneri, vt ex proxima quæſtione conſtat, & colligitur ex Gamb. Mandoſ. Gigante, Rebuff. & aliis, quos ſequuntur Flam. & Garz. *loc. cit.* Penſio enim impoſita fructibus beneficij cum conditione verificata temporum gratiæ, ſemper eſt ſoluenda, dum ſuperſunt fructus; onus enim reale res ipſa ſequitur, quibus eſt impoſitum, quare nunquam poſſunt excuſari quoad vſque illæ perdurant.

13. *Per quem reductio penſionum facienda.*

QVÆRO DECIMO, per quem poſſit fieri reductio penſionis?

RESPONDEO, per ordinarium, niſi in contrarium ſit aliquid ſpecialiter diſpoſitum in prouiſione. Decius *conſil.* 335. Crauetta *conſil.* 65. *num.* 4. Tiraquel. *l. ſi vnquam. de reuocanda donatione; in proœmio, numer.* 166. Et id etiam ſi penſio fuerit reſeruata per Papam, vt iidem eſt Gigante *conſil.* 147. Garz. *n.* 402.

14. *Pœna, quam incurrit non ſoluens penſionem.*

QVÆRO VNDECIMO, quas pœnas incurrat penſionem non ſoluens?

RESPONDEO primò, reſignatarium amittere beneficium; quod idem dicendum videtur de permutante, ſi alter reclamet. Nam de ſtilo Curiæ datur reſignanti regreſſus ob non ſolutionem penſionis. Sarnenſ. Redoan. Gigas, Gamb. Puteus, Burſat. quos cum aliis refert Flam. *lib.* 6. *q.* 3. *n.* 2.

Secundò ſolet imponi pœna excommunicationis, ac priuationis beneficij ſtatis temporibus penſionem non ſoluti, quæ ſunt feſta natalitia Saluatoris, & Præcurſoris, vt notat Flam. *lib.* 6. *quaſt.* 2. *numer.* 138. Quare ad videndum an hæc pœna ſit incurſa, oportet examinare verba prouiſionis.

15. *Beneficiarius grauatus ære alieno, an pēſionarium ex conſcientia præferat reliquis.*

QVÆRO DVODECIMO, an beneficiatius granatus ære alieno, debeat quibuſcumque creditoribus ex conſcientia penſionarium præferre?

RESPONDEO ſi non habet alia bona, præter fructus beneficij, teneri ante alios omnes ipſi penſionario, quia hic anterior eſt, & habet ius ſuum conſtitutum in fructibus per collationem beneficij. Quare omnes alij creditores poſteriores ſunt reſpectu horum fructuum, qui ſunt quodammodo penſionario hypothecati, vt benè docet Garz. *parte* 1. *cap.* 5. *num.* 204. 226.

16. *An ſuccedens in beneficio teneatur in conſcientia de penſionibus decurſis tempore ſui prædeceſſoris.*

QVÆRO DECIMOTERTIO, an ſucceſſor in beneficio teneatur in conſcientia ſoluere penſiones decurſas tempore prædeceſſoris?

RESPONDEO, non teneri niſi fructus ſuperſint. Ratio eſt, quia licèt penſio ſit poſita ſuper fructibus, ſoluenda tamen eſt mediante beneficiario, de cuius manibus eſt accipienda; quare ad illam ſpectat immediata obligatio ſolutionis. Vnde is, qui ſuccedit, non tenetur niſi pro fructibus, qui poſſint ad ipſum peruenire ex beneficiario grauato, qua de re fusè diſputat Garz. *cap.* 5. *cit. à num.* 198.

CAPVT VII.

Ad quid teneatur penſionarius.

QVÆRO PRIMO, an penſionarius ſit tutus in conſcientia ſine cauſa penſionem exigens? 1. *De penſionario exigente penſiones ſine cauſa.*

RESPONDEO, in penſione à Papa impoſita tutus eſt, tenetur tamen ſi nullam omnino in ſe cauſam habeat illam poſſidendi, vt ſi ditiſſimus alioqui ſit, illam omnino in pios vſus expendere, & nullo pacto in proprium commodum conuertere. Si autem ab aliis inferioribus penſio ſit impoſita, nec illam poteſt exigere, quia illius prouiſio ſine cauſa nulla eſt, vt conſtat ex dictis *cap.* 1. *&* 2.

QVÆRO SECVNDO, an cauſa expreſſa non ſubſiſtente penſionarius tutus ſit, & quaſi debeat ea certificari? 2. *An cauſa nō ſubſiſtente ſit tutus, & illa verificari debeat.*

RESPONDEO, cauſa falſa exiſtente tutus non eſt; quatenus autem debeat ea verificari dubium poteſt eſſe propter aliquas cauſas, quæ ſolent in conſuetis prouiſionibus apponi, & difficilè iuſtificari poſſunt. Quatuor enim referuntur, litteratura, hoſpitalitas, in Eccleſiam merita, & amor ſiue beneuolentia conferentis, quibus nunc de ſtilo Curiæ adiūgitur vitæ probitas, honeſtas morum, aliaque laudabilia, de quibus Caputaq. *deciſ.* 318. *part.* 2. Paul. Brunius *quaſt.* 1. *numer.* 12. Pariſius *lib.* 6. *quaſt.* 2. *num.* 130.

Dubium autem poteſt eſſe primò in eo, qui ſcit ſe non eſſe litteratum, ſaltem non eximium. Secundò, ſe nihil de Eccleſia meritum. Tertiò, in eo qui nec hoſpitalitatem exercuit, nec vult exercere. Quartò, qui ſcit ſe ne quidem Pontifici cognitum, tantum abeſt, vt ab illo ametur. Quintò, in eo qui ſibi conſcius eſt magnorum ſcelerum, qui enim talis eſt, quomodo poteſt penſionem exigere propter morum probitatem ſibi conceſſam?

His omnibus, & ſimilibus dubiis, quæ oriri poſſunt, duplici cautione eſt occurrendum. Prima eſt, ne quis nimis ſecuro, ſupino, & omiſſo animo ſit, & nihil curet de iſtis cauſis in conſcientia verificandis. Quare qui nullam hoſpitalitatem exercet, qui ſceleſtiſſimus, & contaminatiſſimus eſt, qui nihil vnquam facit, aut paratus eſt facere pro Eccleſia, quamuis in foro exteriori non moleſtetur, debet valde timere cùm penſiones poſſidet ob illas cauſas quas in ſe non recognoſcit, & virum aliquem prudentem conſulere, quid ſibi ſit agendum? Cui enim dubium eſt, qui talis eſt penſiones iſtas iure exigere & poſſidere non poſſe?

Secunda cautio eſt pro iis, qui ſalutis ſuæ memores ſunt, vt non ſint nimis anxij, nec locum ſingulis aperiant, in diſcuſſione & iuſtificatione harum cauſarum. Satis eſt enim eas verificari negatiuè, i. ita, vt contrarium de illis euidenter non conſtet.

QVÆRO TERTIO, an teneatur penſionarius ad horas Canonicas? 3. *An teneatur ad horas Canonicas.*

RESPONDEO teneri tantùm ad officium paruum B. Virginis, ex noua diſpoſitione Pij V. relata à Garz. *3. part. cap.* 1. in qua decernit penſionarium officium omittentem, fructus ſuos non facere, & teneri ad reſtituendum. Quam conſtitutionem vſu, & conſuetudine receptam tradunt Gonzal. Arag. Vega, Azor, Ledeſm. cum

Digitized by Google

cum Garz. *part.* 1. *cap.* 5. *num.* 67.

4\. QVÆRO QVARTO, an penſionarius teneatur ad ſoluenda onera ſuperuenientia fructibus beneficij ab eo, qui poteſt imponere?

An ad ſoluenda onera ſuperuenientia fructibus beneficij.

RESPONDEO, teneri pro rata penſionis. Gamb. *lib.* 6. *quæſt.* 5. *numer.* 207. Nauarr. *conſil.* 1. *de Eccl. ſanctif.* Rebuff. Gigas, Puteus, cum aliis apud Garz. *numer.* 171. *d. cap.* 5. *parte* 1. Quod intellige, niſi penſio ſit reſeruata libera,& ab omni onere exempta. Tunc enim grauamina ſuperuenientia ſunt à titulari ſoluenda, vt præter adductos Flam. *lib.* 2. *quæſt.* 2. *num.* 155.

5\. QVÆRO QVINTO, an teneatur penſionarius ad tonſuram, & habitum clericalem?

An ad tonſurã, & habitũ clericalem.

RESPONDEO, ſi penſionem exigit, teneri, ex conſtitutione Sixti V. 31. ſi tamen penſio excedat 60. Quòd ſi habitum non ferat, teneri vult ad fructus perceptos retinendos, vt benè obſeruat Garz. *part.* 1. *cap.* 5. *num.* 14. *& parte* 11. *c. vlt. n.* 7.

Ex quo infertur primò, ſi non exigit, non teneri. Secundò validè reſeruari penſionem, non incedenti in habitu clericali, quia habitus requiritur, vt actu quis incipiat frui commodo penſionis, & non vt ius accipiat ad illud commodum exigendum, vt *ibid.* Garz.

CAPVT VIII.

De ceſſatione penſionis.

1\. QVÆRO PRIMO, quot modis ceſſent penſiones?

De modis quibus ceſſent penſiones.

RESPONDEO, quinque, expiratione, priuatione, ceſſione, tranſlatione, extinctione: expiratione per mortem, priuatione per crimen, ceſſatione per voluntatem, tranſlatione per ſui iuris in alium deriuatione, extinctione per redemptionem.

2\. QVÆRO SECVNDO, cuius morte regulariter penſiones expirent?

Cuius morte regulariter expirent.

RESPONDEO morte penſionarij, non beneficiarij ſingularis, quia cùm imponatur ſuper fructibus beneficij in fauorem penſionarij, durat ſemper regulariter durãtibus fructibus quoad vſque viuit penſionarius. quæ eſt communis ſententia Caputaquenſ. Flam. Cortaſ. Gigantis, Caccialup. cum aliis apud Garz. *num.* 239. Dixi *regulariter loquendo*, quia nihil vetat imponi penſionem ad vitam beneficiatij tantùm; ſed tunc non dicetur conſtituta ſuper fructibus beneficij, ſed potiùs ſuper beneficiatium. qua de re Azor *loc. cit.*

3\. QVÆRO TERTIO, an penſio reſeruata ſuper capite vnius ad vtilitatem alterius, vt ſunt penſiones Hiſpanæ, cuius morte vacent?

De penſione reſeruata ſuper capite vnius ad vtilitate alterius.

RESPONDEO, extingui ex morte alterutrius, niſi priùs fuerit tranſlata. Communiter autem is, qui commodum percipit, poteſt illam transferre de capite in caput; quòd ſi nec hoc ius habeat, nec eo ſi habet vtatur, mortuo in cuius capite eſt conſtituta, penſio quoque extinguitur, vt Germonius *de indultis Cardinalium.* §. *ſi verò. num.* 66. Pariſ. *quæſt.* 4. *lib.* 11. *num.* 61. Garz. *n.* 261.

4\. QVÆRO QVARTO, ex quibus cauſis penſio priuatione finiatur?

Cauſa quibus penſio priuatione finiatur.

RESPONDEO, non loqui nos de priuatione, quæ fiat ab homine per ſententiam, ſed à iure, circa quod dicunt quidam penſionem, quæ datur loco beneficij, qualis eſt reſeruata reſignanti, vt per illam ſuſtentetur regulandam eſſe iuxta beneficia, & eorum modo amitti, vt illa amittuntur; ita Gabriel *conſil.* 187. *numer.* 1. & *conſil.* 200. *lib.* 2. Pariſ. *lib.* 3. *quæſt.* 1. *num.* 13. Garz. *num.* 107. Ex quo inferunt primò priuari, ſiue amittere penſionem, qui matrimonium cõtrahit; ſecundò, qui promouetur ad Epiſcopatum, etiam ad Papatum, & hoc dicuntur eſſe de iure.

Ego verò ad hoc duo dico. PRIMO ſtilum eſſe, vt penſio amittatur per matrimonium, de quo ſtilo atteſtatur Gig. Caccialup. Corraſ. Duar. apud Garz. *num.* 108. Nauarr. *de oratione cap.* 21. *num.* 53. Flam. *lib.* 1. *quæſt.* 1. *numer.* 15. *lib.* 6. *quæſt.* 2. *num.* 115. Sairus *de cenſ. lib.* 2. *c.* 5. *num.* 15. Sanch. *de matr. lib.* 7. *diſput.* 44. & conſtat ex conſtitutione 71. Pij V. in qua præcipit penſionariis tonſuram, & habitum clericalem.

DICO SECVNDO nõ eſſe de iure, vt penſio vlla eodem modo amittatur quo beneficia, quia cùm illa beneficium non ſit, profectò contra iura eſt, vt quòd generaliter in beneficiis ſtatuitur, de penſionibus intelligatur. Nec obſtat, quòd ſubrogatum ſapiat naturam principalis, ac proinde penſio beneficio ſuccedens debeat cenſeri beneficium, quia ſubrogatum non in omnibus, ſed in aliquibus duntaxat principalis naturam induit, & aliud eſt alicuius naturam ſapere, aliud illud ipſum fieri.

Ex hoc infertur quòd aliquæ penſiones amittantur eodem modo ſicut beneficia, non eſſe id ex iure, quaſi debeant iuxta beneficia regulari, ſed ex noua prouiſione per aliquam conſtitutionem facta, vel tacitè per conſuetudinem Curiæ approbata, cui ſtandum eſt.

QVÆRO QVINTO, an per promotionem amittatur penſio? 5.

Quomodo amittatur.

RESPONDEO atteſtari de ſtilo amitti Garziam, qui pro ſe adducit Gigantem, Caputaq. Gabr. Geminian. Pariſ. & alios *numer.* 110. Quod mihi tamen videtur durum, cum Oieda *de incompatibilit. beneficiorum. cap.* 9. *numer.* 5. quaſi videlicet aſſeritur, quoties per aſſumptionem amittitur, aut vacat beneficium incompatibile, ſemper quoque amitti penſionem.

Tenendum ergo eſt nunquam regulariter amitti penſionem per cuiuſcumque beneficij adiectionem, niſi ſpecialiter id ſit expreſſum, aut clarè conſtet de ſtilo Curiæ.

Quod enim notat Garz. *part.* 1. *cap.* 5. *numer.* 81. *& ſeqq.* penſionem quæ ſuccedit bono beneficij regulandam per omnia eſſe ſicut beneficium, non eſt, vt diximus, conforme iuri communi, quod iubet, quæ de beneficiis diſponuntur in materia odioſa, ad ea quæ beneficij nomine non veniunt, cuiuſmodi penſiones ſunt, non eſſe trahenda. Quare ſi penſionis mentio facienda ſit in impetratione noui beneficij, aut ſi ea vacat alio impetrato, non eſt id ex iure communi, ſed ſpeciali per aliquam conſuetudinem, aut nouam conſtitutionem inducto. Certè Paulus V. ad Pontificatum aſſumptus diu penſionem retinuit, & exegit ſibi in minoribus ex reſignatione Epiſcopatus Eſienſis reſeruatam.

Ex quo infertur in decretis, quibus aliquid ſancitur ſub priuatione beneficiorum omnium

ipſo

Digitized by Google

ipſo facto incurrenda, non comprehendi penſiones, ſecus ſi iniungatur priuatio omnium bonorum Eccleſiaſticorum.

6. QVÆRO SEXTO, quomodo per ceſſionem expiret penſio?

Quomodo expiret per ceſſionem.

RESPONDEO, ſi penſio non ſit quaſi in titulum, ad quem quis ordinatus ſit, poſſe ſemper abſque auctoritate ſuperioris arbitrio penſionarij cedi, quia quiſque poteſt iuri ſuo renunciare, quando ex eo nihil præiudicij alijs infertur. Et in eo caſu tota penſio cedit in emolumentum beneficiarij, perinde ac ſi penſionarius mortuus eſſet. Nauarr. *conſil.* 1. *de reb. Eccleſ.* & alij plures apud Garz. *num.* 38. *parte* 1. *cap.* 5. & in hoc ſpecialis eſt penſionis ratio, & beneficij, cùm hoc regulariter loquendo renuntiari non poſſit ſine conſenſu ſuperioris, vt per ſe conſtat, & habet Flam. *lib.* 1. *q.* 1. vel illis, quorum intereſt, non approbantibus.

7. QVÆRO SEPTIMO de tranſlatione penſionis, à quibus, & quomodo fiat?

Tranſlatio penſionis à quibus & quomodo fiat.

RESPONDEO non ab omnibus, ſed ab iis tantùm, quibus id ſpecialiter indultum eſt, poſſe transferri, & hoc ſiue in vita, ſiue vrgente morte, quod ſpeciale eſt in penſione. Nam beneficia non poſſunt regulariter in infirmitate reſignari. Flam. *lib.* 6. *q.* 4. Gigas *quæſt.* 12.

8. QVÆRO OCTAVO, quis poſſit dare facultatem transferendi?

De facultate transferendi, quis illam dare poſſit.

RESPONDEO ſolum Papam, quare nec ordinarius, nec Legatus etiam de latere id poſſunt. Cardin. Pariſ. *conſil.* 46. *num.* 1. Flam. *lib.* 6. *q.* 4. *n.* 13.

9. QVÆRO NONO, quibus ordinariè ſoleat facultas iſta concedi.

Quibus illa concedi ordinariè ſoleat.

RESPONDEO, primò ſunt milites S. Petri, qui poſſunt vſque ad ſummam 150. ducatorum de Camera transferre, ex conſtitutione 26. Leonis X. quæ eſt de erectione horum militum. Secundò ſunt milites S. Pauli, qui poſſunt vſque ad ſummam 200. ducatorum de Camera, ex conſtitutione 22. Pauli III. in erectione horum militum. Tertiò ſunt milites Pij, vſque ad ſummam 150. ex conſtitutione 5. Pij IV. in fauorem horum militum. Quartò milites Lauretani poſſunt 200. ducatos transferre, ex conſtitutione 35. Sixti V. Quintò Conclauiſtæ vſque ad ſummam 100. ducatorum, ex conſtitutione 32. Sixti, quam ſequentes Pontifices ſecuti ſunt. Sextò denique Cardinalibus ſolet facultas iſta concedi, & aliis inſignibus perſonis, & id pro maiori, vel minori quantitate, prout ſummo Pontifici viſum fuerit, & merita perſonæ exegerint, cui indulgetur. Flam. *libr.* 6. *quæſt.* 4. Gigas *quæſt.* 86.

10. QVÆRO DECIMO, in quos poſſit transferri?

In quos transferri poſſit.

RESPONDEO in omnes idoneos, nec neceſſe eſt vt vna penſio transferatur in vnum, ſed poteſt in plures diuidi pro arbitrio transferentis. ſtilus Curiæ, & Gigas *quæſt.* 86. An autem poſſit transferri in filium etiam illegitimum, negat Mandoſ. *de ſig. grat. tit. tranſlationes.* Sed meliùs affirmat Flam. *loc. cit. numer.* 21. Gig. *quæſt.* 28. quia canones prohibent filium poſſidere beneficium patris, & penſio non eſt beneficium; limitandum tamen id eſt, vbi tranſlatio penſionis in filium illegitimum memoriam paternæ incontinentiæ publicè poſſet animis obiicere. quod cauendum præcipit Trident. *cap.* 15. *ſeſſ.* 25. loquitur autem de incontinentia non cuiuſcumque, ſed hominis Eccleſiaſtici, & beneficium Eccleſiaſticum poſſidentis. Quare nec limitatio hæc locum habet in puro penſionario, qui nullum poſſideat beneficium; ceſſante enim cauſa, & ratione diſpoſitionis, ceſſat diſpoſitio.

QVÆRO VNDECIMO, an tranſlatio poſſit fieri ſub conditione? 11.

Tranſlatio an fieri poſſit ſub conditione.

RESPONDEO duplicem poſſe eſſe conditionem, vnam ex parte transferentis, aliam tráſlatarij; & hanc duplicem, aliam requiſitam ad capacitatem penſionis, aliam extraneam.

DICO ergo PRIMO, validè poſſe transferri penſionem ſub conditionem tranſlatarij neceſſariam ad capacitatem penſionis: vt ſi Titius transferat in Caium, vbi primùm charactere clericali fuerit inſignitus, & in hoc caſu Titius exiget penſioné donec impleatur conditio, præſertim ſi clauſulam apponat, *nec aliter, nec alio modo transferre.* ita Gabr. *conſ.* 185. & 186. Flam. *lib.* 6. *q.* 4. *n.* 55.

DICO SECVNDO, an ſub conditione ex parte transferentis poſſit transferri, vt exempli gratia, *ſi ex hac infirmitate non conualeſco*, dubium eſt, affirmat Nauarr. *conſil.* 11. *de vſur.* negat probabiliùs Garz. *num.* 55. *d. cap.* 5. quia poſſet per teſtamentum transferri penſio, quod niſi in facultate ſit expreſſum, non poteſt.

QVÆRO DVODECIMO, an tranſlatio penſionis vendi poſſit, aut pro ea pretium aliquod ex pacto accipi? 12.

An vendi, aut pro ea pretium aliquod accipi.

RESPONDEO, affirmant poſſe Gamb. *libr.* 6. *de poteſt. legat. tit. de penſione. n.* 633. ex pluribus deciſ. Rotæ. Gigas *q.* 99. Sarnenſ. *de reſig. infirmorum, q.* 16. *n.* 4. Flam. *lib.* 6. *q.* 4. *n.* 54. Rota tamen moderna videtur in contrarium decidere apud Gabr. *conſ.* 191. *n.* 7. & eſt id nonnullis probabilius, poſt conſt. Pij V.

Sed ego exiſtimo priorem opinionem veriorem; quia habens à ſummo Pontifice facultatem transferédi pro libito ſuo penſionem, non arctatur ad vnum potius modum, quàm alium. Cùm autem duplex poſſit eſſe modus, gratuitus & oneroſus, poteſt vtrúmque eligere, & in caſu, quo transferat, non gratuitò, cenſetur adeſſe expreſſus conſenſus Pontificis, qui cadens ſuper genus cenſetur cadere ſuper ſingulas illius ſpecies non exceptas, & id non per extenſionem, ſed ex proprietate ſermonis, ſecúdùm quá ſpecies nomine generis continetur. *l. ſemper in generalibus. ff. de reg. iur.* vbi Decius.

QVÆRO DECIMOTERTIO, quomodo per extinctionem penſio ceſſet? 13.

Quomodo péſio ceſſet per extinctionem.

RESPONDEO, notiſſimus modus eſt cùm redimitur, quod communiter fieri ſolet anticipata quinque annorum ſolutione, Pontificis cóſenſu interueniente.

QVÆRO DECIMOQVARTO, quando penſio conceditur in vnius vtilitatem & commodum, & in alterius perſona & capite conſtituitur, & denique alterius intuitu & contemplatione reſeruatur, cum facultate transferendi, ad quem facultas hæc ſpectet? 14.

Penſione intuitu vnius & alterius conceſſá, cum facultate tráſferendi, ad quem facultas hæc ſpectet.

RESPONDEO quæſtioné locú habere vt plurimú in péſionibus Hiſpanis, quæ ob pragmaticas illius regionis leges nó poſſunt imponi, niſi in capite Hiſpani, aut Hiſpano iure gaudentis. Certa anté res eſt facultaté transferendi penſionem nó penes illum reſidere, in cuius capite cóſtituitur,

Digitized by Google

ſed in cuius fauorem, & commodum conceditur: vt colligitur ex deciſionibus Rotæ, quas affert Garz. *n.*271. *&* 272.

CAPVT IX.

De peccatis, quæ in materia penſionis committi poſſunt.

DE quatuor peccatorum generibus quæri poteſt, iniuſtitia, iniquitate, ſimonia, confidentia.

1. *De peccatis quæ committi poſſunt à titulari & penſionario contra iuſtitiam.*

QVÆRO PRIMO, quæ peccata contra iuſtitiam à titulari, & penſionario committi poſſint circa penſiones?

RESPONDEO, & DICO PRIMO, titularem peccata omnia committere poſſe, quæ poteſt in ſolutione debiti debitor quicunque; quæ ad duo capita reducuntur, calumnioſam negationem debiti, & moroſam illius ſolutionem.

DICO SECVNDO, penſionarium contra iuſtitiam in penſione peccare, primò ſi exigit ſine iuſto titulo; ſecundò ſi non verificata cauſa, quando propter illam data eſt; tertiò ſi non verificata conditione narrata, & id in præiudicium titularis, vt cùm narratur beneficium grauatum, maioris valoris eſſe, quàm verè ſit.

2. *Quæ à penſionario contra æquitatem.*

QVÆRO SECVNDO, quæ peccata committantur à penſionario contra æquitatem?

RESPONDEO, multa poſſe eſſe. Primò ſi beneficiario omnino grauato, vel exiguos fructus colligente, nihilominus ipſe integram penſionem velit exigere, quòd ſit in omni caſu integrè reſeruata. Secundò ſi etiam ſuper quotidianis diſtributionibus penſione conſtituta ea pergat integram exigere, licèt beneficiarius nullos alios fructus ex aliquo caſu percipiat, quã quos ſolutioni penſionis impendit, æquitas enim requirit, vt in his caſibus penſionarius aliquid de ſuo iure remittat.

3. *De ſimonia, & quomodo illa interuenire poſſit in penſionibus.*

QVÆRO TERTIO, quæ ſimonia, & quomodo poſſit in penſionibus interuenire.

RESPONDEO, & DICO PRIMO, ſimoniacè peccari poſſe in materia penſionum. eſt communis ſententia contra eos, qui putant penſionem eſſe quid merè temporale, ac proinde circa eam ſimoniam non poſſe interuenire. quàm communem ſententiãm tradunt Flam. *lib. 6. q. 4. de reſig. & de confid. q.* 23. Garz. *p.*1. *c.*5. *n.*9. *&* 18. Sair. *de cenſur. c.*5. *n.* 15. apud quos Rebuff. Paul. Rom. Rodrig. Emm. Sà. Tolet. Arag. 2. 2. *q.* 100. *art.*4. Vega, Ledeſm. Corrad. Nauarr. & alij, qui obſeruant poſt conſtitutiones Pij & Xiſti V. quibus penſio annectitur officio, & ſtatui clericali, non poſſe ſine temeritate contrarium doceri.

4. DICO SECVNDO, ante Pium V, an penſio probabiliter inter merè tẽporalia poſſit computari, affirmat Henriq. *lib.*13. *c.* 13. §. 2. Rebuff. Duar. Paul. Rom. Gigas, Burſ. Caiet. Med. quos refert Garz. *n.*24. *c.* 5. *p.* 1. negant verò alij probabiliùs cum eodem Garzia, quia licèt pẽſio laicalis hoc ſit: Eccleſiaſtica tamen ſemper videtur habuiſſe ſpiritualitatem quandam ex coniunctione cum ſtatu clericali; vt colligitur ex Victoria *de ſimonia*, *n.* 27. Aragon. & aliis proximè citatis.

5. DICO TERTIO, ſimonia interueniẽs in penſionibus illicita eſt, quia prohibita, non è contra. Per Papam enim poteſt auferri, quod non eſſet ſi prohibita eſſet, quia illicita. Ratio autem huius concluſionis eſt, quia ſimonia iure naturæ illicita verſatur tantùm circa res merè ſpirituales vendendas: res autem in ſe corporales non ſunt iure naturæ pretio inæſtimabiles, nec incapaces humani commercij; ſed id tantùm habent ex diſpoſitione legis poſitiuæ, quæ id ſancit, ad vitandas fraudes, & errorem populorum circa res ſpirituales, & ob maiorem reuerentiam earundem rerum ſpiritualium, quibus annectuntur, ac proinde ſimoniacè in iis peccatur, quia prohibitum eſt talium rerum corporalium commercium propter reuerentiam ſpiritualium quibus annectuntur. quod totum colligitur ex D. Th. 2. 2. *q.* 100. *art.* 4. vbi Valent. Caiet. Bag. Arag. Salon. Leſſius, Molin. & ex Canoniſtis gloſſa *c. ex parte, v. dimittere, de officio delegati. cap. cùm pridem, de pactis.* Burrius, & Decius *d. c. ex parte, n.*23. Pariſ. *lib.* 14. *de reſign. q.* 3. Ex hoc infertur pacta, & quaſcumque conuentiones, quæ de licentia, & ſcientia Papæ in penſionibus interueniunt, nullam ſimoniam contrahere, quam alioquin haberent ſi Pontificis conſenſus abeſſet.

QVÆRO QVARTO, an ſimonia commiſſa in penſionibus vllas pœnas inducat? 6. *An pœnas aliquas inducat.*

RESPONDEO, cùm pœnæ impoſitæ ſimoniacis loquuntur de ſimonia circa beneficia, recepti iuris eſt, ea quæ ſimoniacè peccantur in penſionibus, nullàs tales pœnas inducere; ita Nauar. *conſ.* 59. 61. 63. 65. 66. *de ſimon. conſil.* 11. *de rebus Eccl. in manual. cap.* 23. *num.* 111. Flam. *lib.*6. *q.* 2. *de reſign. num.* 124. *& de confid. q.* 23. *num.* 45. Cordub. *q.* 21. *lib.* 1. Filarc. Zerula, & alij communiter, quos ſequitur Garz. *numer.* 20. *cap.* 5. *p.*1. Hæc tamen concluſio intelligitur quoties ſimonia purè committitur contra penſiones; nam cùm mixta eſt, & ſimul interuenit vitium contra beneficium, tunc præter peccatum etiã incurritur pœna, non ratione ſimoniæ penſionalis, ſed beneficiariæ, vt bene obſeruat Flam. licèt non admodum clarè ſe explicet, *q.* 23. *de confid.*

QVÆRO QVINTO, quando, & quomodo ſimonia purè committatur circa penſiones, & non circa beneficia? 7. *Quando & quomodo purè committatur circa penſiones, & non circa beneficia.*

RESPONDEO, quoties penſiones venduntur, aut emuntur, aut aliter de illis paciſcendo contrahitur, ſine vlla relatione ad beneficia ſimonia in illis commiſſa tantùm penſionalis eſt: ſi verò penſio, vel vt pretium beneficij, vel vt merces pro beneficio in pactum commerciúmque deducitur, tunc ſimonia beneficialis eſt, & pœnis omnibus ſubiacet, quæ latæ ſunt contra ſimoniacos, nempe excommunicationis, priuationis beneficij, & inhabilitatis ad alia obtinenda.

QVÆRO SEXTO, an liceat ſine auctoritate Papæ penſionem ſpiritualem redimere, vel aliter de illa paciſcendo contrahere? 8. *De penſione ſpirituali, an liceat illam redimere ſine auctoritate Papæ, vel aliter contrahere.*

RESPONDEO, ex ſupradictis conſtat penſionem duplicem eſſe, laicalem, & Eccleſiaſticam. itẽ duplicem, ſpiritualẽ, & mixtã, vt notat Leſſ. *lib.* 2. *c.* 34. *dub.* 37. ſpiritualis eſt quæ datur propter officium merè ſpirituale, vt concionãdi, adiuuandi Epiſcopum, aut Parochum; mixta, quæ fundatur in ſtatu clericali, datur tamẽ ob aliquod temporale; vt eſt ſuſtẽtatio penſionarij, vel indemnitas ſi beneficium reſignauit, aut permutauit

n..uerauit. Quærimus ergo nunc de penſione Eccleſiaſtica primi generis, an poſſit in commercium licitè trahi, ſine auctoritate Papæ. & communis ſententia eſt non poſſe, quam tradit Leſſ. *lo. cit. c. 35. dub. 22.* docentque illam DD. citt. *q. 3. huius cap.* Ratio autem eſt, quia eandem ſpiritualitatem, quam habent beneficia Eccleſiaſtica, habet & penſio iſta data ob officium ſpirituale. Neque enim quicquam ad id refert, quòd ipſa ſit in ſe extinguibilis ad mortem penſionarij, cùm id non augeat ſpirituale, vel minuat. Si ergo ex omnium ſententia non licet de beneficiis contrahere, paciſcendo, mercando, &c. ſine vitio ſimoniæ, nec etiam licebit in penſione, cùm ſit non ſimilis, ſed eadem vtriuſque ratio.

9. *De penſione mixta an liceat illam ſine auctoritate Papæ redimere.*

QVÆRO SEPTIMO, an liceat ſine auctoritate Papæ penſionem mixtam redimere?

RESPONDEO, eſſe duplicem ſententiam. Prima affirmat licitum eſſe; ita Leſſ. *c. 35. dub. 22. n. 124.* Tolet. *lib. 5. c. 92.* Val. *tom. 3. d. 6. q. 16. punct. 3.* Caiet. *tom. 1. Opuſc. 31. reſp. 10.* DD. *in Clement. vnica. §. eadem quoque. de ſup. negl. prælatorum.* vbi Butrius, Zabar. Imola. Secunda negat licere ſine auctoritate Papæ. ita Nauarr. & alij, quos refert Flam. *lib. 6. q. 2. num. 124. & de confid. q. 23. num. 45.* Garz. *p. 1. cap. 5. num. 20.*

10. DICO ergo PRIMO, ſtando ſoli rationi prima opinio probabilior eſt, quia redimere non continet vllius rei ſpiritualis, vel annexæ conditionem, aut acceptionem pro re temporali; non eſt ergo id illicitum, nec ſimoniacum. Antecedés patet, quia ex redemptione licet penſionarius accipiat quid temporale a titulari, non tamen ſi titularis, accipit pro eo vllum ſpirituale, ſed tantùm extinctionem obligationis ſoluendi penſionem, quæ extinctio non eſt quid ſpirituale in titulari.

11. DICO SECVNDO, innitendo conſuetudini, ſecunda opinio verior eſt, nam ſtylus Curiæ, qui facit legem communiter, habet, vt tales redemptiones ſine authoritate factæ reprobentur, & nullæ, & inualidæ cenſeantur, licèt propter illas excommunicatio non incurratur. de quo ſtylo Curiæ atteſtatur Flam. *q. 23. de confid. & lib. 6. q. 4. de reſign.* Nauar. *conſ. 61. de ſimon.* & pluſquam viginti alij DD. quos affert Garz. *n. 20. c. 5.* De quo tamen ſtylo mihi mirum eſt Toletum adeò in Curia verſatum nihil aduertiſſe, vt docuerit penſiones iſtas mixtas redimi poſſe ſine alia facultate.

12. *Penſio an emi ſimpliciter poſſit, aut aliter contrahi ſine aſſenſu Papæ.*

QVÆRO OCTAVO, an penſio poſſit ſimpliciter emi, aut aliter in contractum paciſcendo deduci ſine aſſenſu Papæ?

RESPONDEO, in penſione duo conſiderari, primò ipſum ius exigendi fructus, ſecundò commodum, quod ex iſto iure prouenit, ſiue proximè, qualis eſt exactio fructuum, ſiue remotè, qualis eſt poſſeſſio actualis eorum. Rurſus penſio, quoad ius (quod eſt principale in ea, & quo ipſa conſtituitur) conſiderari poteſt in habente facultatem transferendi, & in non habente. His poſitis

13. DICO PRIMO, non habens poteſtatem transferendi, non poteſt vllo modo de penſione ipſa, quoad ius, contrahere illam vendendo, permutando, &c. Patet, quia in venditione requiritur translatio rei venditæ in emptorem. Si ergo Titius non habet facultatem transferendi penſionem, quem poſſidet, nec etiam poteſt illam vendere, nec alio modo de illa contrahere, in quo requiratur translatio, & quaſi manus traditio rei, de qua contrahitur. Conſtat ergo ex hoc ſi id fiat, dupliciter in eo peccari. Primò contra iuſtitiam vendendo rem, quæ non poteſt transferri, nec tradi in manus emptoris. Secundò contra religionem deducendo in commercium res ſpiritualibus annexas contra illius prohibitionem, qui vetare poteſt.

DICO SECVNDO, commoditas, quæ oritur ex penſione, poteſt vendi, & aliter in commercium deduci. Conſtat primò, quia ipſa non eſt ſpiritualis. Secundò, quia non eſt penſio, nec beneficium Eccleſiaſticum. & hoc vult Leſſ. *cap. 35. lib. 2. dub. 22.* Flam. *de confid. q. 24.* Garz. *d. c. 5. n. 37.* Nauar. *conſ. 6. de ſimon.* & idem Garz. *2. p. n. 37.* 14.

Non obſtat, quòd annexum ſpirituali ſit ſpirituale: ergo cùm commoditas hæc ſit annexa penſioni ſpirituali, erit etiam ipſa ſpiritualis. nam penſio non eſt ſpiritualis in ſe, ſed quia annexa ſpirituali; vnde non ſequitur vt penſioni annexum cenſeri debeat ſpirituale. Primò, quia alioquin iretur in infinitum. Secundò, quia acceſſorium acceſſorij non ſequitur naturam principalis, ſed tantùm acceſſorium principalis.

QVÆRO NONO, an qui poteſt transferre penſionem, poſſit id facere accepto pretio? Exempli gratia. Titius habet facultatem tráſferendi penſionem 100. aureorum, an poſſit eam transferre Seio accepto pretio, quod ſibi nûc totum ſoluatur, aut annuatim per partes dû viuit? 15. *An facultatem habens transferendi penſionẽ poſſit id facere accepto pretio.*

RESPONDEO, non poſſe, ſine ſimonia. Ratio eſt, quia verè dat aliquid ſpirituale pro temporali recipiendo: ergo ſimoniam committit. Antecedens conſtat, quia penſio tranſlata ex dictis eſt quid ſpirituale, quia per ſe annexum ſtatui, & officio ſpirituali; vnde tranſlatarius obligatur eo ipſo ad ſtatum clericalem, & officium patuum dicendum. eſt ergo illicita eius venditio, aut alienatio pro temporali. ita Tolet. *c. 82. & 92.* Val. *tom. 3. d. 6. q. 16. punct. 3.* Arag. Victoria, Ledeſm. alij cum Garz. *c. 5. n. 27.* Leſſ. *lib. 2. c. 35. dub. 22.*

Ex hoc ſit primò peccare, qui transfert penſionem, reſeruata ſibi dum viuit omnium fructuum exactione.

Secundò peccare, qui transfert penſionem accepta quacunque pecunia in pretium, & ex pacto, ſiue pro ſe, ſiue pro aliis.

QVÆRO DECIMO, an idem dicendum ſit, de cedente penſionem acquirendam? Exempli gratia. Titius à Cardinali quodam nominatur ad penſionem quam poteſt pro ſe recipere, vel pro altero quocumque quem velit: an Titius poſſit eam cedere Caio cum hoc, vt Caius ſibi ſoluat omnes fructus ipſo Titio viuente, quod ſæpe ſolet contingere inter patruos, & nepotes, qui cum iuniores ſint, ſperant diutiùs victuri. 16. *Quid de cedente penſionem adquirendam.*

RESPONDEO, & dico id fieri non poſſe, propter eandem rationem, quia pro re temporali, & ex pacto quid ſpirituale ceditur, & eorum argumentis confirmatur, quæ ab authoribus proxime citatis adducuntur.

QVÆRO VNDECIMO, an poſſit id fieri auctoritate ſuperioris? 17. *An id fieri poſſit auctoritate ſuperioris.*

RESPONDEO, poſſe. Itaque ſi Cardinalis vel Epiſcopus habet facultaté conferendi penſioné, poterit illam ita conferre, vt cóſentientibus, non tamen priùs paciſcétibus partibus, vnus nûc habeat titulû, & ius penſionis, alter verò cómodû, &

&,vtilitatem, & illo mortuo totum deuoluatur ad alium. Quod colligitur ex iis, quæ ſuprà diximus de conſtitutione penſionis litis componendæ cauſa, quam docuimus non poſſe imponi ex pacto partium, ſed tantùm ex iudicis officio, vt bene etiam Garz. aduertit *cap. 5. part. 1. numer.* 350. & deinceps. Hinc infertur, qui poteſt transferre penſionem, poſſe conſentientibus partibus illam conferre vni in titulum, alteri in commodum. Nec obſtat, quòd ſibi non poſſit commodum reſeruare, nam nec Epiſcopus, qui poteſt imponere penſionem pro aliis, poteſt illam pro ſe: multa enim permittuntur fieri in fauorem tertij, quæ in ſuum ipſius commodum prohibentur.

18. *Quid ſi penſio ceditur, trāſfertur, confertur cū confidentia vitioſa.*

QVÆRO DVODECIMO, an quãdo penſio ceditur, transfertur, confertur cum confidentia vitioſa interueniente pacto, de exactione omnium, vel partis fructuum in fauorem conferentis, vel alterius, committatur confidentia ſimoniaca prohibita conſtitutionibus Pij IV. & Pij V.

Respondeo non committi, vt conſtat ex verbis conſtitutionum, quæ tantùm loquuntur de confidentia beneficiali, vt fieri docet Flam. *q. 23. & 24. de confidentijs.*

19. *Quid ſi conſtituitur in caput vnius, & commodũ alterius.*

QVÆRO DECIMOTERTIO, quando penſio conſtituitur in caput vnius, vt Hiſpani, ad fauorem, & commodum alterius, vt Itali, ad quem ſpectet obligatio vitæ Clericalis, & officij recitandi?

Respondeo ad illum, qui verè eſt penſionarius, nempe qui habet ius penſionis, & non commodum, quod ius immediatè eſt annexum ſpeciali ſtatui, & officio, non commoditas, quæ ex illo iure naſcitur. Propterea obſeruatur, vt huiuſmodi penſiones conſtituantur in capite, & perſona, iam in vita clericali conſtituti, vt minus grauetur aliunde ad officium obligatus, & vitam clericalem, vt colligitur ex Garz. *n.* 161. & deinceps, Leſſ. *d. c. 35. dub.* 22.

20. *Penſionarii poſſitne pro libito ſuo diſponere de penſione ſine labe ſimoniaca.*

QVÆRO DECIMOQVARTO, an abſolutè loquendo poſſit penſionarius pro libito ſuo quacumque ratione diſponere, & contrahere, de commodo & vtilitate penſionis ſine labe ſimoniaca.

Respondeo, poſſe non ſolùm penſionarium, ſed beneficiarium quemcumque. licèt enim poſſit in eo peccati genus aliud interuenire, non tamen vitium ſimoniacum. Quod tamen cum duplici limitatione eſt intelligendum.

Prima eſt, vt commoditas & vtilitas beneficij, aut penſionis nulla ratione detur, aut accipiatur pro re vlla ſpirituali, vel illi annexa. quod eſſet, ſi contractus terminaretur aliquo modo ad beneficium, aut penſionem ipſam, tanquam ad aliquid dandum, ſiue recipiendum, ſiue pro ſe, ſiue pro alio.

Secunda limitatio, vt conſequutus commodum penſionis, aut beneficij illud exigat titulo merè temporali, fundato immediatè in contractu cum beneficiario, aut penſionario, non in vllo titulo ſpirituali, vel annexo, de quo beneficiarius contrahere non poteſt.

Ex quo infertur penſionarium purè vſufructuarium, id eſt, qui tantùm capit commodum penſionis, cuius titulus, & totum ius conſtitutum eſt in alterius capite & perſona, poſſe liberè omnino contrahere, & totum quod habet commoditatis ex penſione, vendere, aut aliter diſtrahere pro libito ſuo.

Secundò infertur differentia inter titulum beneficij, & penſionis, (latè accepto nomine tituli, vt etiam ad ius penſionis extenditur,) & vſufructuarium beneficij, aut penſionis. nam ille capit commoditatem beneficij, & penſionis immediatè iure ſpirituali; iſte verò nequaquam, ſed medio contractu, aut alia ciuili diſpoſitione beneficiarij, & penſionarij. Reliqua videnda apud Leſſium, & alios DD. citatos, præſertim Nauarr. *in conſil. de ſimon.*

TRACTATVS

Digitized by Google

TRACTATVS QVADRAGESIMVS TERTIVS

DE SPOLIIS ECCLESIASTICIS:

QVI EST SECVNDA APPENDIX AD TRActatum de Beneficiis.

ABSOLVTA materiâ de Beneficiis & Penſionibus Eccleſiaſticis, conſequens eſt vt agamus de ſpoliis Clericorum, quæ ex iiſdem bonis relinquuntur: quod nunc præſtabimus. egerunt autem de ſpoliis Gulielmus Redoanus integro tractatu, & poſt illum Martinus Nauarrus, in commentario quem ſub hoc titulo de ſpoliis ſcripſit in c. non liceat. 12. q. 2. *poſt quem nonnulla eadem de re ſcripſit Ioannes Azor noſtræ Societatis; quos omnes tractatus, ſimul cum pluribus aliis conſultationibus & deciſionibus Rotæ, ad eandem materiam ſpectantibus collegit & edidit Iulius Cæſar, latiùs: ex quibus nos ea quæ neceſſaria & magis vtilia erunt decerpemus, & ſeqq. capitibus explicabimus. Primum erit, quod & quotuplex ſit ſpolium Eccleſiaſticum. Secundum, in quibus perſonis fiat. Tertium, quorum bonorum ſit. Quartum, diſtinctiùs, ex quibus bonis in conſcientia, & à quibus perſonis debeatur. Quintum, ex quibus bonis in foro exteriori capiatur: vbi etiam exponetur, ex qua negotiatione, viri Eccleſiaſtici ſpolij obligationem incurrant. Sextum, quibus, quæ ſpolia debeantur; & an, & quomodo ante ſententiam iudicis. Septimum, varias ſimul quæſtiones complectetur, & quæ frequentiùs in hac materia peccari ſoleant explicabit.*

CAPVT I.

Quid & quotuplex ſit ſpolium Eccleſiaſticum.

1. *Spolium Eccleſiaſticum quid.* QVÆRO PRIMO, quæ ſit Eccleſiaſtici ſpolij definitio.

RESPONDEO, variè ipſum definiri, vt videre eſt apud Redoan. *q.* 1. *de ſpoliis, n.* 7. Azor. *c.* 1. *q.* 2. Nauar. *tract. de ſpoliis.* §. 1. *n.* 20. quibus omiſſis, vt ſuperfluis, & minimè neceſſaria continentibus,

DICO PRIMO, ſpolium Eccleſiaſticum eſſe, quidquid in bonis Eccleſiaſticæ perſonæ poſt mortem ipſius reperitur, quod ad hæredes ipſius, nec ex teſtamẽto pertinet, nec ab inteſtato. quæ definitio colligitur ex iis, quæ DD. prædicti tradunt, licèt eam aliter forment & proponant. probabitur autem à nobis clarè, & explicabitur ex iis quæ deinceps ſubiiciemus.

DICO SECVNDO, ex hac definitione colligitur, ſpolia Eccleſiaſtica poſſe diſtingui, ex parte eorum, quibus poſt mortem bona perſonæ Eccleſiaſticæ aliter, quàm iure hæreditario debentur; vt tot ſint ſpecies, ſeu genera ſpoliorum, quot ſunt perſonarum, quibus ea bona obueniunt. Sunt autem tres præcipuè, Camera Apoſtolica, Camera & Eccleſia Epiſcopalis, ſeu alia beneficiario coniuncta, ſucceſſores in beneficio. ex his tamen propriiſſimè ſpolij nomen obtinent quæ Cameræ Apoſtolicæ debentur.

CAPVT II.

Ex quibus perſonis ſpolia Eccleſiaſtica capiantur.

DVbium non eſt ſpolia hæc Eccleſiaſtica ex Eccleſiaſticis perſonis accipi; ita vt ex nulla perſona fiant quæ Eccleſiaſtica non ſit, & ex omni Eccleſiaſtica capiantur: niſi aliter ſit ſpeciali exceptione diſpoſitum.

QVÆRO ergo qui hoc nomine intelligantur, & PRIMO, an ſolùm Clerici? 1. *Nomine Eccleſiaſticæ perſonæ qui intelligi debeant.*

RESPONDEO, latiùs patere Eccleſiaſticæ perſonæ nomen, quàm nomen clerici; proinde ex omnibus clericis fieri, & præterea à pluribus *De Clericis.*

aliis, quia licèt omnis clericus ſit perſona Eccleſiaſtica: non tamen omnis Eccleſiaſtica perſona clericus eſt, vt bene Decius *c. Eccleſia. de conſtitutionibus, n. 7.* & habetur in text. iuncta gloſ. *c. duo ſunt, 12. q. 1. c. alia, & c. legi 16. q. 1. c. non dubium, & c. de monialibus. de ſententia excommunicationis.* & latè explicat Nauar. *tract. de reditibus Eccleſ. c. vlt. q. 1. monit. 55.*

2. *De Regularibus.* QVÆRO SECVNDO, an Regulares etiam hoc nomine comprehendantur reſpectu ſpoliorum?

RESPONDEO, comprehendi. quare ſi qui reperiantur tempore mortis bona habentes hæredibus non debita, bona illa cedunt in ſpolia Eccleſiaſtica, vt expreſsè decernunt Paulus III. Pius IV. & Pius V. quorum verba refert & expendit Nauar. *de ſpoliis. §. 5. n. 3.* Quomodo autem Regulares poſſint aliquid ſuum habere ex quo ſpolium fiat, infrà ſuo loco exponemus.

3. *De conuerſis oblatis Deo in monaſteriis.* QVÆRO TERTIO, an conuerſi oblati Deo in monaſteriis, nomine perſonæ Eccleſiaſticæ ad hunc effectum ſpoliorum contineantur?

RESPONDEO, contineri, vt poſt Redoanum, Nauar. docet Azor *q. 2.* clareque conſtat ex verbis DD. Pontificum quæ refert Nauar.

4. *Quæ perſonæ vniuerſim ſpolio Eccleſiaſtico ſubiectæ.* QVÆRO QVARTO, quæ ergo perſonæ, vniuersè loquendo, ſpolio Eccleſiaſtico ſubiectæ ſint?

RESPONDEO, omnes quæcunque gaudent priuilegio Eccleſiaſtici fori, tam quoad perſonas, quàm quoad bona. quare Regulares omnes tam clerici, quàm laici, tam militares, quàm clericales, tam in ordinibus conſtituti, quàm aliter Eccleſiæ ſeruientes, dummodo ex ſuo ſtatu priuilegio fori gaudeant, edicto *ſpolij* includuntur: vt pluribus Redoanus *q. 7.* Nauar. *§. 1. n. 2. c. 3.* Azor *c. 1. q. 2.*

5. *Quæ ſpeciali conceſſione excepta.* QVÆRO QVINTO, quæ perſonæ Eccleſiaſticæ ſpeciali conceſſione ſint exceptæ?

RESPONDEO, tria genera eſſe, primò Cardinales, ſecundò Curiam ſectantes & in ea morientes, tertiò priuilegio teſtandi munitos, de quibus Azor *c. 2. q. 10.* ex conſtitutione Pij IV. & Pij V.

CAPVT III.

Quæ bona ſpoliis Eccleſiaſticis ſint addicta.

VNiuersè definiuimus, bona omnia quæ tempore mortis Eccleſiaſticam perſonam ſpectant, nec tamen ad hæredes tranſeunt, ſi quos habet ex teſtamento, vel ab inteſtato, ſpolio Eccleſiaſtico contineri. Videndum ergo mihi etiam quæ iſta bona ſint. Ob id

1. *De bonis patrimonialibus, vtrùm ſpolio Eccleſiaſtico ſubiecta.* QVÆRO PRIMO, an bona patrimonialia ſpolio Eccleſiaſtico ſubiecta ſint.

RESPONDEO, non eſſe. colligitur ex conſtitutionibus Pij III. Pij IV. & Pij V. quas Nauar. *loc. cit.* refert & expendit. Probatur primò, quia ſpolium Eccleſiaſticũ eſt ex bonis quæ mediatè vel immediatè ex beneficio & ipſius fructibus acquiſita ſunt: ſed patrimonialia Eccleſiaſticæ perſonæ, non ſunt eiuſmodi. Secundò, quia ſpolia Eccleſiaſtica ſunt ex bonis quæ non debent hæredibus Eccleſiaſticæ perſonæ, ſi quos poteſt habere, prouenire: ſed patrimonialia Eccleſiaſticorum hæredibus illorum debentur, vt per ſe conſtat & indicant prædicti Pontifices, & habetur *12. q. 5.* per totum, & docet gl. *c. illo 12. q. 1.*

2. QVÆRO SECVNDO, quæ ſint bona patrimonialia. *Bona patrimonialia quæ.*

RESPONDEO, propriè quæ à parentibus proueniunt: largè quæcunque ex cõſanguineorum morte ſiue per teſtamentum, ſiue ab inteſtato capiuntur.

QVÆRO TERTIO, an de bonis quaſi patrimonialibus ſpolia fiant. 3. *De bonis patrimonialibus, an in eis ſpolia fiant.*

RESPONDEO, non fieri, vt bene docet Nauarr. §. 1. *n. 2 & 3. & §. 8. n. 7.* Azor *c. 3. q. 2.* Rota Romana in Vlixbonenſi coram Ludouiſio, poſtea ſanctiſſimo *n. 10.*

QVÆRO QVARTO, quæ ſint bona quaſi patrimonialia Eccleſiaſticorum. 4. *Bona q. patrimonialia quæ.*

RESPONDEO, quæ fiunt eorum propria alio titulo quàm hæreditariæ ſucceſſionis: & ita vt in illorum iuſtum & abſolutum dominium transferatur. colligitur ex iiſdem auctoribus *loc. cit.* & clariùs ex ſequentibus conſtabit. appellãtur autem quaſi patrimonialia, quia de illis poſſunt Eccleſiaſtici diſponere, quemadmodũ quilibet alius de ſuo patrimonio cõmuniter poteſt: ſed quia non veniunt ex hæreditate maiorum, ad illorum diſtinctionem non abſolutè patrimonialia, ſed cùm diminutione quaſi patrimonialia dicuntur. explicandum ergo etiam quæ ſint iſta bona.

QVÆRO igitur QVINTO, an fructus beneficij à beneficiario percepti, & reliquis illius bonis incorporati, fiant illius quaſi patrimonialia. 5. *De fructibus beneficij à beneficiario perceptis, an fiant illius q. patrimonialia.*

RESPONDEO, vniuersè loquendo cõferri. eſt certa & indubitata concluſio omniũ DD. qui diſtinguunt inter patrimonialia, vel quaſi; & reditus, quos ex beneficio quilibet Eccleſiaſticus acquirit. Ratio autẽ eſt, quia ex bonis patrimonialibus, vel quaſi, poſſunt Eccleſiaſtici licitè & validè diſponere in omnem vſum pro libito ſuo rectæ rationis dictamine non prohibitum; ſed ex reditibus quos ex beneficio Eccleſiaſticus percipit, nec licitè nec validè poteſt in omnes vſus diſponere, vt per ſe patet. tenetur enim illos expendere in pios & honeſtos vſus, qui ſint ordinati, vel ad paupertatem ſubleuandã, vel ad Religionem fouendam. Præterea bona patrimonialia tempore mortis apud Eccleſiaſticum reperta debentur illius hæredibus, bona hæc Eccleſiaſtica non item: non ergo ſunt quaſi patrimonialia. qua de re pluribus Nauar. *de reditibus Eccleſiaſticis, & tract. de ſpoliis. §. 1. n. 1. 2.* Dixi autem in principio *vniuersè loquendo* fructus omnes beneficij non fieri patrimoniales beneficiarij; quia aliqui fiunt, ſed non omnes: quales autem iſti ſint, iam explicabo.

Sed obiicies, ſuprà tractatu 41. de beneficiis c. 2. nos docuiſſe beneficiarium fieri dominum redituum. ergo reditus fiunt illius bona patrimonialia, vel quaſi. Reſpondeo, negando conſequentiam, non enim omnia quæ tranſeunt in noſtrum dominium qualecũque, fiunt patrimonialia, vel quaſi: ſed quæ tranſeunt in liberũ & abſolutum ab omni obligatione, præter illam, quam communis ratio rectè operandi præſcribit & dictat. Reditus autem beneficij licèt trãſeant in dominium: id tamen cum obligatione illa *ſic & ſic* expendendi. vnde fit vt ſi aliter illos beneficarij expendant, validè expendant, quia domini ſunt: illicitè verò, quia aliter quàm tenẽtur, non ſolùm ex præſcripto rationis omnes obligantis, ſed ex peculiari ratione ſui ſtatus; ex natura illorum redituum, & ex Eccleſiaſticis decretis.

QVÆ

Digitized by Google

6.

De fructibus beneficij qui debentur beneficiario pro eius ſuſtentatione, an q. patrimoniales fiant.

QVÆRO SEXTO, an fructus beneficij, qui debentur beneficiario pro iuſta & rationabili ipſius ſuſtentatione, fiant illius quaſi patrimoniales.

RESPONDEO, fieri, etiamſi illos vel ob ſuã parſimoniam, vel quia aliunde habet ex ſua induſtria vt ſuſtentetur, illos beneficiarius nõ conſumat. ita deciſum eſt in vna Viſelenſi coram Ludouiſio, poſtea ſanctiſs. *n.* 10. & docet Nauar. & poſt illum Azor *c.* 3. *q.* 2. probari autem poteſt ex D. Th. 2. 2. *q.* 185 *art.* 7. *in corp.* vbi docet de parte fructuum ad vſum deſtinata poſſe beneficiarium liberè diſponere ceu de bonis propriis & patrimonialibus. quod ipſum ibi confirmat Caiet. Molina *de iuſt. & iure diſp.* 146. *v. contrarium.* Nauar. *de reditib. Eccleſ. q.* 1. *monit.* 33. *n.* 2. *&* 4. *verſ. quæ ratio.* Soto *de iuſt. & iur. lib.* 10. *q.* 4. *art.* 4. *col.* 4. *verſ. cùm ergo.* Lælius Zechius *de Rep. tit. de Benef. n.* 10. quẽ ſequitur Garz. *p.* 2. *c.* 1. *n.* 9. Ex quo improbabilis omnino redditur opinio Redo. *q.* 6. *n.* 8. & deinceps, affirmãtis beneficiariũ etiã reſpectu partis ſibi in ſuſtentationem aſſignatæ tantùm vſuarium eſſe: vt quicquid quomodocumque ex illa non conſumat, ipſius proprium non fiat, ſed aliis cedat.

7.

Quid ſi beneficiarius habet ex patrimonio vnde ſuſtentetur, an nihilominus partem fructuum beneficij ſibi propriam faciat, & q. patrimonialem.

QVÆRO SEPTIMO, an ſi beneficiarius habeat patrimonium vnde ſuſtentetur, nihilominus partem fructuũ rationabili ſuæ ſuſtentationi conuenientem ſuam propriam faciat, & quaſi patrimonialem?

RESPONDEO facere. ita Azor *cap.* 3. *quæſt.* 1. Couarruuias *cap. cùm in officiis. de teſtamentis. verſ.* 3. *ex eodem.* Optima ratio ad hoc eſt, quia pars fructuum quæ tribuitur beneficiario ad illius congruam ſuſtentationem, non eſt tantùm miſericorditer illi impenſa vt viuat, ſed etiam, vt illius labores iuſta mercede & ſtipendio compenſentur.

Contra hoc Redoanus *quæſt.* 3. §. 1. *num.* 2. conatur pluribus oſtendere non poſſe de beneficio viuere qui patrimonium ſufficiens habet; fundatur quòd aliquando canones dicant in neceſſitate beneficiario ſubueniendum; ex quo colligit vbi ille non eſt in neceſſitate, ſubuentionem iſtam non poſſe recipere. Sed fallitur omnino, quia Eccleſia non tantùm beneficiario tribuit quod ad illius egeſtatem ſuſtentandam facit, ſed ſoluit etiam quod debetur, vt merces in vinea Domini operanti. *dignus eſt enim operarius mercede ſua.* &, *nemo ſuis ſtipendiis militat*, vt dicit Apoſt. quamuis poſſit militare, & habeat operarius vnde valeat ſuſtentari, etiamſi mercedem à villico non recipiat. quod dicunt canones, aliquando *beneficiario in neceſſitate ſubueniendum*, non intelligitur vt extra neceſſitatem mercedem ſuam non poſſit accipere, ſed vt cùm illa adeſt, etiam vltra mercedem illi ſubueniatur.

8.

Beneficiarius non ſeruiens, poſſitne alimenta & alia ſuſcipere, ſi aliunde habeat quo ſuſtentetur.

QVÆRO OCTAVO, an beneficiarius non ſeruiens, ſed de beneficio ſimplici ſine vlla aſſiſtentia prouiſus, poſſit alimenta & alia iuſtæ ſuſtentationi congrua ſuſcipere, ſi ex patrimonio vel aliunde habeat vt ſuſtentetur. Ratio dubitandi eſt, quia huic nec ob egeſtatẽ ſubleuandam, nec ob ſeruitium & laborem, pars vlla fructuum debetur.

RESPONDEO huic etiam ex fructibus beneficij deberi quod iuſtè & rationabili ipſius ſuſtentationi congruit, ratione habita ſtatus & conditionis. Ratio eſt, quia quilibet beneficiarius ratione beneficij, ſi non ad reſidentiam, adſiſtentiam, aut aliud ſeruitium, tenetur ſaltem ad officia recitandum. ob hoc ergo debetur illi merces & ſtipendium pro ſtatu ſuo. Quare falſum eſt, quod aſſumitur, beneficiarium aliquem eſſe qui nullum obſequium & laborem Eccleſiæ impẽdat, quod ex iiſdẽ auctoribus colligitur *q.* 6. adductis, & ex D. Thoma confirmatur, qui cùm dicit quòd beneficiarius ex parte fructuum ſibi deſtinata parcè viuendo reſeruat, nullam limitationem adhibet an hoc debeat fieri, nullo ſuppoſito patrimonio, vel aliquo. item ſuppoſita adſiſtentia ad ſeruitium pœnale exhibendum, vel non ſuppoſita.

QVÆRO NONO, an ergo poſſit beneficiarius, cui aliunde ſiue ex patrimonio, ſiue ex propria induſtria ad commodam ſuſtentationem & ſtatui congruentem ſufficit, de ſolo beneficio viuere, totum patrimonium integrum reſeruando. 9.

Poſſitne de ſolo beneficio viuere, & reſeruare patrimonium.

RESPONDEO poſſe, licèt enim laudabilius eſſet, ſi tunc de patrimonio viueret, non tamen ad hoc tenetur, ſed poteſt congruam ſuſtentationem ex fructibus beneficij capere, & totum patrimonium conſeruare, vt docet Abbas *cap. cùm eſſes. de teſtamentis.* Innoc. *cap. Epiſcopus. de prebend.* hæc audet improbare Redoanus *q.* 10. *num.* 26.

QVÆRO DECIMO, an poſſit eſſe beneficiarius qui fructus omnes ſui beneficij quaſi bona patrimonialia poſſideat. 10.

An poſſit eſſe beneficiarius qui fructus beneficij q. patrimoniales poſſidet.

RESPONDEO poſſe illum, nimirum cuius beneficium non ſuperat valorem iuſtæ ſuſtentationis beneficiario conuenientis. quare Pius V. ad tollendas lites conſtituit, vt quorum beneficia, & penſiones valorem non ſuperant triginta aureorum, ij ad nulla Eccleſiaſtica ſpolia teneantur, & hoc non ob aliud, niſi quia de bonis quæ beneficiario competunt ad ſuſtentationem, ſpolia facienda non ſunt, cùm fiant illius propria, & quaſi patrimonialia: qui autem beneficium maioris valoris non poſſidet, quàm triginta aureorum, non habet ex illo plus quàm congruæ ſuſtentationi conueniat; vt bene aduertit Nauarr. §. 1. *numer.* 5. *de ſpolijs*, & iterum §. 8. *num.* 7.

QVÆRO VNDECIMO, an diſtributiones quotidianæ quæ dantur interuenientibus & præſenti obſequio ſeruientibus, inter bona quaſi patrimonialia cenſeantur. 11.

De diſtributionibus quotidianis quæ dantur interuenientibus, & præſenti obſequio ſeruientibus, vtrũ cenſeantur inter bona q. patrimonialia.

RESPONDEO, cenſeri & verè ita eſſe, quia fiunt ſeruientium abſolutè propria, non minus quàm patrimonialia, quod habetur *cap.* 1. *de clericis non reſidentibus in* 6. docétque Innocent. Geminianus cum gloſa; quos refert Redoanus *quæſt.* 3. *num.* 35. & ratio eſt, quia quod acquirit clericus ex iuſto ſtipendio, minus ipſius proprium fit, quàm ruſtici, aut cuiuſcumque operarij proprium fiat quod in mercedem ſui laboris & operis capiunt; vt notat Innoc. *in cap. nouum genus. de decimis.* ſed quod ſic acquirit ruſticus, aut quilibet operarius, ita illius fit vt patrimonio accreſcat; ergo ſimiliter erit in Clerico.

QVÆRO DVODECIMO, quæ bona Eccleſiaſticorum vniuersè loquendo inter illorum quaſi patrimonialia cenſeantur? 12.

Quæ bona Eccleſiaſticorum cenſentur q. patrimonialia.

RESPONDEO, & DICO PRIMO, vniuersè loquendo quæcumque Eccleſiaſticus acquirit titulo aliquo conditionis, aut exercitij perſonalis, à ſacris canonibus non interdicto, cedunt omnia in ipſius bona, quaſi patrimonialia, quia fiunt non minus ipſius propria, quàm quæ à parentibus ſuis ſibi tranſmittuntur. colligitur primò ex auctoribus ſuprà adductis *quæſt.*

Digitized by Google

6. præſertim ex D. Thoma, quibus adde Bald. *in authent. licentiam. C. de Epiſcop. & Cleric.* Alexand. *conſil.* 101. *numer.* 2. *lib.* 7. Corn. *conſil.* 314. *numer.* 2. *vol.* 3. *conſil.* 79. *numer.* 3. *volum.* 4. qui id docent ex *c. quia nos, & c. relatum* 2. *de teſtam. c.* 1. *de ſucceſſ. ab inteſt.* cum Innocent. *cap. cùm in offic. numer.* 2. *eod.* Secundò, quia canones tantùm negāt Eccleſiaſticis abſolutam & liberam poſſeſſionem eorùm, quæ illicitè contra Eccleſiaſtica decreta acquirunt, vt habetur ex conſtitutione Pij IV. quam referunt & expendunt Redoanus *quaſt.* 2. Nauarr. *de ſpolijs.* §. 8. Azor *cap.* 2. *q.* 1. quæcumque ergo acquirit Eccleſiaſticus ratione aliqua ſacris canonibus non interdicta, propria ipſius liberè & abſolutè fiūt. Tertiò, quia quod Sanctorum Patrum decretis non eſt conſtitutum, non debet ſuperſtitioſis inuentionibus affirmari. *cap. conſuluiſti* 2. *quaſt.* 4. ſed nulli canones inueniuntur qui ſanciant bona à clericis quomodocumque acquiſita non fieri eorum propria liberè, ſimpliciter & abſolutè. ſuperſtitioſum ergo eſt id aſſerere.

13. Dico secundo in particulari, & ad ſpeciem deſcendendo, fructus omnes Eccleſiaſtici quos clerici accipiunt in mercedem quotidiani laboris, & operæ perſonalis, fiunt illorum proprij, & bonis patrimonialibus accreſcunt, qualia ſunt acquiſita non ſolùm in quotidianis diſtributionibus beneficialibus, ſed data intuitu Miſſæ, prædicationis, confeſſionis, Capellaniæ, vel officij Vicariatus, aut cuiuſcumque alterius ſpiritualis muneris, eleemoſynæ titulo, non in pretium, ita Innoc. *cap. quia nos. & cap. relatū. de teſtam.* & poſt Abbatē, Hoſtienſ. Card. Francum, Nauarrum, docet Leonis *in theſauro fori Eccleſiaſt. p.* 3. *cap.* 3. *n.* 14. ita fusè Redoan. *d. q.* 3. §. *quid dicendum. n.* 35.

Ex quo fit primò, vbi præbendæ diſtinctæ nō ſunt, ſed omnia in communi poſita, quæ poſtea ſingulariter æquis portionibus inter præſentes diſtribuuntur, ibi omnia fieri propria beneficiarij; ita vt de illis non minus, quàm de proprio patrimonio diſponere poſſit, vt docet gloſſa, Abbas, Geminianus, Innoc. & cum illis Redoanus dicta *q.* 3. *n.* 35.

Secundò fit, fructus omnes Capellaniæ ad nutum amouibilis, cui quis præſenti obſequio inſeruit, eodem modo ipſius proprios fieri, ex *cap. quia nos, & c. relatum. de teſtam.*

14. Dico tertio, bona quæcumque non Eccleſiaſtica propria induſtria beneficiarij licitè acquiſita ipſius patrimonio accreſcunt, ſiue ex induſtria ponatur in opere & artificio corporali exercendo, ſiue in doctrina tradenda. ita Cynus & DD. *Authentica licentiam. C. de Epiſcopis.* vbi Baldus dicit, quidquid Clericus acquirit propria induſtria & labore (intellige per canones non prohibito) poſſe de eo pro libito in vita & morte diſponere ſicut de patrimonio, quod ipſum docet Hoſtienſis, Antoninus, Cardinalis, Imola *in cap. quia nos. de teſtam.* Abbas *in c. cùm in officiis. de teſtam.* Redoan. *quaſt.* 3. §. *vlt. num,* 7. 8. 9. Ex quo fit primò, quod acquirit beneficiarius quia cantor, Grammaticæ Magiſter, &c. illius proprium fieri ſine vlla reſtitutione. Secundò, quod acquirit in ſeruiendo Principibus, illorum epiſtolas reſcribendo, aut aliter honeſtè illis operam ſuam præſtando, eodem loco habēdum. Tertiò, idem exiſtimandum de eo quod proprio artificio pingendo, ſculpendo, &c. acquirit.

15. Dico quarto, bona quæcumque Eccleſiaſticis donantur, vel relinquuntur, tit. rationali, etiamſi ad id dignitas vel ſtatus clericalis concurrat, vt conditio, ſine qua fortaſſe donata ac relicta illa non fuiſſent, ipſorum propria ſunt, & quaſi patrimonialia. DD. *cap. cùm in officijs. de teſt.* Zabarella *cap. fin. de peculio Clericorum.* Baldus *C. de Epiſcopis. authent. licentiam.* Federicus de Senis *quaſt.* ſeu *conſil.* 20. Calderinus *conſil.* 1. *de peculio clericorum.* Ex quo fit primò, quod donatur vel relinquitur beneficiario titulo conſanguinitatis, vel affinitatis, quantùmuis remotè, ipſius fieri; quia conſanguinitas pertinet ad perſonam, eo autem titulo omne id præſumitur dari, quod à conſanguineo & ab affine datur, niſi ipſe aliud exprimat. Secundò, quidquid datur titulo amicitiæ. Tertiò, quidquid ob dotes aliquas perſonales, puta litteraturam, artificium pingendi, &c. de quibus omnibus clariùs in ſequentibus conſtabit.

CAPVT IV.

Ex quibus bonis, à quibus perſonis Eccleſiaſtica ſpolia in conſcientia debeantur.

EX dictis in vniuerſum ſatis conſtare poteſt, iure communi moriente quocumque Eccleſiaſtico, cuiuſcumque gradus & dignitatis exiſtat, bona omnia, quæ tum ad ipſum pertinent, ſpolio Eccleſiaſtico deberi, ſi ſunt ab ipſo poſſeſſa alio titulo, quàm ſanguinis, aut induſtriæ, vel alterius conditionis perſonalis. Vt autem ea, quæ circa hanc materiam difficultatem in particulari facere poſſent, meliùs diſſoluantur, varias quæſtiones proponemus, ex quibus emergentes caſus poſſint explicari.

QVÆRO ergo PRIMO, an quod ſupereſt ex reditibus beneficij iam perceptis adhuc intactum, ſpolio Eccleſiaſtico debeatur. 1.

An quod ſupereſt ex reditibus beneficij, debeatur ſpolio Eccleſiaſtico.

Respondeo deberi, quia licèt beneficiarius poſſit in vita de reditibus pro libito validè diſponere: non tamen poteſt in morte. ita Abbas, Ioan. Andr. Baldus, quos ſequitur Redoan. *quaſt.* 3. §. *& ex his.* & cōmunis apud Nauarr. §. 14. Azor *cap.* 2. propter quod dici ſolet, beneficiarium in vita comparari *vſufructuario* reſpectu redituum Eccleſiaſticorum: in morte tantùm *vſuario*, quod eſt dum viuit poſſe de fructibus beneficij diſponere, in morte nequaquā, ſed quæ relinquit inconſumpta, eius remanere qui dedit vtenda. cuius axiomatis explicationem habet Baldus *in authentica licentia. C. de Epiſcopis,* quod tamen limitandum eſt, niſi beneficiarius decedens teſtari poſſit, vel ex priuilegio, vel legitima & præſcripta conſuetudine, quæ priuilegio æquiparatur, vt iidem docent, & nos paulo pòſt. Dixi validè poſſe in vita diſponere in omnes vſus. nam licitè non poteſt, niſi cauſa ſubleuandæ paupertatis, aut pietatis fouendæ, vt iidem tradunt.

QVÆRO SECVNDO, an quæ ex reditibus beneficij comparata & empta ſunt, ſpolio Eccleſiaſtico computentur. 2.

An ex iiſdem comparata & empta computentur ſpolio Eccleſiaſtico.

Respondeo, ſi ſint empta ex fructibus non deſtinatis victui aut ſtipendio beneficiarij, computanda eſſe in ſpolio, ſi tempore mortis beneficiarij adhuc ad ipſum pertinent, & de illis irreuocabiliter in vita non diſpoſuerit. communis

Digitized by Google

munis ſententia eſt quam docet Azor, licèt ſatis obſcurè & perplexè, *cap. 2. quæſt. 5.* meliùs Redoan. *quæſt. 12. num. 9.* Couarruuias *de teſt. cap. 1. verſ. 3. Ex his.* Ratio eſt, quia omne illud inter ſpolia cenſendum eſt, quod moriente beneficiario inter ipſius bona reperitur non patrimoniale, nec quaſi. Sed empta ex reditibus Eccleſiaſticis, pertinentia adhuc ad beneficiariũ morientem, non ſunt ipſius bona patrimonialia, nec quaſi: ſunt ergo ſpolia. quòd non ſint patrimonialia, conſtat; quòd nec *quaſi*, patet ex dictis, quia quaſi patrimoniale bonum eſt quod titulo ſanguinis, aut perſonalis induſtriæ vel conditionis acquiritur à beneficiario, & ex reditibus beneficij, id tantùm quod eſt cõgruæ iſtius ſuſtentationi deſtinatum.

3. *De emptis à beneficiario ex bonis patrimonialibus, vel quaſi, vtrùm excepta à cenſu ſpoliorum.*

QVÆRO TERTIO, an omnia empta à beneficiario ex bonis patrimonialibus, vel quaſi, ſint excepta à cenſu ſpoliorum?

RESPONDEO, non omnia, ſed quædam eſſe quæ ſpolio computantur, licèt empta propria pecunia & patrimoniali. hæc autem ſunt omnia inſtrumenta ſacra ad diuina officia celebranda vtilia, aut neceſſaria, quæcumque illa ſint, vt libri, vaſa, veſtes, patamenta, miſſalia, lampades, candelabra & ſimilia, quæ noua diſpoſitione Pij V. quacumque pecunia comparata, ſi tempore mortis ad beneficiarium adhuc ſpectant, ſpolia fiunt: cui autem cedant, infrà dicemus. quam conſtitutionem quantum ad hoc caput adducit Nauarr. & explicat §. 8. *numer.* 1. 2. Vbi nota Nauar. & alios hæc bona non computare inter ſpolia Eccleſiaſtica; quia nomine ſpoliorum Eccleſiaſticorum ipſe cum aliis intelligit tantùm, quæ cedunt Cameræ Apoſtolicæ: malè tamen, quia licèt frequentiùs hoc ſoleat; nomen tamen ſpolij latè quidem, ſed propriè ſumptum includit quidquid mortuo beneficiario alij debetur, quàm quos ipſe hæres aut legatarius habet, vel poteſt habere: vt conſtat ex iis quæ ſuprà diximus *cap.* 1. & habetur ex Baldo, Geminiano, Calderino & aliis, qui nomine ſpolij complectuntur, quidquid ex bonis beneficiarij hæredibus, aut legatariis ipſius de iure adimi poteſt, quòd iis beneficiarius in ſuis hæredibus, & illis qui ipſum repræſentant, ſpolietur.

4. *De inſtrumẽtis ſacris, vtrũ ab obligatione ſpolij poſſint eximi.*

QVÆRO QVARTO, an inſtrumenta ſacra per facultatem teſtandi beneficiario cõceſſam ab obligatione ſpolij eximi poſſint.

RESPONDEO, non poſſe, niſi de eo fuerit expreſſa mentio, & ſpecialis. nam Pius V. ita illa vult à poteſtate beneficiarij decedentis libera eſſe, vt nulla facultate teſtandi conceſſa, aut nullius conſuetudinis prætextu, poſſit de illis beneficiarius diſponere dum decedit, vt patet ad oculum verba conſtitutionis præcurrenti, & explicat Nauarr. *loc. cit.* §. 8. Azor *cap. 3. quæſt.* 7. Poſſet autem duplex hîc dubitatio eſſe. Prima, an etſi res iſtæ conſecratæ non ſint, inter ſpolia computentur. Secunda, quæ iſtæ ſint. Ad primam dicendum eſt affirmatiuè, quod clarè verba conſtitutionis ſignificant. Ad ſecundam facilis etiam reſponſio eſt. quidquid enim ad ſacram ſupellectilem ſpectare poteſt in ſacello & Altari ornando & inſtruendo, id totum inter ſpolia eſt computandum.

5. *An inter ſpolia numeranda quæ conſanguinei, vel amici beneficiarij, ex reditibus ipſius acceperunt dũ viueret.*

QVÆRO QVINTO, an quæ conſanguinei vel amici beneficiarij, ab ipſo dum viueret ex reditibus ipſius liberaliter acceperunt, ſint inter ſpolia numeranda.

RESPONDEO hanc quæſtionem ex alia pendere, an & quantum poſſint beneficiarij ex reditibus ſui beneficij donare & profundere: qua de re infinitæ lites & controuerſiæ ſemper fuerunt, nondum ad liquidum diſcuſſæ quòd ex alia quæſtione pendeant, quæ adhuc & ipſa in ſuſpenſo nonnullis videtur eſſe, an ſcilicet beneficiarius ſit dominus fructuum, vel tantùm purus adminiſtrator. qua quæſtione vt minimè neceſſaria nunc omiſſa cùm de illa tractatu 41. de beneficiis pleniùs à nobis actum fuerit, *cap.* 2. & 3. breuiter.

DICO PRIMO, beneficiarios beneficio- 6.
rum ipſorum dominos non eſſe, ſed puros adminiſtratores: in quo ſenſu fortaſſe locuti ſunt quotquot abſolutè dixerunt bonorum Eccleſiaſticorum dominium penes beneficiarios non eſſe: ſed illos vſuarios, aut ſummùm vſufructuarios cum libera adminiſtratione cenſeri.

DICO SECVNDO beneficiarios eſſe ve- 7.
ros dominos fructuum quos ex beneficio capiunt iuſto titulo poſſeſſo. communis ſententia eſt, pro qua præter ea quæ diximus *loc. cit.* Marſilius Columna *in tract. de reditibus Eccleſiaſticis, cap. 34. num.* 18. numerat auctores 55. ex quibus Theologos 16. Canoniſtas 39. in Theologis computando D. Thomam. quod ipſum ex Conc. Trid. & pluribus aliis auctoribus probat Garzias *parte 2. cap. 1. num.* 4. & Hieronym. Mainaſius in longa conſultatione in materia ſpoliorum, *num.* 112. quæ cum opere Redoani eiuſdem tituli nouiſſimè edita eſt. Ratio autem optima ad hoc probandum eſt, quia Tridentinum & Summi Pontifices cùm dicunt beneficiarium non recitantem horas Canonicas, aut non reſidentem legitimè non impeditum, fructus ſuos non facere, perſpicuè demonſtrant, cùm ille ſuo officio fungitur, fructus ſuos facere, ac proinde eorum dominium acquirere. quod enim ſuum cuiuſque eſt, in illius dominium tranſit, niſi aliud ex conſequentibus & antecedentibus colligatur. Ad quod obſeruandum, licèt eſſe ſuum latius pateat, quàm eſſe ſub dominio, vt infrà fuſiùs conſtabit *in tract. de alim.* tamen facere aliquid ſuum ſæpè loquendo niſi aliud addatur, eſt illius dominium acquirere. quare cùm ſacri canones & nouiſſimè Trid. ſæpiùs acceptant beneficiarios cùm ritè ſe gerunt, facere reditus & fructus beneficij ſuos, dubitari iam non poteſt, quin beneficiarij veri domini ſint redituum, quos ex beneficio conſequuntur.

Non obſtat primò, quòd teneatur beneficiarius de reditibus, maximè qui ſuperſunt congruæ ſuſtentationi, facere eleemoſynam, nam hæc obligatio non deſtruit veram rationem dominij, alioquin neque ſæculares eſſent domini ſuorum bonorum, de quibus tenentur etiã quod illis ſupereſt eleemoſynam erogare.

Non obſtat ſecundò, quòd grauiter peccent Eccleſiaſtici in alios vſus quàm pietatis fouendæ, officij exercendi, aut paupertatis ſubleuandæ, fructus perceptos impendendo: quia etiam ſæculares grauiſſimè peccant effundendo in lenones, meretrices, aleas, vana ſpectacula & ſimilia, qui tamen non ob id deſinunt eſſe & dici domini eorum bonorum, quæ non expendendo vt recta ratio poſtulat grauiter peccant.

Non obſtat tertiò, quia hinc videretur ſequi non magis teneri Eccleſiaſticos, quàm ſæculares ad eleemoſynam faciendam; quia hoc non ſequitur. nam ſæculares tenentur vnica ratione tantùm, nempe qua homo homini & ei magis qui maiore vinculo coniungitur tenetur ſuccurrere:

Digitized by Google

rere ; at Eccleſiaſtici præter hanc alia duplici tenentur. Prima eſt ratione ſtatus, quo etiamſi nulla Eccleſiaſtica beneficia poſſideant, tenentur magis alienæ indigentiæ ſuccurrere quàm ſæculares. Secundò ratione redituum ipſorum, qui cùm Eccleſiaſtici ſint, ſecum quodammodo ferunt onus, vt de illis niſi in pios vſus non diſponatur. Ex his ergo ad quæſtionem propoſitam reſpondendo

8. Dico tertio, quæ conſanguinei aut alij quicumque ab Eccleſiaſticis ex eorum reditibus immediatis dono acceperunt, non ſunt inter ſpolia computanda. probatur, quia bona quę ad Clericum mortis tempore non ampliùs pertinent, inter ſpolia computari non poſſunt: vt conſtat ex ſuprà propoſita diffinitione ſpoliorum. *cap.* 1. Sed hæc quæ donata priùs fuerunt ex reditibus, ampliùs ad Clericum non pertinent tempore mortis ipſius, cùm verè aliorum facta ſint; non ſunt ergo inter ſpolia computanda.

Dixi primò, *ex reditibus donata.* nam de donatis ex illicita negotiatione, vel aliter illicitè & ſacrilegè acquiſitis, alia ratio eſt, vt videbimus.

Dixi ſecundò, *ex reditibus immediatis.* nam quæ mediis reditibus comparata ſunt, & poſtea donata, non omnia à ſpoliis excipiuntur: nempe inſtrumenta quæcumque ſacra ad officium diuinum peragendum vtilia aut neceſſaria. Sed tunc

9. *An ſpolia fiant quæ cõparata & empta ex reditibus, ſi donata ante mortem fuerint.*

Qværo sexto, an comparata & empta per reditus ipſos, ſi donata fuerint ante mortem, ſpolia fiant.

Respondeo non fieri. ratio eſt eadem, primò, quia quod ex reditibus comparatum, & donatum fuit, non ſpectat ampliùs ad beneficiarium tempore mortis: ſed ſpolium tantùm poteſt illud eſſe, quod ad clericum tunc ſpectat. Secundò, quia ſi reditus ipſi donentur ante mortem, non ſunt ſpolia, multo minus eſſent ea, quæ ex reditibus ipſis empta, donata poſtea fuerint, vt colligitur ex Nauarr. *de ſpolijs.* §. 8.

Non obſtat primò, quòd Pius V. in Bulla ſua decernat vaſa, paramenta, & alia inſtrumenta ad cultum diuinum non eſſe in poteſtate beneficiarij. nam hoc intelligitur de illis quæ tempore mortis apud illum reperta, fuerint adhuc in ipſius poteſtate, vt ibidem Nauarrus §. 8. *numer.* 4.

Non obſtat ſecundò, quod Angelus in ſumma *verb. emptio* 12. §. *vtrum emptum*, cùm quibuſdam Canoniſtis abſolutè doceat omnia pecuniâ Eccleſiaſtica empta eo ipſo fieri Eccleſiæ. quod videtur etiam tradere Redoan. *de ſpolijs, quæſt.* 3. §. *in contrarium. numer.* 17. & deinceps, docens quòd pecunia Eccleſiaſtica acquiſitum eo ipſo ita fieri Eccleſiæ, vt ſi donetur vel aliter alienetur, non teneat alienatio. Nam reſpondeo hoc eſſe intelligendum de pecunia Eccleſiaſtica quæ ſit Eccleſiæ: non de pecunia Eccleſiaſtica quæ ſit ipſius beneficiarij, quales ſint reditus.

Non obſtat tertiò, quòd quidam Canoniſtæ, vt Abbas, Ancharanus & alij apud Redoan. *loc. cit.* abſolutè docere videantur acquiſitum ex reditibus Eccleſiaſticis Eccleſiæ fieri. nam hoc illi verè non dicunt: ſed tantùm quòd ex reditibus Eccleſiæ. quomodo loquitur etiam Tridentinum *ſeſſ.* 25. *cap.* 1. Clara autem res eſt reditus Eccleſiaſticos, & reditus Eccleſiæ differre, ſicut genus & ſpeciem. quare ſicut negata ſpecie, non negatur omne genus, ita ex eo quòd beneficiarius donare quid non poſſit ex reditibus Eccleſiæ, vel per illos comparata, non ſequitur abſolutè hoc non poſſe de reditibus Eccleſiaſticis; quales ſunt quos ipſe percipit ex ſuo beneficio. tales enim licèt ſint reditus Eccleſiaſtici, non ſunt tamen reditus Eccleſiæ, ſed beneficiarij.

Qværo septimo, an donata vel relicta beneficiario ſimplici, poſſint tuta conſcientia eo ipſo à ſpoliis eximi, & ab hæredibus defuncti retineri. 10.

De donatis, vel relictis beneficiario ſimplici, poſſint ne tuta conſcientia à ſpoliis eximi, & ab hæredibus ipſius retineri.

Respondeo, quia quidquid donatur vel legatur ſimplici beneficiario, nihil aliud exprimendo, cenſetur intuitu perſonæ donatum non Eccleſiæ: vt habetur *cap. requiſiſti.* §. *illud. de teſtamentis.* & docent Hoſt. Rota, Cotneus, Imola, Calderinus, & fusè Abbas *cap. fin. de peculio Clericorum.* poſt quos Redoan. *cap.* 3. §. *ſed in contrarium. numer.* 6. *verſic. ſi abſque adminiſtratione.* ſed quod acquirit beneficiarius intuitu perſonæ, fit ipſius, ita vt ad hæredes etiam ab inteſtato tranſmittatur: vt iidem tradunt, & nos ſuprà docuimus. poterit ergo tuta conſcientia ab hæredibus retineri.

Qværo octavo, an quæ beneficiarius donauit ex reditibus non ſuis, ſed Eccleſiæ, tutò retineri poſſint. 11.

An donata à beneficiario ex reditibus non ſuis, ſed Eccleſiæ, retineri tutò poſſint.

Respondeo & potiùs præmitto bona Eccleſiæ alia eſſe mobilia, alia immobilia. mobilia diuiduntur in reditus & in obligationes; quæ iterum diuiduntur in pretioſa, & non pretioſa; & vtraque in ea quæ ſeruando ſeruari poſſunt; & quæ non poſſunt. his poſitis

Dico primo beneficiarium de bonis Eccleſiæ non pretioſis, nec immobilibus poſſe aliquid donare; ſi inde Eccleſia enormiter non grauetur, vbi tamen adeſt eius rei conſuetudo. ita Ioan. Andr. Imola, Abbas, Aretinus, poſt gloſſam finalem *cap. caterùm. de donat.* quam refert Redoan. *quæſt.* 3. *de ſpoliis.* §. *ſed in contrarium. verſic. & quod ad primum, num.* 5. 12.

Dico secvndo, immobilia vel valde pretioſa non poſſunt à beneficiario donari, nec aliter alienari, niſi in caſibus in iure expreſſis, vt conſtat ex *cap. cùm Apoſtolica. de his quæ fiunt à Prælato.* vbi Abbas & DD. & nos infrà, vbi de rerum Eccleſiaſticarum alienatione. Ex his 13.

Dico tertio, bona Eccleſiæ exigui momenti, aut ſi pretioſa, vbi eſt legitima conſuetudo, dono accepta à beneficiario, poſſunt tantùm retineri à donatario, nec reſtituenda ante mortem beneficiarij; nec poſt illam ſunt ſpolio computanda. quod ſecundum conſtat, quia talia bona ad Clericum non pertinent, nec vnquam ſpectarunt, cùm fuerint Eccleſiæ vt dominæ, & beneficiarij vt adminiſtratoris. Primum autem patet, quia legitima conſuetudo excuſat à præcepto poſitiuo non alienandi.

Qværo nono, an omnia quæ beneficiarius regularis tempore mortis relinquit, in ſpolium cedant. 14.

An omnia relicta à beneficiario regulari tempore mortis cedant in ſpolium.

Respondeo cedere. in quo diſcrimen eſt inter ipſum & beneficiarium ſæcularem. nam in hoc diſtinguuntur tria genera bonorum quæ poteſt tempore mortis relinquere. Patrimonialia vel quaſi, per induſtriam & conditionem perſonalem acquiſita, & mera Eccleſiaſtica, ex quibus bonis hæc tertia tantùm ſpolio debentur: alia duo nequaquàm, vt ex ſupradictis conſtat. at Regularis ſiue Epiſcopus, ſiue Canonicus, ſiue aliter, quomodocumque promotus, vnius tantùm generis bona habet, nempe Eccleſiæ affecta, ac proinde moriens omnia ſpolio relinquit

Digitized by Google

linquit, vt conſtat ex conſtitutionibus Pauli III. Iulij III. quas refert Nauarr. §. 5. cui autem ſint perſoluenda, poſtea videbimus.

16. *De bonis morientium in Curia, poſſintne ſalua conſcientia ab hæredibus retineri, an potius debeantur ſpolio.*

QVÆRO DECIMO, an bona omnia in Curia morientium poſſint tuta conſcientia ab hæredibus retineri, an potiùs ſpolio debeantur.

RESPONDEO peculiari priuilegio decedentis in Curia ſpolia non facere, cuiuſcumque conditionis ſint: adeò vt poſſint in vita & in morte de bonis omnibus in quaſcumque perſonas & cuiuſcumque conditionis validè diſponere, vt conſtat ex Bulla Iulij III. quam expendit Nauarr. §. *6. numer.* 2. 3. quam conſtitutionem Paulus V. innouauit, & confirmando facultatem illam conſtituit. de qua conſtit. Nauarr. *in fin. de ſpoliis.*

17. QVÆRO VNDECIMO, an hoc priuilegium complectatur etiam beneficiarios regulares.

RESPONDEO non complecti, quia illi duplici impedimento prohibentur de bonis Eccleſiaſticis liberè in morte diſponere. videlicet religioſæ paupertatis, & redituum Eccleſiaſticorum. per Bullam autem Iulij III. vnum tantùm impedimentum auffertur, nempe redituum. quare aliud remanet *cap. ex duarum. de auctoritate & vſu pallij. l. ſi domus. ff. de ſeruit. vrban. prædiorum.*

Non obſtat quòd Iulius in ſua Extrauag. dicat, *omnes cuiuſcumque dignitatis*, &c, *ex fructibus*, &c. *beneficiorum*, &c. *quorumcumque ordinum regularium*, &c. *poſſint liberè teſtari*, &c. nam per illa verba, *etiam quorumcumque ordinum regularium*, non ſignificat beneficiarios regulares hoc priuilegio gaudere, ſed beneficiarios cuiuſcumque beneficij etiam regularis, vel ordinum regularium hoc poſſe. vt bene obſeruat Nauarr. §. *6. numer.* 1. Quare videmus in Curia obſeruari vt regulares beneficiarij decedentes in Curia ſpolia faciant: cui autem illa cedant, videbimus deinceps.

18. *De penſionarius ſimplicibus, an ſpolia faciant ſine vllo alio beneficio.*

QVÆRO DVODECIMO, an penſionarij ſimplices ſine vllo alio beneficio ſpolia faciant. Fuit hac de re nonnulla controuerſia. Prima ſententia negabat. ita Gigas *quæſt.* 52. Couarr. *cap. cum in officio. numer. 6. de teſtam.* Menochius, Zerola, Burſatus, quos refert Garzias *parte* 1. *cap.* 5. *numer.* 160. Probant primò, quia penſio non eſt beneficium, ſed ſpolia fiunt ex reditibus beneficij. Secundò, quia ratio eſt quòd deciditur ex reditibus alicuius beneficij alterius ad congruam ſuſtentationem penſionarij, vt ſuprà vidimus; ſed quod Eccleſiaſticus reſeruat parcè viuendo, vel aliter ſibi prouidendo, ex eo quod pro ſua ſuſtentatione ſibi debetur ſuum facit, & ſuo patrimonio accreſcit. non ergo de eo quod ſupereſt ex penſionario ſpolium fieri poteſt.

Non obſtat quod Paulus III. in Breui, quod refert Redoan. *quæſt.* 3. *numer.* 12. *verſic. ſed in contrarium.* videatur decernere fructus penſionum non ſolutos & decurſos eſſe inter ſpolia. nam ibi non loquitur de puro penſionario qui nullum aliud habeat emolumentum Eccleſiaſticum; ſed de Archiepiſcopo qui poterat pluribus aliis beneficiis gaudere.

Non obſtat ſecundò Pij V. conſtitutio, qua etiam penſiones decurſas & non exactas inter ſpolia numerat. nam eodem modo reſpondent loqui de eo qui alia beneficia poſſidet.

Secunda ſententia eſt affirmatiua, nempe in penſionario fieri ſpolium. ita Redoan. *de rebus Eccleſiaſticis non alien. rubric.* 33. *q.* 1. §. *ex his.* & idem *quæſt.* 3. *de ſpolijs. numer.* 12. §. *per quod Breue.* Nauarr. *de ſpoliis.* §. 8. *numer.* 8. Molina *tom.* 1. *tract.* 2. *diſput.* 145. Garzias 1. *parte cap.* 5. *num.* 61.

DICO PRIMO, penſionarium hoc ipſo quòd penſionarius eſt non eſſe exceptum à ſpolio. Probatur, quia poſſidet bona Eccleſiaſtica, quæ eo ipſo reddunt perſonam ſpolio obnoxiam, cùm deceſſerit, vt ex ſupradictis conſtat. colligitur autem manifeſtè ex conſtitutione Pij V. in qua punit collectores ſpoliorum, qui ea faciunt in penſionario, aut beneficiario; quorum beneficium, vel penſio valorem annuum non excedat triginta ducatorum. æquiparat ergo Pontifex quoad ius ſpolij faciendi abſolutè loquendo penſiones & beneficia. 19.

DICO SECVNDO, aliquem penſionarium eſſe exemptum, nempe in quo ſint iſtæ duę conditiones. Prima eſt, vt ipſius penſio triginta aureos non excedat. Secunda ſi excedat vt totum quod per penſionem accipit, non ſuperet congruam ſuſtentationem quæ illius ſtatui debeatur; quod volunt auctores primæ ſententiæ, & conſtat ex iis quæ ſuprà diximus de quocumque beneficiario, nimirum ipſius patrimoniale bonum fieri, quod parcè viuendo reſeruat ex eo quod ſibi ad ſuſtentationem congruam, vel in mercedem aſſignatur. 20.

DICO TERTIO, penſiones reſignanti beneficium reſeruatas vt congruè ſuſtentetur, ſi verè illis indiget, nec habet aliunde, ipſius proprias fieri, & ſpolio non cedere. conſtat ex ſupradictis; & hoc in vtroque foro, quia penſio aſſignata ei, qui nihil aliud poſſidet, habet præſumptionem, niſi aliud probetur quòd ſit ad congruam ſuſtentationem attributa, vt ex iis conſtat quæ docet Pariſius *de reſignat. lib.* 2. *q.* 15. poſt Ioannem Andream, Archidiaconum, Francum, Geminianum, Ioannem de Anania, Seluam & alios. 21.

Per hæc ad argumenta pro prima ſententia quatenus abſolutè contendunt ex penſione non fieri ſpolium. Ad primum falſum eſt ſpolium ex penſione non eſſe ex reditibus Eccleſiaſticis. nam penſio licèt non ſit certus reditus, eſt portio illius ab illo decerpta, & alteri aſſignata. Ad ſecundum, ſunt plures penſiones quæ ſuperabundant ad congruum ſtatum quem debet Eccleſiaſticus ex bonis Eccleſiaſticis ſeruare, quales ſunt primò penſiones duorum, vel plurium millium: ſecundò penſiones in eo qui etiam beneficia plura Eccleſiaſtica poſſidet. Quod dicitur de Paulo III. & Pio V. loqui eos tantùm de penſionariis non puris, id eſt, ſimul beneficiatis, falſum eſt; quia Archiepiſcopus, de quo Paulus III. loquebatur, Archiepiſcopatum renunciauerat.

QVÆRO DECIMOTERTIO, an illicitè per beneficiarium acquiſita poſſint ab ipſius hæredibus tutò retineri? 22.

An illicitè adquiſita per beneficiarium retineri tutò queant ab hæredibus.

RESPONDEO diſtinguendum eſſe de illicitè acquiſitis, alia n. ſunt pro negotiatione, alia alia ratione, & ex his alia quæ illicitè, id eſt, cum peccato acquiruntur, vel eius occaſione; ſed tamen fiunt acquirentis. alia quæ tantùm de facto acquiruntur, & nullo iure fiunt acquirentis.

DICO PRIMO, illicita negotiatione acquiſita non poſſunt ab hæredibus beneficiarij, qui illicitè eſt negotiatus, retineri, ſed ſpoliis

compu

Digitized by Google

computantur. res eſt certa ex conſtitutionibus Summorum Pontificum, præſertim Pij V. de qua Nauarr. §. 8. *numer.* 8. quæ autem ſit illicita negotiatio, paulo pòſt breuiter indicabitur.

24. DICO SECVNDO, illicitè acquiſita, aliter quàm per illicitã negotiationem, ita vt non fiant acquirentis, nullo modo poſſunt ab hæredibus vel donatariis Eccleſiaſticorum retineri, ſi id ſciant: talia ſunt per ſimoniã obtenta, per vſuram, vel furto ſublata, &c. qua de re certiſſima vide Nauarr. *loc. cit.*

25. DICO TERTIO illicitè, id eſt, cum peccato & occaſione peccati acquiſita; dummodo non per negotiationem, & ita vt verè acquirentis facta fuerint, tranſmittuntur hæredibus; ſi tamen acquiſita non fuerint per modum à ſacris canonibus prohibitum. probatur, quia Pius IV. & alij Pontifices tantùm loquuntur de acquiſitis illicitè per negotiationẽ illicitam: ſed in ſtatutis prohibentibus id intelligitur permiſſũ quod non inuenitur expreſſum, &c.

26. QVÆRO DECIMOQVARTO, an præter negotiationem ſit aliquis modus illicitus acquirendi per ſacros canones Clericis interdictus, ratione cuius ſpolium debeatur.

De negotiatione, & an aliquis alius modus illicitus, ratione cuius d ebeatur ſpolium.

RESPONDEO duplicem ſentẽtiã eſſe, vnam quæ aſſerit ſpolia non fieri niſi de acquiſitis per negotiationem, aut ſimpliciter illicitam, aut per ſacros canones. nam Pius IV. in ſua conſtitutione *decens*, &c. hæc verba habet, *bona omnia*, &c. *ex negotiatione illicita, aut aliàs contra ſacros canones quomodolibet acquiſita*, &c. per quæ verba duplex genus negotiationis amplectitur: primum ſimpliciter, & ex natura ſua illicitum. Secundum illicitum per ſacros canones. tantùm ergo ſic acquiſita ſpolio cedunt, quia in prohibitiuis quod expreſsè non interdicitur, eo ipſo intelligitur eſſe permiſſum, niſi alia conſtitutione prohibeatur. Altera ſentẽtia putat præter negotiationẽ illicitam ex ſe, & ex ſacris canonibus, plures alios modos acquirendi illicitos eſſe, ratione quorum Eccleſiaſtici ad ſpolia teneantur; & hoc colligunt ex iiſdem verbis Pij, quæ aliam interpretationem commodè non admittunt. dicit enim *bona omnia ex negotiatione illicita, aut aliàs contra ſacros canones quomodolibet acquiſita.* vult ergo Pontifex ſpolio deberi nõ ſolùm quod per negotiationem illicitam, ſed quidquid aliàs contra ſacros canones quomodolibet fuerit acquiſitum. Si ergo aliqua ſint quæ contra canones Eccleſiaſticus acquirat, etiam non negotiando; profectò illa quoque ſpolia debebuntur. at multa talia ſunt, nempe quæcumque Monachus acquirit id faciendo quod illi eſt ſpecialiter prohibitum. & hæc ſecunda ſententiã verior eſt, ſecundùm quam

27. DICO PRIMO, quidquid Eccleſiaſticus ex negotiatione acquirit, ſiue illicita ſimpliciter cuilibet homini, ſiue peculiari ſtatuto in aliqua ciuitate; præſertim verò quæ interdicitur illis particulari iure Canonico ſpolio computatur, vt ſuprà diximus, & decernit Pius IV. explicat autem bene Redoan. *q.* 2. *de ſpoliis n.* 36. Azor *q.* 1. *&* 2. & deinceps *c.* 2.

28. DICO SECVNDO, quæcumque Eccleſiaſticus acquirit exercendo munera ſibi iure Canonico interdicta, etiamſi illa propriè negotiatio non ſit, etiam debentur. conſtat primò ex verbis conſtitutionis adductis, ſecundò ex conſenſu DD. apud citatos. Dubito autem nonnihil, quia non bene mihi compertum eſt quid in praxi quoad hanc partem ſeruetur, an ſcilicet Apoſtolica Camera ſibi vendicet quæ Eccleſiaſtici malè acquirunt aliter quàm negotiando; vt aduocando, aut chirurgiam exercendo, &c. qua de re paulo pòſt iterum.

QVÆRO DECIMOQVINTO, quæ negotiationes illicitæ ſint Eccleſiaſticis, ita vt per illas acquiſita ſpolia fiant. 29.

Negotiationes Eccleſiaſticis illicitæ quæ.

RESPONDEO, quæſtionem hanc latè nimis diffundi. petit enim materiam Clerici negotiatoris; quæ hîc propriè tractanda non eſt. quare breuiter & curſim quæ huc faciunt & neceſſaria ſunt reſpondendo notabo.

DICO ergo PRIMO negotiatio propriè Clericis interdicta eſt, quæ exercetur viliùs emendo quòd immutatum cariùs deinde vendatur, vt habetur tota 88. *diſt.* vbi gloſa & DD. *& cap. canonum* 11. *quæſt.* 4. & hoc ſi fiat lucri cupiditate, quæ conſiſtit in ſtudio diteſcendi. ex quo infertur primò, in foro conſcientiæ propriè non negotiari, viliùs ementem vt cariùs vendat nulla lucri cupiditate, ſed ſola neceſſitate, vel ſua vel ſuorũ, vel etiam pietate & ſtudiò religionis. Abbas. *cap. ſecundum. n.* 1. *ne clerici vel mon.* Nauarr. *de ſpol.* §. 7. *numer.* 5. Leonis *in theſ. fori, parte* 3. *cap.* 3. *numer.* 37. Dixi *in foro conſcientiæ*, nam in exteriori qui viliùs emit vt cariùs vendat, negotiator habetur. vide Barbatiã *l. legatus, de legatis* 3. in additionibus ad Bartolum. Infertur ſecundò, qui vendit cariùs quod viliùs emerat, non eſſe eo ipſo negotiatorem, niſi ad hoc ipſum emerit vt cariùs vẽderet. Ex quo infertur tertiò, qui quod emit & poſtea maiori pretio diſtrahit; vel quia iam vſus illa re eſt, vel quia breui ſatiatus, vt fit in pictura aliqua, libro, &c. non eſſe negotiatorẽ. Infertur quartò neq; eſſe negotiatorem, qui ſola lucri cupiditate adductus vendit; dũmodo ad hoc non emerit vt vendat. Infertur quintò qui emit viliùs quod immutatũ & variatum poſtea cariùs vendit, non eſſe propriè negotiatorem in hoc genere. quæ omnia colliguntur ex Abbate, Ioan. Andr. Innoc. gloſa & aliis quos refert Redoan. *q.* 2. poſt *numer.* 36. Leſſ. *lib.* 2. *c.* 21. 30.

DICO SECVNDO, variatio quæ debet ſupernenire rei emptæ poteſt eſſe ex triplici capite. Primũ eſt, per ſolam adſiſtentiam emptoris. Secundum per ſolum artificium quod circa illam adhibet. Primi generis ſunt quæ à natura variationem capiunt, & mutantur in melius; hominum tamen curam & adſiſtentiam deſiderant: vt greges, armenta, fruges in ſegete, pendentes fructus, olera in hortis. hæc enim omnia meliora fiunt ſi nondum adulta emuntur: & hoc natura ipſa; non tamen ſine hominum adſiſtentia & cura. hæc ergo propriè loquendo ad negotiationem illicitam non pertinent. Secundi generis ſunt picturæ, ſtatuæ, veſtes & alia quæ ſpectant ad domeſticam ſupellectilem inſtruendam in quorum commercio negotiationem clericis vetitam non conſiſtere docet Abbas *cap. fin. de vita & honeſtate clericorum. in fine.* & ex eo aliqui apud Redoan. *quæſt.* 2. *numer.* 36. Quod tamen intellige cùm iſta venduntur & emuntur, ita vt poſt emptionem ex rudibus perfecta fiant. Tertio loco ſunt quæ ſola opera meliora fiunt. operam autem hîc appello laborem qui ponitur in re aliqua paranda vtili ad vſum vitæ; qui tamen labor communiter artificij nomine non appellatur. 31.

Ex his infertur primò, quamuis emere viliùs picturam vt cariùs vendas ſit negotiatio prohibita

Digitized by Google

bita clericis; non tamen eſſe emere tabulã, colores, telã, ex quibus pictura à clerico fiat, quæ cariſſimè vendatur, vt bene obſeruat Abbas *c. fin. de vita & honeſt. clericorum*, ex *cap. clerici* 91. *diſt. & c. nunquã. de conſecrat. diſt.* 5.

Infertur ſecundò poſſe clericum labore & opera manuum ſuarũ victum ſibi & ſuis quærere, & id etiam inde ſeponere quod pauperibus poſſit erogare. *gloſſ.* 91. *diſt. in ſumma.*

Infertur tertiò poſſe clericum greges alere, prata ad illorum paſtum conducere, farinã ex grano vendere, & ſimilia. quia hæc qui facit nõ vendit cariùs quod viliùs emit inuariatum. *cap. Epiſcopus* 88. *diſt.*

Infertur quartò poſſe clericum emptis coloribus, tabulis, tela, &c. empto etiam marmore, aut ligno, &c. emere quoque pictoris aut ſtatuarij artificium, curando ex illis picturam aut ſtatuam fieri quæ poſtea vendat, quia non vendit id inuariatum quod antè emit, vt ex locis cit. colligitur.

32. DICO TERTIO, interdictum eſſe clericis omnia negotia exercere ex quibus miniſterium clericale dehoneſtatur, vel inuidia poteſt induci, aut periculum irregularitatis. qualia ſunt primò ſordida opificia, vt lanij, coqui, tabellionis, &c. ſecundò ſeruile famulitiũ in aliena domo: tertiò forenſis aduocatio in criminalibus, non ſolùm cùm aduerſatori adſiſtitur contra reum, ſed etiam reo aduersùs accuſationem.

Ex quo infertur primò, quæ per hæc negotia & exercitia acquiruntur, ſpolia fieri, vt bene docet Abbas *c. clericis. ne clerici vel monachi.* & habetur *c. ſacerdotibus* 88. *diſt.*

Infertur ſecundò, qui ex ferro facit cultros, nõ negotiari propriè. *c. partium* 88. *diſt.* ac proinde per id acquiſitum non eſſe ſpolium.

Infertur tertiò, illicitè acquiſita quæ ſpolia fiunt eſſe in duplici genere. Primò acquiſita per negotiationem interdictam. Secundò per negotia & exercitia prohibita. negotiationẽ interdictã eſſe qua quid immutatũ viliùs emitur, vt cariùs vendatur ad diteſcendum, negotia autem & exercitia illicita eſſe, quæ ſtatum clericalem vel odioſum vel viliorem faciunt.

33. *An quæ negotiatione adquiritur fi in vita cler. propria.*

QVÆRO DECIMOSEXTO, an negotiatione illicita acquiſita, fiant in vita cle-[illegible] propria.

RESPONDEO fieri, ita vt non intelligatur il- priuatus; niſi poſt iudicis ſententiam, colligitur ex Azor. *c.* 2. *q.* 3. 4.

Ex quo infertur, quod inter viuos de [illegible] acquiſitis clericus diſpoſuerit ſpoliũ non [illegible]; ſed licitè retineri ab accipientibus, vt clarè conſtat ex conſtit. Pij IV. ſtatuentis ſpolia tantùm eſſe quæ ex his acquiſitis ſuperſunt poſt mortẽ clerici, aut quibus ille priuatus fuerit in vita.

34. *De habente priuilegiũ teſtandi, poſſitne teſtari de adquiſitis illicitè.*

QVÆRO DECIMOSEPTIMO, an habens priuilegium teſtandi quamuis amplũ poſſit de illicitè acquiſitis teſtari?

RESPONDEO non poſſe. Nam conſtitutio illa reuocat omnia priuilegia quoad hanc partẽ, vt legẽti patet. Quare niſi ſit expreſsè & in indiuiduo derogatum huic conſtit. Pij IV. quod nuſquã fit, nulla facultas teſtandi, quantumuis verbis prægnantibus conceſſa, ad hæc ſe extendit.

35. *Facultas teſtãdi in quaſcũq; perſonas, &c. poſſitne extendi ad illegitimos.*

QVÆRO DECIMOOCTAVO, an facultas teſtandi in quaſcumque perſonas, &c. poſſit extendi ad filios illegitimos,

RESPONDEO non poſſe, vt conſtat ex conſtit. Pij V. quã refert Nau. *de ſpoliis, in fine* totius tractatus, & poſt illũ Quarãta in cõpendio Bullarũ *v. Illegitimi*, & hoc cũ triplici ampliatione, & declaratione. Prima ſi filius illegitimus ſit natus ex ipſo Eccleſiaſtico: ſecundò ſi non ex ipſo, ſed ex quocũq; ipſius coniuncto: tertiò ſi nec ex cõiũcto, ſed ex quolibet alio quod prouiſũ eſt cauẽdis fraudibus quæ poſſent interuenire; ſi n. Eccleſiaſtico liceret illegitimũ hæredẽ inſtituere modò nullo pacto ſibi coniunctũ, poſſet cõuenire cũ alio clerico, & illius filiũ inſtituere paciſcendo, vt ipſe viciſſim inſtitueret ſuũ. Ad hanc fraudẽ cauendã, Pontifex prohibuit ne facultas teſtandi per priuilegiũ cõceſſa intelligatur extẽdi ad illegitimos, quicũq; illi ſint. Dixi per priuilegiũ conceſſa, quia Pius V. in ea conſtitutione nihil agit de facultate conceſſa iure cõmuni; quam nõ ex priuilegio Sedis Pont. Clerici poſſent habere teſtãdi de reb. ſuis, vt bene ibi Nau.

36. *An illegitimus accipere tutò poſſit ex patris Eccleſiaſtici bonis, quod ſibi ad alimenta neceſſarium.*

QVÆRO DECIMONONO, an illegitimus poſſit tuta cõſcientia accipere ſibi ex Patris Eccleſiaſtici bonis quod neceſſariũ eſt ad alimẽta.

RESPONDEO poſſe, & teneri etiã Camerã Apoſtolicã illi prouidere de ſpolio, quod fecit ex bo[illegible] [illegible]ternis, vt fusè Nau. *loc. cit. §. vlt. de ſpoliis.*

37. *De illegitima an dotari poſſit ex bonis paternis Eccleſiaſtici.*

[illegible]ERO VIGESIMO, an filia illegitima poſſit [illegible] ex bonis parentis Eccleſiaſtici.

RESPONDEO poſſe & debere, quia, vt diximus, poteſt & debet filius ali à patre: ſed dos filiæ cedit loco alimentorũ: vt Bart. *l. vxorẽ. §. pater naturalis. ff. de leg.* 3. Ioan. Lup. *in rep. c. volumus. de donatione inter vir. & vx. §.* 23. *n.* 12. Nau. *loc. cit.*

38. *Teneaturne quilibet reſtituere ſpolia quibus debetur, etiam abſque ſententia iudicis.*

QVÆRO VIGESIMOPRIMO, an ſine alia ſententia iudicis teneatur quilibet ſpolia iis reſtituere quibus debentur?

RESPONDEO teneri, quia mortuo Eccleſiaſtico ſpolia eo ipſo illorũ fiunt ad quos pertinent. Quare ſicut quilibet ante ſententiã iudicis tenetur rem quã ſcit alienã domino reſtituere, ita in caſu noſtro: non obſtat quòd ſpolia videantur impoſita in pœnã, quæ non debet ante ſententiam iudicis executioni mandari, nec ſine illius auctoritate & miniſterio. nã quidquid ſit de hoc, falsũ eſt ſpolia eſſe inſtituta in pœnam clerici defuncti: quia ſunt in ſubſidium Cameræ Apoſtolicæ, alioquin ſi eſſent ſpolia in pœnam, ſemper ſupponerent culpã in clerico defuncto: nec poſſent fieri ex iis bonis quæ clericus cũ virtute & meritoriè ſepoſuiſſet ad aliquod pium opus: quod tamen falſum eſt, vt bene Azor *c.* 1. *q.* 5. *& c.* 2. *q.* 2. 3. 4.

39. *Spolia Eccleſiaſtica iniuſtè detinens, & non reſtituens, an eo ipſo cenſuras aliquas incurrat.*

QVÆRO VIGESIMOSECVNDO, an qui ſpolia Eccleſiaſtica iniuſtè detinet, nec reſtituit, eo ipſo cenſuras vllas incurrat?

RESPONDEO poſſe cogi cenſuris; non tamen quod meminerim vllas eſſe directè impoſitas quæ ipſo facto incurrãtur. vide Azor. *c.* 1. *q. vlt. in fine.* Dixi, *directè*: nã indirectè pœnę in genere impoſitæ detinentibus bona Cameræ Apoſtolicæ, afficiũt eos qui ſpolia detinẽt, quæ eo ipſo ſunt ſub dominio Cameræ: tales autẽ detẽtores ipſo facto excõmunicãtur à Paul. IV. vt notat Redoã. *q.* 17. *n.* 32. Obſeruandũ præterea eſt à collectoribus ſpoliorũ qui ad id facultatẽ habẽt, cenſuras latæ ſententiæ promulgari cõtra quoſcũq; ſpolia iniuſtè detinentes: quod cùm faciunt, eo ipſo quis cenſura innodatur, quòd ſpolia culpabiliter non reſtituit.

CAPVT V.

Ex quibus bonis, à quibus perſonis in foro exteriori ſpolia capiantur.

FAcile hoc erit ex dictis cuilibet apud ſe decidere: maioris tamen perſpicuitatis gratia

1. *Probatio cui incumbat vbi agitur de ſpoliis faciendis ratione negotiationis illicitæ.*

QVÆRO PRIMO, cui incumbat probatio cùm agitur de ſpoliis faciendis ratione illicitæ negotiationis?

RESPONDEO, aſſerenti, nẽpe ſpolia vindicanti, probationis onus incumbere. cùm enim agatur de delicto perſonæ Eccleſiaſticæ, non eſt id præſumendum, ſed probandum, vt conſtat notiſſimo iure. quare Collectores iniuſtè faciunt & ſunt puniendi ſi titulo illicitæ negotiationis ſpolia inuadũt antequam illam probauerint: vt enim bene Panor. *c. 1. de peculio clericorum.* in re perſimili pronũciat, *nemo niſi cùm manifeſtè conſtat creditur eſſe malus.* Cùm ergo in clerico malum ſit, illicitè illum negotiatum eſſe, indeque ditatum, credẽdum id non eſt, ſed manifeſtè probandum, vt fusè Redoan. *q. 15. n. 30.* Romanus *conſ. 159.* Azor *q. 1. c. 2.* in ſæpiùs cit. tract. quem à reliquis operibus ſepoſuit, & ſimul cum tract. *de ſpoliis* Redo. edidit Iul. Cæſ. latius.

2. *Cui, vbi agitur de bonis beneficiarij defuncti.*

QVÆRO SECVNDO, cùm agitur de bonis beneficiarij defuncti, an ſint acquiſita intuitu Eccleſiæ, vel alio titulo perſonali, ad quem pertineat probatio?

RESPONDEO, quidquid beneficiarius cũ cura & adminiſtratione poſt obitum relinquit, præſumitur totum intuitu Eccleſiæ & ex reditibus Eccleſiaſticis acquiſitum, niſi contrarium probetur. quare onus probandi quòd ſit ex titulo perſonali, & conſequẽter non intuitu Eccleſiæ, pertinet ad hæredes, vt colligitur ex Redoan. *q. 3. §. quid dicendum. & q. 17. per totum.* conſtàtque, quia clericũ beneficiarium cum cura & adminiſtratione, notorium eſt habere bona Eccleſiaſtica: at ex patrimonio poſſidere, vel ex titulo perſonali aliquid acquiſiſſe, res eſt facti. factum autem non præſumitur contra notoriũ, ſed probatur. *l. ſciendũ. ff. de verb. obl.* Natta *cõſ. 51. n. 20.*

3. *Ad quē pertineat, vbi quæritur an bona relicta ab Eccleſiaſtico, ſint ſpolia, necnē.*

QVÆRO TERTIO, ad quẽ ſpectet probatio abſolutè, an bona quæ Eccleſiaſticus relinquit, ſint ſpolia necne?

RESPONDEO, ad hæredes defuncti, vel alios qui ſibi bona illius vindicant: ſi tamen ille erat Eccleſiaſticus notorius incedens in habitu & tonſura. eo ipſo enim quòd notorium eſt aliquem eſſe Eccleſiaſticum, notorium quoque eſt illum eſſe obnoxiũ ſpolio, niſi habeat conditiones illum eximentes. quòd autem iſtas conditiones habeat, eſt res facti, quod, vt paulo antè diximus, non præſumitur, ſed probatur; vt bene Azor *c. 3. q. 4.* Conditiones autem iſtæ quæ eximunt, hæ ſunt quas ſæpiùs diximus. Primò non habuiſſe vllum beneficium; ſecundò ſi habuit, non exceſſiſſe triginta aureos; tertiò ſi exceſſit, cõſtitiſſe in quotidianis diſtributionibus; quartò ſi non in ſolis diſtributionibus, non exceſſiſſe modum debitũ congruæ ſuſtentationi pro ſtatu ſuo. Quæ omnia vt per ſe patet cùm facti ſint, contra notoriũ non præſumuntur, vt ſuprà diximus.

4. *Ad quem vbi agitur de bonis clerici, quem notoriũ eſt eſſe beneficiatum.*

QVÆRO QVARTO, in vniuerſum loquendo cui incumbat probatio de bonis clerici quem notorium eſt eſſe beneficiatum, an ſcilicet hæredibus, an Cameræ, ſi vtrique vindicent?

RESPONDEO, eo ipſo quòd beneficiarius decedit, quicquid relinquit, præſumitur eſſe ex bonis beneficij, quia hoc notoriũ eſt ratione ſtatus quem ille publicè profitetur. An autẽ ſit nobilis, diues, induſtrius, &c. ratione quorum habeat bona alia patrimonialia, aut quaſi, & ex ſua induſtria acquiſita, res eſt facti; propterea probanda. ita Redoan. *q. 3. §. quid dicendum. n. 1. & ſeqq.* & poſt eum Azor *c. 3. q. 4.*

5. *Probatio cui incumbat, vbi de bonis Religioſorum beneficia poſſidentiũ, ſi Religio aut Camera ſibi ea vindicent.*

QVÆRO QVINTO, cui incũbat probatio de bonis Religioſorum beneficia poſſidentium, ſi ea ſibi Religio aut Camera vindicent?

RESPONDEO, eo ipſo quòd quis Religioſus notorius eſt, ſi illius bona velit Apoſtolica Camera vt ſpolia vindicare, ipſi incumbere probationem, vel quòd extra monaſterium vixerit, vel quòd vixerit apoſtatando. & hoc propter rationem traditam in prima & quarta quæſt. huius capitis, vt & meliùs ex ſequentibus conſtabit.

6. *An ex eo ſpolium fiat qui nihil ex negotiatione vel exercitio acquiſiuit.*

QVÆRO SEXTO, an ex eo qui nihil ex negotiatione vel exercitio acquiſiuit ſpolium fiat. Exempli gratia, verè & propriè mercaturam fecit viliùs emendo & cariùs vendendo; ſed inde, vt fit, potius depauperatus eſt, quàm ditatus. Similiter chirurgiam exercuit, &c. nihil inde lucrando. Quæritur an nihilominus ſpoliũ faciat?

RESPONDEO, eo ipſo quod conſtat Eccleſiaſticum illicitè negotiatum, aut exercuiſſe officia prohibita ſtatui clericali, poſſe Camerã Apoſtolicam, & illius Collectores omnia bona ipſius inuadere: hæredibus autem ſi quid velint, incũbere onus probandi, nihil ipſum ex negotiatione lucrarum, aut totum quod ſupereſt eſſe patrimoniale; quod colligitur ex Bulla Pij IV. à Redoan. expoſita *q. 2.* & ab Azor. adducta *c. 2. q. 1.*

7. *Quid ſi dubitetur an bona relicta ab Eccleſiaſtico ſint ex patrimonio, vel reditibus Eccleſiaſticis.*

QVÆRO SEPTIMO, quando res dubia eſt de bonis relictis ab Eccleſiaſtico, nec liquet an ſint ex patrimonio, an ex reditibus Eccleſiaſticis, quid faciendum ſit. cùm enim hæredes vtplurimum tunc bona poſſideãt, videtur illorum cõditio melior eſſe, ex communi regula, quòd in dubio melior eſt conditio poſſidentis.

RESPONDEO tamen in hoc dubio talis caſus ſemper eſſe pro Eccleſia & Camera Apoſtolica pronunciandum, vt bene Couar. *de teſt. c. 1. n. 6.* Azor *c. 3. de ſpoliis q. 12.* Ratio eſt primò, quia in dubio inter cauſam piam, & non piam, ſemper melior eſt piæ cauſæ conditio, & pro illa pronunciatur, vt conſtat ex Tiraquello *in tract. de pia cauſa,* per plura capita; in quo caſu locũ non habet regula de meliore conditione poſſidentis. Secundò, quia in dubia probatione res ſemper illi adiudicatur pro quo ſtat maior præſumptio. ſic in dubio cuius ſit res reperta apud vxorem, adiudicatur marito, pro quo eſt maior præſumptio vt ſit de ipſius bonis. *l. quantum. ff. de donat. inter vir. & vx. & l. etiãſi. C. eod.* Sed in clerico beneficiato præſumptio bonorum quæ apud illum reperiuntur, ſtat pro Eccleſia; omnia enim præſumuntur ex beneficio, præſertim ſi hoc ſit notorium ratione ſtatus, & alia omnia concernunt factum; quod non præſumitur, vt ſæpiùs dixi, ſed probatur. *l. ſciendum ff. de verb. obl.* vide Red. *q. 15. n. 13.* Azor. *c. 2. q. 12.* hæc tamen ita intelligẽda ſunt, vt cùm hæres reperitur in poſſeſſione illa non ſpolietur; donec probetur bona ad ſpoliũ ſpectare; ſiue quia manifeſtè Camera oſtendat eſſe ſpolia; ſiue quia conſtat, hæredes idoneã pro ſe probationem non habere. *c. nulli.* iuxta gl. *12. q. 5.* gloſſ. *c. ſint manifeſte. eadem cauſa. q. 1.* Caſtro *l. ſi quis presbyter. n. 4. C. de Epiſc.* Theſaur. fori Eccleſiaſt. *p. 3. c. 3. n. 25.*

CAPVT VI.

Quibus, quæ ſpolia debeantur.

ADuertendum hîc iterum eſt quod ſuprà monui, propria, ſed lata ſignificatione ſpolij

lij

hij nomine cenſeri quæcunque bona poſt obitum clerici, aliis quàm hæredibus debentur: ſtrictiùs tamen nomine ſpoliorum ſimpliciter & abſolutè loquendo intelligi tantùm bona poſt obitum clerici Cameræ & fiſco Apoſtolico debita. & hoc ex communi regula, quòd nomen ſimpliciter prolatū de principali in eo genere intelligitur. Inter ſpolia autem principalem locum obtinét quæ Cameræ Apoſtolicæ debentur, & ſpolia Apoſtolica appellantur. & hinc eſt quòd aliquando Pontifices negant eſſe ſpolia, aut pertinere ad ſpolia vaſa ſacra, paramenta, &c. item ſcamna, vtenſilia alia, &c. quæ debentur aliis quàm Cameræ Apoſtolicæ, vt videre eſt in conſtitutione Pij V. de qua Nauar. *de ſpoliis.* & poſt illum Azor *p.2. lib.8. c.3. q.6.* Ibi enim declarat talia paramenta pro Capella beneficiariis, &c. non eſſe ſpolia; non quòd abſolutè nō ſint ſpolia, ſed quia non Apoſtolica, & proinde non pertinere ad Apoſtolicum Collectorem. His poſitis

1. *Cui debeantur ſpolia beneficiati regularis.*

QVÆRO PRIMO, cui debeantur ſpolia beneficiati regularis?

RESPONDEO, & ſuppono ſermonem eſſe de eo qui ſeparatim viuat & ſeorſim à menſa communi: nam aliqui communiter viuunt, & ſubinde amouentur & præficiuntur, iuxta conſtitutiones ſuæ religionis, variis Prælaturis; non ſunt in hoc genere beneficiatorum regularium, de quibus nunc loquimur. De his ergo

DICO, eorum ſpolia iure antiquo monaſteſterio debebantur. *cap. cum olim. 2. de priuilegiis. Authent. Ingreſſi. de ſacroſanctis Eccleſiis. & c. ne dicatis 12. q.1.* Cùm ergo iure nouo loco monaſterij ſuffectus ſit fiſcus Apoſtolicus, illi iam debentur. vt cōſtat ex conſtitutione Pij IV. *Decens,* quam examinat Redoan. *q. 2. de ſpoliis,* Azor *c. 2. q.1.* & de qua Quaranta *in compendio, v. ſpolium.* quod tamen intellige cum duplici limitatione. Prima, niſi regularis decedat in Curia. tunc enim ipſius bona à Camera Apoſtolica non capiuntur, ſed illi cedunt, cui iure communi debentur ab inteſtato, nempe monaſterio. Secunda limitatio, niſi habeat ſpeciale priuilegiū teſtandi ad hoc ipſum ſpecialiter conceſſum. quod rarò ſolet præterquam maioribus Prælatis. qua de re vide Redoan. *q.1. v. Teſtamentum.* Non obſtat quòd Paulus IV. in conſtitutione *Poſtquam diuina,* decernit omnia Religioſorum bona quomodolibet extra clauſtrum morantium eſſe monaſterij. nam illi conſtitutioni derogandum eſt per Gregor. XIII. in conſtitutione *Officij noſtri.* vbi definit Cameræ illa deberi. limitationem autem adiunxit de commorantibus in Curia Pius V. cui non eſt derogatum.

2. *Cui ſpolia Eccleſiaſtici regularis, vel ſecularis ex negotiatione illicita, vel aliter acquiſita cōtra canones.*

QVÆRO SECVNDO, cui debeantur ſpolia Eccleſiaſtici regularis, vel ſæcularis ex illicita negotiatione, vel alitèr contra canones acquiſita. Suppoſito ex tali clerico etiamſi nullum habeat beneficium ſpolia fieri, vt ſuprà diximus.

RESPONDEO, talia Cameræ Apoſtolicæ nouo iure deberi, vt conſtat ex eadem conſtitutione Pij IV. *Decens.*

3. *Cui inſtrumenta ſacra relicta poſt mortem beneficiarij.*

QVÆRO TERTIO, cui debeantur inſtrumenta ſacra poſt mortem beneficiarij relicta.

RESPONDEO, Eccleſiæ, vel monaſterio, in quo habet vel habuit beneficium, etiamſi illud poſtea renunciauerit. ita Pius V. conſtitutione ſua ſuprà cit. quem explicat Nauar. *§. 8. n. 2. & 3.* Ex quo fit primò clericum ſæcularē qui nullum habet beneficiū aut reditus Eccleſiaſticos, aut nullam Eccleſiam cui inſeruiat, ſi relinquat ſupellectilem ſacram pro ſacello, non comprehendi hac conſtitutione. patet, quia expreſsè tantùm mētio fit de beneficiariis qui habēt Eccleſiā. Secundò fit regularem beneficiariū ſemper hac conſtitutione teneri: quia ſemper habet monaſterium vel Religionem cui attributus eſt. Tertiò probabiliter etiā hinc deducitur purum penſionarium hac etiam conſtitutione teneri. nam licèt non ſit beneficiatus, habet tamen reditus Eccleſiaſticos; & licèt non habeat Eccleſiam cui inſeruiat, & ſit attributus; habet tamen ex qua emolumentum capit; illam nimirum, ex cuius beneficio penſio detracta eſt. Quartò fit paramenta & hanc ſupellectilem Eccleſiæ deberi, licèt non ſit conſecrata, ſed tantùm deſtinata ad vſum ſacrum; quod bene obſeruat Azor *c. 3. q. 7.* quia Pontifex declarans quæ ſint iſta inſtrumenta ſacra, exemplum ponit in iis quæ non conſecrantur, quia ſunt Miſſalia, cantus muſici, firmi, &c.

4. *Cui fructus beneficij tempore mortis beneficiarij nondum percepti.*

QVÆRO QVARTO, cui debeantur fructus beneficij tempore mortis beneficiarij nondum percepti, ſed illi debiti. Suppono fructus iſtos eſſe in duplici differentia. aliqui enim ſunt nondum percepti; quorum tamen tempus & dies ſolutionis iam præteriit. aliqui qui debentur; nondum tamen eorum dies ſolutionis aduenit. ob commodum enim conductoris ſolutio in duo anni tempora diuiditur; & poteſt eſſe, vt paulo ante Martium menſem beneficiarius decedat, in quo ſolutio fieri debeat fructuum qui illi debentur pro ſemeſtri ſpatio proximè elapſo. Hoc poſito

DICO PRIMO, in terris vbi reperitur & ſolet eſſe Collector Apoſtolicus, fructus omnes debiti, ſed nondum percepti à beneficiario defuncto ſpolia fiunt, & Cameræ Apoſtolicæ debentur. ita deciſum clarè eſt per Iulium III. in conſtitutione quam latè explicat Redoan. *q.5.* & ratio eſt, quia fructus iſti iure communi anteà Eccleſiæ ſucceſſori in beneficio debebantur, ex Hoſt. Cald. & aliis apud Azor. *c.3. q. 13.* ſed fiſcus Apoſtolicus in iſtis bonis ſucceſſit loco Eccleſiæ, vt bene Redoan. *q. 1.* & Azor *c. 1. q. 3. 4. 5.* Ergo iam illi debentur.

DICO SECVNDO, in terris, in quibus non eſt nec ſolet eſſe Collector Apoſtolicus, huiuſmodi fructus ſucceſſoribus debentur vt illorum ſpolia: nullo modo autem poſſunt hæredibus tranſcribi; quod decreuit Iulius III. in alia conſtitutione qua præcedentem declarauit, de qua poſt Redoan. *q.5.* Azor *c. 3. q. 13.* Quaranta *in Bullario. v. ſpolium.*

Ad quod aduertendum eſt circa fructus debitos & non exactos à beneficiario defuncto duas conſtitutiones editas eſſe à Iulij III. In prima decernit vt omnes huiuſmodi fructus non ſint hæredum, ſed ſucceſſorum. In ſecunda declarat id quod in priore ſtatuerat, intelligendum duntaxat eſſe vbi non ſint Collectores Cameræ Apoſtolicæ. Ex hac duplici conſtitutione orta eſt controuerſia, quibus debeantur iſti fructus vbi ſunt tales Collectores, an hæredibus, an Cameræ Apoſtolicæ. Redoan. *q. 7.* refert ſententiam fuiſſe cuiuſdam magni datoris quòd ſint hæredum. mouebatur, quia quòd non debeantur hæredibus, ſed ſucceſſoribus, ſtatutum fuerat per Iulium in priore illa conſtitutione. ſed illud decretum immutatum fuit poſtmodum per ſecundam conſtitutionē declaratoriā, quòd id intelli-

gatur, vbi non ſint Collectores Cameræ. Vera tamen ſententia eſt quòd vbi non ſunt Collectores, debentur ſucceſſoribus in beneficio; vbi verò ſunt, ipſi Cameræ. Primò, quia ſecunda cõſtitutio Iulij non eſt declaratoria & limitatiua in fauorem hæredum: ſed eſt tota in fauorem Cameræ Apoſtolicæ, vt patet inſpicienti, & benè probat Redoan. *q.* 7. Secundò, quia nulla ratio apparet cur vbi ſunt Collectores Apoſtolici velit meliorem facere conditionem hæredum, & illis adiudicare quod iure communi debetur ſucceſſori. Tertiò denique, quia praxis eſt in cõtrarium, talis enim fructus à Camera exiguntur.

Cui fructus beneficiorum à die vacationis vſque ad legitimam prouiſionẽ & poſſeſſionem ſpectant.

7. QVÆRO QVINTO, cui debeantur fructus beneficiorum à die vacationis vſque ad legitimam prouiſionẽ & actualem poſſeſſionem.

RESPONDEO iure communi anteà pertinuiſſe ad Eccleſias eorundem beneficiorum, vel ad ſucceſſores. *c. quia ſæpe. de electione. c. præſenti. de offic. ordin. in* 6. Sed quia in locum Eccleſiæ & ſucceſſoris, Apoſtolicus fiſcus ſuffectus eſt, vt ſuprà docuimus, & fusè Redoan. *q.* 1. pertinent iam omnes ad Cameram Apoſtolicam, vt fructus illius, vt conſtat expreſsè ex conſtitutione Pij IV. quam de hac re refert Nauar. §. *6. n. 6. de ſpoliis Clericorum.* & ex alia eiuſdem Pij *incip. In ſupremo.* & Gregorij XIII. *incip. Cùm ſicut accepimus.* de quibus Azor *c.* 3. *q.* 4. *in fine.* Quaranta *in compendio, v. ſpolium.*

Cui bona religioſorũ qui extra clauſtra viuunt, & decedunt.

8. QVÆRO SEXTO, cui debeantur bona religioſorum qui nullo beneficio præditi extra clauſtra de ſuperiorum ſuorum licentia, vel aliter quomodocumque viuunt & decedunt.

RESPONDEO vt ſuprà indicaui *q.* 1. cùm de religioſis beneficiatis, talia bona religioſorum licet beneficiati non ſint, ſed ab illis acquirantur dono amicorum, conſanguineorum, propria induſtria, aut aliter quomodocumque, Cameræ Apoſtolicæ deberi. quod ſtatutum eſt in Extrauag. Gregorij XIII. *Officij noſtri.* quod intellige niſi decedant in Curia, & excepto inſtrumento ſacro pro ſacello, quod puto ſemper illorum religioni aut monaſterio deberi.

Cui reditus penſionarij illi debiti, ſed nõdum exacti.

9. QVÆRO SEPTIMO, cui debeantur reditus penſionarij illi debiti, ſed nondum exacti.

RESPONDEO iure antiquo debebantur hæredibus; quemadmodum & ipſæ penſiones perceptæ, & apud penſionarium integræ repertæ: ſed iure nouo debentur tam exactæ quæ reperiuntur, quàm exigendæ Cameræ Apoſtolicæ, ex cõſtitutionibus Pauli III. Iulij III. Pij V. vide Redoan. *de ſpoliis, quæſt.* 3. §. *& in hac materia, numer.* 12. *quæſt.* 8. *numer.* 32. Azor. *cap.* 3. *q.* 8, *parte* 2. *lib.* 8.

Cui ſcamna, menſæ, arcæ, dolia vacua & alia ſimilia vtenſilia.

10. QVÆRO OCTAVO, quibus debeantur ſcamna, menſæ, arcæ, dolia vacua, & alia ſimilia vtenſilia, etiamſi ex reditibus Eccleſiæ à beneficiario fuerint comparata.

RESPONDEO, ante Pium V. hæc etiam inter ſpolia computabãtur, poſt illum nequaquam. Sed de illis beneficiarius diſponit vt de patrimonialibus. quam conſtit. Pij referunt Nauarr. §. 1. *de ſpoliis, num.* 4. *&* 5. & iterum fuſiùs §. 8. & poſt illum Azor *cap.* 3. *quæſt.* 6. Qua in re obſeruandum Ioan. Franc. Leonis *in theſ. fori Eccleſiaſtici, parte* 1. *cap.* 3. *numer.* 2. docere huiuſmodi vtenſilia Eccleſiæ deberi; ſed perſpicuè fallitur, vt patet inſpicienti conſtit. Pij V. & expreſsè monet Nauar. *d. num.* 5. aduertens ſupellectilem vtenſilium vaſorum, &c. fieri hæredum.

QVÆRO NONO, ad quem ſpectet ſoluere debita beneficiarij defuncti, ad collectorem, an potiùs ad hæredes, vel ſucceſſores in beneficio. 11.

Ad quem pertineat ſoluere debita beneficiarij defuncti.

RESPONDEO præmittendo quòd debita beneficiarij alia poſſunt eſſe in neceſſitatem Eccleſiæ, alia in illius vſum & vtilitatem, alia perſonaliter tantùm pro ſe ipſo. ex quibus alia ſunt neceſſaria pro valetudine curanda, alia ob maius commodum, puta ad vineas emendas, colendas, &c. hoc poſito

DICO PRIMO debita facta à beneficiario ad neceſſitatem Eccleſiæ ſubleuandam, puta quia tacebat, &c. debebant iure antiquo ſolui à ſucceſſore. Ioan. Andr. Panorm. *cap.* 1. *de ſolutionibus.* Anton. & Imola *cap. perueni. de fideiuſſoribus.* Nau. §. *9. de ſpol. n.* 6. 12.

DICO SECVNDO, debita contracta non in neceſſitatem, ſed in vtilitatem Eccleſiæ: ſi tamen ex eo Eccleſia ipſa melioris conditionis facta ſit, debere quoque ſolui à ſucceſſore, ex generali regula quòd in eo quo quis ex alieno factus eſt ditior, ad id tenetur. ita Innocent. *cap.* 1. *de ſolut.* Panor. *cap. ex præſentium. de pignoribus.* 13.

DICO TERTIO, debita contracta ob vtilitatem perſonalem beneficiarij non recidebant in ſucceſſore; puta, cùm clericus ad res ſuas, vt domum, vineam, prædium meliores reddendas æs alienum fecerit. Azor *cap.* 3. *quæſt.* 3. ex Ioan. And. Imola, Panor. 14.

DICO QVARTO, ſi debita contracta fuerint à beneficiario ob propriam neceſſitatem, puta ad valetudinem curandam, dubium eſt iure antiquo an ea ſoluere ſucceſſor teneatur. negat Nauar. §. *9. numer.* 6. *de ſpoliis. verſic. contra quæ.* affirmat & meliùs Panorm. *cap. ex præſentium. de pignoribus. numer.* 5. & poſt illum Azor *cap.* 3. *q.* 3. quia quod beneficiarius impendit propter neceſſitatem propriam, videtur eſſe propter neceſſitatem Eccleſiæ. quæ cùm teneatur illius neceſſitatibus ſubuenire, debitum contractum propter neceſſitatem beneficiarij, videtur quoque eſſe propter neceſſitatem Eccleſię. his poſitis 15.

DICO QVINTO, cùm collector Apoſtolicus & Apoſtolica Camera ſuffecta ſit in locum ſucceſſoris, & capiat illa bona quæ ſucceſſor antea percepiſſet, tenetur iam ad illa debita ſoluenda. ita Azor *quæſt.* 3. *cap.* 3. quia cùm ſucceſſor in locum alterius omnia illius onera ſubire tenetur, emolumenta etiam percipit. 16.

DICO SEXTO, in locis in quibus de conſuetudine probata ſpolia Apoſtolica non fiunt, ſed bona beneficiarij defuncti cedunt, prout iure antiquo fiebat, Eccleſiæ, vel ſucceſſori, teneri, vt prædictum eſt, ſucceſſorem ad huiuſmodi debita ſoluenda, quæ pro neceſſitate Eccleſiæ vel beneficiarij contracta fuerint, quod conſtat ex dictis. 17.

QVÆRO DECIMO, an id quoque intelligendum ſit, vbi ſupereſſent alia bona beneficiarij patrimonialia. 18.

Quid vbi ſuperſunt alia bona patrimonialia beneficiarij.

RESPONDEO affirmatiuè, quia debita pro neceſſitate propria, vel Eccleſiæ contracta, debent ex bonis ipſius Eccleſiæ compenſari. ſi n. ad illã ſpectat viuente beneficiario ipſum ſuſtentare in neceſſariis, licèt aliter habeat vnde viuat, cũ nemo ſuis ſtipẽdiis debet militare: in ſuſtentatione autẽ neceſſaria intelligatur etiã infirmitatis curatio, dicendũ omnino eſt quidquid impẽsũ in ipsã eſt, & propter ipſam, ad Eccleſiam ſpectare, quia quod

Digitized by Google

quod ſic impenſum eſt, in viuentis ſuſtentationem eſt ingreſſum; & conſequenter debita quæ inde remanent, Eccleſiæ incumbunt; tanquam quid ad viuentis ſuſtentationem pertinẽs. quod tamen intelligendum eſt, cùm mortuo beneficiario ſupereſt aliquid ex bonis beneficij, ex quibus ſpolia fiant, ſiue pro Camera Apoſtolica, ſiue pro ſucceſſore, aut Eccleſia. vide Redoan. *q.* 10. *de ſpoliis.*

CAPVT VII.

De duplici capite vnde poſſint excuſari beneficiarij à ſpolio faciendo, & variæ quæſtiones ad id ſpectantes.

ECcleſiaſtici beneficia poſſidentes duplici ratione ab onere ſpoliorum liberantur, primò facultate teſtandi à Pontifice accepta; ſecundò, ex eadem facultate per conſuetudinem introducta. Facultas autem à Pontifice data duplex eſt; alia localis, vt eſt quæ datur omnibus in Curia & Romæ commorantibus; alia perſonalis, quæ à Summo Põtifice ſingulis conceditur, quos peculiari beneuolentia proſequendos putat. de vtraque hac ratione hic illa explicabimus quæ maiorem aliquam difficultatem continent.

1. *De facultate teſtandi à Pontifice accepta.* QVÆRO PRIMO, an qui habẽt à Summo Pontifice facultatem teſtandi de ſpoliis quibuſcunque ſint tuti in conſcientia, ſi ea facultate amplè in quaſcunque perſonas & vſus etiam non pios vtantur.

Supponendum eſt facultatem teſtandi tria reſpicere. Primò bona de quibus diſponitur. Secundò perſonas, ad quas transferuntur. Tertiò vſus, in quos deſtinantur. Summi Pontifices cũ facultatem hanc concedunt ſolent aliquando illam limitare reſpectu alicuius vel omnium horum trium; vt nec omnium bonorum, nec in omnes perſonas, nec ad omnes vſus illam permittant. aliquando verò illam ampliſſimã tribuunt ſine vlla limitatione bonorum, vſuũ, perſonarum. hoc poſito ſi exponamus quatenus tuta conſcientia vti liceat hac facultate cùm ampliſſima eſt, eo ipſo etiam conſtabit, quid dici oporteat de limitata. De illa ergo ſunt duæ ſententiæ.

Prima eſt Nauarri qui negat in conſciẽtia tutum eſſe, qui ea vtitur in illa ampliatione. ita ille §. 11. *n.* 2. *de ſpoliis.* & latiùs *tract. de redit. q.* 1. *monit.* 54. *& in Apolog. de redit. q.* 1. *monit.* 52. *n.* 1. 2. Ex quo conſequenter deducit. Primò qui teſtatur in conſanguineos diuites, ſolùm vt illos faciat ditiores, peccare mortaliter. Secundò cõſanguineos teneri ad reſtitutionem. Suam autem ſententiam probat primò, quia Papa ipſe non poteſt licitè & tuta conſcientia in omnes vſus, & in omnes perſonas de talibus ſpoliis diſponere, quia non in diuites, ſine cauſa pia ſubſiſtente quæ id ſuadeat; nec in vſus non pios & profanos, vt ipſe pluribus probat *tract. de redit. q.* 1. *monit.* 48. *q.* 3. *monit.* 6. *& in Apolog. q.* 1. *monit.* 27. 38. 39. *& q.* 3. *monit.* 6. & conſtat, quia ſpolia iſta ſunt res ſacræ quibus Papa non poteſt pro libito vti, ex D. Th. 2. 2. *q.* 99. *art.* 3. Ergo nec poteſt dare facultatem vt quis de illis in tales vſus & perſonas teſtando diſponat. argumento à maiore ad minus negatiuè, quod valet. *c. ſi Paulus.* 32. *q.* 5. *& c. imitare.* 6. *q. vna.* Secundò non poteſt Papa pro libito ſuo bona quæ ſunt vnius Eccleſiæ ad aliam transferre; aut quæ ſunt vnius rectoris alteri dare, vt conſtat ex *c. non liceat Papæ.* 12. *q.* 2. vbi Archidiaconus & ipſe Nauar. *in tract. de ſpoliis.* §. 3. *notabili* 7. *n.* 1. Sed ſpolia Eccleſiaſtica ſunt, vel Eccleſiæ, vel ſucceſſoris, vt conſtat ex his quæ diximus *cap.* 6. Ergo non poteſt illa Pontifex auferre pro libito, & ſine cauſa in quaſcunque perſonas transferre ad illas tãtùm ditandas. ergo multo minus hoc licitè poterit facere qui ab eo facultatem accepit. argumento notiſſimo quòd nemo plus iuris & facultatis poteſt in alterum transferre, quàm ipſe poſſideat. *c. nemo. de reg. iuris in* 6.

Si dicas, quomodo ergo quotidie Sũmi Pontifices tales facultates concedunt, & in ſpecie Iulius III. omnibus in Curia decedentibus permittit vt poſſint de bonis omnibus quæcunque illa ſint in quaſcunque perſonas diuites conſanguineos alienos, & in omnes vſus pios & non pios diſponere?

Reſpondet primò tales facultates habendas eſſe pro ſubreptitiis & obreptitiis: prout etiam habendæ ſunt donationes & cõceſſiones factæ à Summis Põtificibus, Prælatis, vt de ſuis vel alienis ſpoliis diſponant etiam in vſus nõ pios. quarum donationum, inquit, aliquot tenores vidimus in Vrbe dolentes quòd præberent anſam detrahendi ei (nempe Summo Paſtori) quem omnes laudare venerarique iubentur. ita ille §. 11. *de ſpoliis, n.* 2.

Secundò reſpondet huiuſmodi teſtandi conceſſiones, præſertim illam Iulij III. de qua ipſe §. 5. *de ſpoliis.* eſſe intelligendam pro foro exteriori, non interiori. nimirum ad ſedãdas lites, & ad moleſtias reprimendas quæ inferebantur à Collectoribus iis qui in Curia moriebantur; multa enim forum exterius ad vitanda maiora mala permittere, quæ forum conſcientiæ nõ admittit. Vult ergo Nauar. nihil plus habere clericos per illas facultates, quàm vt non poſſint moleſtari in foro exteriori, quidquid de bonis illis diſponant. quod optimo iure Põtifices concedere potuiſſe, non vt in omnes vſus etiam non pios illi licitè teſtari poſſent: ſed vt ſi teſtarentur non poſſent inquietari in foro exteriori, & id vt maiora mala vitarentur. Contraria ſententia communis eſt omnium aliorum, poſſe qui illam facultatem habent ea vti ſecundùm ſuã amplitudinem, modò non in vſus & perſonas iure diuino & naturali prohibitas. ita ex Canoniſtis Couarruuias *c. cum in officiis, n.* 7. *de teſt.* Redoan. *q.* 1. *de ſpoliis, in fine.* Sarmiento *p.* 1. *defenſionis de reditibus Eccleſiaſticis c.* 2. *in fine.* ex Theologis verò eam primus expreſsè docuit Petrus de Palude *in* 4. *diſt.* 15. *q.* 3. *art.* 6. vbi abſolutè docet poſſe beneficiarium teſtari de reditibus quæ ſibi ſuperſunt. quod ipſius dictum non eſt intelligẽdum quaſi nunc omnis beneficiarius id poſſit; prout illum intelligit & ob id reprehendit Redoan. *q.* 1. erat enim Paludanus iuris Canonici peritiſſimus. ſed eſt accipiendum abſolutè, ſecũdùm ſe, nempe quòd ſecluſo iure poſitiuo prohibẽte, perinde poſſit beneficiarius de reditibus teſtari, vt de aliis bonis ſuis. ex quo vlteriùs fit, ſublata prohibitione poſitiua eum iſtud ipſum eodem modo poſſe. quam eandem ſententiam docet Gabriel Vaſquez *in opuſc. de reditib. Eccleſiaſticis, dub.* 7. & antè illum Azor *lib.* 7. *p.* 2. *c.* 9. *q.* 1. Molina & alij, de quibus infrà.

Pro ſolutione aduertendum, aliud eſſe, quid fieri validè & iuſtè, prout iuſtè id dicitur fieri quod ſine vllius iniuria fit, & aliud fieri licitè. ita

ita vt non ſolùm quod fit valeat & iuſtum ſit,ſed etiam in eo faciendo nihil peccetur. Exempli gratia, quis malo animo meretrici de matrimonio donat centum aureos. dubium non eſt hanc donationem validam & iuſtam eſt, ſi qui donat ſui iuris ſit,& de ſuo donet. quæ tamen donatio nec licita eſt,nec tuta cõſcientia; ſed læſa & vulnerata fit. hoc poſito ad quæſtionẽ reſpondeo,&

3. DICO PRIMO, cui conceſſa eſt ampliſſima teſtandi facultas, ea poteſt vti validè & iuſtè in omnes vſus conceſſos; ita vt qui per illam facultatem hæredes inſtituuntur, aut bona capiunt, tuti ſint in conſcientia quicunque ſint. eſt concluſio omnium DD. ſecundæ ſententiæ, & probatur primò, quia prohibitio teſtandi de reditibus facta clericis introducta eſt iure poſitiuo. Redoan. *q. 1. de ſpoliis, num.* 51. Hoſt. ad gloſſ. *c. præſenti. de officio ordinarij in 6,* Geminianus *ibi.* Abbas *c. cum eſſes, n.* 24. *de teſt.* Barbat. *cap. requiſiſti, n. 34. eod. & cap. venerabili, col.70. de off. deleg. & 1. p. de præſtantia Cardinalium, col. 5. q. 3.* Couarruuias *c. cum in off. n.* 1. & conſtat manifeſtè, quia non loquimur hîc de prohibitione teſtandi contra rectam rationem; nam hanc habent omnes homines: ſed de prohibitione per quam clerici redduntur inhabiles ad teſtandum; ita vt ſi teſtentur, teſtamentum inualidum ſit,irritum & nullius vigoris. hæc ergo prohibitio ſiue inhabilitas validè teſtandi de illis reditibus, peto ego an ſit de iure naturali, vel diuino, vel poſitiuo: ſi naturali & diuino; ergo nunquam & in vllo caſu tolli poteſt; quod eſt contra quotidianam praxim, & ipſum Nauarr. qui concedit poſſe validè & iuſtè in aliquo caſu teſtari clericos per facultatem illam: ſi poſitiuo, iam habeo intentum; & ex hoc ſecundò vlteriùs argumentor, omnis prohibitio poſitiua aliquid faciendi,per quam ſi id fit,inualidè & iniuſtè fit,poteſtq; per Summũ Pontificem auferri, qui eſt ſuper omnẽ legem poſitiuã. & ſi ſit prohibitio proueniens à iure ciuili per ſupremum Principem ſæcularem,poteſt auferri. DD. ciuiles *toto tit. Digeſtorum de iuſtitia & iure, & de legibus.* DD. Eccleſiaſtici *rubr. de conſtitutionibus.* Si ergo Pontifex auferat per conceſſionem liberalem & illimitatam prohibitionem quam clericus habet teſtandi; eo ipſo qui teſtamentum iuxta conceſſionem illam condet, iuſtè & validè condet in ſenſu explicato. & qui ex illo teſtamento bona quæ alioquin ſpolia eſſent, capiunt, tuti erunt in conſcientia, quoad hoc quòd illa reſtituere non teneantur. Tertiò beneficiarij poſſunt à Summo Pontifice conſtitui domini dum viuunt redituum Eccleſiaſticorum, ita vt quod de illis in quaſcunque perſonas diſpoſuerint, validè & iuſtè diſponant. ergo poſſunt eandem facultatem ab illo habere vt de iiſdem reditibus qui ſibi ſuperſint in morte diſponant. Conſequentia eſt notiſſima, quia nulla eſt ratio diſparitatis. Antecedens verò certiſſimum eſt ex communi opinione quæ iam viget, quòd facta diſtributione illa bonorum Eccleſiaſticorum, de qua ſuprà diximus *in tractatu 41. de beneficiis cap.* 2. beneficiarij ſint veri domini redituum. pro qua opinione refert Marſilius *colum. in tract. de reditibus Eccleſiaſticis, cap.* 36. ſeptemdecim Theologos,quorum princeps eſt diuus Thomas, & quinquaginta quinque Canoniſtas. & tamen poſt Marſilium ſcripſere Ludouicus Molinas, Vaſquez, Azor, Suar. & innumeri alij Theologi & Canoniſtæ, de quibus in ſequentibus, præſertim *q.* 5. huius capitis qui hanc opinionem docuerunt. Quartò denique probatur ex abſurdis quæ ex ſententia Nauarri ſequuntur. Primò enim fieret omnes diuites cognatos beneficiariorum teneri ad reſtitutionem. Secundò, qui à Pontifice ſpolia iſta dono accipiat, etiam ad reſtitutionem teneri. Tertiò relicta in vſus profanos, aut non pios à beneficiario, non deberi ab executore executioni mandari. Quartò omnes qui non ſunt pauperes aut religioſi, non tuta conſcientia bona illa recipere. Quintò commercia omnia & omnium conſcientias perturbari & confundi quoties vel cum beneficiariis, vel illorum hæredibus agatur. Sextò Pontificẽ præbere fauorem poſitiuum ad peccandũ; & quòd peccatum fuerit patrocinio ſuo tueri. Septimò denique nõ ſolùm permitti, ſed cõmitti in Eccleſia Catholica abuſum vniuerſalem: nec tantùm diſſimulante,ſed annuente, conſentiente,auxilium præbente Pontifice; quibus quid poteſt eſſe deteſtabilius? Vt ergo illa vitemus abſurda, dicendum quòd qui ampliſſima illa facultate vtuntur in vſus permiſſos, validè & iuſtè in ſenſu explicato vtantur, & etiam licitè poſſint ſi velint.

DICO SECVNDO, qui facultate illa vtuntur, non ſemper licitè & ſine peccato vtuntur. 4. hæc per ſe patet, nec indiget probatione. etſi tantùm eam intenderet Nauarrus ferri poſſet. Ratio autem eſt,quia aliud exquiritur ad validè & iuſtè vtendum aliqua re, aliud ad licitè. ad illud ſufficit dominium & poteſtas: ad hoc requiritur conformitas operationis & vſus ad rectam rationem & legem diuinam, prout exigunt omnes & ſingulæ circunſtantiæ, in quibus operatio illa verſatur. per hæc patet ad rationes Nauarr.

Ad primam ergo cùm dicit Papam ipſum non poſſe reditus Eccleſiaſticos in quaſcumque perſonas & vſus conuertere, diſtinguo de poſſe vel vt accipitur pro validè & iuſtè poſſe; vel pro licitè. Primo modo falſum eſt non poſſe Papam validè & iuſtè pro libito ſuo de reditibus nondum applicatis diſponere; ita vt illius diſpoſitio ſit irrita, & propriè iniuſta,cum obligatione reſtituendi. & contrarium puto eſſe errorem, vt clariùs conſtabit in tractatu ſequenti de alienatione rerum Eccleſiaſticarum. Si verò ſecundo modo accipitur poſſe pro licito, concedo non ſemper Papam & in omni caſu licitè ſine peccato poſſe tales reditus in quoſcunque vſus & perſonas impendere, ſed teneri etiam ipſum in illorum erogatione rectam rationem ſequi,& legem diuinam & naturalem,quæ præſcribit, quãdo, quibus, quomodo,in quem finem ſit erogandum quod validè poſſumus erogare.

Ad ſecundam cùm dicitur non poſſe Papam reditus vnius beneficij alteri aſſignare, &c. Reſpõdeo eodem modo,nõ poteſt validè & iuſtè,id eſt,ſine iniuſtitia quæ obliget præcisè ad eorum reſtitutionem: nego. non poſt licitè ſemper & in omni caſu & quacumque de cauſa facere: cõcedo. cùm obiicitur canõ *non liceat Papæ.* Reſpõdeo,qui in illo canone ſe fundat ad hoc probandum, & ſic illum intelligit malè ſentire de Eccleſia Romana, & eius Primatu; cùm illius caput ſubiiciat iuri Canonico coërcitiuè, quod eſt erroneum. Dicendum ergo vel ibi accipi *liceat* propriè; non vt ſignificat id quod nullo modo poſſumus, ſed quod non ſemper honeſtè & rectè poſſumus. quo pacto dicimus non licere

diuitibus

Digitized by Google

diuitibus facultates ſuas in meretrices & paraſitos expendere, & in hoc ſenſu complectitur etiam Papam: quia non eſt canon præceptiuus, ſed declaratiuus obligationis Papæ, quam ipſe quoque vt alij habent ad operandum iuxta præſcriptum rationis. vel ſi canon accipitur præceptiuè & coërcitiuè, nomen *Papæ* non complectitur ſummum Paſtorem, ſed alias quaſcumque dignitates inferiores quæ nomine Papæ tunc temporis etiam intelligebantur, vt Epiſcopi, Archiepiſcopi, &c. qua de re iterum cùm de Alienatione.

Ad reſponſiones quas affert ad vſum Curiæ & praxim Romanorum Pontificum, qui tales facultates quotidie concedunt, prima reſponſio eſt iniurioſa Summo Pontifici, quem tacitè admittit ſemper malè facere tales facultates dando, & alios illis vtendo. quod eſt ſcandaloſum in Eccleſiam Romanam, & eius Paſtorem, vt id in ea ex conſuetudine fiat; quod eſt non ſolùm euaſio peccati, ſed peccatum & laqueus ad alios inducendum ad peccandum. Secunda reſponſio non eſt ad propoſitum. neque enim priuilegium teſtandi eſt per modum ſalui conductus (vt ſic dicam) qui fiat latroni, aut meretrici, vt non moleſtentur ſi velint inter nos agere. ſed eſt priuilegium directè reſpiciens Clericum, & poſitiuè conferens illi poteſtatem teſtandi, tollénſque inhabilitatem quam ad id habet. Ex quo euidenti deductione conſequitur hanc teſtandi facultatem quantumuis ampliſſimam nec in ſe, nec ex parte obiecti ad quod extenditur eſſe malam; vel certè Papam quotidie errare, quoties illam concedit & totam Curiam cum illo. Quid eſt autem abſurdius quàm illum eſſe magiſtrum erroris qui ſit in Eccleſia Doctor veritatis. qua de re infrà meliùs cùm de Alienatione.

5. *De eadem facultate per conſcientiam introducta.* QVÆRO SECVNDO, an vbi conſuetudo eſt vt beneficiarij de bonis beneficij teſtentur, tam ipſi, quàm qui illorum bona capiunt ex teſtamento, vel ab inteſtato, tuti ſint in conſcientia. per tutum autem eſſe in conſcientia, intelligimus non teneri præcipuè ad eorum reſtitutionem qui ſic diſponunt, aut in quos diſponitur. nam ſi ſermo ſit de quocumque alio peccato, certum eſt plura poſſe interuenire tam ex parte teſtantis, quàm ſuccedentium. hoc poſito

6. RESPONDEO & DICO PRIMO, nullus beneficiarius de reditibus ſui beneficij iure communi teſtari poteſt. res eſt certiſſima ex ſacris canonibus, in quibus hoc decernitur, vel iam decretum declaratur & confirmatur. *cap. Epiſcopi, cap. ſicut manifeſtè.* 12 *quæſt.* 1. *cap. quia Ioannes, cap. fixum.* 12. *quæſt.* 5. *cap. ad hæc, cap. quia nos, cap. cùm in officiis, cap. relatum* 2. *de teſt.* ad id autem ſacri canones moti ſunt, vt allicerent ea ratione beneficiarios ad liberaliter in vita reditus expendendos, quorum ſciunt in morte nullam ſe poteſtatem vlteriùs habituros: ac ob id fruſtrà ſe illis parcere & reſeruare. quod bene notat Nauarr. *quæſt.* 3. *de reditibus,* Vaſquez *in opuſculis de reditibus cap.* 1. §. 5. *dub.* 4. Azor *lib.* 7. *Inſtit. part.* 2. *c.* 9.

7. DICO SECVNDO, conſuetudo vſu recepta & approbata vim legis habet poſitiuæ. ex quo quatuor fiunt. Primò nullam conſuetudinem poſſe valere contra legem naturalem & diuinam, quia contra illas nulla lex poſitiua & expreſſa valere poteſt; ergo multò minus lex poſitiua non expreſſa, quibus eſt conſuetudo. Secundò fit quemadmodum in legibus & ſtatutis poſteriora ſemper derogant prioribus vbi oppoſita ſunt; ita conſuetudinem poſt legem poſitiuam introductam illam tollere. Tertiò fit, vt neceſſarium eſt legem poſteriorem quæ priorem abrogat eſſe à maiori, vel æquali poteſtate; ita conſuetudinem quæ abrogat ius Canonicum poſitiuum, debere eſſe introductam non ab inferiori vlla poteſtate, ſed ab illa eadem quæ canones condit. Vnde quartò fit conſuetudinem à ſolis laicis introductam vel etiam ab inferioribus Prælatis Eccleſiaſticis, repugnante tamen aut non approbante Pontifice, nullius valoris eſſe contra legem Canonicam aliquid prohibentē, vt bene obſeruat Robertus de Monte *conſil.* 25. inter conſ. Gigantis; Alexander *l. poſt dotem, col. pen. ff. ſolut. matrim.* Redoan. *quæſt.* 4. *de ſpoliis.* Felinus *cap.* 1. *de treuga & pace, declar.* 4. *num.* 10. Puteus *deciſ.* 1. *lib.* 1.

DICO TERTIO, vbi eſt conſuetudo vt beneficiarij de bonis beneficij teſtētur, quæ habeat cōditiones modò dictas, tutos eſſe in conſcientia tā qui teſtantur, quàm qui bona capiunt ex teſtamēto. Concluſio eſt certiſſima quam tradunt expreſsè Couarrùuias *cap. cùm in officiis. de teſtam. num.* 4. & ante illum Panormitanus, Aluarus, Pelagius, Ioan. Maior, Syluester, Angelus & alij apud illum, & apud Azor. *parte* 1. *lib.* 7. *Inſtitut. c.* 9. *quæſt.* 1. quibus adde Hoſtienſ. *cap. cùm in officiis. de teſtam.* vbi dicit neminem de rebus Eccleſiæ teſtari poſſe, niſi aliud obtineat de conſuetudine. quod ipſum docent Innoc. Ioan. And. Zabarella *in eodem cap.* & Abbas *cap. cùm tibi. de verborum ſignificatione. Valet*, inquit, *conſuetudo quòd clerici poſſint diſponere de bonis acquiſitis intuitu Eccleſiæ, eo quòd propinqui ſuccedant eis ab inteſtato.* Idem docet Gaſpar Calderinus *conſil.* 2. *de peculio clericorum, circa finem. Puto*, inquit, *quod ſi loci conſuetudo vel Eccleſiæ ſit, quòd conſanguinei ſuccedant in fructibus perceptis, illa ſeruetur.* ad idem ſunt Guido Papæ, Gulielmus de Benedictis, Ioan. Faber, & alij quos allegat Philippus Probus *cap. præſenti. de officio ordinarij in* 6. optima autem ratio ad hoc probandum & demonſtratiua eſt, quia, vt ſuprà vidimus, prohibitio teſtandi de iſtis reditibus ex iure poſitiuo eſt. ergo poteſt lege contraria poſitiua, vel in totum vel in parte abrogari. per *l. nihil tam naturale eſt. ff. de regulis iuris.* Sed conſuetudo legitima & approbata habet vim legis poſitiuæ. ergo vbi illa contraria eſt legi priori de non teſtando ſcriptæ, illam abrogat, & ipſa valebit. 8.

Sed tunc dubium eſt vbi ſit iſta conſuetudò, & an ſit approbata, & qualis ſit, ſeu quouſque ſe extendat. ergo

QVÆRO TERTIO, vbi vigeat conſuetudo teſtandi de fructibus beneficij, & reſpectu quorum beneficiorum. 9. *Conſuetudo teſtandi de fructibus beneficij, & reſpectu quorum beneficiorum, vbi vigeat.*

RESPONDEO, beneficiarij omnes Epiſcopo inferiores, ſi religioſi non ſint, in Hiſpania & in Gallia ex conſuetudine de bonis ſuis teſtantur, & illis à conſanguineis ſucceditur ab inteſtato. de qua conſuetudine Couarruuias *cap. cùm in officiis. de teſtam.* Redoan. *quæſt.* 4. *de ſpoliis.* Sarmient. Nauarr. & alij poſt Azor. *q.* 1. *c.* 4. *lib.* 1. *parte* 2.

QVÆRO QVARTO, qualis ſit ea conſuetudo, ſeu quatenus ſe extendat. 10. *Qualis illa ſit, & quouſque ſe extendat.*

RESPONDEO eoſdem auctores qui de conſuetudine teſtantur teſtari quoque de eo ad quod ſe extendit. dicunt ergo eam eſſe liberā & illimitatam reſpectu omnium bonorum in omnes perſonas etiam diuites, & vſus etiam non

Digitized by Google

pios ita de conſuetudine Hiſpaniarum teſtatur Couarruuias, & poſt illum Redoan. *quæſt.* 4. & Azor *quæſt.* 1. *&* 2. *lib.* 7. *cap.* 9. *parte* 2. De conſuetudine verò Galliarum teſtatur Coſmas *in pragmatica ſanctione tit. de Annatis.* §. *item quod.* Faber *Inſtitut. de rerum diuiſione.* §. *his verò.* Guido Papæ *deciſ.* 115. & alij quos refert Probus *cap. præſenti. de offic. ord. in* 6. qui omnes aſſerunt conſuetudinem hanc eſſe omnino liberam, ita vt pro arbitratu ſuo in quos volunt, clerici diſponant. & ſi non teſtentur, conſanguinei ab inteſtato ſuccedant, quantumuis diuites ſint. Hinc

11. *An cenſenda legitima.* QVÆRO QVINTO, an hæc conſuetudo legitima cenſeri poſſit.

RESPONDEO, ad conſuetudinem legitimam duo requiruntur. Primum, vt non ſit iniuſta ſiue aliter contra legem naturalem, aut diuinam. Diximus enim conſuetudinem eſſe quaſi legem poſitiuam, ſed tacitam: legem verò eſſe quaſi conſuetudinem loquentem & ſcriptam. quare ſicut lex legitima non eſt contra legem naturalem & diuinam; ſic nec conſuetudo, ſed corruptela cenſenda eſt quæ contra illas leges eſt. Secundò requiritur auctoritas quæ dat robur aut legi, aut conſuetudini, ſine qua neutra vires habet. & quidem in lege ſcripta auctoritas eſt à Principe promulgante: in non ſcripta & tacita, qualis conſuetudo eſt, à Principe approbante. Hic ergo quærimus primo loco, an talis conſuetudo ſit legitima. quoad primam conditionem ſunt duæ opiniones. Prima diſtinguit de illa conſuetudine, vt tantùm ſe extendit in pios vſus, & vt ſe extendit in omnes perſonas & vſus. Primam conſuetudinem dicunt eſſe iuſtam, & ſi accedat approbatio valere. Secundam non eſſe iuſtam, ſed eſſe corruptelam. ita Nauarr. per totam *quæſt.* 3. *de reditibus*, qui eam tribuit Aluaro, Pelagio, Philippo Franco, Barbatiæ, & ex Theologis, Angelo, Syluеſtro, & Ioan. Maiori. Fundamentum Nauarri eſt, quia quòd reditus Eccleſiaſtici debeant impendi tantùm cauſa pietatis ponendæ, vel paupertatis ſubleuandæ, putat eſſe de iure naturæ, & obligatione iuſtitiæ. Primò, quia qui talia bona reliquerunt Eccleſiæ, non ob aliud reliquerunt. Secundò, quia ſunt res ſacræ, & tales non poſſunt niſi in ſacros vſus expendi; vel immediatè vt eſt cultus diuinus, vel mediatè vt eſt ſuſtentatio pauperum, & eorum qui cultum diuinum procurant. Sed omnis conſuetudo contra ius naturale & diuinum eſt corruptela. ergo conſuetudo illa teſtandi qua parte viget in omnes perſonas & vſus eſt corruptela. At verò quia prohibitio teſtandi etiam in vſus pios & ſubſidium pauperum eſt tantùm introductum iure poſitiuo; vt per hoc inducerentur beneficiarij ad eleemoſynas in vita faciendas; idcirco conſuetudinem contra hãc poſitiuam prohibitionem introductam poſſe valere ſi habeat aliam conditionem, nempe Principem approbantem.

Oppoſita ſententia eſt aliorum, qui volunt eam conſuetudinem ex ſe ſpectatam iuſtam eſſe; etiam vſurpatã in vſus non pios, & in cognatos diuites. iuſtam, inquam, quaſi negatiuè idem non contra iuſtitiam, nec contra legem naturalem. ita Azor *loc. cit. lib.* 7. *cap.* 9. *quæſt.* 1. *&* 2. Vaſquez *opuſc. de reditibus. cap.* 1. §. 3. *dub.* 7. Sarmient. 1. *parte Apolog. contra Nauarr. cap.* 2. Couarruuias *cap. cùm in offic. numer.* 7. *de teſtam.* ad idem ſunt Abbas, Hoſtienſis, Vgo, Ioan. Andr. Cald. Zabarella, Innoc. Andreas de Iſernia, Petrus de Ancharano, Geminianus & alij antiquiores, de quibus latè Redoan. *quæſt.* 4. *de ſpoliis.* qui licèt varient an iſta conſuetudo ſit recepta, aut quouſque, & reſpectu quorum bonorum; omnes tamen ſimpliciter conſentiunt, quòd de ſe ſpectata iuri naturali non repugnet.

Probatur autem euidenter concluſio, & primò quòd non ſit abſolutè contra iuſtitiam, quia quòd quis diſponat de re ſua quæ ſub ipſius dominio eſt pro libito ſuo, non eſt abſolutè contra iuſtitiam, ſed ad ſummum contra legem aliquã poſitiuam, quæ ipſum prohibeat in iſtos, vel illos vſus impendere. Sed beneficiarius eſt dominus redituum Eccleſiaſticorum, vt poſt eos quos ſuprà vidimus *quæſt.* 1. *huius cap.* probat Leſſ. *lib.* 2. *c.* 4. *dub.* 6. *de iuſt.* ergo quòd de illis pro libito ſuo diſponant in omnes vſus non eſt contra iuſtitiam, ſed ad ſummum contra legem poſitiuam. Sed conſuetudo ſolùm contra legem poſitiuam illam tollit; non eſt ergo contra iuſtitiã, quæ faciat vllam iniuriam, & obliget ad reſtitutionem. ergo conſuetudo teſtandi de reditibus in omnes vſus non eſt abſolutè contra iuſtitiam, quod erat primo loco probandum.

Si dicas eſſe contra iuſtitiam vt quis faciat de re ſua contra conditionem quam appoſuit ille qui rem donauit, aut teſtamento reliquit, quia videtur conditionaliter dominium tranſtuliſſet ac proinde qui dominium cum illa conditione accipit, licèt verè dominus rei ſit, facere tamẽ contra iuſtitiam ſi conditionẽ non implet. ex quo ſequitur licèt reditus Eccleſiaſtici ſint ſub dominio beneficiariorũ, facere tamen contra iuſtitiam ſi de illis diſponant non iuxta conditionem, cum qua reditus illi donati ſunt; quæ conditio eſt vt expendantur in vſus pios. *Reſpondeo* primò conditionem appoſitam rei donatæ, vel teſtamento relictæ, poſſe lege poſitiua abrogari, ac proinde etiam conſuetudine, quia Princeps legem condens, ac conſuetudinem approbans, videtur habere quoad hoc poteſtatem voluntatis defuncti, aut donatoris, vt conditionem illam tollat, vel mutet, prout ſibi videbitur expedire, præſertim vbi non agitur de præiudicio certæ & determinatæ perſonæ. Eſto ergo reditus ſint dati cum illa conditione appoſita, non eſt tamen contra iuſtitiam, ſi ea conditio ab eo qui auctoritatem habet auferatur, licèt eſſet ſi manente & vigente conditione contra illam expendantur. Reſpondeo ſecundò, aliud eſſe conditionem apponi rei donatæ, aut legatæ, vel teſtamento relictæ; aliud præceptũ fieri donatario, legatario, vel hæredi, vt de re donata ſic vel ſic diſponat. In primo caſu ſi aliter diſponatur de bonis, eſt contra iuſtitiam; quia dominiũ non transfertur abſolutè, ſed conditionatè. In ſecundo caſu nequaquam. patet in patre qui relinquit hæreditatem filio, præcipiendo tamen ne inſumat in paraſitos, meretrices, &c. & in Titio qui donet abſolutè 100. Scio, præcipiendo tamen illi vt faciat aliquam eleemoſynam. ſin iſti neutrum impleant, nullo modo faciunt contra iuſtitiam. quomodo autem aliter peccent nunc non diſputo. Tertiò denique reſpondeo, gratis dici, & omnino falſum eſſe, reditus Eccleſiaſticos omnes datos eſſe tantummodo cum illa conditione vt expendantur in vſus pios, aut pauperibus erigantur. licèt enim qui bona Eccleſiæ relinquunt, non habeant aliam intentionem, niſi pietatis colendæ, aut paupertatis ſubleuandæ; quod alterutrum vel vtrumque ipſi faciunt dum bona relinquunt. non tamen intentionem habent vt bona quæ donant cum ea conditione tantùm

Digitized by Google

tantùm Eccleſiæ fiant vt in vſus pios, aut in pauperes erogentur: quod exemplo patet quotidiano; qui enim donat pauperi eleemoſynam, intuitu donat illius neceſſitatibus ſubueniendi: nõ tamen cum hac conditione donat, vt in vſus tãtùm neceſſarios quod acceperit, pauperi impendat. Quis enim dicat pauperem cui aureus eleemoſynæ nomine donatus eſt, ſi ex eo ſibi pullum gallinaceum emat, contra iuſtitiam facere? & tamen certum eſt vſum illum in quem aureum expendit non neceſſarium eſſe. Concludo ergo abſolutè loquendo, tales reditus aliter quàm in vſus pios, aut pauperes ſubleuandos impendi, non eſſe contra iuſtitiam; quia vel cum illa conditione donati non ſunt, ſed ad ſummum cum præcepto vt de illis fiant eleemoſynæ, non toti in eleemoſynas diſtribuantur: vel etiam quia ſi conditio eſſet appoſita, poſſet etiam conſenſu Principis auferri.

Secundò probatur non eſſe contra legem naturalem, quia quod ex ſe ſpectatum poteſt bene & malè fieri, non eſt contra legem naturalem: ſed quòd reditus Eccleſiaſtici impendantur in quaſcumque perſonas, etiam non indigentes, & vſus etiam non pios, poteſt bene & malè fieri, vt per ſe patet; non eſt ergo id contra ius & legem naturalem. minor conſtat, quia ſi illa eſſet contra legem naturalem, in nullo caſu liceret diuitibus dare ex talibus reditibus, & eos in vſus non pios impendere; quod tamen falſiſſimum eſt ex quotidiana praxi, & etiam confeſſione ipſius Nauarri *d. lib. 3. de reditibus.*

Per hæc ad argumenta pro Nauarr. & primò ad illos auctores, quos pro ſe adducit, nempe Aluarum, Barbatiam, & alios, &c. reſpondeo illos non damnare conſuetudinem hanc per ſe ſpectatam quaſi ſit contra legem naturalem, & contra iuſtitiam, ſed quia putant illam non eſſe in tanta ampliatione receptam.

Ad ſecundum, cùm dicitur eſſe contra legẽ naturalem vt iſti reditus aliter expendantur, quàm intuitu pietatis fouendæ, aut paupertatis ſubleuandæ; reſpondeo negando hoc ſi intelligatur immediatè, ita vt proximè id in quod expenduntur debeat eſſe opus pium, vel inopia ſubleuata; nam præter hos fines poſſunt eſſe etiam alij honeſti, qui ſunt obiecta non ſolùm miſericordiæ, aut religionis, ſed aliarum virtutum, nempe liberalitatis, magnificentiæ, & ſimilium. pertinet enim ad ſplendorem Eccleſiæ, vt ipſius Prælati illas etiam virtutes poſſint actibus exterioribus exercere, quæ ſunt propriæ Regum & magnorum Principum. ſic Pontifices, & magni Epiſcopi ſolent aliquando conuiuia lautiſſima & apparatiſſima pauperibus inſtruere; quod opus proximè nec continet cultum pietatis, nec ſubleuationem paupertatis: non pietatis, vt per ſe patet, quia non verſatur immediatè circa cultum diuinum; non paupertatis, quia illa non ſubleuatur per inſtructiſſimum conuiuium, in quo pretioſiſſimæ dapes omnis generis apponantur, ſed pane ſecundario ſuſtentatur & vino diluto. eſt ergo opus hoc alterius virtutis quàm religionis, aut miſericordiæ, nempe Regiæ & principalis liberalitatis; quod tamen vltimatò in pietatis cultum refertur, cùm pertineat ad ſplendorem Eccleſiæ augendum, cuius Reges & Principes iuxta diuinam promiſſionem Nutricij facti ſunt. propterea dixi proximè non ſemper in cultum pietatis, aut ſubleuationem paupertatis horum reditus impendi debere.

Ad tertium argumentum quod erat, ex iuſtitiæ obligatione in duos iſtos fines deberi erogari. nego hoc; ſed tantùm ad ſummum eſt aliquando ex obligatione charitatis, cuius præceptum affirmatiuum obligat aliquando, &c. vt bene obſeruat Vaſquez & Azor *loc. cit.* Notiſſimum autem eſt, ex eo quòd aliquid ſit ex obligatione charitatis faciendum, ſi contrarium fiat non peccari propriè contra iuſtitiam. porrò obligatio vt expendantur in hos duos fines, intelligitur, vt iam dixi, de expenſione mediata, vel immediata, nimirum vt proximum opus in quod impenduntur pertineat ad religionem, vel miſericordiam, aut ad aliam virtutem, quæ tamen ad religionem & illius cultum referatur. Ad aliam probationem quòd tales reditus ſic debeant expendi ex voluntate eorum qui reliquerunt, vt reſpondeam,

QVÆRO SEXTO, an reditus Eccleſiaſtici debeant ex iuſtitia tantùm cultui pietatis, aut paupertatis impendi, ex voluntate eorum qui reliquerunt. 12. *Reditus Eccleſiaſtici qualiter impendi iure debeant.*

Licèt quid hîc ſit dicendum ex proximè dictis in præcedente quæſtione conſtare poſſit; tamen quia res eſt quotidiana, & magnis difficultatibus implicata, propter ea quæ variè à diuerſis dicuntur, hîc iterum diſtinctiùs ad hoc quæſitum reſpondeo. &

DICO PRIMO, non omnem intentionem & voluntatem donantis ita obligare donatarium vt ſi de re donata in alios vſus diſponat, quàm donans voluerit & intenderit, propriè contra iuſtitiam diſponat. nam omnes patres, facultates quas filiis relinquunt, in vſus tantùm honeſtos & vtiles expendendos relinquunt: non tamen ob id ſi filius in paraſitos, meretrices, &c. impendat, facit contra iuſtitiam, ſed contra alias virtutes. item qui facit eleemoſynam pauperi & nudo, in eum finem facit, vt inde ſibi ad neceſſaria prouideat: non tamen ob id pauper ille contra iuſtitiam facit, ſi loco ſubuculæ ad medietatem tegendam ſibi perdicem emat ad gulam paſcendam. quam profectò ſi ſciſſet empturum qui fecit eleemoſynam non feciſſet. Similiter ergo qui dederunt reditus Eccleſiaſtico, dederunt cauſa pietatis. Si inferatur. ergo ſi aliter impendantur contra iuſtitiam impenduntur. negatur hoc; ſed contra aliam virtutem charitatis, fidelitatis, religionis, miſericordiæ, liberalitatis, &c. & hoc non ſemper, ſed quoties contra præceptum harum virtutum affirmatiuum peccabitur; quod non obligat vt numquam aliter fiat, ſed vt aliquando & ſuo tempore. 13.

DICO SECVNDO, aliud eſt duos iſtos fines, pietatis, aut paupertatis eſſe propoſitos donantibus bona Eccleſiæ; aliud ad illos eos obligare velle quibus donant. Primum verum eſt, qui enim donant Eccleſiæ, donant intuitu pietatis fouendæ, vel paupertatis ſubleuandæ. at quòd hoc vtrumque vel alterutrum ipſi velint iſtis eſſe propoſitum quibus donant verum non eſt, ſed illorum arbitrio permittunt, niſi aliud ab illis apertè exprimatur. & hoc exemplo patere poteſt in eo qui dat eleemoſynam, habet enim pro fine paupertatem illius ſubleuandam cui donat. at deinde non curat quid de illo quod donat ipſe faciat; ſed illius arbitrio relinquit, vt pro libito ſuis ille neceſſitatibus occurrat. 14.

DICO TERTIO, aliud eſt donare cum conditione eo modo reſtringente donationem & rem donatam, & hoc facit vt ſi aliter de re donata 15.

Digitized by Google

nata diſponatur contra iuſtitiam fiat. aliud cum præcepto quod afficiat donatarium. & hoc ſi non obſeruetur, non contra iuſtitiam, ſed contra aliam virtutem peccatur. Reditus Eccleſiaſtici non probantur primo modo relicti, ſed ad ſummum ſecundo modo; quare non contra iuſtitiam, ſed contra alias virtutes peccatur, ſi aliter expenduntur, vt bene Vaſquez & Azor indicant *loc. cit.* Ad aliam probationem Nauarr. quòd tales reditus quia ſacri ſunt non poſſint aliter quàm piè aut miſericorditer impendi; reſpondeo, &

16. QVÆRO SEPTIMO, an & quomodo reditus Eccleſiaſtici ſacri ſint?

An & quomodo ſacri.

Respondeo & dico primo, ſacrum quid tripliciter eſt, conſecratione, benedictione, & deſtinatione: ſacra conſecratione ſunt quæ ritè ad cultum diuinum luſtrantur & iniunguntur. ex quibus alia ſunt inanimata, vt Eccleſiæ calices, &c. alia animata, vt ſacerdotes, Diaconi, &c. Benedictione ſacra ſunt ſuper quibus ſanctæ & receptæ preces proferuntur; & hæc in duplici differentia. alia enim à ſolemni miniſtro benedicuntur, qualia ſunt quæ in vſum aliquē ſacrum deſtinantur, vt candelæ, veſtes, campana, aqua benedicta, &c. alia à quocumque fideli promiſcuè in omnes vſus, vt dapes in menſa. Deſtinatione verò ſacra ſunt quæcūque ſimplici animo propoſito ad Dei cultum ordinantur. & hæc alia animata, vt homines; alia inanimata. animata dupliciter deſtinantur, alia medio voto, alia ſolo propoſito & coordinatione. Inanimata verò alia ſunt ordinata ad res ſacras inanimatas, & ex his alia ſunt ad illas meliùs ornandas, vt candelabra, picturæ, aulæa, & alia ornamenta altarium, vel Eccleſiæ: alia ad ſuſtentandas & reparandas; vt reditus pro fabrica templi. alia ordinantur ad res ſacras animatas alendas. de quibus omnibus latiùs diſſerunt Theologi cum D. Thoma 2. 2. *quæſt.* 87. *artic.* 10. Caiet. 2. 2. *q.* 88. *artic.* 11. Nauarr. *de redit. q.* 1. *monit.* 40. 41. *Apolog. quæſt.* 1. *monit.* 24. *de ſpoliis.* §. 8. *numer.* 1. DD. *cap. cùm perimus* 4. *q.* 6.

Dico secundo, reditus Eccleſiaſtici beneficiariorum poſſunt dici ſacri ſimplici deſtinatione, quatenus ordinati ſunt ad vtilitatem perſonæ ſacræ, ſiue voto conſecratæ, vt Religioſi; ſiue in vnctione, vt ſacerdotes; ſiue ſola ordinatione & oblatione, vt qui dicuntur oblati & ſeruientes. quæ omnia ſatis apertè conſtant ex enumeratione præcedenti. hoc poſito

17. QVÆRO OCTAVO, an quia reditus beneficiorum ſacri ea ratione ſunt quam modò diximus, non poſſint niſi in ſacros vſus expendi.

An quia ſacri non niſi in ſacros vſus expendi poſſint.

Respondeo & dico primo, nulla res ſacra remanendo ſacra, communiter loquendo poteſt in vſus profanos & non ſacros aſſumi. & quidem ſi ſit res ſacra conſecratione, aut ſimplici deſtinatione, ſed immediatè ad eum colendum ordinata, aut deſtinatione cum voto, non poteſt ad alios vſus adhiberi quàm ſacros ſine ſacrilegio, vt notant DD. *cap. comperimus* 4. *quæſt.* 6. de his enim verum illud eſt, ſemel Deo dicatum non eſſe ad res humanas vlteriùs transferendum. *c. ſemel. de regulis iuris in* 6. & colligitur ex *cap. vlt. Leuitici.* Si autem res ſacræ ſint ſimplici deſtinatione mediatè tantùm ad Deum ordinatæ: quia immediatè ad res iam ſacras ordinantur, cùm tales ad alios vſus aſſumuntur, peccatur tantùm in duplici caſu. primò, ſi res iſtæ ſint perpetuò deſtinatæ, & non ad tempus: ſecundò, ſi ſcandalum timeatur quando in alios vſus aſſumantur. in quo caſu tamen neque etiam ſacrilegium committeretur, ſed alterius generis peccatum, & niſi fieret ex contemptu valde leui. ſic qui picturam per integrum menſem ad ornandā Eccleſiam commodauit, poteſt eam deinde in alios vſus aſſumere. quod idem patet de aulæis quæ quotidie viri Principes Eccleſiis commodant, in his enim nulla ratione priuatur, quia non ſunt perpetuò ad ſacra deſtinata: at quæ etiā perpetuò ſunt deſtinata, vt candelabra pro altari, &c. ſi fortè etiam in loco non ſacro ſine ſcandalo videantur, non poterit id etiam eſſe ſine peccato.

Dico secundo, omnis res ſacra ſublata conſecratione poteſt ad omnes profanos vſus transferri ſine vllo peccato. ita DD. citati cum D. Thom. 2. 2. *q.* 87. 88. Nauar. præſertim *dicto* §. 18. *de ſpoliis.* 18.

Dico tertio, res ſacra conſecratione diſſecratur, ſiue deſinit eſſe ſacra per ablationem & deſtructionem formæ, ſiue ea forma ſit naturalis, ſiue artificialis. Res ſacra voto per diſpenſationem deſinit eſſe ſacra, quæ diſpenſatio rariſſimè datur in voto ſolenni. res ſacra deſtinatione fit non ſacra per contrarium propoſitum & applicationem eius qui poſſit id facere. vt colligitur ex D. Thoma, Caiet. Philippo Franco cū Nauar. §. 18. *de ſpoliis.* res verò ſacra deſtinatione ad ſuſtentandam perſonam ſacram, diſſecratur per primum vſum & applicationem conformem huic deſtinationi: vt ſi ſit beneficium quod habeat cenſum pro annuo reditu, iſti cenſum eo ipſo quòd beneficium attributum eſt certæ perſonæ ſacræ, & quòd ab ea iam exacti ſint, & in vſum deducti, ſortiti ſunt finem ſuum, & non ſunt ampliùs ſacri. Ex quibus omnibus 19.

Fit primò, qui furatur bona beneficiarij, & in vniuerſum qui furatur res ſacras ſimplici & nuda deſtinatione, ſacras præſertim ad perſonam ſacrā ſuſtentandam, ſacrilegium non committunt. alioquin, qui furatur prandium paratum Epiſcopo, ſacrilegus erit; quod nemo dicit, & tamen prandium eſt ordinatum ad ſuſtentandum Epiſcopum perſonam ſacram. Similiter qui furatur picturam deſtinatam templo, candelabra, &c. ſacrilegus nō eſt, niſi in loco ſacro furetur.

Secundò fit, bona quæ quis contractu gratuito vel oneroſo accipit ad beneficium, nullo modo ſacra eſſe. Ratio eſt, quia iam ſuum vſum habuerunt, per quem deſinunt eſſe deſtinatione ſacra. niſi enim hoc dicamus, ſequitur quòd bos quem quis emerit à beneficiario, aut dono acceperit, res ſacra ſit, quo quid abſurdius?

Tertiò fit, bona quæ actu poſſidet beneficiarius ex beneficio ſuo, neque eſſe cenſenda ſacra, quia iam aſſecuta ſunt vſum ſuum per hoc quòd in poſſeſſionem ipſius data ſunt. vnde fit poſſe ab eo in omnes vſus expendi, vel ab aliis de voluntate illius. ſi dicas eſſe deſtinata ad vſum ſacrum, reſpondeo cùm venerunt in poteſtatē beneficiarij, id intelligi ex parte vtentis, non ex parte obiecti in quo quis vtitur, ſemper autem vſus ſacer eſt ex parte vtentis, dum à perſona eſt quæ ſacra ſit. Si inſtes datos eſſe reditus vt non tantùm iis vtatur perſona ſacra, ſed vt ſemper impendantur in vſus ſacros. Reſpondeo id falſum eſſe, & gratis dici, vt colligitur ex dictis quæſtione quinta.

Dico qvarto, reſpondendo ex his ad 20.

quæ

quæſtionem propoſitam. Ex eo quòd reditus Eccleſiaſtici ſacri ſint hac ratione qua diximus, non fit eos expendi pro libito iuſtè non poſſe in omnes vſus: ſed tantùm ſequitur, quòd non poſſint in iuſtum titulum à laicis poſſideri, niſi priùs deſinant eſſe ſacri: quod fit per eùm qui poteſt deſtinata ad perſonas Eccleſiaſticas ſuſtentandas aliò deſtinare, qui eſt Summus Pontifex, vel qui ab illo facultatem habet. Sed de his iterum paulo pòſt cùm de Alienatione.

Per hæc patet conſuetudinem expendendi pro libito reditus Eccleſiaſticos, iam certis perſonis attributis in omnes vſus etiam non pios, honeſtos tamen, non verſari circa obiectum lege naturali aut diuina prohibitum, quia talis vſus horum redituum, nec eſt contra iuſtitiam propriè dictam, nec contra religionem: non contra iuſtitiam, quia donati non ſunt conditionaliter, cum conditione reſpiciendo rem donatam: non contra religionem cùm tales reditus alia ratione ſacri non ſint quàm deſtinatione ad vſum perſonæ ſacræ, qui finis eo ipſo completur quòd perſona ſacra illis vtitur pro libito ſuo; quemadmodum enim pecunia relicta ad ſubleuandos pauperes primo actu quo in pauperes erogatur finem ſuum ſortitur, ſic reditus Eccleſiaſtici ordinati ad vſum Eccleſiaſticorũ primo actu quo in Eccleſiaſticos conferuntur finem ſuum ſortiti ſunt, quo deſtinati fuerant in vſum ſacrum tam ex parte vtentis, quàm termini & obiecti, in quod erant expendendi, alioquin ſequeretur quòd pauper cui pecunia in vſus pios relicta, miſericorditer in eleemoſynam data eſt, teneretur illam vel aliis pauperibus dare, vel tantùm ad neceſſaria ſimpliciter expendere; quod eſt falſiſſimum. Porrò reditus Eccleſiaſtici ſuum finem conſequuntur. Primò cùm Pontifex vel alius qui poteſt beneficia canonicè conferre, illos diſtribuit, ex quo fit ſi laici hoc attentent, ſacrilegos eſſe; & qui reditus ab illis recipiunt, eſſe fures. Secundò cùm beneficiarij ipſi iiſdem reditibus vtuntur. de quibus omnibus iterum clariùs paulo pòſt.

Interim conſtat ex his fundamenta omnia falſa eſſe quibus Nauarr. in toto tract. de reditibus, in Apologia de iiſdem in tract. de ſpoliis nititur, ad oſtendendum expenſionem redituum beneficij aliter quàm piè, aut miſericorditer factam iniuſtam eſſe & contra legem naturalem; ac proinde obligari ad reſtitutionem tam expendentes quàm recipientes. hoc enim, vt vidimus, falſiſſimum eſt, licèt veriſſimum ſit quoties tales reditus in alios vſus expenduntur frequentiſſimè peccari mortaliter contra charitatem, fidelitatem, & alias virtutes; præſertim cùm ad conſanguineos immodicè ditandos conuertuntur. parum autem refert vtrùm beneficiarij ad infernum deſcendant, quia contra iuſtitiam peccauerint, an quia contra charitatem, cùm peſſimum ſit quacumque ratione illuc deſcendere.

21. QVÆRO NONO, an conſuetudo iſta recepta ſit & approbata.

An conſuetudo iſta recepta, & approbata.

RESPONDEO, vt lex ſcripta ad ſui valorem duo requirit, primò vt ſit in ſe iuſta ſaltem negatiuè, id eſt, non iniuſta; ſecundò vt ſit ab eo lata & promulgata qui poteſtatem habeat: ſic conſuetudo quæ eſt lex non ſcripta, vt valeat debet primò eſſe iuſta in ſe; ſecundò debet eſſe approbata ab auctoritatem habente. quod fit dupliciter, primò expreſsè (& hoc dupliciter, primò verbis, eam ſignatè commendando: ſecundò factis in ſe & in aliis vſurpando.) ſecundò tacitè approbat non contradicendo, & quia non contradictio cenſetur pro conſenſu; vbi nullus poteſt eſſe rationabilis timor; hinc fit primò conſuetudinem contra aliquam legem aut ſtatutum poſitiuum, eo ipſo approbatam cenſeri, quòd vſurpatur Principe ſupremo eius loci non repugnante in quo vſurpatur. in eo enim qui nullam rationem habet diſſimulandi ſilentium pro conſenſu habetur.

Secundò fit in locis vbi Princeps, ad quem pertinet conſuetudinem approbare, non ita reuerenter habetur ex contumacia eorum, qui parere debent, ſolum ſilentium non poſſe haberi pro conſenſu, fortaſſe enim non repugnat ne in apertam contumaciam à ſubditis præcipitetur, vel aliud quid incommodi conſequatur.

Tertiò fit, cùm in ditione ſua Princeps ab hoſte externo vel interno turbatur, ipſius ſilentium circa aliquam conſuetudinem introductam contra legem regni poſitiuam, non poſſe haberi pro cõſenſu, propter eandem rationem. his poſitis ad quæſtionem

RESPONDEO & DICO PRIMO, conſuetudo hæc teſtandi pro arbitrio de reditibus, &c. in Hiſpan. & Gallia cenſenda eſt legitima & approbata. ita Couarruuias, Sarmiento, Molina, Guido Papæ, Ioan. Faber, Philippus Probus, alij apud Redoan. *q.* 4. *de ſpoliis.* Azor *lib.* 8. *parte* 2. *c.* 4. *quæſt.* 4. Vaſquez *de redit. cap.* 2. §. 1. Probatur autem concluſio, quia in Hiſpania & Gallia Pontifices non repugnant; nec cõſuetudinem illam improbant, cùm nulla ratio ſit ſi improbarent cur id non expreſsè teſtarentur. ergo illorum ſilentium pro tacita approbatione cenſeri debet. Secundò, quia Carolus V. & Philippus II. in ſuis conſtitutionibus, de quibus Azor, Vaſquez & Couarruuias, atteſtantur huiuſmodi conſuetudinem eſſe legitimam & vſu approbatam; quibus iniuria fieret niſi crederetur, nullo præſertim repugnante. Tertiò, quia ipſimet Pontifices & illorum collectores & miniſtri rata habent teſtamenta facta ex illa conſuetudine, & illis adſiſtunt, non reſiſtunt. 22.

DICO SECVNDO, in aliis regionibus, in quibus non tam liberè Rom. Pontifex agit, nec ita viget pietas, vt in Hiſpaniç & Galliç Regibus, non eſt argumentum conſenſus Pontificis non repugnantia, præſertim ſi in iis locis Pontificis auctoritas non ita reuerenter habeatur: quæ autem ſint iſtæ Regiones & Prouinciæ, res eſt alterius loci, nec noſtrum eſt iudicare; ſed tantùm certum eſt ſi quæ tales ſint in iis conſuetudinem contra canones aut leges Pontificias vſurpatam, non eo ipſo legitimam eſſe quòd Pontifex non repugnat: non enim tacet quòd conſentiat, ſed ne maiora mala inde ſequantur. 23.

QVÆRO DECIMO, in quibus terris conſuetudo vigeat vt ſpolia Summo Pontifici non ſoluantur, ſed cedant Eccleſiæ, aut ſucceſſori. 24.

De conſuetudine vt ſpolia ſummo Pontifici non ſoluãtur, ſed Eccleſiæ cedant, vel ſucceſſori, vbi vigeat.

RESPONDEO in tota Germania, Gallia, Luſitania vſu eſſe receptum vt nulla beneficiariorum & Epiſcoporum bona Cameræ Apoſtolicæ ſpolium cedant; in regno verò Caſtellæ, ſola Epiſcoporum ſpolia Cameræ Apoſtolicæ ſoluuntur: at in Italia tam Epiſcoporum, quàm omnium aliorum. Vide Nauarr. §. 14. Azor. *q.* 1. *c.* 4. *lib.* 7. *part.* 2.

QVÆRO VNDECIMO colligendo dicta, qui & quo titulo à ſpoliis excuſentur, vel illorum obligatione includantur. 25.

Qui & quo titulo à ſpoliis excuſentur, vel illorum obligatione includantur.

RESPONDEO PRIMO, in Italia omnes bene

beneficiarios teneri ad ſpolia, niſi beneficium poſſideant cuius cenſus triginta non ſuperet, & niſi priuilegio locali aut perſonali excipiantur. *locali*, vt ſunt qui Romę & in Curia morãtur; quos præter ſuperiores Pontifices à ſpoliorum obligatione prorſus excepit in conſtitutione, *In eminenti*. in qua etiam regulares comprehenduntur. *Perſonali*, vt ſunt omnes qui indultum habent Apoſtolorum.

16. DICO SECVNDO, in Hiſpania beneficiarij omnes præter Epiſcopos cõſuetudine recepta nullum ſpolium faciunt; ſed hæredibus bona tranſmittunt, vt iam dictum eſt.

17. DICO TERTIO in Germania, Gallia, Polonia, Belgio ſpolia fiunt: ſed quæ ſucceſſoribus in beneficio, aut Eccleſiæ, non Cameræ Apoſtolicæ tranſmittuntur.

18. DICO QVARTO, ex his fieri bona Eccleſiaſtica, quæ beneficiario moriente ſuperſunt, vel ſpolia fiunt. & ex his alia ſucceſſoribus, aut Eccleſiæ cedunt, vt in Germania & Polonia reſpectu omnium beneficiariorum; vel Cameræ Apoſtolicæ, vt in tota Italia pro omnibus, & in Hiſpania pro ſolis Epiſcopis aut ſpolia non fiunt. & hoc vel tenuitate beneficij, vel conſuetudine, vt in Hiſpania pro non Epiſcopis: vel priuilegio, & hoc locali, vt pro commorantibus in Vrbe; vel perſonali, vt qui indulto Apoſtolico gaudent.

CAPVT VIII.

In quo variæ quæſtiones explicantur ad bonam vel malam ſpoliorum adminiſtrationem pertinentes.

SPOLIA, vt ſuprà dicebamus, tria reſpiciunt. Primò bona in quibus conſiſtunt. Secundò perſonas à quibus debentur. Tertiò perſonas in quas transferuntur. Poſſunt autem ex his ſingulis capitibus plures difficultates oriri, quas hîc breuiter explicabimus ad conſcientiam bonæ vel malæ adminiſtrationis ſpoliorum pertinentes. Primò autem explicabimus quæ pertinent ad bona ipſa: ſecundò quæ ad perſonas ſpoliatas; tertiò ad eos in quos ſpolia perueniunt.

1. *De adquiſitis per negotiationem illicitam, an debeantur Cameræ Apoſtolicæ tamquã ſpolia.*

QVÆRO PRIMO, an acquiſita per negotiationem illicitam, de qua tamen in foro iudiciali non conſtat, debeantur in conſcientia Cameræ Apoſtolicæ tamquam ſpolia.

RESPONDEO fuiſſe qui putarunt non deberi, quia Pontifices volunt ſolui ſpolia ex negotiatione, ſi ea probata fuerit; & præterea quia nemo tenetur ſeipſum prodere. Vera tamen ſententia eſt teneri in conſcientia. ita Azor *q. 5. cap. 2. lib.* 7. Ratio eſt, quia Summus Pontifex declarat eo ipſo quòd ſunt ex illicita negotiatione, fieri Cameræ Apoſtolicæ poſt obitum beneficiarij, vel tempore mortis, nec ob id ſequitur ſeipſum prodere beneficiarium: neque enim debet ipſe quæ ſpolio relinquit exprimere, & profiteri eſſe ex illicita negotiatione. Pontifex autem vult probare crimen, cùm res in contentione adducta eſt.

2. *An de illis in vita diſponere beneficiarius poſſit.*

QVÆRO SECVNDO, an de bonis negotiatione illicita acquiſitis poſſit beneficiarius in vita diſponere.

RESPONDEO poſſe, ſi non ſit illis priuatus per ſententiam iudicis. ratio eſt, quia ſic acquiſita fiunt tantùm ſpolia, cùm reperiuntur tempore mortis apud beneficiarium; aut in vita fuit illis ſententia iudicis ſpoliatus. Azor, Nauar. Redoan. *loc. cit.*

QVÆRO TERTIO, an acquiſita ludo illicito fiant ſpolia. 3. *Ludo illicito adquiſita an fiant ſpolia.*

RESPONDEO, ſi ludus ſit contra canones fieri. talis eſt aleæ ludus expreſsè clericis prohibitus in iure; ſi tamen ſit ludus prohibitus locali ſtatuto, & ſynodali, aut ex regula religioſa, aut præcepto Epiſcopi, nequaquam: vt bene Azor *cap. 2. quæſt.* 8. quia ſic acquiſitum non eſt propriè contra canones. tale enim tantùm eſt contra decreta generali Concilio aut Pontificia conſtitutione firmata.

QVÆRO QVARTO, an qui negotiatus eſt ob neceſſitates ſuas, vel ſuorum, aut verè negotiatus non eſt, ſed præſumptiuè tantùm: vt qui bona fide in alium finem emit, quod poſtea cariùs vendidit, tuta conſcientia poſſit id à ſpolio ſeparare. 4. *Quid ſi negotiatũ ob neceſſitates ſuas, vel ſuorum, an id à ſpolio ſeparari tutò poſſit.*

RESPONDEO poſſe. Vaſquez, Redoan. Azor *loc. cit.*

QVÆRO QVINTO, an quæ clericus negotiatus per alium eſt, & inde lucratus, ſpolio debeat in conſcientia. 5. *Quid ſi negotiatum per alium, & lucratum inde, an id ſpolio in conſcientia debeatur.*

RESPONDEO non debere, quia talis propriè non eſt negotiatus contra canones. Medina *C. de reſtitutione. quæſt.* 31. Azor *lib.* 7. *c.* 16. *parte* 2.

QVÆRO SEXTO, an bona acquiſita ex prædiis conductis, opera & induſtria clerici cultis, ſint cenſenda ex illicita negotiatione acquiſita. 6. *De bonis adquiſitis ex prædiis conductis opera clericorum.*

RESPONDEO propriè loquendo nequaquam, quia nihil hîc viliùs emptum eſt quod inuariatum poſtea cariùs vendatur: canones tamen illicitam negotiationem clerici etiam ad huiuſmodi conductionem extendunt, vt conſtat ex *cap. fin.* 87. *diſt. & cap. decreuit.* 88. *diſt.* vbi gloſſa. quare ex tali conductione acquiſita ex illicita negotiatione cenſentur. *theſau. fori Eccleſiaſt. parte 3. cap. 3. numer.* 35. Leſſius *lib. 2. cap. 21. numer. 6.* Azor *loc. proximè citato.* Et hæc de bonis ipſis, nunc de perſonis ſpolia debentibus.

QVÆRO SEPTIMO, quæ poſſint contra obligationem ſpoliorum peccari ab iis qui ſpolia debent. 7. *Quæ peccantur contra obligationem ſpoliorum.*

RESPONDEO & DICO PRIMO, peccari ſi tempore mortis ſolo mortis intuitu aliquid donent ex reditibus beneficij patrimonio non computatis, hæc enim donatio fit in fraudem fiſci Apoſtolici, aut eius cui ſpolia debentur. verè enim eſt diſpoſitio cauſa mortis quæ beneficiariis prohibetur, licèt ſimulatè videatur eſſe donatio inter viuos.

DICO SECVNDO peccare beneficiarium cùm donat inter viuos, ſed donatione ſimulata. 8.
qualis eſt ſi donetur Titio cum pacto vt donans toto tempore quo viuit poſſit de re donata quomodocumque diſponere alienando, deſtruendo, &c. talis enim res mortuo beneficiario non fit Titij; ſed in conſcientia ſpolio debetur, vt bene Azor *c. 4. q. vlt.*

QVÆRO OCTAVO, an beneficiarius in infirmitate donare poſſit. 9. *De beneficiario ægrotante, an donare in infirmitate poſſit.*

RESPONDEO in conſcientia non poſſe, ſi tantùm faciat cauſa mortis, vt iam dictum eſt. facit autem cauſa mortis cùm iam certus & perſuaſus ex ea infirmitate moriturum donat, non aliter donaturus. ſi verò dubitat, & mors eſt in ambiguo, cuius timor impellit ad abſolutè donandum

nandum

Digitized by Google

nandum, quòd etiamſi viuat ratum vult habere, tutus eſt in conſcientia, licet poſtea moriatur; & eodem modo qui accipit tutus eſt, modò aduerterit illum mortis metum fuiſſe cauſam impulſiuam, non motiuam. in foro verò iudiciali non valet diſpoſitio Clerici ægrotantis, niſi viginti dies ſuperuiuat. vt Azor *q. vlt. dicto c.* 4. Vaſquez *de reditib. c.* 2. §. 1.

10\. *An ſpolio debeantur quæ clericus lucratus fuerit faciendo contra canones.*

QVÆRO NONO, an omnia quæ clericus lucratus fuerit aliquid contra canones faciendo in conſcientia ſpolio debeantur.

RESPONDEO nequaquam, quia aliud eſt facere aliquid canonibus prohibitum, licèt inde aliquid acquiratur: & aliud lucrari aliquid contra canones lucrum illud prohibentes. Spolio tantùm cedunt acquiſita ſecundo modo, nõ primo. vt colligitur ex D. Th. Rayn. Innocent. apud Armillam *verb. reſtitutio. n.* 19.

11\. *Quæ & quot per canones prohibita Clericis.*

QVÆRO DECIMO, quæ & quot per ſacros canones Clericis prohibita ſint.

RESPONDEO, primò arma deferre: intellige cum ſcandalo & ad offendendum, & ſine cauſa. nam ad ſuiipſius & ſuorum defenſionem poteſt. *cap. arma. de vita & honeſtate Clericorum.* Secundò prohibentur clerici militare. quod ſi faciant, eo ipſo beneficium amittunt: ſi tamen ri milites fiant accepto ſacramento, ſtipendio, &c. *c. nimirum, c. cùm à Iudæis, c. quicunque clericus, c. clerici, c. quicũque ex Clero* 23. *q.* 8. Abbas *c. vlt. de Clerico coniugato.* Azor *lib.* 7. *q.* 2. *c.* 16. Tertiò prohibetur à fortiore in bello pugnare, colligitur ex iiſdem capitibus. Quartò iurare coram iudice ſæculari, ſi ſit clericus in ſacris, & non iuſſus à iudice Eccleſiaſtico. *c. nullus* 12. *q.* 1. Quintò prohibetur aduocati munere fungi in foro laico, niſi cauſa pietatis, vel neceſſitatis. *c. Clerici, c. cùm ſacerdotes. de poſtulando.* Angelus *verb. vocatus. n.* 5. Syluester *eodem v. q.* 2. Sextò, prohibetur eſſe procurator in iudicio criminali etiam patrocinando, niſi in duplici illo caſu pietatis & neceſſitatis. Abbas *c. ſacerdotibus. ne Clerici, vel Monachi.* Septimò prohibetur alea ludere, per quam prohibetur omnis ludus, in quo caſus tantum, aut magis quàm induſtria valet. *ff. de alea luſu & aleatoribus.* Octauò prohibetur laicis in vilibus miniſteriis famulari. Abbas *loc. cit.* Nonò vile opificium exercere, cuiuſmodi eſt tabellionis, macellarij, hiſtrionis, &c. *Clem.* 1. *de vita & honeſt. Clericorum.* Decimò ſententiam ſanguinis ferre, id eſt, quæ mortem, vel mutilationem contineat: & id neque per ſe, neque per alium; neque adiuuando, neque conſulendo facere permittitur. *c. ſententiam. ne Clerici, vel monach.* Vndecimò non poteſt intereſſe vbi pœna ſanguinis ſententia iudicis executioni mandatur. *dict. c. ſententiam.* non tamen inde irregularitatem contrahit. gl. Innoc. Abbas, Hoſtienſ. *ibi.* Duodecimò prohibetur beneficiarius aues & canes alere ad venationem & aucupium. *c. qui venatoribus. diſtinct.* 86. intellige tamen ſi id fiat cum magno ſumptu & ſcandalo. Decimotertiò prohibetur clericum negotiari, qua de re ſuprà. & hæc de clerico ſpoliando, & iis quæ ad eius conſcientiam ſpectant, de quibus præter citatos, vide *Theſau. fori Eccleſiaſtici part.* 3. *c.* 3. *n.* 42. & deinceps.

12\. *An qui pecuniam credidit beneficiario poſſit compenſationem capere ex reditibus.*

QVÆRO VNDECIMO, an qui pecuniam credidit beneficiario ob illius neceſſitatem, vel Eccleſiæ, poſſit tuta conſcientia accipere ſibi ex reditibus compenſationem.

RESPONDEO poſſe, ſi alia via inſiſtendo

Vinc. Filliucij Tom. 3.

videt ſe non poſſe proficere, & beneficiarius moriens ad ſedandas lites illi poteſt ad manus dare quo debitum extinguat.

QVÆRO DVODECIMO, quid debeant facere qui ſpolia Apoſtolica apud ſe retinent. 13. *De iis qui ſpolia Apoſtolica apud ſe retinent.*

RESPONDEO, vel illa cui debent ſoluere, ſicut quaſlibet alias res alienas apud ſe repertas; vel ſaltem cum Camera Apoſtolica componere. Sacra enim Pœnitẽtiaria nõ ſolet ad hęc manus apponere, niſi præiudicium Cameræ ſarciatur, ſi neutrum faciant, excommunicationem eo ipſo incurrunt quòd mala fide negligunt alterutrum præſtare.

QVÆRO DECIMOTERTIO, an qui ſpolia Epiſcoporum vel aliorum beneficiariorum retinent in partibus vbi Camer. Apoſtol. ſpolium non facit, tuti ſint ſi cum Cam. Apoſtol. componant. 14. *De his qui ſpolia Epiſcoporum, vel aliorum beneficiariorum retinent in partibus vbi Cam. Apoſt. ſpolium non facit.*

RESPONDEO non eſſe tutos, niſi caſus diſtinctè proponatur, & à Sum. Pont. præbeatur aſſẽſus. ordinariè n. Camer. Apoſtol. poteſt tantùm cõponere de ſpoliis quæ ſibi debentur: ergo de aliis oportet cũ ſucceſſoribus conuenire quibus ſpolia obligata ſunt. quare ſi cum Cam. cõponatur, nihil actum eſt, cùm debitum vni ſolutum quod debetur alteri non extinguatur?

QVÆRO DECIMOQVARTO, an quibus aliquid à beneficiario donatũ eſt in vltima infirmitate, & dubium eſt an cauſa mortis donauerit, tuti ſint in conſcientia. 15. *Quid ſi cui à beneficiario donatum in vltima infirmitate, & dubiũ, an id cauſa mortis factum.*

RESPONDEO ſi donans mortuus non eſt infra viginti dies à donatione, donatarius tutus eſt in conſcientia; quia in dubio melior eſt conditio poſſidentis; nec debet in donante præſumi delictum, nimirũ quòd voluerit donare tãtùm cauſa mortis (quod facere non poterat) niſi illa apertè conſtet: ſi autẽ intra viginti dies mortuus eſt, tenetur reſtituere, quia prohibitus eſt eo tẽpore donare. Vaſquez, Nau. Redoan. *loc. cit.*

QVÆRO DECIMOQVINTO, an beneficiario ſub mortem donanti, & aſſerẽti quod donat licèt ſit ex reditib. Eccleſiaſticis, poſſe tamẽ donare, credendũ ſit; primò, quia tantundẽ ipſe expendit de ſuo patrimonio in opera pia: ſecũdò illud ſibi ſubtraxit parcè viuendo; an, inquam, hoc credendum ſit. 16. *An credendũ beneficiario donanti ſub mortem, & aſſerenti quod donat licèt ex reditib. Eccl. poſſe tamen donare.*

RESPONDEO credendũ eſſe niſi aliud euidẽter conſtet, quia in illo articulo conſtitutus nõ poteſt præſumi mentiri; cùm nullus immemor exiſtimetur ſalutis æternæ. Alciatus *reg.* 3. *de præſumpt.* apud quem alij.

QVÆRO DECIMOSEXTO, an cognati defuncti qui ſuccedũt ab inteſtato poſſint tantũ ſibi de bonis beneficij tuta conſcientia ſumere, quantum ipſe de ſuo patrimonio inſumpſit in obſequium Eccleſiæ & alia opera pia. 17. *De cognatis defuncti ſuccedentibus ab inteſtato.*

RESPONDEO rem videri dubiam, ſi beneficiarius moriens aliud non eſt proteſtatus, fortaſſe n. voluit totũ quod expendit de ſuo patrimonio ſine vllo animo cõpenſationis expendere, & tãtundẽ ſibi appropriandi ex Eccleſiæ reditibus. ex altera verò parte qui ius habent ſuccedendi ab inteſtato, ſuccedunt in omnibus patrimonialibus, & in iis quæ illorum locum ſubeunt. Dicendum tamen videtur meliorẽ eſſe primã opinionẽ propter rationem allatam. licet n. beneficiarius ipſe poſſit in morte hoc facere, declarando quod inſumpſit de patrimonio inſumpſiſſe vt ſibi ex reditibus compenſaretur; non tamen alij qui de eius voluntate certi non ſunt,

M poſſunt

Digitized by Google

poſſunt hoc præſumere; ſed potiùs contrariam piam intentionem: nempe quod totum fecerit intuitu pietatis & religionis. vide Vaſquez *de red. cap.* 1. §. 3.

18. *An fructus malè percepti inter ſpolia computandi.*

QVÆRO DECIMOSEPTIMO, an fructus malè percepti ex omiſſione horarum canonicarum, ex malo titulo beneficij, ex incurſu cenſuræ & ſimonia commiſſa, ſint inter ſpolia computandi.

Respondeo, nequaquam, quia ſpolia ſunt bona Clerici quæ apud ipſum mortis tempore reperiuntur, vel quibus per ſententiam iudicis priuatus fuit ob illicitam negotiationem: at fructus iſti ſic percepti nunquam fuerunt ſub dominio beneficiarij, qui in illis caſibus fructus beneficij non facit ſuos. non ſunt ergo ſpolia. quibus ergo debentur? Reſpondeo Eccleſiæ beneficij, vel toti Collegio, ſi ſint diſtributiones, vel ſi nulla ſit Eccleſia, vel Collegium, in pauperes ſunt diſtribuendi. poteſt autem de illis Summus Pœnitentiarius componere, vt aliàs docuimus. vide Vaſquez *de beneficiis, c.* 4. *d.* 8.

19. *De Canonico vel beneficiario, cuius reditus conſiſtũt in ſolis diſtributionibus.*

QVÆRO DECIMOOCTAVO, an Canonicus, vel beneficiarius, cuius reditus in ſolis diſtributionibus conſiſtunt, quæ tamen aſcendunt ad ingentem ſummam annualem, duorum vel trium millium aureorum, & amplius, faciat ſpolia. Ratio dubitandi ex vna parte eſt, quia Clericus ex beneficio non facit bona ſua quaſi patrimonialia; niſi quæ ſibi dantur in ſtipendium laboris aut cõgruam ſuſtentationem pro decentia ſtatus ſui. Conſtat autem duo vel tria millia aureorum longè ſuperare iuſtum ſtipendium illius laboris qui ponitur in adminiſtratione officij, pro quo obeundo diſtribuuntur. At ex altera parte ſuprà diximus ſubdiſtributiones quæ dantur præſentibus, quantæcunque ſint, mercedis & ſtipendij rationem habere.

Respondeo, tales diſtributiones ſpolium non facere. ita Gemin. Barb. Franc. Io. And. Abbas *cap.* 1. *de clericis non reſidentibus in* 6. Card. *Clem. vlt. de preb.* Ang. Roſel. Pariſ. alij apud Couarr. *c. cùm in officiis. de teſt.* Azor *lib.* 7, *c.* 9. *q.* 10. *p.* 2. Ratio puriſſima eſt, quia reſidentia & perſonale ſeruitium clerici, non poteſt certo pretio taxari; quia ſi non reſideret, poſſet aliunde ſua induſtria ſibi plurima parare; vnde eſt vt quantæcunque ſint iſtæ diſtributiones, licèt ampliſſimæ, iuſti ſtipendij rationem habeant, quia neſcitur quantum ſit illud quod non reſidendo Clericus aliunde poſſet acquirere. quod idem iudicium faciendum eſt de Anniuerſariis & incertis diſtributionibus defunctorum; hæc enim quaſi patrimonialia fiunt, & ſpolio non cedunt. vt bene Ang. Sil. Gemin. Franc. apud Azor *loc. cit.*

QVÆRO DECIMONONO, an empta ex penſione Eccleſiaſtica ſpolio cedant. 20. *Empta ex penſione Eccleſiaſtica an ſpolio cedant.*

Respondeo, cedere, vt ſuprà dixi, ſiue ea ſint bona mobilia, ſiue immobilia, ſiue ſe mouentia. quare ſi bibliotheca reperiatur empta pecunia penſionis toto tempore mortis, Cameræ vt ſpolium debetur, vt colligitur ex iis quæ docet Nauar. *tract. de redit. q.* 1. *monit.* 42. & conſtat ex conſtit. Pij IV. & Pij V. de ſpoliis. vbi expreſsè decernunt omnia ex reditibus beneficij empta Cameræ ſpolia debere ſi apud Clericum reperiantur tempore mortis. vbi aduertendum iure communi olim ſic empta non fuiſſe ſpolia. Couarr. *c. cùm in off. n.* 6. Redoan. *q.* 3. *num.* 27. Gigas, Paulus Rom. Caccialup. apud Azor. *lib.* 7. *p.* 2. *cap.* 9. *q.* 12. ſpeciali tamen & nouo iure idem iudicium nunc eſſe de emptis ex penſione ac ex beneficio Nauar. *de redit. q.* 1. *monit.* 32. *n.* 2. *de ſpoliis.* §. 8. *num.* 8. quia Pius IV. & Pius V. idem ſtatuerunt de penſione quod de red. beneficij, cùm penſio ſit etiam ipſa reditus beneficij, licèt beneficiario non attributus. & hæc de ſpoliis.

QVÆRO VIGESIMO, an & quæ bona non reſidentium ſpolia fiant. 21. *An & quæ bona non reſidentium fiant ſpolia.*

Respondeo, omnia non reſidentium bona, cuiuſcumque qualitatis, & quomodocumque acquiſita fuerint, apud ipſos extra reſidentiam reperta cùm decedunt ſpolia Apoſtolica fieri: ita Pius V. in conſtitutione ſua ſub dat. Romæ 1564. 7. Kal. Septembr. quare in non reſidentibus, nec vlla facultas teſtandi ſuffragatur, nec exceptio quòd bona non ſint ex reditibus Eccleſiaſticis acquiſita. cùm pariter omnia etiam patrimonialia apud ipſos ſic decedentes reperta Cameræ Apoſtolicæ vt ſpolia adſignentur. *Theſaur. fori Eccl. lib.* 3. *c.* 3. 50.

TRACTATVS

TRACTATVS QVADRAGESIMVS QVARTVS

DE ALIENATIONE RERVM Eccleſiaſticarum:

QVI EST TERTIA APPENDIX AD TRActatum de Beneficiis.

DE hoc argumento *fusè tractatur in vtroque iure, & in Canonico* libro tertio Decretal. tit.15. *eſt* de reb. Eccleſ. alien. vel non alien. *de quo item agitur in Decreto* cauſa 10. q. 11. & 12. q. 3. c. id conſtituimus. & 16. q. 6. & 12. q.2. *in iure ciuili verò extat* in Authent. tit de non alien. aut permutand. rebus Eccleſ. *qua de re item agitur* in Authent. de alien. & emphyteuſi §. ea verò. *quibus in locis eandem materiam Doctores & interpretes omnes proſequuntur. præter quos copiosè etiam de ea egerunt Redoan.* integro volum. de rerum Eccleſiaſt. alien. *Nauar.* in tract. ſub eodem tit. *Azor* p. 2. Inſtit. lib. 9. c. 1. 2. 3. *Vaſquez* de redit. Eccleſiaſt. in fine tract. *Stephanus Quaranta* in compendio Bullarum. v. Alienatio, *vbi integram diſputationem de hac materia diligenter inſtituit. Rodrig.* lib. 1. quæſt. regularium. *Couar.* lib. 1. variarum, cap. 16. 17. *Summiſtæ omnes, præſertim Silueſt. Tabiena, Ang. Caiet.* v. alienatio. *ex quibus nos hîc ea omnia colligemus, quæ neceſſaria videbuntur. ad materiam maximè vtilem, & quæ in quotidiana praxi frequentiſſimè verſatur explicandam. Totum autem tractatum in ſex capita diſtinguemus, & quæ capita prolixiora videbuntur in Paragraphos ſubdiuidemus, quos deinde more noſtro variis quæſtionibus propoſitis explicabimus. Primum caput erit de iure quo hæc quæ ad alienationem ſpectant ſancita ſunt. Secundum, quid nomine alienationis intelligatur, & quæ ſpecies alienationis prohibeantur. Tertiò, quæ perſonæ prohibeantur alienare. Quartò quid nomine rerum Eccleſiaſticarum intelligatur. Quintò, quid requiratur ad iuſtam & validam alienationem faciendam. Sextò, quæ pœnæ malè alienantibus impoſitæ ſint.*

CAPVT I.

Quo iure alienatio ſit interdicta.

1. *Prohibitio alienationis ex iure ciuili.* QVÆRO PRIMO, quomodo ciuili iure poſſit alienatio Eccleſiaſtica prohiberi. Ratio dubitandi eſt, quia ex vna parte ciuilia iura de hac re ſtatuerunt, vt conſtat ex *l. iubemus. & in Authent. ob tui porrectum, cum multis aliis Authent. ſeq. C. de ſacroſanctis Eccl.* ex altera verò parte notiſſimum eſt iura ciuilia nihil auctoritatis habere in res Eccleſiaſticas, vt poſſint circa illas leges condere. RESPONDEO, ergo &

2. DICO PRIMO, leges ciuiles poſſunt aliquid ſtatuere circa res Eccleſiaſticas alienandas per modum pacti: quatenus nimirum Principes qui leges condunt, Eccleſias dotant cum pacto vt non alienentur, aut non ſine talibus conditionibus. ſi enim poteſt quilibet priuatus cùm donat Eccleſiæ id facere, multo magis id poterit Princeps. ex quo ſequitur de re iam donata & poſſeſſa ab antiquo non poſſe illos quidquam ſtatuere, ſed tantùm de re quam volunt donare ipſi. colligitur hoc totum ex DD. toto *tit. de conſt.* vbi Abbas, Felinus, Butrius, Io. de Anania, Decius & alij.

DICO SECVNDO, leges ciuiles quæ extant de hac re nihil auctoritatis habent, niſi quatenus ſunt canonizatæ, id eſt, ſacris canonibus confirmatæ. quia certi iuris axioma eſt 3.

legem iuſtam nullam eſſe, nec obligare ſine poteſtate in legem ferente; quam non habet Princeps laicus circa res Eccleſiaſticas. vt conſtat *l. 1. C. de ſacroſanct. Eccleſ.* vbi Bart. *num.* 32. *l. omnia priuilegia. C. de Epiſcopis.* gloſſ. *c. Eccleſia ſanctæ Mariæ*, vbi Abbas, Butrius, Imola, Berous, Decius, Felinus, Baldus.

4. *Prohibitio alienationis ex iure Eccleſiaſtico.* QVÆRO SECVNDO, ex quo iure Eccleſiaſtico ſit hæc prohibitio alienationis.

RESPONDEO, ex triplici, communi, ſpeciali priuato. communi iure Canonico prohibita eſt hæc alienatio in locis ſuprà cit. tam in decretis, quàm in decretalibus; & poſtea in Concil. Trid. *ſeſſ.* 25. *cap.* 11. de quibus Azor *cap.* 1. *lib.* 9. *tom.* 2. Nauarr. *cap. non liceat.* 12. *quæſt.* 2. Quaranta *verb. Alienatio. num.* 1. Secundò iure ſpeciali Pontificio. plures enim conſtitutiones ſpeciales huc ſpectantes editæ ſunt, præcipuè autē à Paulo II. & poſt eū à Paulo IV. & deinde à Pio IV. qui conſtitutione ſua *incip. Prouida*, reduxit ad diſpoſitionem iuris communis quod Paulus IV. decreuerat. ita vt nunc tantùm ſtetur diſpoſitioni canonum; præſertim Extrauag. *Ambitioſæ* Pauli II. iam inſertæ inter canones in corpore iuris. Iure verò & obligatione priuata tenentur omnes Prælati maiores. qui enim à Pontifice dignitates ſuas accipiunt, iuramento ſe aſtringunt ad non alienandum inconſulto Pontifice, vnde etiamſi nulla eſſet de eo diſpoſitio iuris communis, aut Pontificij, adhuc hoc priuato iure & obligatione tenerentur.

5. *Ius illud quale ſit.* QVÆRO TERTIO, an ius iſtud circa alienationes ſit ſimpliciter prohibitiuum, an tantùm præſcriptiuum, aut miſtum.

RESPONDEO dogma iuris eſſe, quando titulus eſt negatiuus in aliquo ſtatuto vel diſpoſitione, omnes caſus comprehendi ſub eo genere, niſi contrarium probetur expreſſum; propterea tale ſtatutum aut legem cenſeri ſimpliciter prohibitiuum; contrà verò cùm titulus & rubrica eſt affirmatiua, ſtatutum cenſetur ſimpliciter permiſſiuum, aut præſcriptiuum, omnéſque ſpecies complectitur, niſi ex nigro aliud oſtendatur. vt bene Hoſtienſ. *in ſumma tit. de teſtibus.* ex quo fit legem de alienatione, &c. primò non eſſe ſimpliciter prohibitiuam; quia in decret. libr. 3. non concipitur eius titulus per ſolam negatiuam; ſed cum affirmatiua, hoc pacto, *de rebus Eccleſiæ alienandis, vel non alienandis.* ſecundò fit eſſe legem præſcriptiuam, aut miſtam quæ ſimpliciter non prohibet alienationem, ſed non factam, vt hîc præſcribitur.

6. *Seruanda ex iure communi.* QVÆRO QVARTO, quid circa alienationem Eccleſiaſticam ſeruandum ſtatuatur iure communi.

RESPONDEO ea quæ ſeruanda in illo præcipiuntur confirmari in conſtitutione Pauli II. quare ea intellecta quid etiam iure communi ſit obſeruandum intelligetur. Ergo

7. *Extrauag. Ambitioſæ Pauli II.* QVÆRO QVINTO, quid Extrauag. Pauli II. *Ambitioſæ* mandetur & præſcribatur.

RESPONDEO illam Extrauag. adduci & explicari ab Azor. *quæſt.* 1. *cap.* 2. *lib.* 9. Quaranta *num.* 2. Caiet. *Excommunicatio. cap.* 75. Redoan. Nauarr. & nouiſſimè à Hieronymo Mainaſio *in conſulto de ſpoliis. numer.* 274. ante quos omnes Extrauagantem illam integra repetitione explicauit Benedictus Canofilus: in ea ergo conſtitutione, quæ recepto nomine *Paulina* appellatur, Pontifex quinque facit: primò confirmat; ſecundò innouat; tertiò excipit; quartò annullat; quintò punit.

Confirmat primò iura antiqua circa alienationem faciendam, quæ requirunt vt non fiat niſi ex certa cauſa & cum certis ſolemnitatibus: ſecundò innouat vt præter illa iure antiquo requiſita omnis alienatio debeat habere conſenſum Sedis Apoſtolicæ: tertiò excipit tres caſus, in quibus alienatio valet inconſulto Pontifice: primus eſt locationis intra triennium, ſecundus emphyteuſis tres conditiones habentis, nempe primò in caſibus à iure permiſſis: ſecundò de bonis ſolitis ab antiquo in emphyteuſim dari: tertiò vt ſit in euidentem vtilitatem. tertius caſus exceptus eſt alienationis rerum quæ ſeruando ſeruari non poſſunt, hæc enim poſſunt alienari inſcio Pontifice; quarto loco Pontifex annullat omnes contractus & diſpoſitiones aliter factas; quinto denique pœnas imponit tam contractibus aliter factis, quàm contrahentibus.

QVÆRO SEXTO, an Paulina conſtitutio ſit vbique in ſuo vigore, & vſu recepta. 8. *Conſtitutio Paulina.*

RESPONDEO abſolutè loquendo eſſe vſu receptam. ita Quaranta *verb. Alienatio. numer.* 48. Mainaſius *d. conſul. numer.* 276. ante illos Vaſq. *opuſc. de red. c.* 2. §. 2. *dub.* 7. Probatur primò, quia eſt inſerta in corpore iuris, tales autem conſtitutiones omnes præſumuntur vſu receptæ, niſi contrarium probetur. ſecundò, quia quotidie in iudiciali foro citatur, & Romana Curia pro eius obſeruatione pronunciat. tertiò, quia praxis datariæ ita ſe habet & iuxta illam ſe regulat in expediendis Breuibus, *ſi in euidentem.* quartò, quia quotidie emanant in ſacra Penitentiaria Apoſtolica abſolutiones à cenſuris, diſpenſationes & habilitationes quoad contrauenientes, de quibus omnibus Quaranta & Mainaſius teſtantur, & nos ipſi etiam quotidiana experientia teſtes ſumus; ſignum ergo eſt Summos Pontifices velle eam obſeruari abſolutè loquendo, ac proinde eſſe vſu receptam.

DICO SECVNDO, in aliquibus partibus quoad quaſdam conditiones, nempe quoad pœnas & cenſuras incurrendas à contrahentibus, non eſt vſu recepta. ita Syluest. *verb. Alienatio. quæſt.* 15. vbi videtur docere abſolutè, nec eſſe nec fuiſſe receptam; ſed corrigit aut explicat poſtea dictum ſuum, *verb. Excommunicatio* 7. *excommunicatione* 47. vbi non abſolutè, ſed in quibuſdam locis dicit non eſſe receptam: ſimiliter Sarmiento 1. *parte de red. cap.* 2. *numer.* 20. Caietan. *in ſumm. verb. Excommunicatio. cap.* 75. Nauarr. Manual. *cap.* 27. *numer.* 150. aſſerens quoad locationes non eſſe receptam in Luſitania, in qua paſſim fiunt ad quatuor annos, & quòd in paucis locis recepta ſit quoad pœnas perſonales Excommunicationis, &c. licèt in multis ſit quoad nullitatem contractus; quod videtur ſignificare in tota Hiſpania ſeruari. idem Vaſquez *de red. capit.* 2. §. 2. *dub.* 7. Azor *libr.* 1. *cap.* 2. *quæſt.* 1. Malè ergo Rocchus Curtius *capit. vltim. de conſuetudin.* pronuntiat hanc conſtitutionem conſuetudine eſſe abrogatam. 9.

QVÆRO SEPTIMO, quid iuris ſequatur ex hoc quòd hæc conſtitutio tali modo ſit vſu recepta. 10. *Ius ex eo quòd hæc conſtitutio tali modo vſu ſit recepta.*

RESPON

RESPONDEO, & DICO PRIMO, quia abſolutè loquendo eſt vſu recepta, ſequitur vt contra aliter facientes ſit præſumptio quòd errauerint & pœnas incurrerint. ita Quaranta, Mainaſius, Rota in vna Brixienſis locationis coram Pegna 5. Decembr. 1594. & in alia ſequenti coram Orano apud Mainaſium *loc. cit.* Redoan. *q.* 58. *de alien. n.* 25.

DICO SECVNDO, ex eo quòd in aliquibus locis non eſt vſu recepta ex atteſtatione auctorum tanti nominis, quales ſunt Caiet. Sylueſt. Armilla, Nauar. Curtius, Vaſquez, Azor & alij. ſequitur vt admittatur exceptio pro iis qui in foro iudiciali moleſtantur; datur enim locus illis ad probandum eam non ſeruari in loco contractus; vel quoad talem ſpeciem locationis, vel quoad pœnas contrauenientibus impoſitas: ita iidem, præſertim Mainaſius & Quarãta.

12. *Dubius de obſeruantia huius conſtitutionis.*

QVÆRO OCTAVO, ad quid teneatur in conſcientia qui dubius eſt de obſeruantia huius conſtitutionis.

RESPONDEO, ex Caiet. *v. Excõmunicatio. c.* 75. Azor. *c.* 2. *q.* 1. *lib.* 9. conſulendam illi eſſe Curiam Epiſcopalem, & illi ſtandum atteſtanti de obſeruantia aut non obſeruãtia talis decreti.

Viſo iam de iure communi, & iure ſpeciali Pontificio, reſtat de tertio, nempe de iure priuato ratione iuriſiurandi quo tenentur Prælati non alienare.

13. *Ius priuatum ex iureiurando.*

QVÆRO ergo NONO, an omnes Prælati hoc priuato iure teneantur, quod oritur ex iureiurando.

RESPONDEO, omnes Præſules & Abbates Papæ auctoritate creati, confirmati, conſecrati hoc iuramento tenentur. gloſ. *c. vlt. de Eccleſiis ædificandis. & c. ſuper. de reb. Eccleſ. alien.* Abbas *ibi, & c. ad noſtram. eod.* Redoan. *q.* 55. Addit Nauar. *de alien. n.* 12. etiamſi iuramentum illud non emittant, præſumi tamen ſemper interueniſſe; nam quæ fieri ſolent & debent, facta eſſe creduntur. *l. vlt. C. de fideiuſſoribus.* ac proinde ſemper omnes Prælati & Abbates, hac ſpeciali ratione quæ prouenit ex iuramento obligati præſumuntur, vt bene Azor *q.* 9. *c.* 1. *lib.* 9.

14. *Contenta iſtiuſmodi iuramenti.*

QVÆRO DECIMO, quid hoc iuramento contineatur.

RESPONDEO, id apparere ex formula qua concipitur & habetur in Pontificali *fol.* 81. & 120. his verbis pro Prælato maiore. *Poſſeſſiones verò ad menſam meam pertinentes non vendam, &c. vel aliquo modo alienabo, etiam cum conſenſu Capituli Eccleſiæ meæ, inconſulto Romano Põtifice; & ſi ad aliquam alienationem deuenero, pœnas in quadam ſuper hoc editas conſtitutione contentas; incurrere volo.* quod idem iurant Abbates. ſed pro *ad menſam*, dicunt *ad monaſterium.* & loco *Capituli*, dicunt *conuentus monaſterij mei.* vnde apparet ex hoc iuramento teneri Prælatos iſtos & Abbates nullam alienationem facere, etiam omnibus aliis ſolennitatibus adhibitis ſine facultate Pontificis impetrata; contraueniendo verò obligari ad pœnas Paulinæ.

15. *Illius inductionis cauſa.*

QVÆRO VNDECIMO, quare hoc iuſiurandum inductum ſit. Ratio dubitandi eſt, quia ex Paulina conſtitutione ſine cõſenſu Apoſtolico nulla alienatio fieri poteſt. fruſtrà ergo illud iuſiurandum concipitur id faciendi quod tenentur omnes Prælati facere, & negligendo pœnas incurrunt.

RESPONDEO, iure cõmuni antiquo fuiſſe hoc inductum, quia ante Paulinam non tenebantur Prælati conſulere Pontificem in alienatione, ſed ſatis erat ea ſeruare quæ locis cit. præſcribuntur circa cauſas & ſolemnitates in alienatione requiſitas. vnde ob reuerentiam Romanæ Sedis, & vt cautiùs etiam prouideretur Eccleſiarum vtilitati, introductum fuit iuramentum de Rom. Pontifice conſulendo. Inferiores enim beneficiarij alienare non poſſunt iure communi ſine conſenſu ſuperioris. Epiſcopi verò & alij Prælati maiores aut exempti, quales Abbates, periculum erat ne conſenſum Capituli aut Conuentus dolo aut fraudibus corrumperent. ob id prouiſum eſt vt quando vellent alienare, conſenſum Apoſtolicum requirere tenerentur; facta verò conſtitutione Paulina ſeruatum nihilominus eſt idem iuſiurandum. Primò ob reuerentiam Romanæ Sedis. Secundò vt ſi alicubi fortè Paulina non eſſet vſu recepta, Prælati tamen ea tenerentur. ex quo apparet nec ante nec poſt editam Paulinam iuramentum eſſe otioſum aut ſuperfluum, ſed aliquid prorſus operari.

QVÆRO DVODECIMO, an ad aliquid amplius obliget iuramentũ quàm Paulina. 16. *Obligatio iuramenti & Paulinæ.*

RESPONDEO affirmatiuè. nam ſpectata verborum forma qua iuramentum concipitur, obligat ad requirendum Sedis Apoſtolicæ conſenſum, etiam vbi Paulina illum non requirit; vt per ſe patet prędictum iuramentum intuenti. dixi *ſpectata verborum forma.* nam ſi ſtemus praxi, ſecundùm quam iuramentum intelligitur, non puto plus aliquid per illud obligationis induci, quàm per Paulinam inducatur, vt colligitur ex Azor. *c.* 1. *q.* 9. & 10. Couar. *lib.* 2. *variar. c.* 16.

QVÆRO DECIMOTERTIO, an alienationes ſine conſenſu Romanæ Sedis contra iuramentum à Prælatis factæ, validæ ſint. 17. *Alienationes à Prælatis factæ ſine conſenſu Sedis Rom. contra iuramentum.*

RESPONDEO, vbi Paulina viget, certum eſt non valere; nam illa inter ſubſtantialia alienationis conſenſum Romanæ Sedis requirit, quo non interueniente, contractum irritat & annullat. At vbi ea non eſt vſu recepta, dubium poteſt eſſe, ſi Prælatus alia omnia ſeruauerit, quæ iura requirũt circa formam & ſolemnitatem alienationis, & tantùm conſenſum Pontificis non requiſiuerit, an valeat alienatio.

RESPONDEO, licèt in eo caſu Prælatus periurus ſit, valere omnẽ alienationem, quia iuramentum de aliquo faciendo aut non faciendo circa aliquem contractum, non facit vt res iurata ſit de ſubſtantia contractus, ſed tantùm de requiſitis ex parte contrahentis, quæ ſi ipſe non facit periurus eſt, & illicitè facit, non tamen inualidè, ita Iaſon *l. ea lege, n.* 23. *ff. de verb. oblig.* Innoc. Panor. apud illum, & colligitur ex *c. ſicut ex literis, & c. de illis. de ſponſalib. & c.* 1. *de ſponſa duorum.* ſic teſtamentum ſecũdum factum ab eo qui iurauit ſe non reuocaturum primum, valet. Bart. *l. ſi quis in principio. ff. de legat.* 3. & qui reuocat procuratorem, valet reuocatio etiam à iurato non reuocare. *c. vlt. de procuratorib. in* 6. ſimiliter qui iurauit, vendere, donare, locare Titio, & non Caio; valet ſi poſtea Caio vendat. Imola *cap. cùm contingat. de iureiurando.* Denique hanc concluſionem pluribus firmat Marian. Socin. *conſ.* 44. *vol.* 2. *n.* 25. vbi ex Bart. Fulgoſ. Caſtro, Curtio, Alex. Barbat. & aliis oſtendit in vniuerſum nullum poſſe ſibi, vel aliis actu vllo, vel contractu etiam iuramento firmato, talẽ legem imponere; per quam non poſſit id validè deinde facere, quod à ſua voluntate dependet: niſi iu-

Digitized by Google

tis accedat diſpoſitio,quæ id quod factum contra promiſſionem,contractum, vel iuramentum fuerit,iure reſcindat. quod ipſum latè confirmat Antonius Gom. *tom. 2. c. 2. de contractibus. n. 20. verſ. ſeptimò principaliter.* vbi probat eum qui iurauit venditurum & traditurum rem Caio, nec voluntatem mutaturum; ſi poſteà vendat, & tradat Titio, hanc venditionem valere, dominiúmque transferre, licèt ille periurus ſit. quia iuramentum de aliquo non faciendo; aut actu non exercendo,qui pendet à voluntate, obligat perſonam ne faciat,non inualidat actus ſi fiat.ad quod adducit Iaſon. Albericum, Bald. Angel. Odofredum, & plures gloſas. quæ doctrina obſeruanda eſt propter ea quæ infrà trademus *q.14.*

CAPVT II.

Quid nomine Alienationis intelligatur, & quæ alienationis ſpecies prohibeantur.

ALienatio dupliciter ſumitur.Primò ſtrictè, & eſt omnis actus per quem transfertur in alium dominium & proprietas alicuius rei ſubſiſtentis,ſiue ea ſit immobilis, ſiue mobilis, ſiue ſe mouens. colligitur ex Baldo *l. vlt. C. de rebus alienis non alienandis.* gloſ. *c. nulli. de rebus Eccleſ. alien. & c. 1. 12. q. 2.* & ex *l. 1. C. de fundo dotali. & l. ſancimus. C. de reb. alien.* Secundò fusè, quo pacto alienatio eſt omnis actus per quem tráſfertur dominium rei cuiuſcúque, etiam non ſubſiſtentis : vt cùm dominum te facio vſus meæ domus,mei equi, fructuum mei prædij;qui vſus & qui fructus nondum ſubſiſtunt, ſed in potentia quodammodo ſunt alterius rei ſubſiſtentis. Hinc fit alienationis ſtrictæ ſumptæ tátùm duas eſſe ſpecies,gratuitam ſcilicet,& oneroſam.gratuita comprehēdit donationem, oneroſa omnem venditionem, ſiue quæ fiat pretio interpoſito, quæ propriè eſt venditio; ſiue quæ fiat alterius rei compenſatione, & eſt permutatio; ſiue æqualis rei redhibitione,& dicitur mutuatio. At alienationis largè ſumptæ totidem ſpecies eſſe,quot modis poſſunt res ſubſiſtentes, vel non ſubſiſtentes in alium tranſferri.

Vnde ſecúdò fit alienatione largè & ampliſſimè in ſua generalite ſumpta cótineri primò donationem, ſecundò venditioné,tertiò permutationem, quartò locationem,quintò commodationem,mutuationem,aut pignerationem,ſextò alios omnes contractus,per quos dominium vtile transfertur; qui ſunt ſuperficiarius, emphyteoticus,libellarius, feudalis & precariæ;de quibus latè Benedictus Canofilus *in reper. Extrauag. Ambitioſæ,à n. 10. ad 34.* Redoan. *de alien. q. 2. num. 24.*

Tertiò fit in omni alienatione rei ſubſiſtentis vnum tantùm contractum contineri. cùm enim dono vel vendo tibi hunc equum, tantùm vnus contractus celebratur :at in alienatione rei non ſubſiſtentis duo ſemper contractus interueniũt. nam cùm transfero in te dominium vſus (quod ob id dicitur dominium vtile) mei equi, vſus equi vel venditur, vel donatur; ſed equus ipſe cómodari dicitur,ſi gratis vſus datur; & ſi non gratis,locari vel permutari.

Quartò fit dominium perpetuum rei non ſubſiſtentis non poſſe ſeparari à dominio rei ſubſiſtentis in quo fundatur : quod eſt dicere dominium vtile perpetuum non poſſe eſſe ſine dominio directo, quia alioquin directum dominium fruſtrà eſſet.ſi enim dono tibi vſum perpetuum mei equi ſimpliciter & abſolutè, ſimpliciter te quoque dominum facio mei equi. & hoc reipſa & effectu, licèt aliquando verbali diſtinctione hæc duo dominia etiam in hoc caſu ſeparentur. ex quo

Quintò colligitur dominium rei non ſubſiſtentis prout à dominio diſtinctum rei ſubſiſtentis in qua fundatur poſſe tantùm eſſe tẽporariũ; vt cùm vendo tibi vel dono vſum mei equi ad decem dies,ad menſem,ad annum. His poſitis

QVÆRO PRIMO, an alienationis nomen latè vel ſtrictè ſumatur in iure, cùm de rebus Eccleſiaſticis agitur alienandis? 1. *Nominis Alienationis ſumtio.*

RESPONDEO, largè, prout complectitur omnes ſpecies alienationis & tranſlationis dominij cuiuſcumque rei, tam ſubſiſtentis, quàm non ſubſiſtentis : tam quoad vſum & fructum, quàm quoad proprietatem. communis ſententia eſt quæ colligitur vel potiùs habetur expreſsè *c. nulli. de rebus Eccleſ. non alien.* fuséque explicat Aluarotus *in proœm. feud.* Rebuff. *in Comp. de alienat. Eccleſ.* Redoan. *loc. cit.* Azor *q. 2. c. 1. lib. 9. p. 2.*

QVÆRO SECVNDO, quot ſint ſpecies alienationis quæ prohibentur fieri niſi cum cauſa & ſolemnitatibus requiſitis? 2. *Illius ſpecies.*

RESPONDEO, reduci ad ſeparationem, venditionem,donationem, permutationem, locationem, emphyteuſim, figurationem, infeudationem.

QVÆRO TERTIO,an omnis venditio, donatio & mutatio rei Eccleſiaſticæ prohibita ſit,niſi facta certa de cauſa, & cum certa ſolemnitate. 3. *Venditio, donatio & permutatio rei Eccleſiaſticæ.*

RESPONDEO, non omnem, quia rerum minimarum alienatio libera eſt, vt videbimus in capite de rebus quæ prohibentur alienari.

De locatione. §. 1.

QVÆRO PRIMO,an omnis locatio rei Eccleſiaſticæ prohibeatur. Suppono quid ſit locatio ex latè dictis à nobis cùm egimus de contractibus *tom. 1.* ſemper enim locatio debet eſſe rei ſubſiſtentis & permanentis, in cuius vſu ſit aliqua vtilitas, vel ex qua fructus aliquis percipiatur, reſpectu cuius vſus & fructus contractus poteſt dici venditio. reſpectu verò rei ipſius qua vtimur & fruimur, dicitur locatio : vnde fit in omni locatione transferri vtplurimum dominium vtile temporale rei locatæ; in quo continetur abſolutum dominium & proprietas pro tali tempore vſus & fructus illius; retento tamen dominio & proprietate rei ſubſiſtentis ab ipſo domino. hoc poſito 4. *Locatio rei Eccleſiaſticæ.*

RESPONDEO,& DICO PRIMO,non omnis locatio eſt prohibita, ſed tantùm ad longum tempus.hoc autem iure communi antiquo decem annorum ſpatio definiebatur. quare locatio quæ decennium non excedebat liberè permittebatur. gl. ſingul. *Clem. 1. de reb. Eccleſ. alien.* ex illa & aliis Vaſquez *de red. c. 2. §. 2. dub. 1.* 5.

DICO SECVNDO, iure nouo per Paulinam hoc longum tempus declaratum eſt vltra triennium. itaque quemadmodum antiquo iure non licebat locare vltra decennium,ſic hoc nouo triennium excedere non licet. vt conſtat ex tenore verborum dictæ Extrauag. *Ambitioſæ.* 6.

QVÆRO SECVNDO, an omnis locatio vltra triennium prohibeatur? 7. *Locatio vltra triennium.*

RESPONDEO, quantum eſt ex parte contractus

Digitized by Google

tractus prohiberi; niſi excuſetur ex prauitate materiæ rei locatæ. qua de re infrà, cùm de rebus agemus prohibitis alienari.

8. *Poſſeſſio & prædium Eccleſiæ.* QVÆRO TERTIO, an poſſeſſio & prædium Eccleſiæ, quod iuſtum fructum reddere quot annis non ſolet, vltra triennium locari poſſit.

RESPONDEO poſſe. ita Nauar. *de alien. numer.* 21. 22, Couarr. *lib.* 2. *variarum. cap.* 16. apud quem Ioan. Andr. & Barbat. Azor *quæſt.* 2. *cap.* 2. Quaranta *verb. alienatio. numer.* 18. itaque ſi ſit fundus qui alternis annis tantùm ferax ſit, poterit in ſex annos locari; ſi tertio quoque anno ad nouennium, quod iidem diſertè docent. Ratio huius eſt, quia annus in locatione non taxatur ex ſimplici decurſu temporis: ſed ex decurſu cum prouentu fructuum. quare vbi fundus alterius, vel tertio quoque anno ferrilis eſt, biennium aut triennium, pro annuo tantùm ſpatio computatur; atque ita qui in ſex vel nouem annos locatur, ſi hoc toto tempore ter tantùm fructus ferat, verè in tres annos locatur, nimirum vtiles & feraces.

9. *De pluribus locationibus triennalibus.* QVÆRO QVARTO, an poſſint plures locationes triennales eodem tempore validè celebrari. exempli gratia. An Titius poſſit nunc validè locare Seio per tria inſtrumenta diſtincta fundum ſuum beneficialem: primò ad proximum triennium; ſecundò ad ſequens poſt illud; & tertio inſtrumentò ad tertium triennium poſt ſecundum. Reſpondeo non poſſe. ita Cynus, Albericus, Cardinalis, Lapus, Ancharanus, Alexander, Iaſon cum Couarruuia *lib.* 2. *variarum. cap.* 16. Vaſquez *de redit. cap.* 2. §. 2. *dub.* 4. qui omnes auctores defendunt contra Baldum contrarium ſentientem. Ratio autem cur valida ea locatio non ſit, eſt quia vel per illam triplicatam locationem obligatur res locata, vel non. ſi obligatur, peto ad quod tempus: ſi ad nouennium; ergo iam eſt contra iura. ſi verò res locata non obligatur, non eſt ergo locatio triplicata; quia non eſt locatio per quam res locata non obligatur. Erit ergo vel contractus inutilis, vel tantùm obligatio perſonalis, per quam locans & conductor mutuò obligantur quaſi per modum promiſſionis ad locandum & conducendum. Ceterùm ſi tres illi contractus ſub verbo locationis peragantur contra iura, id iudicabitur, & pœnæ Extrauagantis incurrentur.

10. *Locatio vltra triennium.* QVÆRO QVINTO, an locatio vltra triennium ſuſtineatur, ſaltem pro parte quæ triennium non excedit.

RESPONDEO de hac re variè fuiſſe olim diſceptatum. Nonnulli affirmarunt ſuſtinendam. ita idem Baldus *in Authent. ſiquis ruinas. C. de ſacroſanctis Eccleſiis.* quia inſeparabilibus vtile per inutile non vitiatur. ſic donatio quæ nulla eſt ſine inſinuatione ſi quingentos aureos excedat, ſuſtinetur qua parte non excedit. Baldum ſecuti ſunt Alexander, Imola, Paulus de Caſtro, Decius, Tiraquellus. & Iaſon communem opinionem appellat, vt refert Couar. *lib.* 2. *cap.* 16. *numer.* 5. eandémque magis communem dicit Quaranta *numer.* 18. *verſ. Alienatio.* Vincentius Canonicus *in tract. de locato & conducto. parte tertia. concluſ.* 9. *Ampl.* 4. Contrariam ſententiam nec pauciores nec minoris nomine ſequuntur. Barbat. Socinus, Ludouicus Roman. cum Couarr. *loc. cit.* Azor *quæſt.* 4. *cap.* 2. *lib.* 9. Vaſquez *cap.* 2. §. 2. *dub.* 5. Ratio horum eſt, quia quæ committuntur in fraudem legis, non ſunt ſuſtinenda. *ff. de legibus*, per totum. Sed tales locationes ſunt in fraudem legis, quia licet videantur corticem verborum non lædere, ſunt tamen directè contra id quod lex & legiſlator intendit.

Pro reſponſione diſtinguendum puto, aut fiunt illæ locationes vno & ſimplici contextu, aut tribus diuerſis actibus & contractibus. ſi primo modo,

DICO PRIMO, locatio ad nouem annos vnico contextu facta, qui æquiualeat tribus diſtinctis locationibus, tota corruit, neque ſuſtinetur qua parte tantùm intra triennium continetur. ita auctores ſecundæ ſententiæ. Probatur, quia Paulina punit locantem vltra triennium, & contractum vſus locationis afficit pœna nullitatis; ſed in hoc caſu non eſt niſi vnicus contractus, & is qui locauit, propter illum pœnas Extrauagantis incurrit. ergo & ipſe cõtractus pœna nullitatis afficitur. Si dicatur, diſpoſitio vltra numerum permiſſum qua parte non excedit ſuſtinetur, vt donatio vltra quingentos. Reſpondeo vbi exceſſus tantùm inualidatur, & non prohibetur, nec punitur qui excedit, talem diſpoſitionem ſuſtineri; vbi verò exceſſus non ſolùm non admittitur, ſed prohibetur, & præſumptionem præfert, quia tentat, in totum corruit diſpoſitio: ſic Epiſcopus qui tantùm poteſt quadraginta dies indulgentiæ concedere, ſi centum pronuntiet, nihil facit, & tota conceſſio nulla eſt. 11.

DICO SECVNDO, ſi ſint verè tres contractus diſtincti, ſinguli triennalis locationis, prima locatio proximi triennij ſuſtinetur, aliæ corruunt; quod volunt, meo iudicio, auctores primæ ſententiæ. Sed tunc 12.

QVÆRO SEXTO, an eodem tempore tres locationes triennales celebrans Paulinæ pœnas incurrat. 13. *Eodem tempore tres locationes triennales celebrans.*

RESPONDEO, puto incurrere; quia veriſſimè contra illam committit, vt conſtat ex tenore conſtitutionis, *omne pactum* (inquit) *& locationem vltra triennium hac conſtitutione fieri prohibens.* Sed in tali caſu pactum & locatio verè facta eſt vltra triennium. poſteriores enim contractus poſt primum, vel continent pactum, vel locationem vltra triennium. quia licèt ex ſe ſpectati triennio tantùm definiantur, quia tum intrinſecum ordinem ducunt ex parte contrahentium ad locationem vlterioris triennij ſunt intrinſecè vltra biennium quod ſupponunt, non quod ipſi continent & amplectuntur. ita colligitur ex prædicto Canſilo, Vaſquez, Azor. Redoan. *loc. cit.*

QVÆRO SEPTIMO, an locatio ad tempus incertum, puta donec bellum hoc perduret, vel ad vitam conductoris aut locatoris, hac conſtitutione prohibeatur. 14. *Locatio ad tempus incertum.*

RESPONDEO, tempus incertum triplex eſſe, vnum quod ſecundùm moralem & communem exiſtimationem longum cenſetur: alterum quod breue: tertium quod omnino ambiguum eſt, & tam breue poteſt eſſe, quàm longum. Exemplum primi, ſi iuuenes & validi contrahunt donec vita durabit, tempus longum cenſetur, ſaltem vltra triennium; quia nemo ſanus viribus & ætate vigens non præſumitur vltra triennium vitam ducturus. Exemplum ſecundi, donec nauis ex Sicilia veniat. Exemplum tertij, donec bellum finiatur. Hoc poſito

Digitized by Google

15. DICO PRIMO, locatio ad tempus incertum, ſed ex communi & morali exiſtimatione longum hac conſtitutione prohibetur. Probatur, quia in illa interdicitur locatio vltra triennium: ſed tale tempus incertum eſt vltra triennium. ergo etiam prohibetur. Perinde enim eſt locare vltra triennium,& in id tempus quod licèt triennium non exprimat,vlterius tamen ſpatium continet quàm triennale; quia in æquiualentibus eadem ratio ſeruatur.

16. DICO SECVNDO, locatio ad vitam communiter loquendo inter validos, & ætate florentes celebrata prohibita cenſetur; quia nullus talis eſt qui ſuperuicturus vltra triennium non credatur; ac proinde talis locatio eſt in longum tempus & interdictum, idcircò prohibita.

17. DICO TERTIO, locatio ad tempus incertum, ſed ex morali exiſtimatione breue, non eſt, meo iudicio, hac conſtitutione comprehenſa.

18. DICO QVARTO, locatio ad tempus omnino ambiguum, quod longum & breue poteſt eſſe, ex communi exiſtimatione eo ipſo eſt interdicta, quòd tacitè continet locationem legibus expreſsè prohibitam.

19. QVÆRO OCTAVO, an poſſit fieri promiſſio de locatione facienda vltra triennium.

Promiſſio locationis faciendæ vltra triennium.

RESPONDEO, poteſt hoc dupliciter intelligi: vno modo vt obiectum promiſſionis ſit locatio vltra triennium. & hoc modo clarum eſt promiſſionem non licere; quia perinde licita promiſſio eſt,vt obiectum circa quod implendum verſatur:ſecundo modo, vt obiectum promiſſionis ſit locatio triennalis; incipienda tamen & continuanda poſt aliam locationem. & hoc pacto

Dico promiſſionem locationis vltra triennium iam locatum & conductum locatam licitam & validam eſſe. Rebuff. *compend. de rer. alien. n.* 26. Molina *diſp.* 366. *n.* 5. Quaranta *v. Alienatio, n.* 18.

20. Dices primò, qui prohibet aliquid, omne id etiam prohibet, per quod peruenitur ad illud; ſed locatio vltra triennium prohibita eſt: ergo etiam prohibetur promiſſio talis locationis. Confirmatur, quia inter quos prohibetur matrimonium, prohibetur quoque abſoluta promiſſio matrimonij pro eo tempore, & loco quo matrimonium eſt interdictum. Reſpondeo non eſſe prohibitas plures locationes quæ ſimul iunctæ excedant tempus non ſolùm triennale, ſed longius decennale. Sed eſſe prohibitam vnam locationem per quam conferatur ius cõductori ad rem conductam vltra triennium. Sicut ergo poteſt locator liberè triennali locatione abſoluta, aliam continuare, & poſt iſtam aliam; ſic etiam licitè poteſt hoc ſe facturum promittere.

21. Dices ſecundò, in Paulina prohiberi pactum quodcumque, per quod vltra triennium dominium etiam vtile transferatur; ergo prohibetur huiuſmodi promiſſio. Reſpondeo negando conſequentiam, quia per talem promiſſionem nullum dominium transfertur, nec promiſſarius ius vllum acquirit in rem promiſſam,ſed tantùm in perſonam promittentis; itaque ſi abſoluto triennio res alij locatur, non poteſt conueniri promiſſor actione vlla, niſi perſonali, ad id quod intereſt. vide Couar. *lib.* 2. *variarum. cap.* 16. Azor. *quaſt.* 12 *cap.* 2. *libr.* 9. Guttieres *libr.* 2. *canonicarum quaſtion. cap.* 15.

22. QVÆRO NONO, an vbi conſuetudo eſt fieri locationes vltra triennium non requiſito aſſenſu Sedis Apoſtolicæ ſucceſſor in beneficio teneatur ſtare locationi.

De conſuetudine locationis vltra triennium.

RESPONDEO, ſi locatio facta ſit nomine Eccleſię,& in euidentem ipſius vtilitatem, ſucceſſorem teneri. Socinus, Calderinus, Rota, Vincentius,Francus, Sylueſt. Couarr. alij cum Quaranta *numer.* 19. Si verò ſit facta nomine perſonali, ſucceſſor non tenetur, nec illi viciſſim conductor. Couarr. *lib.* 2. *variarum, cap.* 15. Pariſius *lib.* 1. *de reſig. quaſt.* 16. Couarr. *parte* 3. *de locato & conducto, concluſ.* 20. *numer.* 78. Guttieres *lib.* 1. *Canon. qq. cap.* 36. *& cap.* 8. Et hæc de locatione: nunc de aliis ſpeciebus alienationis non gratuitis.

De aliis ſpeciebus alienationis non gratuitis. §. 2.

23. QVÆRO PRIMO, an permutatio bonorum Eccleſiaſticorum prohibeatur.

Permutatio bonorum Eccleſiaſticorũ.

RESPONDEO prohiberi. *cap. nulli. de rebus Eccleſiæ alien. cap.* 2. *de rerum permutatione*, vbi Abbas, *cap. ſine exceptione.* 12. *quaſt.* 2. Rebuff. *in repetitione de rerum Eccleſiaſt. alien. numer.* 66. Redoan. *quaſt.* 2. *numer.* 20. *quaſt.* 12. *numer.* 28. & expreſsè habetur *in Extrauag. Ambitioſæ*, vbi diſtinctè inter ſpecies prohibitas permutatio recenſetur. Ratio autem eſt,quia permutatio eſt vera ſpecies alienationis etiam ſtrictè ſumptæ. Iaſon *l. final. numer.* 101. *C. de iure emphyteutico.* Redoan. *quaſt.* 2. *numer.* 4. quod eſt intelligendum etiamſi permutatio fiat inter Eccleſiam & Principes, & inter Eccleſiam & Eccleſiam, vt iidem DD. tradunt.

24. QVÆRO SECVNDO, an hypothecatio ſiue obligatio,per quam transfertur ius aliquod in re prohibeatur.

Illorum hypothecatio, ſiue obligatio.

RESPONDEO prohiberi; vt ſignatè ſub hoc nomine exprimitur *in Extrauag.* & antea etiam communi iure erat interdicta. *d. cap. nulli*, vbi Abbas, *& cap.* 1. *numer.* 4. *de prab.* dubitant aliqui an prohibita intelligatur omnis hypotheca, an tantùm ſpecialis. Sed verior ſententia eſt iure nouo huius Extrauag. omnem etiam generalem prohiberi. Quaranta *v. Alienatio, numer.* 17. Nauarr. *de alien. numer.* 1. & colligitur ex *l.* 1. *C. de rebus alienis.* vbi prohibita alienatione ſimpliciter, omnis actus dicitur prohibitus, per quem alteri quæritur ius aliquod in re.

25. QVÆRO TERTIO, an tranſactio & compromiſſum prohibeatur.

Eorundem tranſactio & compromiſſum.

RESPONDEO prohiberi. Rebuff. *in compend. numer.* 2. *&* 66. Redoan. *quaſt.* 2. *cap.* 1. *&* 36. *quaſt.* 51. *cap.* 17. Feder. de Senis *conſil.* 94. Barbat. *rubr. de rebus Eccleſ. alien. col.* 4. intellige tamen de rebus Eccleſiæ incorporatis, aut quæ ipſo iure ad illam perueniunt. Philip. Franc. *cap.* 1. *in fine, de rebus Eccleſ. alienand. in* 6. Ratio eſt, quia tranſactio facta ſuper re immobili eſt vera ſpecies alienationis. Crauetta *conſil.* 197. *numer.* 7. Quare quoties ſine requiſitis à iure fit ſuper re immobili ad quam actio Eccleſiæ competebat, inualidè fit, etiam antiquo iure. Abbas *cap.* 1. *numer.* 8. *de depoſito.* Caputaq. *deciſ.* 106. *parte* 1. Idem iudicium eſt

Digitized by Google

eſt de compromiſſo, cùm ſit ſpecies alienationis, Pariſ. *conſil.* 134. *numer.* 11. *libr.* 4. Canalc. *deciſ.* 45. *numer.* 34. ſi fiat ſine conſenſu Apoſtolico, aut vbi conſuetudo illum poſtulandi non viget, ſine aliis requiſitis à iure validum non eſt, & nihil præiudicat Epiſcopo, aut ſucceſſori. Rota, teſte Caputaq. *deciſ.* 165. *parte* 1.

26. *Impoſitio ſeruitutis.* QVÆRO QVARTO, de impoſitione ſeruitutis.

RESPONDEO eam quoque hac Extrauag. contineri, quia eſt ſpecies alienationis latè ſumptæ. *l. fin. de reb. alien. non alien.* Rebuff. *in compendio, numer.* 4. 6. Redoan. *quæſt.* 2. *cap.* 16. *q.* 14. *n.* 22. Abbas *d. cap. nulli, n.* 11.

De alienationibus gratuitis. §. 3.

27. *Donatio.* QVÆRO PRIMO, an donatio in ſe ſpectata ſit prohibita.

RESPONDEO eſſe, & quidem præcipuè, niſi excuſetur ex paruitate materiæ, de qua poſtea. Ratio eſt, quia donatio eſt præcipuè ſpecies alienationis ſtrictè ſumptæ. *ff. de donat. inter vir. & vxorem.*

28. *Ceſſiones iurium, actionum, &c.* QVÆRO SECVNDO, a[illegible]ones iurium, actionum, &c. hac prohibitio[illegible]cluduntur.

RESPONDEO includi, quia ſunt ſpecies alienationis latè ſumptæ. Abbas *cap.* 1. *numer.* 1. *de depoſito. cap. cùm pridem. numer.* 4. *de pactis. cap. nulli. numer.* 9. *de reb. Eccleſ.* Armilla *verb. alienatio, numer.* 16. facit text. *l. bonorum* 1. *ff. de verb. ſignificatione.*

29. QVÆRO TERTIO, an poſſit beneficiarius alteri liberalem ceſſionem facere redituum ſuorum pro toto tempore vitæ ſuæ.

RESPONDEO, ſi per eam ceſſionem transfertur ius aliquod in rem & bona beneficiarij, non poteſt. Molin. *diſput.* 366. *numer.* 5. Rebuff. *comp. numer.* 26. Nauarr. *de alienat. numer.* 1. quia collatio iuris in rem eſt ſpecies alienationis. Redóan. *quæſt.* 2. *& quæſt.* 55. Molin. *diſput.* 466. Quare ſicut non poteſt locatio fieri ad vitam, ex ſuprà dictis; ſic nec donatio aut ceſſio, per quam ius acquiratur in rem toto tépore vitæ beneficiarij; ſi verò per eam ceſſionem tantùm contrahitur obligatio perſonalis ad dandum alteri quod ex beneficio perceperit, talis ceſſio non eſt hac conſtitutione prohibita, vt ſuprà etiam hoc capite diximus §. 3. *quæſtione* 8.

CAPVT III.

Quæ perſonæ poſſint aut non poſſint res Eccleſiaſticas alienare.

QVONIAM alienatio eſt actus dominij maximè proprius, videndum nobis breuiter eſt penes quem ſit dominium rerum Eccleſiaſticarum; vt inde certò decidatur qui poſſint aut non poſſint illas alienare rei natura ſpectata. licèt autem videamur hanc quæſtionem iam pertractaſſe *tract.* 41. *cap.* 2. *quæſt.* 2. non tamen idem eſt, quod nunc agimus. Primò, quia ibi quærebamus de dominio beneficiorum in vniuerſum, vt complectuntur tam bona ipſa, quàm officia; hîc verò agimus tantùm de dominio ipſorum bonorum, quæ in beneficiis includuntur. Secundò, ibi rem attigimus quantum ſatis erat ad explicandam poteſtatem circa beneficiorum collationem: hîc latius eſt res explicanda quantum requiritur ad facultatem alienandi, vel non alienandi bona immobilia Eccleſiarum. Tertiò denique, quod illic ſtrictim quantum materia requirebat attigimus; hîc vt in proprio loco vberiùs eſt explicandum.

Penes quem ſit dominium bonorum immobilium Eccleſiarum, & quatenus alienandi facultas illi coniuncta ſit. §. 1.

Non loquimur hîc de reditibus quos ſuprà docuimus eſſe beneficiariorum, ſed de fundo ipſorum redituum, & reliquis bonis immobilibus quibus Eccleſiaſtica beneficia dotata ſunt.

QVÆRO ergo PRIMO, quæ ſint celebriores ſententiæ de dominio bonorum Eccleſiæ, penes quem illud ſit. 1. *Dominium bonorum Eccleſiaſticorum penes quem.*

RESPONDEO de hac re quatuor eſſe præcipuas opiniones. Prima eſt vnumquemque beneficiarium bonorum ſui beneficij dominum eſſe. Exempli gratia, Moguntinum Epiſcopum bonorum quæ Epiſcopatui Moguntino tributa ſunt; Romanum, patrimonij S. Petri, & eorum omnium quæ peculiariter Eccleſiæ Romanæ ſunt aſſignata. ita Sarmien. *de redit.* 4. *parte. cap. vlt. numer.* 1. *& ſeq.* vbi eam ſententiam latiſſimè variis auctoritatibus & rationibus confirmat, & poſt illum Vaſquez *de red. Eccleſ. c.* 2. §. 1. *dub.* 1. Probant primò, quia *cap. iudicatum.* 89. *diſt.* res Epiſcopatus dicuntur de patrimonio Epiſcopi. Secundò, quia vbi commodè fieri poteſt vniuſcuiuſque rei ciuilem dominum rationabilius eſt certam, veram & ciuilem perſonam aſſignare quàm fictam, vt per ſe patet, id enim ciuili vitæ conducibilius eſt, ad quam rectè traducendam rerum dominia ciuilia inſtituta ſunt. Sed quiſque beneficiarius eſt perſona certa, vera & ciuilis: & quicumque alius adſignetur dominus bonorum Eccleſiaſticorum, vel eſt perſona ficta, vt ſi dicatur eſſe tota communitas & conuentus Eccleſiaſticus cuiuſque Eccleſiæ: vel eſt incerta, vt ſi aſſignetur tota ſeries beneficiariorum ſuccedentium; vel non eſt perſona ciuilis, cum qua ſcilicet ciuile commercium haberi poſſit: vt ſi dicamus eſſe Eccleſiam materialem; aut titulos ipſos beneficiorum, vt Epiſcopatum ipſum, Canonicatum; aut Chriſtum, vel ipſum Deum: ergo congruentius eſt horum dominum beneficiarium ipſum aſſignare. Quod tertiò confirmant, quia nulla ratio afferri poteſt contra dominium beneficiariorum, quæ ſolida ſit, aut non æquè militet contra dominium communitatis Eccleſiæ. Si enim dicatur beneficiarius non eſſe dominus quia non poteſt alienare, hoc non obſtat primò, quia verum dominium ſtat cum impotentia alienandi: vt patet tum in pupillo & minore; tũ in fideicommiſſo, tum in dominio primogenituræ, tum in dote vxoris reſpectu mariti. Secundò, quia neque communitas Eccleſiaſtica poteſt alienare.

Concludit ergo Vaſquez vnumquemque beneficiarium eſſe dominum bonorum immobilium

Digitized by Google

lium ſui beneficij; cum onere tamen illa non alienandi, & obligatione quantum fieri poteſt non deteriorata ſucceſſoribus transmittendi. ſi enim volunt alij quamlibet Eccleſiam particularem hanc obligationem habere, & nihilominus dominam eſſe; potiore iure poſſumus hoc de beneficiario ipſo affirmare.

2. Secunda ſententia eſt dominum horum bonorum eſſe Deum & Chriſtum,& nullum alium in terris præter ipſos. ita Maior *in* 4. *diſt*. 24. *q*. 18. *concl*. 1. *&* 2. Nauarr. *de ſpoliis*. §. 1. *& Apolog. de redit. Eccleſiaſticis.q*. 1. *Monito* 24. Azor *lib*. 6. *tom*. 2, *c*. 1, *q*. 4. *prope finem*. licèt in eius principio oppoſitum videatur amplecti.

Probant primò, quia ſacri canones paſſim hæc bona appellant bona Dei & patrimonium Chriſti: vt *c. cum ſecundum Apoſtolum. de preb. & c. cum ex eo. de elect. in 6. c. qui Chriſti. cap. qui abſtulerit*. 12. *q*. 2. & nouiſſimè etiam ſic appellantur in Concil. Trid. *ſeſſ*. 25. *c*. 3. Secundò, quia res ſacræ in nullius ſunt poteſtate. *l*. 1. *ff. de rerum diuiſ*. quia, inquit, *diuini iuris ſunt*. vbi gl. dicit ſubintelligendum, *in nullius hominis eſſe poteſtate*. Tertiò, quia is in cuius vſum vel cultum aliquid abſolutè attribuitur & deſtinatur, eo ipſo dominus illius eſt, ſi dominij capax eſt, iccirco enim naturæ lege dicitur homo omniũ dominus conſtitutus,quia omnia propter illum & in ipſius vſum creata ſunt;ſed bona Eccleſiaſtica ſunt attributa & omnino deſtinata in vſum & cultum Dei & Chriſti, & hi dominij capaces ſunt; ergo illorum domini ſunt.

3. Tertia ſententia aſſerit Summum Pontificem eſſe dominum talium bonorum; ita vt Rom. Papa non ſolùm dominus ſit eorum quæ ſpectant ad Romanam Eccleſiam,vt prima opinio volebat; ſed quorumcumque aliorum, quibus particulares Eccleſiæ fundatæ & dotatæ ſunt, ita plerique omnes Canoniſtæ, & alij qui abſolutè pronunciant Summum Pontificem dominum eſſe beneficiorum, qui ſunt Dec. *conſ*. 134. *num*. 2. *conſ*, 141. *col*. 2. *conſ*. 624. Felin. *c, quæ in Eccleſiarum. num*. 60. *de conſt*. Archid. *c*. 1. *in fin*. 16. *q*. 7. VVameſius *conſ*. 246. *n*. 1. vbi, *Pontifex*, inquit, *indubitatus eſt dominus, & diſpenſator omnium beneficiorum Eccleſiaſticorum, ad quem ſpectat illorum plena & libera diſpoſitio ex ſuæ poteſtatis plenitudine*. Redoan. *de ſpoliis*. *q*. 1. *n*. 21. & iterum *n*. 35. Flaminius Pariſ. *de reſig. lib*. 2. *q*. 4. *n*. 34. *lib*. 5. *q*. 6. *n*. 128. *lib*. 7. *q*, 11. *n*. 4. omnium verò Anteſignanus Archid. *c*. 1. *in fin*. 16. *q*. 7. Probatur autem hæc ſententia, quia facultas plenè, liberè & abſolutè de re aliqua diſponendi in omnem vſum pro libito ſuo eſt propria dominij, & ab illo inſeparabilis. Sed Papa habet omnimodam facultatem diſponendi de beneficiis eorúmque bonis, vt conſtat ex *c. cuncta per mundũ*, 9. *q*. 3. *cap. propoſuit. de conceſſione preb. c*. 1. *de translat. c. inter dilectos. de fide instrumentorum. Clem*. 1. *in fine. vt lite pendente. c*. 2. *de preb. & c. de his. de ſepultura*. vbi dicitur poſſe Papam in beneficiis,vt in re ſua,eſſe arbitrum & moderatorẽ, prout iſtos canones extendit Redoan. *q*. 1. *de ſpol. n*. 35. & fusè tradunt hoc ipſũ, & docent Innoc. *c. innotuit. de elect*. Card. *Clem*. 1. *notabili* 10. Bertrand. Emanuel Suar. Ripa, Pinellus apud Flamin. *lib*. 5. *de reſig. q*. 6. *n*. 128. Pariſ. *conſ*. 5. *n*. 85. *vol*. 4. Staffileus *de litteris gratiæ, in princ*. Rom. *conſ*. 29. Alex. *conſ*. 2. *col*. 3. *vol*. 1. Zaſius, alioquin parum æquus Rom. Pontif. *conſ*. 16. *lib*. 1. *n*. 1. denique hanc eſſe communem omnium DD. *in Clem*. 1. *vt lite pendente*, teſtatur VVanneſius *conſ*. 472. *n*. 8. Bertrãd. *cõſ*. 153. *libr*. 1. Emanuel Suarez *theſ. receptarum ſententiarum n*. 2. *litt. B*. Flam. *de reſig. lib*. 2. *q*. 4. *n*. 34. Eſt ergo Pontifex dominus omnium bonorum quibus Eccleſiaſtica beneficia fundata ſunt; quam eſſe opinionem communem Canoniſt. affirmat Gonzal. *proœm. in reg. Cancel. n*. 53. §. 1. plures recenſens, & ex Abb. Rom. Butr. aliis docet Natta *conſ*. 501. quare miror quomodo Card. Tuſchus *v. Papa, concl*. 50. *n*. 14. videatur dicere communem ſententiam Canoniſtarum eſſe quòd Papa non ſit dominus.

Quarta ſententia eſt dominium omnium bonorum eſſe penes cœtum Eccleſiaſticorum cuiuſlibet Eccleſiæ ad quam ſpectant illa bona: ita vt, exempli gratia, bona Eccleſiæ Moguntinæ ſint ſub dominio Cleri & Capituli Moguntini,& ſic de ſingulis. ita Leſſ. *lib*. 2. *cap*. 4. *dub*. 7. Molin. *libr*. 1. *tract*. 2. *diſput*. 29. *concluſ*. 2. quam idem tribuunt Adrian. *in quarto de reſtit. q*. quæ incipit, *pro clariore*, *concluſ*. 5. & Turrecrem. *lib*. 2. *cap*. 113. *propoſ*. 6. *de Eccleſia*. Probant, primò quia multi canones paſſim dicunt hæc bona eſſe ſub dominio Eccleſiæ, vt *cap*. 1. *de teſtam. in fine*. *Quidquid*, inquit, *Eccleſiæ ante Epiſcopi conſecrationem fuiſſe cognoſcitur, eiuſdem Eccleſiæ dominio conſeruetur*. Secundò, quia idem ſacri canones diſponunt vt clericus, vel Prælatus non habens filios vel conſanguineos, non inſtituat extraneum hæredem,ſed Eccleſiam. vt *cap. Epiſcopus*. 12. *quæſt*. 2. ergo ſupponunt Eccleſiam illorum dominium acquirere. Tertiò, quia canones etiã diſponũt vt acquiſita à beneficiario de redit. Eccleſiæ ſint illius Eccleſiæ. *cap. fixum*. 12. *quæſt*. 5. *cap. cùm in officiis. cap. ad hæc. de teſtam*. Supponunt ergo Eccleſiam habere & acquirere dominium. Quartò probatur ratione ex origine eorum bonorum. nam qui illa donarunt, non huic vel illi in particulari, ſed toti communitati cuiuſque Eccleſiæ donarunt. Quintò, quia quælibet Reſpublica & Vniuerſitas ciuilis habent dominium earum rerum quæ ad ipſam ipſiúſque ſtatum tuendum conſeruandúmque faciunt. *Inſtitut. de rerum diuiſ*. §. *vniuerſitas*. cur non ergo & communitas quælibet Eccleſiaſtica. Sextò,quia ſacri canones talia bona appellant dotem & patrimonium illius Eccleſiæ cui ſunt aſſignata. Septimò, quia communis ſenſus hominum talis eſt, dum omnes dicunt hæc, vel talia bona eſſe Eccleſiæ Moguntinæ, Romanæ, Treuirenſis. Octauò denique, quia ſæpiſſimè in ſacris conſtitutionibus,immo in Bulla Cœnæ Domini appellantur caſtra,ciuitates, oppida Eccleſiæ Romanæ. ergo hæc eſt quæ illorum dominium habet; vel ergo nomine Eccleſiæ intelligitur materialis, & hoc non poteſt vel ipſe cœtus Eccleſiaſticorum: hic ergo dominus eſt. Iſtæ ſunt celebriores opiniones de hoc argumento. Videamus iam quæ cui ex illis ſit vt probabilior præponenda. Ergo 4.

QVÆRO SECVNDO, quam probabilitatem habeat ſententia quæ aſſerit beneficiarios eſſe dominos bonorum immobilium beneficij. 5.

Sententia aſſerens beneficiarios eſſe dominos bonorum immobilium beneficij.

RESPONDEO & DICO PRIMO, prima opinio quam proxima quæſtione retulimus, qua parte aſſerit Pontificem eſſe dominum bonorum Romanæ Eccleſiæ, poſt examinabitur: qua parte facit omnes beneficiarios etiam dominos

minos, minus videtur probabilis. Primò, quia communis & conſtans aliorum omnium ſententia eſt beneficiarios eſſe vſufructuarios ſui beneficij. quam docet ex Innoc. Speculatore, Panorm. Bartol. Bald. Salicet. Caſtro, Aretin. Alberic. & omnibus aliis Redoanus tota *quæſt. 3. de ſpoliis Eccleſiaſticis*. Sed natura vſufructuarij eſt vt ſit tantùm dominus fructuum, non verò fundi ex quo percipiuntur. non ergo beneficiarij ſunt domini bonorum immobilium; ſed tantùm redituum qui ab illis proueniunt. Secundò, quia contra apertos canones eſt id affirmare. nam *cap. fraternitatem. de donat.* Alex. III. Pariſien. Epiſcopo ſcribens, *Cùm Epiſcopus*, inquit, *& quilibet Prælatus Eccleſiarum rerum ſit procurator, & non dominus, conditionem Eccleſiæ meliorare poteſt, deteriorem verò facere non debet.* quod ipſum habetur 12. *quæſt.* 1. *cap. vlt. & quæſt.* 2. fine exceptione. *&* 10. *quæſt.* 2. *cap. caſellas*, & alibi ſæpiùs, vt notant Panormit. & Anchar. *d. cap. fraternitatem.* Tertiò, quia omnem poteſtatem quam Prælati inferiores habent in bona Eccleſiaſtica, à Summo Pontifice acceperunt; ita tamen vt eandem & maiorem ſemper apud ſe ille retineat. *cap. dudum.* 2. *de prebend. in* 6. Nauarr. *de red. quæſt.* 1. *monito* 40. *Apolog. quæſt.* 1. *mon.* 24. *de ſpol.* §. 2. *numer.* 5. ergo irrationabiliter aſſeritur inferiores Prælatos eſſe dominos, id negando de Pontifice, cùm totam poteſtatem habeat quam illi habent, & adhuc maiorem. Quartò, quia ſi verè eſſent domini, non poſſent ſine aliqua iniuria prohiberi, quin de illis facerent, quod magis iudicât ſibi totique beneficio vtile eſſe. ſi enim Princeps legem conderet qua nullus rei ſuæ dominus vnquam poſſet de illa pro libito alienando diſponere, videretur iniuſtè facere. at Sum. Pontifex generali lege iuſtiſſimè ſancit ne vllus beneficiarius vnquam de bonis beneficij pro libito alienando diſponat; ergo beneficiarius illorum dominus non eſt. licèt enim in aliquo caſu & reſpectu alicuius perſonæ, aut aliquorum bonorum poſſet tale præceptum iuſtè aliquando fieri: vniuersè tamen id mandare videtur eſſe contra naturam dominij. Quintò denique quia ex hac opinione ſequeretur Summum Pōtificem non poſſe ſine iniuſtitia manifeſta beneficiarium inuitum de vno beneficio ad aliud transferre; licèt æquiualens aut excedens. quòd hoc non poſſet patet, quia ſupremus Princeps non poteſt ſine iniuria quemquam inuitum priuare re ſua quacunque compenſatione oblata; niſi id faciat vtilitatis publicæ cauſa: vt conſtat ex facto Achab & vinea Naboth. *lib.* 3. *Reg.* 13. quòd verò hoc Papa ſine iniuſtitia poſſit eſt probabilis ſententia Canoniſtarum & Iuriſcōſult. Innoc. *cap. cùm pridem. de renunc.* vbi dicit poſſe Papam cogere pro libito ſuo Epiſcopum renuntiare Epiſcopatui, *prouidendo tamen illi de bono cambio.* idem docet Bald. *cap.* 1. §. *adhuc. de patrio iure firmando.* Butr. *cap. reſtitutus. de reſign.* Gemin. *cap. ſi gratioſè. de reſcriptis.* Rom. *conſ.* 298. Abb. *d. cap. conſtitutus.* Innoc. *cap. niſi cùm pridem. de renunciatione.* Natta *conſ.* 501. *n.* 48. Rameſius *conſ.* 410. qui omnes & alij docent poſſe Papam pro libito beneficiarium quēlibet priuare ſine ipſius culpa, dummodo de alio prouideat. Nec obſtat primò quòd bona primogenituræ alligata, aut alteri fideicommiſſo, ſint ſub dominio primogeniti aut hæredis, à quo tamen non poſſunt pro libito alienari. Nō non negamus ab eo qui directus & proprius dominus eſt alicuius rei, poſſe dominium illius tranſmitti cum onere pro libito non alienandi, ſed dicimus illi qui abſolutus dominus eſt in vniuerſum loquendo, non poſſe obligationem iſtam à ſupremo Principe imponi, niſi aliqua particularis ratio vrgeat boni publici, aut certæ familiæ conſeruandæ. Cùm ergo iuſtiſſimè legem iſtam beneficiariis omnibus Pōtifex impoſuerit, argumento eſt, eſſe illum verum dominum beneficiorum, & non ſingulos beneficiarios.

Non obſtat ſecundò, ſi dicatur hanc obligationem non alienandi impoſitam eſſe à primis & abſolutis dominis qui talia bona Eccleſiæ tradiderunt, primò, quia falſum eſt ſaltem in pluribus beneficiis talem obligationem impoſitam: ſecundò, quia beneficiarij omnes non poſſunt alienare; non quia prohibeantur à fundatoribus beneficiorum, ſed à ſacris canonibus, & ipſo Summo Pontifice: tertiò denique, quia ad ſummum ex inſtitutione fundatorum haberent beneficiarij obligationem perſonalem manutenendi ſemper beneficium in æquiualenti aut meliori ſtatu, & non deteriorandi: non verò tenerentur vlla obligatione reali de rebus ſui beneficij pro arbitrio non diſponendi vt magis illi conducere iudicarent.

Non obſtat tertiò, ſi dicatur omnes beneficiarios in Concil. Prouinciali aut Generali cōgregatos voluntariè ſibi hanc obligationem impoſuiſſe. Nam ex hoc ſequeretur beneficiarios non poſſe alienare tantùm vi prohibitionis cōciliaris non Pontificiæ: quod tamen falſum eſſe conſtat ex Extrauag. *Ambitioſæ*, & aliis ſuprà notatis.

Nec obſtat quartò appellari aliquando hæc bona patrimonia beneficiariorum, quia non ſemper patrimonium ſignificat id quod eſt ſub dominio alicuius propriè loquendo; ſed id ex cuius prouentibus ſuſtentatur: ſic alicubi dicit D. Auguſt. ſanitatem eſſe totum patrimonium pauperis; cuius tamen pauper dominus non eſt, ſicut nec membrorum ſuorum. Quintò, non valet exemplum de dote, quia circa hanc poteſt maritus facere, & diſponere quod ſibi magis placet, modò ſemper ſecura ſit vxor de illius valore recuperando; quod tamen non poteſt beneficiarius de bonis beneficiarij. Cùm ergo dicitur hæc bona eſſe dotem, &c. intelligitur id ſimilitudinariè, non verè. Sextò non valet ratio quòd perſona certa, & vera ſit aſſignanda ſi cæteræ conditiones deſint; prout deſunt in beneficiario, qui licèt ſit perſona certa & vera: non tamen poteſt de bonis beneficij diſponere vt dominus, ſed tantùm vt vſufructuarius.

QVÆRO TERTIO de opinione quæ vult Deum & Chriſtum dominos eſſe horum bonorum, quantam probabilitatem habeat. 6. *Opinio, Deum & Chriſtum horum bonorum eſſe dominos.*

RESPONDEO & DICO PRIMO, auctores huius opinionis faciliùs explicant quomodo Summus Pontifex ſit purus adminiſtrator horum bonorum; quod minus aſſequuntur qui illorum dominium ponunt penes cœtum & communitatem Eccleſiaſticorum, non enim dedecet Pontificem ponere diſpenſatorem & adminiſtratorem Chriſti Domini: dedecet tamen plurimum illum facere miniſtrum Eccleſiæ etiam vniuerſalis, quia Pontifex Chriſti miniſter eſt,

Digitized by Google

eſt,ſed Eccleſiæ Paſtor, quem gregi vlla ratione ſubiici incongruum eſt, non domino gregis; vt bene poſt alios explicat Andr. Dualius *lib. 2. de Summo Pontifice.*

7. DICO SECVNDO abſolutè loquendo hanc ſententiam improbabilem eſſe primò,quia in hac quæſtione non quærimus dominum vniuerſalem horum bonorum, ſed particularem. Deus autem & Chriſtus non ſunt tales domini particulares, ſed vniuerſales omnium rerum. *Domini enim eſt terra, & plenitudo eius.* & Chriſtus conſtitutus eſt à Deo dominus vniuerſæ creaturæ,dicente ipſo: *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra,* Matth. vlt. vnde in femore eius idem in humanitate ſcriptum eſt,*Rex regum & Dominus dominantium.* ex quo ſic argumentor. Chriſtus vt homo eſt dominus omniũ regnorum, & aliarum omnium temporalium rerum, vt docent expreſsè Burgenſis, Nicolaus Grandis, Hoſtienſ. Turrecremata, Albertus Pighius, Roſenſis & alij, de quibus infrà *quæſt.* 17. hoc eodem §. quin & ipſe Nauarr. hoc habet *cap. nouit. de iudiciis. notabil.* 3. *&* 130. & eleganter his verbis aſſeritur à D. Bernardo *lib. 3. de conſideratione*,initio. vbi ad Eugenium, *Diſpoſitio*, inquit, *ſuper orbem tibi credita eſt, non poſſeſſio* (loquitur de toto mundo, non de Eccleſia) *non tu ille es de quo Propheta ait: Et erit omnis terra poſſeſſio eius. Chriſtus hic eſt, qui poſſeſſionem ſibi vendicat & iure creationis, & merito redemptionis, & dono Patris*, &c. eſt ergo Chriſtus Dominus tam laicorum bonorum, quàm Eccleſiaſticorum, ſed illud non impedit quin detur quoque verus dominus rerum temporalium. ergo nec ſecundum impediet dominum in terris cõſtitui rerum Eccleſiaſticarum: irrationabiliter ergo negatur quis eſſe illarum in terris dominus, quòd earum Chriſtus qui in cælis eſt dominus ſit. Secundò,quia agimus hîc de domino ciuili horum bonorum,cum quo nobis commercium ſit,qui poſſit conueniri,cum quo poſſit agi & tranſigi, talis autem non eſt Deus & Chriſtus, quorum dominium ſupereminentis rationis eſt,ſecum compatiens quodcumque aliud dominium particulare & ciuile: vnde ex hac aſſertione quòd hæc bona ſint Dei & Chriſti,non ſequitur quin alius ſit aut poſſit eſſe dominus illorum,& hunc quærimus quis ſit. Tertiò ſequitur nullam poſſe committi iniuſtitiam propriam circa iſta bona contra illorum dominum, quia inter Deum, & hominem non eſt propria iuſtitia, nec iniuſtitia. Ex quo quartò ſequitur non poſſe contrahi vllam obligationem reſtitutionis faciendæ domino horum bonorum, illam malè adminiſtrando. quia nullum damnum fit Deo aut Chriſto quod ſit reſarciendum, cùm nec Deo nec Chriſto quidquam poſſit auferri. Quintò, quia ex hac aſſertione, quòd bona Eccleſiaſtica ſint Dei & Chriſti, alij Iuriſconſulti deducunt Pontificem eſſe illorum dominũ,vt Marian. Socin. *conſ.* 39. *n.* 33. *&* 34. Pariſ. *conſil.* 5. *vol.* 4. ex multis iuribus.ſicut enim eo ipſo quòd quid dicitur eſſe teſtatoris, & ad ipſum pertinere,eſt quoque ſub dominio hæredis; quia illius vices refert, & illum repræſentat. *l.* 1. *§. final. ff. de prætoria ſtipulatione.* Bart. Imola, Caſtro cum aliis apud Gomez *cap.* 10. *n.* 3. ita quia Pontifex Chriſtum repræſentat, vnum cenſetur cum illo, & illius vices abſolutè refert, eo ipſo quòd quid eſſe dicitur ſub dominio Chriſti, ſub dominio quoque Pontificis eſſe debet. nam non minus Pontifex Chriſtum repræſentat, quàm hæres vniuerſalis & abſolutus teſtatorem. quare hæc ſententia, quòd Chriſtus ſit dominus,&c. à nobis non negatur: ſed dicimus primò inde ſequi Pontificem eſſe dominum. Secundò Chriſtum non talem eſſe dominum, qualem hîc quærimus,conſpicuum nempe & patentem,& qui per ſeipsũ poſſit cõmercia inter homines exercere.

Si dicatur primò peculiari ratione Chriſtum & Deum eſſe dominos tã horum bonorũ,quàm aliorum omnium; quia à fidelibus data illis ſint & donata. Reſpondeo primò nihil propriè loquendo poſſe donari Deo; quia nihil eſt quod iam ipſius non ſit: dicente ipſo, *ſi eſuriero, non dicam tibi, meus eſt enim orbis terræ, & plenitudo eius:* vnde ſicut impoſſibile eſt vt intelligatur quid eſſe & non in Dei poſſeſſione: ita impoſſibile eſt quid verè Deo donari, id eſt, ita illius de nouo fieri, vt antea non eſſet. Secundò idem de Chriſto Domino dicendum eſt,ſi vt Deus eſt conſideretur; ſi verò vt homo, primò non poteſt illi quidquam donari,cùm iam omnia ipſius ſint. Secundò peculiaris illa ratio quòd in ipſius honorem hæc conferantur, non conſtituit ipſum propriè dominum ciuilem, qui excludit alium nouum dominum. Ratio eſt,quia ad hoc vt quis ſit verus dominus ciuilis,debet eſſe perſona politica quæ vitam nobiſcum ciuilem ſocietatémque mutuam cum aliis exercere poſſit. Dominium enim ciuile ad vitam ſocialem quæ conſiſtit in mutuo commercio dãdi & accipiendi natura ſua eſt ordinatum: ſed Chriſtus non eſt iam huiuſmodi perſona, vt per ſe patet; nec eſt in vllo ſtatu vt poſſit iam ad hanc conditionem peruenire. non eſt ergo dominus de quo quærimus; quia cùm iam defunctis ciuile commercium interclusũm eſt,vt conſtat ex Ariſt. 1. *Ethicorum* 7. non eſt ergo dominus de quo quærimus.

Non obſtat quòd in illius honorem hæc bona expendenda ſint, aut ipſius intuitu ſint à fidelibus donata. nam hæc ratio conſtituit dominum, ſi perſona capax dominij ſit, & aliæ conditiones adſint, alioquin iam pridem mortui, poſſent verè dici domini ciuiles alicuius rei ſi illa in eius honorem impenderetur.

Non obſtat ſecundò, bona hæc dici Dei & Chriſti, quia nullius alterius ſunt in terris. nam hinc fieret eſſe bona hæc ſine domino, ac proinde poſſe occupari. quidquid enim ſolum Deum Dominum habet,eo ipſo poteſt ab homine priuato dominio occupari.

Non obſtat tertiò, ſi dicatur prohiberi illorum occupationem. nam quæro à quo id prohibeatur,non à Deo & Chriſto; tantum enim iſti prohibent occupari bona illis conſecrata, quod etiam vetat lumen naturale; ſi ab hominibus, quo iure id prohibent? ſi nullo; ergo malè prohibent. ſi aliquo; ergo iam eo ipſo bona illa ipſorum iuri & dominio ſubiecta ſunt. Bene ergo quoad hoc Leſſius & Vaſquez *loc. cit.* obſeruant qui faciunt Deum & Chriſtum dominos horum bonorum, vel non ſatisfacere quærentibus particularem & ciuilem dominum, vel certè confundere veram rationem dominij ciuilis & particularis. ſi enim hæc bona dicuntur nullius eſſe in terris, nulla ratio eſt cur quidquam dicamus eſſe alterius.

Non obſtat quartò, res ſacras dici in nullius eſſe poteſtate. quam rationem validè vrget Na-

natr.

Digitized by Google

uatt. præſertim *de ſpoliis.* §. 1. nam reſpondeo res ſacras qua tales propriè ſunt per conſecrationem vt ſic formaliter acceptas, non eſſe ſub vllius dominio ciuili, quia vt tales non poſſunt in promiſcuos vſus aſſumi: dominium autem ciuile conſiſtit in facultate vtendi re in tales vſus. Quare res iſto modo ſacræ tantùm ſubſunt curæ & adminiſtrationi illorum, quorum eſt procuratio ſacrorum: at res ſacræ materialiter, aut alia ratione quàm per conſecrationem ſine dubio ſunt ſub dominio vel Eccleſiæ vel ipſius Paſtoris: talia autem ſunt prædia & bona immobilia Eccleſiaſtica, ex quibus reditus percipiuntur; iura verò ciuilia, quando dicunt res ſacras eſſe in nullius poteſtate, de rebus ſacris primo modo intelliguntur.

8\. *Dominium penes Eccleſiam & communitatem.* QVÆRO QVARTO de dominio penes Eccleſiam & communitatem, quàm probabiliter id aſſeratur.

RESPONDEO & DICO PRIMO, ponere hoc dominium (vniuersè & abſolutè loquendo) penes cœtum Eccleſiaſticum cuiuſlibet Eccleſiæ particularis improbabile eſt. Primò, quia ſequitur in multis Eccleſiis hoc dominium fruſtrà eſſe. nam nullum omnino vſum illius habent; vt ſunt quibus ſemper de Paſtore à Sede Apoſtolica prouidetur, tales enim non poſſunt alienare bona ipſa, non locare, non quidquam aliud facere, non capere vllos fructus qui omnes cedunt prouiſo beneficiario, non prouidere aut eligere ipſum titularem. in quo ergo conſiſtit hoc dominium? iura enim non agnoſcunt vlla bona quorum vſusfructus ſit perpetuò apud aliquem futurus; apud alium verò proprietas, quia id fruſtrà eſſet. Secundò, quia hinc omnia incommoda ſequuntur quæ ſuprà deduximus contra dominium beneficiariorum. nam eodem modo videretur ſingulis Eccleſiis fieri iniuria, ſi priuarentur perpetuò facultate diſponendi de bonis illis quorum dominæ ſunt; nec vnquam poſſent vllos fructus ex illis percipere. Tertiò, quia libetum eſſet Capitulis, & cœtibus Eccleſiaſticis imponere penſiones beneficiariis quos eligunt, aut ſi id non permitterentur, non ſine iniuſtitia fieret. cur enim quod ſuum eſt non poſſint alteri conferre cum ea conditione quam magis probant? Quartò quod hinc ſequitur quòd non poſſit aſſignari ratio cur ſolus Pontifex poſſit imponere penſiones, aut alij non niſi de ipſius conſenſu. Quintò, quia non ſine iniuſtitia poſſet Epiſcopatus vniri, diuidi, reſtringi, extingui, non conſentientibus Eccleſiaſticis. nam quod meum eſt, mihi auferri me inuito ſine culpa non poteſt. *l. finali. ff. de pactis. l. ſi poſt mortem.* §. *final. ff. de bon. poſſeſſ. cont. tab. l. ſicut. C. de actionibus & obligationibus.* at Summus Pontifex pro libito ſuo poteſt hæc omnia facere, etiam inuitis Capitulis & Collegiis, vt colligitur ex *cap. propoſui. de conceſſione prabendæ. cap. deteſtanda. de prebend. in 6.* beneque explicat VVameſius *conſil. 195. numer. 6.* Quintò denique, quia monſtrum eſt in iure vt purus diſpenſator & adminiſtrarot plus auctoritatis habeat in bona quæ adminiſtrat, quàm abſolutus, directus & proximus dominus, ſi hic ſui compos ſit, & plena ratione vtatur vt cœtus Eccleſiaſtici. Cùm ergo Summus Pontifex plus poſſit circa bona omnium Eccleſiarum, quàm cœtus & Collegium cuiuſlibet illarum, abſurdum eſt adminiſtratorem facere Pontificem; dominum verò cœtum & Collegium ipſum. Dixi hoc abſolutè, & vniuerſè loquendo intelligendum, quia poſſunt eſſe multi cœtus Eccleſiaſtici tam regulares quàm ſæculares ſuorum bonorum domini, & de facto tales multi ſunt ex tacita, vel expreſſa conceſſione Summi Pontificis.

DICO SECVNDO, ponere dominium directum horum bonorum in Eccleſia vniuerſali, minus improbabile eſt: adhuc tamen aliquam improbabilitatem habet quòd ſit minus improbabile quàm præcedens; conſtat, quia multa abſurda ibi deducta hic non ſequuntur. Quòd adhuc improbabile ſit, probatur hac vnica ratione, quia nulla poteſtas ad exteriorem adminiſtrationem ſpectans concedenda eſt in tota Eccleſia vniuerſali, quæ eadem & maior non ſit admittenda in ſummo illius capite & Paſtore: quod docet Antonius Cordub. *lib. 4. de poteſt. Papæ, quæſt. 1. & 4.* tam certum eſt quàm Concilium vniuerſale non eſſe ſupra Papam, fuſéque traditur à Bellarm. *lib. duobus de Summo Pontifice.* Ergo quidquid poteſt Eccleſia vniuerſalis circa bona Eccleſiaſtica adminiſtranda, totum illud & amplius poteſt Pontifex, ac proinde ſi ex illa potentia, Eccleſia vniuerſalis domina conſtituitur, multo magis dicendus eſt dominus Summus Pontifex, vt paulo pòſt explicabitur. Confirmatur, quia totum id quod poteſt & valet quælibet communitas quæ ſtatu regitur perfectè Monarchico; multo magis reſidet penes ipſum caput quàm penes communitatem, vt demonſtrat Bellar. *lib. 1. de Rom. Pont.* Sanderus *libr. 1. de Monarchia Eccleſiaſtica*, Caietan. *opuſc. de poteſtat. Papæ.* Sed cœtus Eccleſiaſticus eſt perfectè Monarchicus, vt iidem docet. ergo quod poteſtatis eſt in communitate Eccleſiaſtica, idem & multo perfectiùs erit in ipſo capite. & conſequenter incongruenter negatur dominium in Pontifice, ſi ponitur in communitate; cùm totum quod in ipſa eſt, in hoc perfectius ſit. 9.

Non obſtat primò, quòd paſſim ſacri canones dicant hæc bona eſſe Eccleſiæ, vt conſtat ex toto *tit. de reb. Eccleſiæ alien. vel non alien.* item ex *tit. de rer. permutatione.* & ex alio *de his quæ fiunt à Prælato ſine conſenſu Capituli.* Nam reſpondeo primò in ſacris litteris, & canonibus cùm nomen Eccleſiæ vſurpatur non excludi ipſius Paſtorem, ſed principaliùs includi: immo frequentiùs nomine Eccleſiæ intelligi ipſius Rectorem, non Congregationem: vt cùm Chriſtus præcipit denunciandum Eccleſiæ, qui correptus non emendatur. vt bene explicat Bellar. *libr. 2. de Rom. Pont.* Secundò reſpondeo, dupliciter quid dici alterius: vno modo tanquam domini propriè dicti: alio modo cui ornando, reparando, ſuſtentando attribuitur. & hoc ſecundo modo dicuntur bona Eccleſiæ, & ab illa acquiri: per hoc autem non eo ipſo compleri rationem dominij. Conſtat primò, quia multa dicuntur eſſe fabricæ altaris, & Eccleſiæ materialis, quæ non ſunt capacia dominij cùm ſint inanimata. Secundò, quia multa dicuntur eſſe pauperum, qui in communi capaces dominij non ſunt. qui enim dominus eſt, debet

debet eſſe vel perſona vera, vel ficta: vera, vt quilibet homo ſingularis: ficta, vt collegium, vel quælibet vniuerſitas; pauperes autem in communi nec ſunt perſona vera, vt per ſe patet, nec ficta, quia hæc conſtat ex certo & determinato cœtu, vt bene obſeruat Sarmiento *p. 1. numer.* 15. Vaſquez *cap.* 2. §. 1. *dub.* 2. *de redit.* Pauperes autem in communi ſunt communitas incerta; quare quod illorum eſſe dicitur, non poteſt eſſe illorum tanquam proprium dominium habentium, ſed tanquam quibus tribui debeat & diſpenſari, vt bene ex Card. & aliis obſeruat Redoan. *quæſt.* 1. *&* 3. *de ſpoliis.*

Non obſtat ſecundò quòd hîc poſſit opponi Eccleſiam particularem eſſe determinatum cœtum, ac proinde nullam eſſe rationem, cur quod dicitur eſſe illius, non intelligatur ab illa cum dominio poſſideri. nam reſpondeo, ſi nomine cœtus intelligitur Congregatio habens Paſtorem, eo ipſo quòd quid dicitur eſſe illius Congregationis, intelligitur eſſe Paſtoris tanquam domini, vel tanquam ſupremi Adminiſtratoris, quia quod dicitur eſſe gregis, intelligitur eo ipſo eſſe ſub dominio domini, vel Paſtoris gregis: gregis autem non vt domini, ſed vt eius in cuius vtilitatem eſt impendendum.

10\. *De opinione, dominium eſſe penes Pontificem.*

QVÆRO QVINTO, quid cenſendum de opinione quæ dominium ſtatuit penes Pontificem.

RESPONDEO, hanc aliis probabiliorem videri, ac propterea abſolutè dicendum, Summum Pontificem dominum eſſe bonorum omnium immobilium Eccleſiaſticorum. Dico *abſolutè loquendo*, quia facta aliqua ſuppoſitione ex conceſſione ipſius Pontificis tacitâ vel expreſſâ poſſunt eſſe multi cœtus Eccleſiaſtici tam regulares, quàm ſæculares proximi & directi domini ſuorum bonorum. Probatur autem concluſio, quia abſolutè loquendo nulla perſona in terris, ſiue vera & particularis, ſiue ficta, vt communitas quælibet & cœtus vniuerſalis plus poteſtatis habet in bona Eccleſiaſtica, quàm Pontifex ipſe; ſed ille ſemper longè plus poteſt. ergo vel nullus dominus dicendus eſt in terris horum bonorum, vel Summus Pontifex dicendus eſt. quod confirmatur ſecundò per locum à definitione ad definitum. nam ſacri canones Summo Pontifici concedunt liberam, plenam, abſolutam facultatem diſponendi de iſtis bonis, ſed hæc eſt definitio dominij, aut illi æquiualens; ergo concedunt illi dominium: vnde *Clement.* 1. *vt lite pendente. ſalua tamen*, inquit, *in præmiſſis omnibus Romani Pontificis poteſtate: ad quem Eccleſiarum, Perſonatuum, Dignitatum aliorum beneficiorum Eccleſiaſticorum plena & libera diſpoſitio ex ſuæ poteſtatis plenitudine noſcitur pertinere.* omitto alia loca quæ affert Archidiaconus *tract. de hæreſi. verſic. quia tanta.* cum aliis quæ habet Redoan. *quæſt.* 1. *de ſpoliis*, poſt *numer.* 25. quibus conſtat omnimodam poteſtatem in beneficialibus Summo Pontifici à ſacris canonibus tribui. Tertiò confirmatur auctoritate eorum, qui parum æqui alioquin ſunt in Romanum Pontificem, & tamen docent apud illum, non apud Eccleſiam aliquam dominium eſſe rerum Eccleſiaſticarum, vt Zaſius *conſil.* 16. *lib.* 1. *numer.* 13. vbi hanc concluſionem docet ex Innocent. *in cap. cum ſuper. de cauſa poſſeſſionis, & proprietatis.* gloſ. Buttio, & aliis *in cap. conſtitutis. de religioſ. domibus. cap. antiqua. de priuilegiis. cap.* 2. *de præbend. in* 6. *cap. bona rei.* 12. *quæſt.* 2. *cap. per principalem, c. nunc verò.* 9. *q.* 11. accedunt quæ ad hoc ipſum probandum affert Caſtro *conſil.* 283. *verſ. his præſuppoſitis.* quem ibi adducit Zaſius. facient ad idem allata à Pariſ. *conſil.* 82. *volum.* 4. *numer.* 22. vbi ex pluribus probat Papam eſſe dominum beneficiorum, poſſeque de illis ad libitum diſponere. quod tamen quatenus ſit intelligendum infrà patebit.

Obiicies primò videri nos contrarium docuiſſe ſuprà *tract.* 41. *quæſt.* 2. Reſpondeo primò, diximus ibi Pontificem non poſſe dici abſolutè dominum beneficiorum, quatenus hæc continent etiam officia ſpiritualia, horum enim Pontifex dominus non eſt. Secundò ibi docuimus quid eſſet probabile: hîc non negamus illud eſſe probabile; ſed decidimus quid nobis videatur probabilius. 11.

Obiicies ſecundò Theologos contra hanc ſententiam eſſe qui adducunt pro ſe D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 100. *art.* 7. *ad* 7. Reſpondeo quoad Theologos alios, plures eſſe qui Papam dicunt dominum, & Vaſquez, vt vidimus, conſtituit illum dominum bonorum immobilium Eccleſiæ Romanæ. Licèt ergo Caiet. 2. 2. ad illum locum D. Thomæ & alij hoc negent, opponimus illis multitudinem omnium aliorum; ad quod tamen obſeruandum dominum aliter aliquando accipi à Iuriſconſultis & Canoniſtis, aliter à Theologis. illi enim dominum eſſe volunt quicumque rem ita tenet, vt nullus illo plus circa eam iure diſponere poſſit: at Theologis dominus tantùm eſt qui de re poteſt pro libito ſuo in omnes vſus ſine cuiuſquam iniuria diſponere. quare Theologis hæres dominus non eſt fideicommiſſi, ſed potiùs vſufructuarius; qui tamen Iuriſconſultis verus dominus eſt, licèt poſt mortem fideicommiſſum reſtituere teneatur. qui ergo negant Pontificem eſſe dominum, non tribuunt illi minorem facultatem, quàm hæredi fideicommiſſario, ſed longè maiorem. quare ab iis qui dominum conſtituunt, non in reipſa differunt, ſed in modo loquendi. Quoad D. Thomam eo loco nihil habet contra nos. dicit enim Pontificem non eſſe dominum, ſed diſpenſatorem rerum Eccleſiaſticarũ. Per res autem Eccleſiaſticas intelligit etiam ſacras & ſpirituales, & officia quæcumque Eccleſiaſtica, vt patet ipſum legenti. erat enim argumentum ad quod reſpondet, huiuſmodi: Papa non poteſt committere ſimoniam ſecundùm quoſdam; poteſt autem vendere vel emere res ſpirituales; ergo ſimonia non conſiſtit in harum rerum venditione. Reſpondet poſſe Papam incurrere ſimoniam ſi vendat res ſpirituales; & ſubdit rationem; *quia res Eccleſiæ non ſunt eius vt domini; ſed vt diſpenſatoris.* per quod patet D. Thom. nomine rerum Eccleſiæ intelligere etiam res ſpirituales, Sacramenta & officia purè Eccleſiaſtica. 12.

Obiicies tertiò cum Nauarr. §. 2. *de ſpoliis, num.* 2. Pontificem non eſſe dominum, quia dominus poteſt rem ſuam alienare, & pro libito ſuo in omnes vſus expendere, vbi ſuperioris præcepto non impeditur; ſed Pontifex non habet in terris ſuperiorem. *Extrà de elect. c. innotuit, c. ſi Papa* 40. *diſt.* ergo vel dicendũ eſt nõ eſſe dominũ, vel omnia poſſe pro libito alienare abſque hoc quòd cuiquam faciat iniuriam, quod tamen non conceditur. Reſpõdeo quẽlibet eſſe rei ſuæ 13.

pro

pro libito moderatorem ; niſi vbi obligat præceptum ſuperioris, aut expreſſa vel tacita conditio appoſita & acceptata, cùm rei dominium transfertur. Pontifex non habet ſuperiorem qui ſibi legem imponat, ſed habet qui ſecum contrahat, & conditiones apponat in contrahendo, quibus ex iuſtitia tenetur eo ipſo quòd illas acceptat.

14. Obiicies quartò ex eodem Nauarro *ibidem*, verum & abſolutum dominum alicuius rei poſſe eam alienare & donare, & ea pro libito vti. *l. ſed etſi. §. conſuluit. ff. de petitione hæreditatis. l. in re mandata. C. de mandato.* Ergo ſi Pontifex non poteſt pro libito alienando diſponere, dominus non eſt. Reſpondeo, aliud eſt eſſe verum dominum, aliud verum & abſolutum. Verus dominus eſt penes quem rei proprietas & commoditas eſt. Abſolutus verò qui ita rem poſſidet vt nulla conditione circa illam aut ex præcepto, aut ex conuentione obligetur. Verus dominus poteſt eſſe (licèt non abſolutus) qui cum tali obligatione poſſideat : vt patet in eo qui habet bona oppignerata, vel hypothecata, & in hærede fideicommiſſario, qui licèt abſolutus dominus non ſit, quia fideicommiſſa tenetur reſtituere, nec poteſt alienare ; verus tamen dominus eſt. vt conſtat *l. deductum. §. vltimo. ff. ad Trebellianum. & l. quidam. §. ſi quis.* & hoc genus dominij in Summo Pontifice eſt admittendum ; vel certè negandum contra omnia iura Reges, primogenitos, fideicommiſſarios & quicumque habent bona ſua ex aliquo contractu obligata, ſiue ad tempus, ſiue in perpetuum, non eſſe veros dominos, quia non ſunt abſoluti ab omni obligatione ; quod eſt iura omnia & vocabula confundere.

15. Obiicies quintò, qui donant Eccleſiæ, nihil de Pontifice ipſo cogitant ; immo potiùs contrarium. Ergo per eorum donationem Pontifici non acquiritur. Reſpondeo, nullus poteſt facere vt leges ſiue naturales, ſiue gentium in diſpoſitionibus ſuis locum non habeant. *l. nemo. ff. de legatis* 1. quemadmodum ergo qui donat ſeruo, non poteſt facere vt donatum (ſi de ciuili poſſeſſione loquamur) non ſit domini, & qui donat monacho vt donatum non ſit monaſterij ; ita qui donat gregi, eo ipſo donat paſtori, & propterea quicumque donant Eccleſiæ & Chriſto, eo ipſo donant Eccleſiæ paſtori & Vicario Chriſti, quia dominium ciuile nullum de nouo Chriſtus acquirit, niſi per eum qui vices ipſius gerit in terris. Sed videamus iam quæ bona immobilia poſſit aut non poſſit Pontifex alienare.

De prohibitione alienandi reſpectu Summi Pontificis : an hic & quatenus & reſpectu quorum bonorum ille teneatur. §. 2.

Prohibitio alienandi reſpectu Pontificis ex iure Canonico.

16. QVÆRO PRIMO, an Summus Pontifex teneatur ex prohibitione ſacrorum canonum non alienare. Ratio dubitandi eſt ex *cap. non liceat Papæ.* 12. *quæſtio.* 2. vbi Symmachus Papa, *Non liceat*, inquit, *Papæ prædium Eccleſiæ alienare aliquo modo pro aliqua neceſſitate*, &c. Sed dicendum eſt nulla prohibitione quæ veniat ex ſacris canonibus Summum Pontificem obligari ad non alienandum. res eſt tam certa, quàm Papam eſſe Summum Monarcham & Principem, qui nullius auctoritati ſubiiciatur in terris. quod eſt certiſſimum, & habetur *cap. cuncta per mundum.* 9. *quæſt.* 3. Probatur autem euidenti ratione. nam canones præcisè conſiderati vim ſuam obligatoriam habent, vel à Papa, vel à Concilio : ſi à Papa, non poſſunt Papam ligare ; quia par in parem non habet poteſtatem. *cap. innotuit. de elect. l. penult. ff. de arbitr. l. ille à quo. §. intempeſtiuum. ff. ad Trebellianum.* ſi à Concilio, multo minus id poſſunt. nam Concilium ſine Papa, Papæ ſubiicitur ; cùm Papa & ab illo confirmatum, maiorem auctoritatem non habet quàm Papa ; vnde nec alium Papam poteſt obligare.

Non obſtat primò quòd vnus Pontifex teneatur credere id quod alius definit vt de fide credendum, quia id non eſt quòd vnus Pontifex habeat in alium poteſtatem, ſed quòd Spiritus ſanctus qui per vnum Pontificem credenda definit, omnes obligat ad illa credenda. itaque non eſt id, vnum Pontificem ſubiici alterius auctoritati in præcipiendo ; ſed alterius infallibilitatis in rebus fidei decidendis. quare in hoc caſu non vnus Pontifex alteri ſubiicitur ; ſed omnes Spiritui ſancto, qui per aſſiſtentiam infallibilitatis ſemper credenda definit cùm quid ab illis ex cathedra definitur.

Non obſtat ſecundò canon adductus, *Non liceat Papæ.* Primò, quia probabiliſſimum eſt Papæ vocabulum pro aliis omnibus Epiſcopis accipi, quàm pro Romano Pontifice. Secundò, quia ſi etiam pro iſtô accipiatur, non loquitur præceptiuè, ſed tantùm declaratiuè. aliud eſt autem obligare, aliud declarare obligationem aliquam iam ineſſe. quæ autem & qualis hæc obligatio ſit, quam Papæ canon non imponit, ſed impoſitam declarat, deinceps explicabitur.

Non obſtat tertiò quòd Papa poteſt aliquid Eccleſiæ donare, & rei à ſe donatæ obligationem imponere, vt non alienetur. quia tunc Papa ſucceſſor obligabitur non ex vi canonis, vt vim legis continet ; ſed vt contractus eſt cum ſucceſſore, conditionem eo ipſo acceptante, quod rei à prædeceſſore relictæ poſſeſſionem capit. ſponte enim quid acceptans, in onera illi impoſita conſentire cenſetur. Et fortaſſe canon ille *non liceat*, ſic eſt interpretandus, vt Symmachus in illo docuerit obligationem realem bonorum Eccleſiæ à primis dominis illis impoſitam ; vel à prædeceſſoribus Pontificibus : qui cùm ea poſſiderent vt abſoluti domini, ac proinde poſſent pro libito alienare ; maluerunt ea vinculo aſtringere ne diſtrahi poſſent. & ex hoc numero fuit Symmachus. nam ſi ille abſolutus dominus erat bonorum Eccleſiæ, poterat illa alienare pro libito quacumque conditione appoſita. & ſi hoc in alios, cur nòn in ſucceſſores ? ſi enim laicus abſolutus dominus poteſt cum hoc onere rem ſuam Eccleſiæ tradere, & obligare Pontificem, cur non poſſit Pontifex idem facere reſpectu aliorum Pontificum de re cuius dominus abſolutus eſt ? ſi verò Symmachus abſolutus dominus non erat, obligationem quam ipſe habebat circa illa bona, ſucceſſoribus intimauit. quare canon ille *non liceat*, Summos Pontifices non reſpicit ; niſi illis declarando obligationem non alienandi vel à primis dominis

Digitized by Google

contractam; vel à Symmacho, ſi dominus ipſe erat, rebus Eccleſiaſticis impoſitam, & per hanc explicationem illa tolluntur quæ contra hunc canonem à gloſſ. & aliis afferuntur, & expendit Paulus de Caſtro *conſil.* 414. *numer.* 4.

17. *Ex lege naturali.* QVÆRO SECVNDO, an & quatenus Summus Pontifex ex lege naturali teneatur res Eccleſiæ non alienare.

RESPONDEO Nauarrum *de ſpoliis.* §. 2. & 3. multa circa hanc quæſtionem docere, quæ maiori aliqua indigent perpenſione. Primùm enim abſolutè dicit ex lege naturali Papam de iuſtitia teneri non alienare bona immobilia Eccleſiæ ſine cauſa. Secundò docet alienando ſine cauſa peccare peccato furti. Tertiò teneri ad reſtitutionem. Quartò, illum in quem talia bona ſunt alienata non poſſe ea tuta conſcientia retinere. Quintò, hanc cauſam quam debet habere Pontifex alienando non præſumendam eſſe, ſed probandam. ita §. 2. *numer.* 2. Sextò dicit cùm quid ſine iuſta cauſa Papa in laicum alienat, inualidè & iniuſtè alienare. ex quo Septimò, ſit dominium non transferri. Octauò docet cùm Papa quid alienat ab vna Eccleſia in aliam ſine cauſa, peccare peccato iniuſtitiæ: valere tamen alienationem. Nonò dicit cùm ſine cauſa aufert beneficiùm ab vno, & tradit alteri, valere item tranſlationem, eſſe tamen iniuſtam. Decimò dicit cùm Pontifex aliquid ſine rationabili cauſa alienat, ſemper contra iuſtitiam alienare. ex quibus aliqua ſunt falſa, aliqua dubia & obſcurè explicata, ideo accuratiùs diſcutienda. quod in ſequentibus quæſtionibus exequemur. Interim ad quæſtionem propoſitam

RESPONDEO & DICO PRIMO Summum Pontificem lege naturali ex triplici capite ad non alienandum teneri. Primò ex debito rectæ rationis. Secundò ex debito iuſtitiæ. Tertiò ex debito religionis. ex primo capite tenetur, non abſolutè ad non alienandum; ſed ad irrationabiliter non alienandum. & hoc ex generali obligatione, quam habent omnes homines nihil contra rationem rectam operandi. qua Summus Pontifex tanto magis quàm alij omnes tenetur, quantum ſupponitur ipſe aliis omnibus ratione præcellere, & plura à Deo accepit, quia cùm creſcunt dona, rationes etiam creſcunt donorum, & ab eo plus exigitur qui plus accepit. Gregor. Papa *homil.* 30. *in Euang.* Ex ſecundo capite ad idem lege naturali tenetur, quia vnuſquiſque hac lege ad id aſtringitur, ad quod ex iuſtitia obligatur. licèt enim non omnis obligatio naturalis ſit ex iuſtitia propriè dicta: omnis tamen obligatio ex iuſtitia eſt etiam naturalis; quia lex naturalis ea ſeruari iubet, ad quæ quiſque ex iuſtitia tenetur. D. Thomas 1. 2. *quæſt.* 94. *artic.* 1. *quæſt.* 99. *artic.* 2. & 2. 2. *q.* 122. *artic.* 1. & *l.* 1. *ff. de pactis. cap.* 1. *de probationibus.* Sed Summus Pontifex ex iuſtitia ad quædam non alienanda tenetur, vt paulo pòſt explicabitur. Tertio loco ad idem tenetur ex debito religionis ratione iuramenti, quo ſe ipſe ſponte obligauit ad quædam non alienanda. ſi enim pacta quæcumque cum hominibus conuenta lege naturali ſeruanda ſunt; quanto magis quæ cum Deo fiunt, aut teſte Deo, ex eadem lege debent cuſtodiri.

QVÆRO ergo TERTIO, ex quotuplici capite teneatur Summ. Pontifex de iuſtitia non alienare. 18. *Capita ex quibus Pontifex tenetur non alienare de iuſtitia.*

RESPONDEO ex triplici. Primo ratione officij. Secundo pacti tacitè vel expreſsè initi cum iis qui bona ſua Eccleſiæ tradiderunt. Tertio ratione ſimilis pacti cum iis quibus Pontifex bona Eccleſiaſtica confert.

Quòd iſta tria capita obligent ex iuſtitia, per ſe conſtat. primùm enim obligatio quæ eſt ex officio, dubium non eſt quin ſit ex iuſtitia. nam ratione officij quod quis gerit ad duo genera perſonarum obligatur. Primò ad eos vel cum qui officium inſtituerunt; ſic nempe exercendum vt ab illis eſt inſtitutum. Secundò ad eos in quorum vtilitatem eſt inſtitutum. vnde officium quodlibet ad alterum obligat, nempe ad terminum & principium illius; termini illi ſunt quibus iuuandis & quorum commodis procurandis officium illud impenditur. principium autem officij ſiue cauſa efficiens eſt ipſius inſtitutor & auctor. vnde fit quemcumque qui officium aliquod gerit, eo ipſo obligari ad inſtitutorem officij, & ad illos pro quibus iuuandis eſt inſtitutum. quòd ſi tam auctor officij, quàm ij pro quibus impenditur, ſunt eiuſmodi vt inter illos & eum qui officium gerit poſſit interuenire æqualitas vel inæqualitas cum mutua damni illatione & compenſatione, ſine dubio talis obligatio officij erit ex iuſtitia propriiſſimè dicta ex vtroque capite, tam nimirum ex parte inſtitutoris officij, quàm eorum pro quibus eſt inſtitutum; & quia officium omne ciuile hanc obligationem ex hoc duplici capite continet, erga alteros cum quibus poteſt ab officium gerente fieri æqualitas, vel inæqualitas; inde eſt quòd omnis obligatio ex officio ſit etiam ex iuſtitia propriè dicta. quod ſecundò confirmatur, quia omnis obligatio ad alterum vel eſt ex charitate, vel ex iuſtitia; & hæc vel propriè accepta, vt inter eos inter quos poteſt eſſe æqualitas, vel poteſtatiua; qualis eſt obligatio ex religione, obedientia & aliis virtutibus iuſtitiæ annexis, de quibus D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 58. & 80. Sed obligatio ex officio non eſt ex charitate, quia hæc prouenit ex coniunctione aliqua naturali, inter eos qui mutuò ex charitate obligantur; obligatio autem ex officio non eſt ex coniunctione naturali, cùm officium non ſit quid naturale, nec inditum à natura, aut ab illa proueniens. erit ergo ex iuſtitia: & hæc cùm non ex iuſtitia poteſtatiua, qualis eſt religio, obedientia, gratitudo, liberalitas erit ex iuſtitia propriiſſimè dicta: quod tertiò confirmatur, quia obligatio inter eos, inter quos poteſt eſſe æqualitas ratione æqualitatis alicuius faciendæ, eſt ex iuſtitia propriiſſimè dicta. D. Thomas *quæſt.* 57. *artic.* 1. talis eſt obligatio ex officio; eſt igitur ex iuſtitia propriiſſimè dicta. Quòd verò obligatio ex ſecundo capite, nempe ex pacto tacito, vel expreſſo cum illis qui ſua bona Eccleſiæ tradiderunt ſit etiam ex iuſtitia, probatur, quia dubium non eſt vnumquemque rei ſuæ dominum poſſe illam cum conditionibus transferre quæ ſibi magis placuerint. *l. ſed & ſi.* §. *conſuluit. ff. de petitione hereditatis.*

l. in

Digitized by Google

l. in re mandata. C. de mand. quæ conditiones eo ipſo quòd expreſsè vel tacitè acceptantur ab eo qui rem tranſlatam accipit, obligant ex iuſtitia propriè dicta, ex qua pacta tacitè vel expreſsè conuenta ſeruanda ſunt. *ff. de pactis. & ff. de verb. oblig.* ex quo denique

Tertium caput conſtat eſſe quoque ex iuſtitia; nam ſicut qui recipit aliquid cum conditione appoſita à donante & tradente, pacto erga illum ex iuſtitia obligatur; ita qui dat aliquid, eo ipſo erga acceptantem obligatur. qui ergo bona alicui fruenda in titulum aliquem concedit, eo ipſo tacito quodam pacto obligatur ad ea quæ talis tituli propria ſunt illi ſeruanda. patet ergo obligationem quæ eſt ex hoc triplici capite eſſe ex iuſtitia propriè dicta. Iam verò triplex hoc caput obligationis in Pontifice eſſe reſpectu alienationis non faciendæ conſtat. Primùm ex officio ad hoc obligatur, quia bona Eccleſiaſtica quæ poſſidet licèt vt dominus poſſideat, non tamen abſolutè & perſonaliter poſſidet, titulo nimirum qui perſonam ſequatur, ſed ratione officij qua Pontifex eſt; quare cùm dominus, ſed limitatus ſit, non poterit vltra id in rebus Eccleſiaſticis quid facere quod ſibi per officium Pontificatus circumſcribitur, qui eſt illi titulus poſſidendi. Quod autem ratione alicuius tituli poſſidetur, debet à poſſeſſore ex iuſtitia ita tractari, vt imminutum quantum fieri poteſt ad alios tranſmittatur qui ſunt in eodem titulo ſucceſſuri. ſed alienatio, ſi non omnis, ſaltem aliqua eſt imminutiua poſſeſſionis cuiuſcumque, ſiue rei quæ poſſidetur: ergo qui rem aliquam poſſidet ad quam non imminuendam ratione officij tenetur, obligatur etiam ex eodem officio ad illa non alienanda, ſaltem eo genere alienationis quæ ſit damnoſa & imminutiua poſſeſſionis. ergo Summus Pontifex etſi Dominus Eccleſiaſticorum bonorum, quia tamen non abſolutus eſt, ſed limitatus, quæ poſſidet ratione officij, tenetur ex officio non alienare ſaltem illa diminuendo. eſt ergo in Pontifice prima obligatio non alienandi ex officio: ſed eſt etiam ſecunda ex pacto cum iis qui dominium tranſtulerunt. fideles enim qui ſua bona Chriſto conſecrarunt omnes ferme (ſi de pretioſis & immobilibus loquamur) cum tacito pacto & conditione Eccleſiæ tradiderunt eo ipſo quòd in certum vſum donarunt & reliquerunt; & ſic donata & relicta ab Eccleſia ſunt accepta, ad quam eorum voluntatem ſeruandam Pontifex ex iuſtitia tenetur, cùm ex tacito pacto teneatur. *l. 1. & l. legatam. ff. de adminiſt. rerum ad ciuit. pert.* Vſus autem in quem bona hæc tradiderunt, duplex fuit. Primus, vt ex illis Eccleſiæ dotarentur vnde poſſent ornari, refici, ædificari, &c. Secundus, vt beneficia inſtituerentur. quod vtrumque tacitam conditionem inuoluit taliter donata & relicta damnosè non alienandi. tenetur ergo Pontifex illa ex hoc capite non alienare.

Tertium denique caput etiam ad Summum Pontificem ſpectat. quia beneficia Eccleſiaſtica quæ ipſe confert, vel alij auctoritate ipſius omnia titulo aliquo conferuntur eo ipſo; ergo tacito quodam pacto tenetur eos in beneficio collato ita manutenere, vt titulus requirit in quem ſunt collata. His poſitis quæ neceſſariò erant præmittenda vt ſequentia intelligerentur,

QVÆRO QVARTO, ad quam alienationem non faciendam Pontifex ex iuſtitia teneatur. 19. *Alienatio ad quam faciendam Pontifex non tenetur ex iuſtitia.*

RESPONDEO, alienationem poſſe ex triplici capite diſtingui. Primò ratione termini in quem res alienata transfertur. Secundò ratione termini à quo alienando (vt Canoniſtæ loquuntur) diſmembratur. Tertiò ratione formæ ipſius alienationis. ratione termini ad quem, alia alienatio eſt in Eccleſiaſticos, alia in laicos. ratione termini à quo, alia eſt cùm quid à Pontificatu ipſo alienando ſeparatur, alia cùm quid ad Eccleſia Romana, alia cùm à particularibus Eccleſiis. ratione verò formæ & modi alienationis, alia eſt merè priuatiua, alia compenſatiua priuatiua, cùm nihil loco rei alienatæ reponitur, & duplex eſt, alia liberalis, quæ dicitur donatio ad quam reducitur omnis alienatio gratuita, quæ dicitur fieri titulo lucratiuo ex parte recipientis: alia prodiga, quæ dicitur largitio & diſſipatio; & eſt omnis alienatio damnoſa & diſpendioſa alienanti. compenſatiua verò alienatio eſt in qua quid æquiualens recipitur loco rei alienatæ, propterea dicitur fieri titulo oneroſo ex parte eius in quem alienatur; qualis eſt venditio, permutatio, tranſactio, &c. His poſitis quæ fuſiùs à DD. exponuntur toto tit. *de rebus Eccleſ. alien. & tit. de donationibus*, vbi Abb. & Anchar. ad quæſtionem RESPONDEO &

20. DICO PRIMO, Summus Pontifex non tenetur ex iuſtitia, abſolutè loquendo, non alienare compenſatiuè bona immobilia Eccleſiarum. ex quo fit ipſum ſine vlla iniuſtitia poſſe illa vendere, permutare, aut aliter contractu oneroſo alienare. Dixi non teneri ex iuſtitia, quia an teneatur ex religione ratione iuramenti, alia quæſtio eſt, de qua §. ſeq. Dixi *abſolutè loquendo*, quia poteſt eſſe vt reſpectu aliquarum rerum teneatur ex tacito pacto cum illis qui tales res Eccleſiæ tradiderunt. cuiuſmodi ſunt quæ à primis dominis relicta ſunt cum expreſſa conditione, vt ſemper in Eccleſia retineantur, & nunquam alienentur, ſiue in laicos, ſiue in alias Eccleſias. quo dempto abſolutè loquendo non teneri Summum Pontificem ex iuſtitia compenſatiuè contractu oneroſo non alienare, probatur primò, quia Summus Pontifex abſolutè loquendo tantùm ex iuſtitia tenetur ad id deterius non reddendum quod poſſidet titulo Pontificatus. ex iuſtitia enim vt Pontifex eſt ad nullam aliam æqualitatem faciendam circa iſta bona tenetur, quàm ad ea conſeruanda in eo ſtatu quo accepit, vel ſi læſa ſua vel aliorum culpa aut alia occaſione ſunt, reparanda. ergo ex iuſtitia præcisè circa iſta bona ad nihil vt Pontifex eſt tenetur, niſi ad illa non imminuenda, aut ſi alicuius iniuria imminuta ſunt reparanda. quod fit vel in eadem conditione ipſa ſeruando, ſi nihil in iis læſum ſit: vel ſi quid fuerit imminutum, in ſibi debitam reponendo. Sed per alienationem compenſatiuam conditio bonorum Eccleſiaſticorum deterior non fit, cùm ſemper in æquiualenti æſtimatione ſeruentur. ergo ad iſtam alienationem non faciendam Pontifex ex iuſtitia non obligatur. Secundò, quia ſupremus Princeps qui aliquid non abſolutè, ſed titulo principatus poſſidet, tenetur tantùm ex iuſtitia bona principatus notabiliter non imminuere. *cap. intellecto. de iureiurando. cap. grandi. de ſupplenda negligentia Prælatorum in 6.* Oldradus

dradus *conſ.* 94. *Eleganter, in fine.* Bart. *l. prohibere. §. planè. ff. quod vi aut clam.* Angelus *in l. ſi certarunt, ff. de teſt. militis.* alij apud Nattam *conſ.* 512. *n.* 13. 21. Sed per alienationem compenſatiuam quę fiat titulo oneroſo, bona Pontificatus non diminuuntur; ſaltem non notabiliter, vt per ſe patet ab illa. ergo Summus Pontifex ex iuſtitia non prohibetur.

Non obſtat ergo primò ſi dicatur, Papam non eſſe Dominum, ſed Adminiſtratorem, cuius facultas non extenditur ad alienationem rei adminiſtratæ, etiamſi fiat alienatione compenſatiua. *l. procurator. totorum. ff. de procuratoribus. cap. fin. de officio Vicarij, lib.* 6. vnde punitur Adminiſtrator non ſolùm ſi alienat, verumetiam ſi tentet. *l. iubemus. §. œconomus. C. de ſacroſanct. Eccleſ.* Anchar. *conſil.* 158. VVammeſius *conſil.* 288. *numer.* 8. *conſil.* 294. *num.* 6. *tom.* 1. Nam reſpondeo primò Pontificem eſſe Dominum bonorum Eccleſiaſticorum, licèt non abſolutum, vt ſuprà docuimus. nam primò habet longe maiorem facultatem in res Eccleſiæ, quàm fideicommiſſarius in hæreditatem quā reſtituere grauatus eſt; cuius tamen verus dominus eſt. *l. deductum. §. vltimo. ff. ad Trebell. & l. quidam. §. ſi quis.* & eſt textus *cap.* 1. *de teſtamentis*; vt perpendit Redoan. *de ſpoliis. quæſt.* 3. *num.* 25. Secundò, quia ſi Adminiſtrator eſt, cuius eſt? ſi Eccleſiæ; ergo illi ſubiicitur; ergo Eccleſia ſupra Papam; non Papa ſuper Eccleſiam; ac proinde vel Eccleſia non eſt grex, ſed Paſtor, contra verbum Chriſti: vel grex eſt ſuper Paſtorem. nec enim aliud dici poteſt ſi Papa rerum Eccleſiæ miniſter eſt, Eccleſia Domina. ſi verò Chriſti & Dei diſpenſator & adminiſter eſt, non tollit hæc adminiſtratio rationem veri dominij ciuilis. quia diuites dicuntur à SS. Patribus Dei diſpenſatores. *cap. licet hi. §. ſed aut quarus.* 47. *diſtinct.* vbi negat Ambroſius poſſe diuites dicere proprium ſuum eſſe quod poſſident, quia acceperunt à Deo pauperibus diſpenſandū. quod idem ſignificatur *cap.* 2. 12. *quæſt.* 1. *& cap. aurum. eadem. quæſt.* 2. *& cap. non ſatis. diſtinct.* 86. Si ergo diuites licèt diſpenſatores & adminiſtri Dei vocantur; ſunt tamen veri domini. ergo non ob hoc Pontifex negandus dominus eſt quòd dicatur Dei adminiſtrator. Tertiò, eſto ſit Adminiſtrator, non eſt tamen per modum tutoris aut procuratoris, ſed per modum abſoluti Vicarij, qui ita illum repræſentat cuius res adminiſtrat, vt eodem nomine cenſeatur. vnde & *Deus* dicitur, non verè, ſed repræſentatiuè quoad Eccleſiam gubernandam. *cap. ſatis.* 96. *diſtinct.* vbi Nicolaus Papa Conſtantinum laudat à quo Rom. Pontifex Deus fuerat appellatus. iam verò licèt ordinarius adminiſtrator alienare non poſſit (de quo intelliguntur citata iura) nec in generali mandato facultas alienandi contineatur, vt ex pluribus VVammeſius *d. conſil.* 288. *&* 294. adminiſtrator tamen cum plenitudine poteſtatis & vices alterius perfectè gerens alienare poteſt, & tantùm ex iuſtitia tenetur rem adminiſtratam deteriorem non facere ſine vrgenti & neceſſaria cauſa. quia in hoc nōn præſumitur voluntas ſupremi domini conſentire. *l. inter omnes. §. rectè. §. vetare. ff. de obligat. quæ ex delict. naſc.* vnde & Vicarij imperiales qui iam in Italia conſtituebantur plenam facultatem habebant alienandi, modò non in euidentem iacturam Imperialium ditionum, & colligitur ex Archid. *cap. fin. de offic. Vicarij in* 6. Felin. *cap. poſtulaſti, in princ. de reſcriptis.*

Non obſtat ſecundò ſi dicatur Papam ſi ſit concedendus dominus bonorum Eccleſiæ eſſe limitatum, non abſolutum, & per modum fideicommiſſarij qui hæreditatem fidei ſuæ commiſſam non poteſt alienare etiam compenſatiuè; quia tenetur eam reſtituere. *l.* 15. *§.* 1. *ff. vt leg. vel fideicommiſſ. nom. caueatur, & l.* 51. *ff. de iudiciis.* nam reſpondeo fideicommiſſarium dominum duplicem eſſe, vnum inſtitutum in certa ſpecie bonorum: alium in valore ſolùm tot bonorum, ex quibus tot annui reditus percipiantur. Primus fideicommiſſarius alienare nullo modo poteſt, nec etiam compenſatiuè. Secundus poteſt. ex hoc ſecundo genere eſt Summus Pontifex, neque enim vllo præcepto vel conditione (abſolutè loquendo) obligatus ad hæc in ſpecie prædia, caſtra, poſſeſſiones & bona conſeruanda: ſed in genere ad conditionem Summi Pontificatus non reddendam deteriorem. Si enim ad id obligatus eſt, à quo? non ab illis qui bona tradiderunt (vniuersè loquendo) non à Chriſto Domino, nullum enim tale Chriſti præceptum proferri poteſt. Si ab Eccleſia ipſa, Conciliis aut Pontificibus; ergo iam Pontifex illo præcepto teneri non poteſt, cùm par in parem non habeat auctoritatem. *l. nam & magiſtratus. ff. de arbitris.* & multo minus inferior in maiorem. *c. inferior* 21. *diſt.*

Dico secundo, Summus Pontifex ex iuſtitia tenetur bona Eccleſiaſtica immobilia non alienare priuatiuè, modo explicato; alienatione nimirum damnoſa, & bonorum ſtabilium Eccleſia diminutiua. eſt communis ſententia Theologorum Canoniſtarum, qui abſolutè docent non poſſe ſine cauſa Pontificem, aut quemlibet ſupremum Principem de rebus principatus ſui notabiliter donare: quod intelligunt de immobilibus. Sic Ancharanus habito intellectu de iureiurando, & habetur *cap. Abbate ſane. de re iudicata, in* 6. Bart. *l. prohibere. §. planè. ff. quod vi aut clam.* Bald. *titul. de pace Conſtant. verb. ſucceſſor,* idem Bald. *l. pactum quod dotale. quæſt.* 18. *C. de collat.* Natta *conſil.* 638. *numer.* 46. Probatur autem, quia ad id ex iuſtitia Summus Pontifex tenetur, ad quod ex officio tenetur, vt ſuprà oſtendimus. Sed ex officio tenetur ad illud imminutum cuſtodiendum quod titulo officij poſſidet, & ſucceſſoribus tranſmitti debet, quia ex officio primum omnium tenetur officium ipſum & illius iura cuſtodire: vt habetur per plures canones tota *diſt.* 96. & conſtat inductione, quia Conſul primum omnium ad iura conſularia & conſulatus officium, & eius munera cuſtodienda defendēdaque tenetur. quod colligit Bald. *d. tit. de pace Conſtant.* ex *l. ſi officio. ff. quiſq; à quibus.* cum pluribus quos ad hoc adducit Natta *dicto conſil.* 688. vnde in iure ciuili poſt titulos *de iuſt. & iur. & de legibus,* ſubiicitur *de variis diuerſorum magiſtratuum officiis.* vt intelligatur ad quod quis ex officio tenetur ex iuſtitia teneri, & primum omnium vnumquemque magiſtratum ex officio teneri ſui officij iura cuſtodire, & ſucceſſoribus illęſa ſeruare. Tenetur ergo ex iuſtitia Summus Pontifex conditionem Pontificatus non notabiliter imminuere, ſed integram ſucceſſoribus cuſtodire. & hoc eſt quod dici communiter ſolet ſi quid alienetur ſine cauſa ex rebus 21.

Digitized by Google

bus immobilibus Eccleſiæ alienatione damnoſa, & nullo modo recompenſatiua eſſe in præiudicium & iniutiam ſucceſſorum. quod pluribus Nauar. confirmat *de ſpoliis.* §. 2. & 3.

Alienatio merè gratuita & non compenſatiua rerum immobilium Eccleſiæ, facta à Pontifice.

22. QVÆRO QVINTO, an omnis alienatio merè gratuita & non compenſatiua rerum immobilium Eccleſiæ à Pontifice facta, ſit contra iuſtitiam.

RESPONDEO non omnem, ſed tantùm quæ fit ſine cauſa. ita DD. *cap. ſine exceptione.* 12. *quæſt.* 2. *cap. nulli. de reb. Eccl. alien. cap.* 1. *eodem, in* 6. vbi gloſſ. Ratio eſt primò, quia quilibet dominus non abſolutus & prohibitus alienare, vel pacto ſuo, vel voluntate defuncti, rationabili tamen cauſa ſuperueniente poteſt alienare, etiam alienatione merè gratuita, & non compenſatiua. vnde quotidie petuntur diſpenſationes in fideicommiſſis, &c. Similiter adminiſtrator qui alienare (ſimpliciter loquendo) non poteſt, accedente cauſa poteſt: vt conſtat de Epiſcopis qui tantùm adminiſtratores ſunt. *cap. fraternitatem. de donationib.* & tamen alienare donando poſſunt ex iuſta cauſa. *cap. ſine exceptione.* 12. *quæſt.* 2. ergo ſiue Papa ponatur dominus, ſiue adminiſtrator, poterit cum cauſa bona Eccleſiaſtica, etiam gratuitò alienare. Secundò probatur, quia quoties de re aliqua diſponitur iuxta voluntatem eius cuius intereſt de re illa diſponi, non iniuſtè diſponitur. omnis enim iniuſtitia eſt cum aliqua iniuria reſpectu eius qui læditur iniuſtè: quoties autem ſecundùm voluntatem alicuius fit, iniuria nulla ei fit. §. *furtum.* & §. *placuit. Inſtitut. de oblig. quæ ex delict. naſc.* Sed diſpoſitio bonorum Eccleſiaſticorum etiam per alienationem gratuitam facta cum cauſa, non eſt contra cuiuſquam voluntatem cuius intereſt, ſiue ad quem quomodocumque bona illa pertineant. nam vel ſpectatur Chriſtus Dominus, & hic verè vult vt cum cauſa talia bona ſic alienentur, vel ſpectantur illi qui bona hæc Eccleſiæ contulerunt, & iſti etiam velle præſumuntur vt de re quam reliquerunt accedente cauſa aliter diſponatur etiã alienando quàm ipſi ſtatuerunt, vt colligitur ex Bart. *l. omnes.* §. *rectè. de furtis.* vel ſpectatur Eccleſia ipſa, & hæc etiam verè vult & determinat, vt cum cauſa bona Eccleſiaſtica donentur, aut aliter expendantur. *cap. aurum.* 12. *q.* 2. Sed tunc

Differentia inter dominum abſolutum & limitatum, vel etiam adminiſtratorem.

23. QVÆRO SEXTO, quæ ſit differentia inter abſolutum dominum, & limitatum, ſiue etiam tantùm adminiſtratorem, in facultate alienandi. Ratio dubitandi eſt, quia ſi dominus non abſolutus, aut etiam adminiſtrator poteſt cum cauſa alienare gratuitò donando, &c. nihil in hoc eo plus habet abſolutus dominus. nam hic etiam tenetur non alienare ſine cauſa ea quorum dominus abſolutus eſt; & ſi alienat, peccat. quod ſic oſtenditur. nam quiſque tenetur iuxta præſcriptum rectæ rationis operari: ergo cum ratione: ergo cum cauſa ſui facti; quia in iure & in re præſenti idem eſt cauſa quod ratio agendi. *l. cùm ratio. ff. de bonis damnator.* vbi DD.

24. RESPONDEO & DICO PRIMO, in multis differre dominum abſolutum, & limitatum quoad obligationem non alienandi ſine cauſa. Ad quod præmitto, dominum abſolutũ eſſe qui de re ſua poteſt in omnes vſus diſponere nullo priuato contradicente. Dixi *nullo priuato*, quia perſonam publicam gerens, ne quis vendat, emat, donet aut rem ſuam prodigat. Dixi *legitimè*, quia iniuſtè & de facto poteſt quis ab alio prohiberi ne re ſua pro libito vtatur. & in hoc ſenſu accipienda eſt definitio communis dominij: quod eſt facultas vtendi rei in omnes vſus lege non prohibitos, quam colligunt DD. *l. ſed etſi.* §. *conſuluit. ff. de petitione hereditatis. l. in re mandata. C. de mandato.* ſignificatur enim hîc abſolutum dominium conſiſtere in facultate qua non poſſit quiſquam priuatus iure impediri; ſed tantùm perſonam publicam gerens: at verò dominus non abſolutus eſt, cui iure poteſt in aliquo vſu rei ſui, ab alio priuato contradici, cui in illo vſu & diſpoſitione iniuria fiat. quod ex duplici capite proximè oritur, primùm ex voluntate tradentis rem poſſeſſam: ſecundò ex voluntate pacti domini poſſidentis. Ex primo capite eſt omne dominium rei fideicommiſſæ ad quod reducitur dominium dotis, & quæ titulo officij poſſidentur: vt Regna, Ducatus & alia quæcumque certis conditionibus à primis dominis tranſmittuntur. Ex ſecundo capite ſunt omnia dominia nexu aliquo vel ex contractu, vel ex delicto obligata. contractu, vt hypothecæ & pignoris, ſiue generalis, ſiue ſpecialis. ex delicto, vt furti, vſuræ, &c. dubium enim non eſt cum qui grauatus ære alieno velit omnia ſua alienare. ſtatim à creditoribus contradictionem paſſurum; qui etiamſi in eorum fraudem alienet, contra iuſtitiam peccabit, licèt eorum dominus ſit quæ alienat. Dixi proximè ex hoc duplici capite oriri. quia tandem omnis hæc obligatio in vnam radicem reſoluitur pacti taciti, vel expreſſi quod fiat inter dominum non abſolutum, & eos quibus ille tenetur. nam, exempli gratia, eo ipſo quòd hæres fideicommiſſarius hæreditatem cum onere illam reſtituendi acceptat, ex contractu ſuo tenetur. ſimiliter & maritus eo ipſo quòd aliquid dotis nomine acceptat, & illi qui officium aliquod acceptant eo ipſo cenſentur conſentire & paciſci, cùm non aliter eo vtantur cuius dominium admittunt, quàm cum conditionibus, quæ à iure vel eorum voluntate qui dominium illud transferunt ſunt conſtitutæ. His poſitis

DICO SECVNDO dominum abſolutum 25.
à non abſoluto in multis differre circa facultatem alienandi. Primò, quia domino abſoluto nullus priuatus poteſt contradicere quo minus de re ſua prout ſibi magis placuerit diſponat; cùm in hoc genere dominij locum habeat quod dici ſolet vnumquemque de re ſua arbitrum, & moderatorem eſſe: at dominus non abſolutus iure poteſt à priuato impediri ne alienet. Secundò differunt, quia licèt vterque dominus teneatur non alienare ſine cauſa; diſcrimen in hoc tamen eſt, tum ratione debiti quo tenentur, tum ratione cauſæ quam debent reſpicere. ratione debiti, quia dominus abſolutus tenetur non alienare ſine cauſa ex debito naturali: at dominus non abſolutus ad id tenetur ex debito iuſtitiæ; quia debitum domini abſoluti generale eſt, quo omnes homines in omni ſua actione tenentur, cùm præditi ratione ſint ad nihil agẽdum niſi cum ratione: at debitum domini non abſoluti eſt ſpeciale, & ad alterum deſcendens ex tacito vel expreſſo pacto quo hæres erga defunctum tenetur, vel erga alios quibus cum ipſe contraxit, aut quibus ex officio prouidere tenetur. & ex hoc tertio differunt in cauſa, quia do-

minus abſolutus vt cum iuſta cauſa alienet ſatis eſt eam eſſe conformem rectæ rationi, nullo habito reſpectu ad alterius ius, aut voluntatem. at dominus abſolutus vt cum iuſta cauſa agat præterea requiritur vt ea ſit conformis alterius voluntati; ita vt ab ea rationabiliter alij quorum intereſt non poſſint diſſentire. vnde in domino abſoluto ſatis eſt ad alienandum pro ratione voluntas, modò conformis rectæ rationi. *l. quia poterat. ff. ad Trebell.* & ibi DD. at non abſolutus ſi ex ſolo libito ſuæ voluntatis alienet, iniuſtè alienat.

Et ex hoc id intelligitur quod dici ſolet, dominum abſolutum liberè, & pro libito poſſe de re diſponere. non enim hoc eſt quòd poſſit pro quacumque voluntate ſua etiam irrationabili diſponere; ſed quia alterius voluntas non eſt ibi ſpectanda, & quòd liberè, quia nullo contradicente. Decius *cap. quæ in Eccleſiarum. num. 3. de conſtit.* at verò dominus non abſolutus, nec pro libito poteſt alienare, quia ſimul aliena voluntas vel verè, vel præſumptiuè requiritur: nec liberè, quia poſſunt illi iure alij impedimentum obiicere alienationem tentanti.

26. Dico tertio, longè diſpar ratio eſt domini non abſoluti & adminiſtratoris in facultate alienandi, licèt in vtroque cauſa competens requiratur, & ſi ſine illa alienent, iniuſtè alienent. nam primò dominus non abſolutus alienans ſine cauſa, peccat quidem contra iuſtitiam, ſed validè alienat, vt infrà paulo pòſt. at adminiſtrator & peccat & inualidè facit quod facit, ſi ſine cauſa facit. Secundò dominus non abſolutus iniuſtè alienando, tenetur tantùm ad id quod intereſt iis quibus præiudicium intulit alienando; niſi res ſit ſpecialiter obligata fideicommiſſo, vt eadem in ſpecie ſucceſſoribus, & vocatis tranſmittatur: at Adminiſtrator ad reſtitutionem tenetur, vt tantum reponat, quantum alienauit. Tertiò dominus non abſolutus non peccat peccato furti iniuſtè alienandi, ſi propriè loquamur. cùm enim dominus ipſe ſit, licèt iniuſtè re vtatur, vſus ille non eſt contra voluntatem domini, ac proinde non continet propriam malitiam furti, quæ præcisè loquendo conſiſtit in attrectatione rei alienæ inuito domino: at Adminiſtrator propriè furtum committit iniuſtè alienando, quia rem alienam attrectat domino repugnante, vt bene notat Nauar. §. 2. *de ſpoliis. n. 4.*

Nec obſtat quòd dominus poſſit etiam in re ſua furtum committere. Si, exempli gratia, eam occultè auferat creditori, vt bene docent Ang. & Sylu. *verb. furtum.* quia licèt aliter vtendo & rem ſuam vſurpando poſſit dominus furtum committere; non tamen poteſt illam præcisè alienando.

Ex his patet reſponſio ad rationem dubitandi initio quæſtionis propoſitam. licèt enim omnes iſti vt bene alienent debeant ex cauſa alienare, non tamen eodem modo, neque ad eandem cauſam, neque ad eandem debiti radicem tenentur.

27. QVÆRO SEPTIMO, quæ cauſa requiratur & ſufficiat vt dominus non abſolutus iniuſtè non alienet.

Cauſa ſufficiens cur dominus non abſolutus iniuſtè non alienet.

Respondeo & dico primo, in vniuerſum loquendo omnis cauſa iuſta cenſeri poteſt à qua ij quorum intereſt, vel ad quos aliquo modo res alienanda pertinet non poſſunt rationabiliter, verè, aut præſumptiuè diſſentire. Dixi, *ij quorum intereſt*, quia dominus omnis non abſolutus ita poſſidet, vt in re poſſeſſa plures alij habeant intereſſe, quos iura appellant *eos ad quos ea res pertinet.* vt *l. 1. §. prodeſt. & §. ſi alter. & l. 2. §. 1. ff. quorum legatorũ.* vbi res *non abſolutè poſſeſſa* dicitur tam ad poſſidentem, quàm ad alios qui ſucceſſuri ſunt, vel ius aliquod in illa habituri, pertinere; & illorum intereſſe quid & quomodo de illa diſponatur. Dixi *verè aut præſumptiuè*, quia ex iis multi præſentes ſunt, quorum voluntas poteſt ſtare & explorari. alij vel abſentes ſunt, vel pòſt futuri, quorum conſenſus eſt præſumendus, & iuris fictione pro præſenti & explorato habendus. Dixi *rationabiliter*, quia non omnis diſſenſus & repugnantia eius cuius intereſt, aut ad quem res pertinet, iniuſtam reddit attrectationem illius rei; alioquin nullus vnquam re ſua iniuſtè puniretur, cùm tamen & ſententia iudicis propter delictum, & voluntate Principis ob vtilitatem publicam paſſim plures rebus priuentur quæ ad ipſos pertinent. Hoc poſito probatur concluſio, quia omnis attrectatio & diſpoſitio rei rationabiliter inuitis illis quorum aliquo modo ea res intereſt iniuſta eſt. argumento eorum quæ tradunt DD. *cap. in re communi. de reg. iur. in 6.* vbi Ioan. Andreas, Anchar. Probus, Philippus Francus. nemo enim iure quod habet inuitus priuari poteſt; niſi conſtet irrationabiliter repugnare. Nauarr. *de ſpol. §. 2. numer. 4.* ex *l. inter omnes. §. rectè qui vas. §. certare. ff. de oblig. quæ ex delict. naſc.* Card. *Clem. quia contingit. de religioſis domibus.* docéntque alij ex *l. 2. ff. de offic. procuratoris Cæſaris.* Nulla ergo cauſa alienandi, in domino non abſoluto iuſta cenſenda eſt, quam ij quorum intereſt, non admittant; aut exiſtimentur (ſi abſint) rationabiliter improbare. ergo viceuerſa quoties ij vel non repugnant, vel exiſtimantur non poſſe rationabiliter repugnare, cauſa iuſta alienandi cenſenda eſt. Confirmatur, in eo caſu nullius ius læditur, quia contra nullius voluntatem fit ad quem res illa pertineat; ergo nihil iniuſtè committitur. ergo quoties dominus non abſolutus alienat ex cauſa cui ad quos res illa pertinet exiſtimentur non poſſe rationabiliter repugnare, non iniuſtè alienat.

Dico secundo, in particulari loquendo quoties vertitur communis vtilitas, aut neceſſitas, cauſa iuſta alienandi cenſeri debet, ita vt nulla alienatio à domino non abſoluto iniuſta ſit, quæ fiat ob communem vtilitatem, aut neceſſitatem. Dixi *ob communem.* Primò, quia ſola vtilitas, aut neceſſitas alienantis non ſufficit: niſi neceſſitas ſit extrema. Secundò, quia talis debet eſſe neceſſitas, & vtilitas quæ ipſos quoque tangat, quorum res illa intereſt, quæ à domino non abſoluto alienatur. huiuſmodi autem eſt neceſſitas & vtilitas publica; eo ipſo enim etiam illos tangit ad quos pertinet, ſiue ſint pòſt futuri & ſecuturi; ſiue in defectum præſentis poſſeſſoris mox ſucceſſuri. colligitur hæc duplex cauſa ex *cap. dudum. de reb. Eccleſ. non alien. in 6.* vbi DD. Io. Andr. Anchar. Francus, Probus. Ratio autem eſt, quia quantumuis alienare quis prohibitus ſit, præſumitur tamen ſemper exceptus caſus communis vtilitatis & neceſſitatis eorum, in quorum commodum ne alienatio illa fiat eſt interdictum, alioquin inſtituta in aliquorum fauorem in eorum odium 28.

Digitized by Google

odium & incommodum verterentur, contra regulam iuris *cap. quod ob gratiam. de regulis iuris, in 6.*

Hinc colligitur primò generalis regula retinendi rem alienam, ſiue non reſtituendi, quando nimirum id liceat. nam primò qui non reſtituit ob extremam neceſſitatem, iuſtam cauſam habet differendi, quia in eo caſu irrationabiliter alter repugnaret; & etiam ſi pari neceſſitate premerentur, potior tunc eſſet conditio poſſidentis. tempore enim neceſſitatis cùm omnia ſint communia ſaltem quoad vſum qui iam poſſidet eſt præferendus. ex D. Thoma 2. 2. *quæſt.* 66. *art.* 7. vbi Caiet. Valentia, Bagnes, Salon, Aragon. Turrius, Leſſius *lib.* 2. *dub.* 12. Secundò ſit in graui neceſſitate poſſe etiam reſtitutionem differri. colligitur ex Angelo *verb. furtum.* §. 32. Sylu. *eod. quæſt.* 5. Nauarr. Medina, Couarruuias, alij cum Leſſio *lib.* 2. *cap.* 12. *cit.* Quod tamen intellige niſi cui reſtituendum pari neceſſitate prematur. in quo bene dicunt Caiet. *d. quæſt.* 66. *artic.* 7. Soto *lib.* 5. *de iuſtit. quæſt.* 3. *art.* 4. Couarr. *reg. peccatum.* §. 1. *numer.* 3. Ratio autem eſt, quia eo caſu cui debet reſtitui, non poteſt rationabiliter ab hac dilatione diſſentire. Tertiò ſit cùm tantùm agitur commodum & maior vtilitas detinentis debitum, aut non reſtituentis alienum, numquam iuſtam eſſe cauſam differendi, niſi fortè cui reſtituendum eſt ex ea mora nihil omnino incommodi conſequatur. Ratio eſt, quia nunquam iuſta cauſa ſubeſt rem quæ ad alterum pertinet contra ipſius voluntatem vſurpandi; niſi cùm ille irrationabiliter repugnaret, vt cõſtat ex dictis. Sed in hoc caſu repugnantia non eſſet irrationabilis, immo maximè rectæ rationi conformis; quia probabile non eſt vt quis velit cum ſua iactura ſuum apud alium retineri ad illius tantùm commodum & vtilitatem. ergo in hoc caſu ſemper præſumitur dominus repugnare; & hoc non irrationabiliter. irrationabile enim non eſt, vt quis velit alterum de re ſua non proficere, dum ipſe ex ipſius carentia laborat. licèt enim longè perfectius eſſet hoc conſentire: non tamen contra rationem eſt ſi repugnetur, quia non ob id quid eſt contra rationem, quòd eius oppoſitum ſit longè rationabilius, alioquin malum eſſent nuptiæ, quòd longè perfectius ſit amplecti virginitatem. At quòd ſi nullum incommodum ex hac mora interueniat, fortè liceat reſtitutionem ad ſuum magnum incommodum differre, licèt probabiliter alterius repugnantia præſumatur; conſtat, quia talis repugnantia videtur irrationabilis, cùm rationi maximè conſonum ſit, quod tibi non obeſt, & alteri plurimum prodeſt, eſſe facilè concedendum. *l.* 2. *in princ.* vbi DD. *ff. ſolut. matrimonio.* gloſſ. *l. fin. de ſeruitute vrbanorum prædiorum. l. ſi quis ſepulcrum. ff. de relig. domib.* Alciat. *conſil.* 30. *lib.* 2. Dixi *fortè*, quia non omnino hæc cauſa dilationis mihi certa videtur, nec paſſim vſurpanda, ne detur hinc occaſio hominum cupiditati aliena retinendi. Quartò ſit in caſu noſtro de rebus Eccleſiaſticis, nunquam eſſe iuſtam cauſam alienandi diſpendioſè res Eccleſiæ, fortunam conſanguineorum prælati Eccleſiaſtici amplificandam, ideo quoties alienatur gratuitò, & titulo lucratiuo ad conſanguineos ditandos, iniuſtè alienatur. eſt communis omnium Canoniſtarum, & Iuriſconſultorum, de qua fusè Redoan. *de ſpoliis. quæſt.* 3. poſt alios. Dixi *titulo lucratiuo & gratuito*, quia de alienatione oneroſa & compenſatiua alia ratio eſt, vt ſuprà vidimus, & paulo pòſt iterum. Dixi *ad ditandum*, primò vt excluderem alienationem quæ fiat in illos ad remunerandum, vel illos Eccleſiæ magis deuinciendos; de qua re poſtea. Secundò, vt excluderem donationes modicas, quæ ſunt potiùs ad teſtificandam honeſtam beneuolentiam, quàm ad ditandos eos quibus donatur; ſic autem explicata concluſio certiſſima eſt ex Concilio Tridentino nouiſſimè *ſeſſ.* 25. *cap.* 1. & ex tota *quæſt.* 1. *&* 2. *in cauſa* 12. *Decreti.* vbi damnatur ſtudium in quocumque Eccleſiaſtico Prælato ditandi conſanguineos ex reditibus Eccleſiaſticis; quanto magis ergo idem improbandum, ſi ex bonis immobilibus vnde reditus proueniunt alienando ditētur? Ratio autem huius veritatis ex dictis conſtat, quia tam illi qui res Eccleſiaſticas reliquerunt, quàm alij qui in iis ſucceſſuri ſunt, aut ad quos hæc aliquo modo pertinent, ſemper præſumuntur huic alienationi repugnare; & hæc repugnantia eſt omnino rationabilis; ergo talis alienatio eſt ſemper iniuſta, quia cum rationabili repugnantia omnium eorum, ad quos aliquo modo pertinet res alienanda. Quòd probabiliter præſumantur repugnare, per ſe notum eſt. quòd hæc repugnantia ſit rationabilis, etiã clarum eſt, quia quod ad publicam vtilitatem inſtitutum eſt, non debet ad paucorum priuatum commodum deriuari. *l.* 1. §. *vlt. ff. de iuſt. & iur.* vbi DD. Sed bona Eccleſiaſtica fundata ſunt ob publicam vtilitatem, nempe ad pauperes alendos, ad Eccleſiam ſuſtentandam, ad Dei cultum augendum, vt conſtat ex *cauſa* 12. *tota quæſt.* 1. *&* 2. ditatio autem conſanguineorum Prælati Eccleſiaſtici, eſt tantùm priuata vtilitas paucorum: rationabiliter ergo alienationi ad illos ditandos factæ repugnatur. Sed tunc

QVÆRO OCTAVO, an cùm Summus Pontifex aliquid alienat, ſemper præſumendum ſit iuſtam cauſam ſubeſſe alienandi. Sunt quatuor ſententiæ. 29.

An Pontifex cùm alienat ſemper præſumatur iuſta cauſa alienandi.

Prima eſt Nauarri dicentis nunquam eſſe præſumendam, ſed euidenter illam conſtare debere, aut certè probandam. ita habet ille §. 2. *de ſpoliis. numer.* 7. *&* 8. *& conſil.* 56. *num.* 2. *de regularibus. lib.* 3. probat primò, quia quando aliquid fieri ſine iuſta cauſa non poteſt, debet illa probari, ſi non appareat, non præſumi. Bart. *l. ſi fortè. ff. de caſtrenſi peculio. l. ſi donatio. C. de collat.* Sed Papa non poteſt alienare ſine iuſta cauſa, vt oſtenſum eſt. Secundò, quia quoties Princeps venit contra ſuum contractum, non eſt præſumenda iuſta cauſa contraueniendi, ſed probanda. Panormit. *cap. quæ in Eccleſiarum. de conſtitutionibus.* Sed quoties Papa alienat gratuitò & diſpendioſè, venit contra ſuum contractum quem tacitè habet. Primò cum primis dominis qui bona tradiderunt. Secundò cum Eccleſia ipſa quæ illum elegit, vt ſuprà vidimus, & denique cum ſucceſſoribus, pro quibus quaſi cum præſenti Pontifice ſtipulatur Eccleſia, & cum ſuo Principe quælibet Reſpublica. ergo tunc iuſta cauſa non eſt præſumenda, ſed probanda. Tertiò, quia hoc euidenter colligitur ex *cap. non liceat Papæ.* 12. *quæſt.* 2. *non liceat*, inquam, *Papæ prædium Eccleſiæ alienare aliquo modo pro aliqua neceſſitate.* quæ prohibitio vel declaratio prohibitionis fruſtrà eſſet, dicit

Nauar.

Digitized by Google

Nauarr. ſi quoties quocumque modo Papa alienat, etiam nulla apparente cauſa; præſumenda tamen aliqua ſemper eſſet iuſta & rationabilis.

Secunda ſententia diſtinguit de alienatione, & de iis in quos alienatur. nam in alienatione merè gratuita ſiue titulo lucratiuo facta in laicos, dicunt cauſam non eſſe præſumendam, ſed probandam, niſi euidenter appareat; in omni verò compenſatiua, & in gratuita, ſed facta in Eccleſias vel Eccleſiaſticos vt tales ſunt, ſemper iuſtam cauſam præſumi, & non probari. Quòd non requiratur in vlla alienatione compenſatiua, conſtat, quia reſpectu illius habet Papa liberam facultatem, vt pro libito ſuo poſſit illam facere, nullius alterius conſenſu ſuppoſito, requiſito aut probabiliter præſumpto. Quòd in gratuita facta ab vna Eccleſia in aliam aut alios Eccleſiaſticos, probant, quia vbi nulla probabilis occaſio eſt delinquendi, ſemper omnia in bonum ſunt præſumenda, ac proinde ita fieri vt ſunt facienda: quare ſi non ſine cauſa certa fieri debent, ea debet præſumi interueniſſe. tota autem ſententia probari poteſt ex doctrina recepta quam tradunt plerique apud Sanchez *lib.* 8. *de matrimonio. quæſt.* 17. *numer.* 17. vbi agit de diſpenſatione quæ non poteſt fieri ſine iuſta cauſa. nam quoties ad quid faciendum iuſta cauſa requiritur, ea ſemper eſt præſumenda interuenire; cùm nihil eſt in contrarium, quod oppoſitum ſuadeat opinari, aut probabiliter ſuſpicari. ita Soto *in* 4. *diſt.* 21. *q.* 2. *art.* 2. *& lib.* 7. *de iuſtit. quæſt.* 4. *art.* 3. *ad* 2. Suarez *de cenſuris diſput.* 41. *ſeſſ.* 3. Sed cùm gratuitò quid in laicos alienatur ex rebus Eccleſiæ, ſuſpicio eſt in contrarium; cùm verò ex vna in aliam Eccleſiam quid alienatur, nulla eſt probabilis ratio dubitandi quòd mala cauſa ſubſit. ergo in caſu laicorum cauſa iuſta debet conſtare, non præſumi: in alienatione verò in aliam Eccleſiam ſemper præſumi.

Tertia ſententia poteſt eſſe, in alienatione in conſanguineos ſemper requiri cauſæ iuſtæ probationem: in alia quacumque eam præſumi. huius ſententiæ videtur eſſe Barbatias *conſil.* 20. *Illud afferam. colum.* 9. *volum.* 2. & probari poteſt, quia quoties quid Pontifex facit in commodum conſanguineorum, præſumptio eſt quòd ab affectu potius ducatur, quàm recta ratione. vnde Bald. *l. tutor.* §. *quæ tutoribus. ff. de excuſat. tutor.* cùm Papa, inquit, promouit nepotes, præſumendum eſt carnem & ſanguinem, non Patrem cæleſtem, hoc ei reuelaſſe. Sed quoties quid eſt faciendum cum cauſa iuſta, ea conſtare debet, aut probari, ſi ſuſpicio probabilis in contrarium vergat: ergo cùm quid diſpendiosè in conſanguineos alienatur iuſta cauſa, aut per ſe debet conſtare, aut certè probari, ac proinde non præſumi.

Quarta ſententia diſtinguit in forma, & modo alienandi ex parte alienantis. nam ſi alienatio fiat motu proprio ex certa ſcientia, & ex plenitudine poteſtatis, dicit præſumendam ſemper eſſe iuſtam cauſam in Pontifice alienante, ſi fiat ad inſtātiā partis, aut ſine motu proprio &c. aut cum certæ cauſę expreſſione, quæ narratiuè afferatur, non poteſtatiuè & aſſertiuè, dicit non præſumi iuſtam cauſam, ſed eſſe probandam. hæc ſententia veriſſima eſt, & iuxta illam ad quæſtionem

30. Respondeo & dico primo, in omni alienatione etiam gratuita & titulo lucratiuo, motu proprio & ex certa ſcientia facta, &c. in quoſcumque ea fiat, præſumendum ſemper eſſe iuſtam cauſam in Summo Pontifice interuenire: niſi contrarium appareat euidenter. dico *euidenter*, quia quæcumque aliæ ſuſpiciones, coniecturæ, aut etiam validæ præſumptiones in oppoſitum, cedere debent huic præſumptioni iuris, quæ eſt pro iuſtitia & validitate facti cuiuſcumque, aut diſpoſitionis quæ motu proprio, &c. à Summo Pontifice perficiatur. eſt communis opinio omnium eorum, qui in iis quæ ſine cauſa fieri non poſſunt, cùm à ſupremo Principe fiunt ex certa ſcientia, & motu proprio, dicunt illam ſemper eſſe præſumendam. ita Bald. *l. iubemus.* §. *ſanè. colum. vlt. C. de ſacroſanct. Eccl. & l. vnica, in fine. C. ne quis in ſua cauſa iud. & l.* 2. *ff. vbi pupill. educ.* Lucas de Penna *l.* 3. *col.* 4. *C. de apoch. lib.* 10. Paul. de Caſtro *conſil.* 270. *lib.* 2. Alciat. *reg.* 3. *præſumpt.* 9. Pariſius *conſil.* 115. *numer.* 1. *lib.* 1. Flamm. *de reſignat. lib.* 5. *quæſt.* 1. *numer.* 8. quod ſi verum eſt in omni Principe, qui ſuperiorem in temporalibus non recognoſcat, veriſſimum omnino & inconcuſſum debet eſſe in Summo Pontifice, vt expreſſè tradunt Rom. *conſil.* 369. *numer.* 28. *& conſil.* 436. *numer.* 19. Gram. *conſil.* 100. *numer.* 12. Alex. *conſil.* 1. *&* 2. *&* 107. *lib.* 2. Ferretus *conſil.* 39. quod etiam alij magis exprimendo declarant in Summo Pontifice ſemper iuſtam cauſam præſumi, etiam cùm agitur tertij præiudicium. Alex. *conſil.* 2. *numer.* 20. *volum.* 1. *& conſil.* 1. *numer.* 36. *lib.* 5. eámque eſſe magis communem opinionem teſtatur Burſatus *conſil.* 54. *numer.* 19. Flamminius *de reſignat. lib.* 5. *quæſt.* 1. *cit.* Probatur autem hæc concluſio primò, quia ſupremus Princeps qualis eſſe debet (niſi euidentia ſit in oppoſitum) talis iure præſumitur. Calcagninus *conſil.* 120. *numer.* 9. Iaſon *conſil.* 57. *colum. penult. lib.* 3. Caſſanæus *conſil.* 64. *numer.* 26. ergo ſupremus Principum quoties alienat, talis in ea alienatione ſe habere præſumitur, qualem iura requirunt, quæ volunt illum ſine iuſta cauſa non alienare. Secundò ſupremus Princeps in eo quod agit, id velle non præſumitur quod lex prohibet. Dec. *conſil.* 580. Gozadinus *conſil.* 101. *numer.* 10. Flamm. *lib.* 5. *d. quæſt.* 1. cùm ergo lex iuſtitiæ vetet bona Eccleſiaſtica ſine iuſta cauſa alienari, ea præſumenda eſt quoties à Pontifice ſupremo Principe alienantur. Tertiò probatur hoc idem ratione irrefragabili, quia in eo cuius facta iudicari non debent, & agendi rationes excuti & interrogari non poſſunt, ſemper eſt iuſta & legitima cauſa præſumenda; niſi euidentiſſimè conſtet illam non adeſſe. ratio eſt manifeſta, quia alioquin nunquam poſſent cum tali quieto animo commercia haberi. nam ſine iuſta cauſa agendi, quæ euidenter appareret, agi tutò non poſſet. hæc autem difficillimè & rariſſimè contingit, multi enim ſunt fines operandi, & infinitæ circumſtantiæ, quæ poſſunt in humanis actionibus interuenire; numquam ergo ferme, per ſe ſine vlla probatione euidenter conſtaret, cùm quid quis agit, iuſta illum & legitima cauſa moueri præſumitur. quare ſi ad cauſam probandam vocari non poteſt, vel erit ab omni commercio cum illo ceſſandum, vel certè fluctuanti ſemper animo, incerto & inquieto quidquid cum illo agetur peragendum; iam verò Summus Pontifex ita liber eſt in agendo, vt nemo

Digitized by Google

nemo ei iure dicere poſſit, cur ita facis. *cap. nemo. 9. quæſt. 3. cum duob. cap. ſeq. cap. paſtoralis. §. penult.* & ibi Innoc. *de offic. delegati.* gloſſ. *cap. non nos. verſ. quis enim, ad finem.* & *ibi* Præpoſitus 40. *diſtinct.* aſſerens inſtar ſacrilegij eſſe diſputare de facto Papæ, eius ſcilicet iuſtitiam in dubium vocando. allegans ad id §. *qui autem. cap. in memoriam.* 19. *quæſt.* 4. Si ergo ſine iuſta cauſa non poteſt Papa alienare, & cùm illa euidenter non apparet, præſumenda non eſt. & ex altera parte nullus eſt qui Papæ factum poſſit diſcutere, aut cauſas cur quid agat interrogare. quid erit agendum populo Chriſtiano cui ſemper eſt aliquid cum Pontifice vt cum ſuo Paſtore tractandum? nam vt Papa ſine cauſa alienare non poteſt, ita ſine ea multa alia non poteſt, quibus quotidie opus eſt populo Chriſtiano, vt ſunt diſpenſationes voti, iuramenti ad ordines, ad matrimonia. item prouiſiones Epiſcopatuum, &c. promotio Cardinalium, & denique quæcumque paulo grauiora ſpectant ad adminiſtrandum munus Pontificium quod gerit; hæc enim omnia vt iuſtè & licitè à Summo Pontifice fiant iuſtam cauſam requirunt; quæ ſi præſumenda non eſt, ſed probanda, & tamen an verè interueniat diſcenti non poteſt, nec Pontifex interrogari, nec factum iudicari, fluctuabit populus Chriſtianus, & in perpetua ſemper perplexitate verſabitur. & ex hoc quartò idem euidenter probatur, quia cuius factum cùm euidenter reprehenſibile nõ apparet, & numquam diſcuti & in peiorem partem iudicari poteſt, ſemper eſt cum iuſta & legitima cauſa præſumendum. Sed factum Summi Paſtoris quodcumque non eſt euidenter reprehenſibile, ſemper eſt in meliorem partem iudicandum. *cap. omes.* 2. *quæſt.* 7. ergo pro omni facto Summi Pontificis quoties contrarium euidenter non conſtat, præſumenda ſemper eſt iuſta & legitima cauſa faciendi.

Declaratur autem hæc concluſio, vt etiam procedat cùm Papa alienat in conſanguineos, quia tunc etiam iuſta & legitima cauſa eſt præſumenda, niſi contrarium euidenter appareat. poſſe enim conſanguineis iuſta de cauſa donari, &c. immò etiam aliquando debere, concluſio certi iuris eſt, ex *cap. non ſatis.* 86. *diſt.* Ancharan. *conſil.* 437. gloſſ. *cap. peruenit.* 1. *quæſt.* 3. Redoan. *quæſt.* 3. *de ſpoliis.* §. 1. *numer.* 10. Sed in Papa quoties euidenter oppoſitum non apparet, etiam cùm tertij præiudicium agitur, ſemper iuſta & legitima cauſa eſt præſumenda, vt modò docuimus. ergò etiam cùm alienat in conſanguineos.

31. Dico secvndo in alienatione facta ad inſtantiam aliorum, &c. cauſa iuſta non ſemper eſt neceſſariò præſumenda; ſed probanda quando de illa non conſtat. in hac concluſione ferè omnes conueniunt: & illam probant rationes Nauarr. & aliorum ſi quid probant, cùm volunt abſolutè in omni diſpoſitione quæ ſine cauſa fieri à Pontifice non poteſt, debere eam conſtare, aut probari, & numquam præſumi. in terminis autem illam docet Sanchez *diſput.* 17. *quæſt.* 12. *numer.* 15. *lib.* 8. *de matrimon.* & ante illum Natta *conſil.* 486. apud quos Abb. Dec. Bart. Felinus & alij. Probatur autem hæc concluſio primò, quia quoties agitur præiudicium tertij, cauſa debet conſtare, non præſumi, ſi factum ſit ab eo, vel cum illius interuentu, qui rationem facti ſui reddere teneatur, & cogi poſſit, & præſumptio ſit, quòd in tali caſu poſſit errare. cùm quid autem fit ad alterius inſtãtiam à Summo Pontifice, cum interuentu illius eſt qui poteſt & præſumitur errare; cuiuſmodi omnes ſunt qui precibus aliquid poſtulant, vt conſtat ex titulo Codicis *de precibus Imperatori offerendis,* & omnis qui cum Pontifice agit, & ad cuius inſtantiam quid ille diſponit, tenetur dicti ſui rationem reddere, & cogi poteſt, cùm præſertim agitur tertij præiudicium. in omni ergo alienatione Pontificis ad alterius inſtantiam, &c. cauſa non debet præſumi, ſed excuti poteſt & exigi vt probetur. Ad quod obſeruandum, cùm duæ præſumptiones concurrunt, ſemper validior elidit infirmiorem, vt per ſe patet, & habetur *cap. tua. & ibi gloſſ. de ſponſalibus.* Bart. *l. diuus. ff. de reſtit. in integrum.* Bald. *C. de probationibus. & l. inter.* vbi Angel. & Salicetus. *C. de calum.* quoties autem facto ſuo quis alterum lædit, præſumptio pro eo cui nocetur (ſiue ciuiliter agatur, ſeu criminaliter) validior eſt, quàm pro eo qui nocet, quia præſumptio pro læſo eſt iuris ſpecialis. quiſque enim indignus omni læſione præſumitur, dum contrarium euidẽter non exhibetur: at præſũptio pro lædente eſt generalis, quæ multas patitur exceptiones. nempe quiſque bonus credendus eſt, prima enim exceptio eſt, niſi eius bonitas præſumpta vergat in alterius præiudicium, alioquin in eo quod agit non bonus præſumendus eſt, ſed probandus, & hinc eſt quòd in quocumque quantæuis præſumptæ bonitatis alium accuſante, aut quod eſt alterius ſibi vindicante, non præſumitur dicti veritas, cùm litem aut crimen intentat, ſed probatur: quia agitur tertij præiudicium, in quo caſu nullus bonus præſumitur, ſed probatur. & hoc quia generalis illa præſumptio perimitur à ſpeciali. Bartol. *l. cùm indebitum, in princ. ff. de probationibus.* Bald. *l. ſicut poſſidetis. C. de probationibus.* Ergo in diſpoſitione Pontificis ad alterius inſtantiam, &c. ſi quod diſponitur tertij præiudicium concernat, cauſa diſpoſitionis præſumenda non eſt, ſed probanda; non reſpectu Pontificis, ſed eius qui quid ab eo precibus impetrauit. nam in hoc caſu pro tertio cui præiudicatur, præſumptio eſt ſpecialis, & de iure, quòd nulli præiudicium ſit inferendum, niſi cauſa probata: at pro impetrante ſtat tantùm præſumptio generalis quòd quiſque verax & bonus in dubio eſt præſumendus. & ex hoc ſecundo probatur concluſio, quia tunc probatio cauſæ non exigitur, quaſi de Põtificis iuſtitia, iuris ſcientia, dictorum veritate dubitetur; & non omnia quæ ab illo ſcit in meliorem partem præſumantur; ſed quia alius impetrans interuenit qui eo ipſo quod pro ſe poſtulat errare poſſe præſumitur, vt colligitur *l. reſcripta. C. de precibus Imperatoribus offerendis,* & explicat Natta *conſil.* 592. *numer.* 7. Cùm ergo in hoc caſu diſcuſſio cauſæ nullam Principis irreuerentiam contineat. *l.* 1. *C. de petit. bonorum. lib.* 10. & bene Natta *loc. cit.* ceſſat in eo omnis ratio, propter quam in ſuperiore concluſione probauimus, in alienatione ex certa ſcientia, &c. cauſæ iuſtitiam ſemper præſumendam. Non obſtat primò quod modò docuimus, præſumptionem quòd quiſque indignus eſt vt lædatur, niſi cauſa probetur, eſſe ſpecialem & iuris; ac proinde in omni caſu cuicumque alij præſumptioni præualere; & ſic etiam in alienatione cum motu proprio cauſæ

proba

Digitized by Google

probationem requiri. nam reſpondeo concurrere hîc aliam præſumptionem validiorem pro ſupremo Principum, quæ eſt vt cùm quid agit Motu proprio, ex certa ſcientia, &c.ſit ſemper iuſta cauſa præſumenda, niſi contrarium euidenter appareat.

Non obſtat ſecundò quòd vbi cauſa requiritur, non ſufficit eam aſſerere,ſed eſſe probandam. *l. ſi forte. ff. de caſtrenſi peculio. l. qui teſtamentum. ff. de probat.* cum aliis apud Ioannem Andream in additionibus Speculatoris *titul. de reb. Eccleſ. non alien.* nam reſpondeo hoc dictum variè limitari. & primò in Principe ſupremo, cuius aſſertioni ſtatur:vt præter iam dicta probat Natta *conſil.* 486. ex Bart. Innoc. Card. & aliis. Secundò in iudice, qui aliquid atteſtatur ex iis quæ ad ſuum officium concernunt; pro quo præſumendum etiam in præiudicium tertij conſtat ex *l. ſi publicanus. §. de rebus. ff. de publicanis. l. ſi qua per calumniam. C. de Epiſcopis & Clericis.* & tradit Innoc. *cap.* 1. *in fine. de fide inſtrumentorum.* Bald. Ioan. Andr. Butrius,alij cum Natta *d. conſil.* 486. quæ exceptiones ſi in aliis dubiæ eſſent, certiſſimæ eſſe debent in Summo Pontifice, cui ſtandum,& pro cuius aſſertione præſumendum, omnia iura clamant, in quacumque diſpoſitione cauſam poſtulante, & etiam tertij præiudicium concernente, vt præter ſuprà citatos in ſpecie tradunt Abb. *cap. ad audientiam. verſic. ex prædictis. de præſcriptionibus.* Cynus *l. final. circa finem. C. ſi contra ius. & l. reſcripta. quaſt.* 314. *C. de precibus Imperatori offerendis.* præſumptionem pro iuſtitia cauſæ in facto ſupremi Principis cauſam requirente eſſe violentam, quæ in contrarium, probationem non admittit, quod Cyni dictum admittit *ibi* Bald. Butrius *cap. quæ in Eccleſiarum. de conſt.* vbi Abb.& in ſpecie de Summo Pontifice idem tradit, hoſtis alioquin Sedis Apoſtolicæ, Zaſius *conſil.* 16. *lib.* 1. *numer.* 14. cuius hîc auctoritas eſt magnifacienda, vt opem & ſalutem etiam ſumamus ex inimicis noſtris.

Non obſtat tertiò, quòd Princeps veniens contra ſuum contractum debeat approbare cauſam, ſi illa non conſtet. nam hîc primò intelligitur de Principe non ſupremo. Secundò, ſi de ſupremo, intelligitur cùm non agit Motu proprio, & ex certa ſcientia, vt præter DD. adductos Iaſon *l. ſi teſtamentum. C. de teſtamentis.* Rom. *conſ.* 59.

Concludo ergo ex his contra Nauar. cùm Papa alienat,quomodocumque,& in quoſcumque alienet, niſi contrarium euidenter appareat, ſemper cauſam iuſtam præſumendam, ſi per Motum proprium,&c. procedatur. vt enim bene dicit Lucas de Penna antiquus Doctor *l. fin. C. de locat. prædiorum. libr.* 11. *col.* 21. *& ſi ex ratione facti profunditatem iudicij ſui penetrare non poſſumus, manifeſtiſſimè tamen ſcire debemus verum eſſe quod dicit, & iuſtum quod facit Pontifex, cùm cor eius ſit in manu Dei.* ad quod adducit Epiſtolam *inter claras. C. de ſumma Trinitate & fide Catholica*, & plura alia quæ per multas columnas ad hoc ipſum ſpectantia fusè deducit. verùm, vt dicebam, ſi ſalutem capere volumus ex inimicis noſtris, Zaſius legendus eſt, vbi hanc

32. eandem concluſionem quantum ad Pontificis dignitatem amplificandam facit d. conſil. doctè & eruditè probat.

Quid operetur præſumptio iuſtæ cauſæ in Pötifice.

QVÆRO NONO, quid operetur cùm iuſta cauſa in Summi Pontificis alienatione, aut alia diſpoſitione dicitur præſumenda, aut non præſumenda.

Respondeo, in praxi plurimum omnino referre hoc intelligere, & id in vtroque foro.

Dico ergo primo, in foro interiori poſita ſententia Nauarri, nullus in conſcientia tutus eſſet, qui cum Summo Pontifice contraheret, aliquid ab illo alienante recipiens titulo lucratiuo : niſi euidenter de iuſta cauſa conſtaret. ex quo ſumma perturbatio in quotidianis commerciis orirctur, & ſumma animi perplexitas & incertitudo : tum in iis, in quos immediatè Summus Pontifex alienat; tum in aliis, qui cum illis contraherent. nam ex vna parte tuti non ſunt, niſi iuſtam cauſam ſciant interuenire : ex altera non poſſunt ipſi, ſi non appareat, illam excutere & inueſtigare; cùm nullus Summo Pontifici dicere poſſit,cur ita facis. *cap. nemo. cum duobus ſeq.* 9. *quaſt.* 3. *cap. Paſtoralis.* §. *penult.* & *ibi* Innoc. *de offic. delegati.* & dicit gloſſ. *in cap. non nos. verſ. quis enim.* & *ibi* Præpoſitus. 40. *diſtinct.* ſacrilegij inſtar eſſe diſputare de facto Papæ. Doctrina ergo hæc Nauarri *de ſpoliis.* §. 2. reddit omnes perplexos, vt quocumque ſe vertant in aliquod peccatum ſibi videât incidendum. quam perplexitatem maximè iura refugiunt, vt habetur *cap. nerui* 13. *diſtinct.* vbi Turrecremata per plures quæſtiones. nec enim poſita illa ſua ſententia aliud dicere poteſt Nauarrus, quàm aut eſſe cuilibet deſiſtendum à contrahendo cum Pontifice, præſertim in alienationibus lucratiuis; quod quantam abſurditatem contineat, omnes vident, aut certè eſſe illius facta iudicanda, & contra citatos canones illorum cauſas excutiendas : aut denique cum mala conſcientia in tali commercio perſiſtendum, quod illam perplexitatem continet,quam tantopere damnat S.Gregorius *d. c. nerui.*

Dico ergo secvndo, poſita noſtra, id eſt,vera ſententia, quòd vbi euidenter contrarium non apparet, ſemper iuſta cauſa ſit præſumenda in alienatione Summi Pontificis, & quacumque alia diſpoſitione, quæ cauſam requirat, vt ſunt diſpenſationes in voto, in irregularitate, in pluralitate beneficiorum, abſolutiones à iuramento,&c. poſita,inquam, hac ſententia, in foro interiore quilibet tutus eſt, nec vlla debet ſollicitudine inquietari cui fuerit donatum, vel in aliquo diſpenſatum; modò illi de iniuſtitia cauſæ non conſtet; & diſpoſitio per Motum proprium fuerit, & ad aliorum inſtantiam non emanauerit. quod ſatis colligitur ex proxima quæſtione, & præter DD. ibi citatos, tradunt etiam Abbas *conſ.* 41. *incip. Saluatoris noſtri.* & Gigas *quaſt.* 10. *de penſionibus. numer.* 4. Sanchez *libr.* 8. *de matrim. diſput.* 12. *num.* 14. 33.

Dico tertio, in foro exteriori nullus inferior Papa poteſt alienationes abſolutas, id eſt, Motu proprio ipſius factas infringere,aut impugnare, quia vbi eſt præſumptio iuris & de iure, probatio in contrarium non admittitur. *cap. is qui. de ſponſalibus. l. fin. C. arbitr. tutelæ. l. antiquæ. C. ad Velleianum.* præſumptio autem quòd in alienatione Motu proprio facta, iuſta cauſa ſubſit, eſt iuris & de iure, vt ſuprà vidimus. At in ſententia Nauarri poterit quilibet impugnare donationes Papæ, illas in iudicium adducere, cauſas exquirere:quod quantam perturbationem contineat, & Romanæ Sedis irreuerentiam,omnes vident 34.

Dico

Dico qvarto, Papa quilibet ſucceſſor, non obſtante præſumptione explicata poteſt donationes, alienationes, &c. præceſſorum examinare, reuocare, &c. ratio eſt, quia ſi quilibet Pontifex poteſt ſua facta diſcutere, & diſpoſitiones immutare (noui enim ſemper caſus emergunt) poteſt id etiam ſucceſſor, cùm ſit eiuſdem auctoritatis, nec legem à præceſſore accipiat à qua coarctetur. Speculator *de delegat.* §. 2. *verſicul. ſed ſecundò.* nullam enim continet irreuerentiam quod Pontifex Pontificis facta diſcutiat, vt eſſet ſi quilibet alius id attentaret.

Non obſtat quòd hinc ſequeretur omnem contractum cum Summo Pontifice ſemper in ſuſpenſo futurum, ac proinde inutilem, quaſi ſemper ab illius arbitrio, vel ſucceſſoris pendentem. nam reſpondeo, non magis id locum habere contractum cum Pontifice, quàm cum priuato, aut quolibet alio. poteſt enim Pontifex, vt ſupremus, omnium Principum contractus quoſcumque inferiorum diſſoluere iuſtâ cauſa interueniente, de qua tamen, & eius iuſtitia cùm contrarium non apparet illi ſtandum eſt. Si ergo cum hac poteſtate in Pontifice particulares contractus ex iuſta cauſa irritandi, ſtat firmitas & valor contractuum; cum eadem etiam poteſtate firmi nihilominus, & perpetui cenſendi erunt quicumque contractus cum Pontifice ipſo peragentur.

34. *Alienatio compenſatiua quomodo fieri poſſit, & à quo.* QVÆRO DECIMO, an alienatio compenſatiua, ſiue titulo oneroſo, fieri ad libitum poſſit à quocumque domino non abſoluto.

Respondeo, & vt quæſtioni meliùs ſatisfiat, facti ſpeciem pono. Titius hæres inſtituitur à Caio, cum onere tamen bona relicta non alienandi. item dotale prædium ab vxore accipit, cum obligatione illud perpetuò retinendi. Quærimus ergo, an Titius auctoritate propria poſſit hæreditatem & prædium dotale compenſatiuè alienare, vendendo aut permutando, ita vt tantumdem aut amplius reponat quàm alienauit. & ratio dubitandi eſt, quia ex vna parte Titius limites ſuæ obligationis tranſgreditur, ſi alienet: ex altera iura non curant quid in æquipollentibus fiat. cùm ergo perinde ſit, tale prædium in ſpecie conſeruare, aut aliud quod illi æquipolleat retinere; videtur id poſſe fieri. & hoc facta ſemper ſuppoſitione quòd tantumdem omnino quoad omnes reſpectus reponatur, quantum fuerit alienatum.

35. Respondeo ergo, & dico primo qui dominium habet non abſolutum, ſi ſuperiorem recognoſcat, non poteſt pro libito alienare, etiam titulo oneroſo, & compenſatiuo, quæ ex contractu tacito vel expreſſo tenetur non alienare: ſed ad id opus eſt auctoritate & conſenſu ſuperioris. Probatur primò, quia vbi fraudi locus eſt, opus eſt ſuperioris aſſiſtentia & auctoritate, vt fraudibus obuietur. Speculator *de edit. inſtrument.* §. 3. *verſicul. Sed pone ergo. Clem.* 1. §. *final.* & *ibi* Cardin. *de conceſſione præbend. cap. ſedes. de præſcript. cap. quanto. de diuortiis. l. in fundo. ff. de rei vendicatione. Clem.* 1. & *ibi* Cardinalis, *de vſuris*, cum aliis apud Bertachinum *verſ. fraudibus.* Sed quando prohibitus alienare compenſatiuè, & titulo oneroſo alienat, periculum fraudis eſt, vt per ſe patet; opus ergo eſt auctoritate ſuperioris. Secundò in ſpecie probatur de rebus à defunctis relictis cum onere non alienandi. nam ſupremæ voluntates ad vnguem ſeruandæ ſunt ab heredibus, & non ſufficit æquiualenter; tum ne detur locus fraudi, tum ob reuerentiam quæ defuncto debetur. argum. *capit.* 1. *de probat. cap.* 1. §. *notandum. qui feudum dare poſſint.* Sed cùm dominus non abſolutus alienat etiam compenſatiuè, ad vnguem defuncti voluntatem non ſeruat, vt per ſe patet; non ergo poteſt id facere propria auctoritate, ſed opus eſt conſenſu ſuperioris qui poteſt defunctorum voluntatem interpretari. Tertiò probatur etiam in ſpecie de rebus à viuentibus donatis, aut aliter traditis cum tacita vel expreſſa conditione non alienandi. nam quiſque de re ſibi tradita tenetur id ſeruare quod tacitè vel expreſsè paciſcendo conuenit ſeruaturum, vt conſtat ex toto titulo *ff. de pactis.* Sed dominus non abſolutus tacito vel expreſſo pacto tenetur non alienare; ergo non poteſt propria auctoritate contrauenire, quia non eſſet id ad vnguem pacta ſeruare, quod nullus poteſt in re graui, niſi poſito expreſſo vel interpretatiuo conſenſu ſiue contrahentis, ſiue Principis, in cuius arbitrio ſimiles voluntates includuntur.

Quartò vniuerſaliter probatur concluſio, quia nullus licitè poteſt obligationem quam ad alium habet in æquiualentem vertere, niſi de expreſſo, aut interpretatiuo conſenſu illius cui obligatur; aut eius in cuius voluntate alterius conſenſus continetur, qui Princeps eſt auctoritate publica fungens. ob hanc enim rationem non poteſt debitor creditori ſuo alium creditorem pro ſe ſubſtituere; nec dominus vaſallos ſuos alteri ſubiicere, & obligationem quam ad illos habet, in alium transferre. Similiter qui voti obligationem ad Deum habet, illam in æquiualentem mutare non poteſt, niſi de ſuperioris auctoritate. *capit.* 1. & *ibi* Abbas. *& capit. non eſt.* vbi idem Abbas, *notabili primo. de voto, & voti redemptione.* Signum ergo eſt nullum priuatum poſſe obligationem quam ad alterum haber aliquid præciſè faciendi in aliud quantumuis æquiualens propria auctoritate commutare.

Quintò denique idem probatur ex eo quòd canones & Summi Pontifices alienationem rerum Eccleſiaſticarum, non ſolùm compenſatiuam, ſed etiam melioratiuam, in Prælatis inferioribus non permittunt; niſi conſenſu Sedis Apoſtolicæ poſtulato, vt conſtat ex *Extrauagant. Ambitioſæ.* nullus ergo in re graui propria auctoritate poteſt id ad quod tenetur in aliud æquiualens regulariter loquendo commutare. quare qui tenetur ad hæc in ſpecie bona conſeruanda & manutenenda, non poterit illa propria auctoritate in alia æqui-

Digitized by Google

ualentia alienando conuertere, aut permutare.

36. Dico secvndo, ſupremus Princeps poteſt pro libito compenſatiuè, & multo magis melioratiuè, quæ poſſidet titulo dominij limitati: qualia ſunt bona Regni, &c. quòd hoc poſſit, conſtat ex duplici capite. nam nulla lege aut pacto prohibetur: ſi autem non poſſet, eſſet id ex aliquo iure, aut pacto tacitè vel expreſsè prohibente. Primò autem nullo iure prohibetur, quia iura non curant quid de æquipollentibus fiat, vt *l. 3. C. quomodo & quando iudex.* vbi Baldus, & *l. Deo nobis. C. de Epiſcopis. cap. petitio. de procurat. cap. licèt. de teſt. l. 1. ff. de liberis & poſthumis. l. hac conſultiſsima.* iuncta gloſ. *C. qui teſtamentum facere poſſunt.* cum aliis apud Bartholomæum Socinum *conſil. 6. numer. 5.* ergo poſito quòd bona domini limitati conſeruentur ab illo in ſtatu æquiualenti, iura non curant quid ex illis fiat, ac proinde non prohibent hoc pacto alienari: in æquipollenti enim ſtatu conſeruantur, eo ipſo quòd tantùm comparatiuè, aut etiam lucratiuè ex parte diſtrahentis alienantur. Secundò non obſtat vllum pactum priuatum tacitum, vel expreſſum. quia ex præſumptione iuris quiſque paciſcens exiſtimatur conſentiri vt in re communi fiant ab alio, quæ illi proſunt, & ſibi non nocent. *l. 2.* vbi DD. *ff. ſolut. matrimon.* gloſ. *l. final. ff. de ſeruitutibus vrbanorum prædiorum. l. ſi quis ſepulcrum. ff. de religioſ. & ſumpt. funer.* Alciat. *lib. 2. conſil. 30. numer. 19.* Sed quicumque bona ſua tradidit, cum conditione ne alienentur, ad effectum conſeruandæ familiæ, & propagandum nomen, habet intentum ſuum, modò dicta bona compenſatiuè aut etiam cum lucro alienentur. non ergò id ſibi incommodat, aut voluntatem ſuam votúmque oppugnat. ac proinde ſi alteri prodeſt, & gratum eſt, præſumitur de iure conſentire. nam iura ſemper illa præſumunt, quæ rationabiliter ineſſe debent. *cap. final. de præſumpt.* Socinus *conſ. 15. num. 15.* Eſto ergo quòd dominus limitatus poſſideat cum pacto tacito non alienandi: id tamen non intelligitur quoties alienatio compenſatiua eſt, aut lucratiua. verùm quia in hac compenſatione æſtimanda, poteſt eſſe periculum fraudis & doli, ad illud in priuatis hominibus cauendum, Principis auctoritas requiritur: in quo quia tale periculum ceſſat, nullius alterius conſenſus conſideratur. ex quo tertiò conclusio probatur, quia Princeps poteſt in re ſua facere quod ſubditis ſuis concedit vt in ſimili poſſint; ſed dominis limitatis, poteſt Princeps concedere vt poſſint æquipollentia facere in re poſſeſſa, quantumuis fideicommiſſis aut aliis oneribus obligata. poteſt ergo hoc ipſum Princeps in re ſua facere quam ſimili cum obligatione poſſideat.

Quòd autem hoc non tantùm poſſit, ſed etiam pro libito, ſeu, quod idem eſt, liberè, probatur, quia liberè quiſque poteſt, quod vt iuſtè faciat alterius conſenſus aut auctoritas non requiritur. Card. *Clement. finali. de ætate & qualitate ordinandorum.* Iaſon *l. 1. C. de ſacroſanct. Eccleſ.* circa medium. Sed dominus limitatus ſi Princeps ſit, vt compenſatiuè alienet conſenſus alterius non requiritur; aut ſi requiritur, iure adeſſe præſumitur. liberè ergo id poteſt. quod confirmatur ex *cap. in re communi. de reg. iur. in 6.* vbi dicitur, in re communi potiorem eſſe conditionem prohibentis. quod tamen ibi gloſ. limitat, *quando non intereſt ſocij quid agatur.* eo enim caſu non eſſe potiorem conditionem prohibentis. & id propter rationes modò dictas. quia quiſque ex æquitate iuris tenetur facilem ſe præbere vbi de ſuo nocumento non agitur, & alterius commoditas intercedit, colligitur ex *l. quidam Hyberus. §. parietem. ff. de ſeruitutibus vrbanorum prædiorum.* Per hæc patet ad rationem dubitandi initio quæſtionis propoſitam. nam licet iura de æquipollentibus ſollicita non ſint; hoc tamen intelligitur vbi conſtiterit agi de æquipollentibus. quod iudicium Principis eſt, non priuatorum; quorum fraudibus & dolis debet Principis auctoritas obuiare. Princeps verò ipſe alterius auctoritatem non requirit; tum quia pro ipſo iura præſumunt dolosè non agere, etiam cùm ſua commoda tractat: tum quia Principis ſupremi non eſt alius Princeps. quare in ipſo ſiſtendum eſt, ne fruſtrà alterius auctoritas requiratur in eius facto qui ſuperiorem non habet.

Qværo vndecimo, an quatenus Summus Pontifex bona vni Eccleſiæ at tributa, poſſit in alteram Eccleſiam alienare. Quæſtio poteſt dupliciter formari. Primò de Eccleſia materialiter ſumpta. Secundò de ipſo Eccleſiaſtico cœtu, ſeu regulari, ſeu ſæculari. & in vtraque quæſtione dubium poteſt eſſe de eo quod Pontifex validè poteſt, & de eo quod honeſtè, iuſtè & licitè. Vt ergo diſtinctè procedamus, 37. *Alienatio bonorum vnius Eccleſiæ in alteram.*

Dico primo, Summus Pontifex pro libito voluntatis ſuæ poteſt validè bona vni Eccleſiæ materiali attributa, in aliam alienare; illi auferendo, & huic applicando. hæc concluſio certiſſima eſt, & ex ſequenti probabitur. 38.

Dico secvndo, bona vni Eccleſiæ, id eſt, cœtui Eccleſiaſtico ſiue regulari, ſiue ſæculari attributa, poſſunt validè à Summo Pontifice ab illa auferri, & in aliam alienari. Dixi *pro libito*, vt intelligatur ad hoc aliud non requiri quàm ipſius Pontificis beneplacitum. Dixi *validè*, quia non quæro hîc de honeſtate alienationis, ſed de validitate. ſic autem intellecta concluſio certiſſima eſt, quam fusè tradit Dominicus *cap. ſi gratiosè. de reſcript.* & poſt illum Barbat. Francus, & alij, quos in hoc ſequitur Nauarr. §. 3. *de ſpol. numer.* 8. & 9. vbi diſertè dicit (licèt ſibi parum conſtans) quoties Pontifex ab vna Eccleſia in aliam quid alienat, validè ſemper alienare; licèt non iuſtè, ſi ſine cauſa alienet. Probatur autem concluſio, primò, quia Summus Pontifex, vel eſt dominus, vel ad minimum eſt abſolutus adminiſtrator bonorum Eccleſiaſticorum. ergo quod de illis diſponit, in vnum potius vſum Eccleſiaſticum quàm alium, validè diſponit. conſequentia eſt clara, quia ſi dominus eſt, id dubium non habet. nam dominus validè poteſt vti re cuius eſt dominus 39.

in

Digitized by Google

in omnem vſum lege nõn prohibitum, vt concludit Bart. *l. ſi quis vi. §. differentia. ff. de acquirend. poſſeſſ.* Bald. *l. fœmina. §. finali. ff. de ſecundis nuptiis.* Salicet. *l. trado. C. de pactis.* Barthol. Socin. *conſ.* 176. *numer.* 5. *p.* 2. Dixi *validè*, quia eo ipſo quòd quis dominus eſt, quod de re ſua facit valet; licèt iniuſtè faciat. vt conſtat in eo qui vendit ſecundo emptori rem iam venditam, de quo infrà. in hoc enim caſu ſuppoſita etiam prima venditione, ſi venditor donat, permutat, vendit alteri rem, validè agit. & hoc, quia dominus adhuc eſt; vnde fit dummodo quis dominus ſit validè diſponere, licèt iniuſtè quod tamen intellige niſi lege prohibeatur, per quam intelligitur ſola ciuilis & poſitiua. nam dominus non impeditur quin agere validè poſſit de re ſua à lege naturali & diuina: alioquin qui donat meretrici, &c. validè non donaret, ſed tantùm à lege naturali, vt bene Bartol. cum aliis *loc. citat.* & nos infrà pluribus. Si ergo Summus Pontifex Dominus eſt horum bonorum, nec per hoc dominium à ſe abdicat, quod illa huic vel alteri Eccleſiæ mediatè, vel immediatè attribuat, validum eſt quod de illis ex vno in alium vſum Eccleſiaſticum diſponit: quamuis eſſe poſſit iniuſtum, vt mox videbimus. in eo enim locum non habet exceptio legis prohibentis. quod ſic oſtenditur. nam dominus vti validè poteſt re quam poſſidet in omnem vſum lege non prohibitum; ſed Pontifex à nulla lege inualidante & irritante ipſius actum, prohibetur. non à lege naturali & diuina; quia iſtæ leges licèt prohibeant quid fieri, non tamen actum inualidant, ſi fiat; non à lege poſitiua & ciuili, quia hac Pontifex non tenetur. ergo ſi dominus eſt, poteſt validè vti bonis iſtis in omnem vſum Eccleſiaſticum; cùm nec ex parte titulum quo poſſidet, nec ex parte legis prohibentis eius diſpoſitio inualidetur. Quòd ſi non dominum, ſed adminiſtratorem illum ponamus (quam diximus eſſe minus probabilem opinionem) idem etiam ſequitur. nam Pontifex non eſt qualiſcumque adminiſtrator; ſed ſupremus, liber, & abſolutus; ſi autem non poſſet bona iam applicata in vnum vſum ad alium conuertere; non eſſet liber & abſolutus, ſed limitatus: nec eſſet ſupremus, ſed alterius obnoxius voluntati; quod vtrumque pugnat cum ratione ſupremi & abſoluti adminiſtratoris; cui in iis quæ agit nullus dicere poteſt, cur ita faciat; nec inquirere rationem factorum. Secundò probatur concluſio, quia qui poteſt plus, poteſt etiam in eodem genere quod minus eſt; vt eſt per ſe notum in phyſicis, moralibus, & ciuilibus. & tradunt DD. *l. in eo quod plus. ff. de reg. iur.* ſed plus eſt poſſe cœtus Eccleſiaſticos diuidere, extinguere, diſmembrare, vnire, ſupprimere; quàm bona illi applicata auferre; quia illud deſtruit, & attingit ſubſtantiam eorum. hæc accidentia; illud pertinet ad principale, hoc ad acceſſorium in illo fundatum. ergo qui validè ea omnia in Eccleſias poteſt, poterit & illud. At Summus Pontifex ea omnia pro libito ſuo validè poteſt. omnia enim beneficia Eccleſiaſtica, pro ſuo beneplacito (quod ad validitatem actus) poteſt diſmembrare, & per omnes vnionis ſpecies inter ſe vnire, tam conformia, quàm difformia; tam ſæculare inter ſe, quàm permixtim regularia cum ſæcularibus. & ex regularibus diuerſorum ordinum inter ſe coniungere; vel eiuſdem in diuerſos diſtinguere & ſeparare. vt ex communi DD. tradit Caccialupus *artic.* 4. *numer.* 2 *in tractat. de vnionibus.* VVameſ. *conſil.* 295. & 296. multo magis ergo Summus Pontifex validè poterit bona ipſa iam vni Eccleſiæ applicata, aliò transferre. quod tertiò probatur, & confirmatur, quia qui habet in ſua poteſtate perſonam aliquam veram, vel fictam, poteſt etiam validè (mediatè vel immediatè) de ipſius bonis diſponere transferendo, auferendo, &c. vt ex Bartolo, Angel. & aliis cum Auchar. colligitur, *conſil.* 231. vbi ex eo quòd quis poteſt perſonam ſuam monaſterio tradere, probat multo magis poſſe tradere bona, &c. & hoc ex reg. proximè tradita; quia qui poteſt plus, poteſt minus, in eodem genere, & in ipſo contentum. ſic quia ſecundùm antiqua iura ciuilia, filius (qui eſt perſona vera) erat in omnimoda poteſtate patris; poterat pater illi validè omnia auferre, dum in tali ſtatu perſeuerabat; quod idem poterat dominus in ſeruo. ſed Eccleſiaſtici cœtus ſunt perſonæ fictæ ſubiectæ quoad ſuum eſſe poteſtati Pontificis; tam quoad generari, quàm quoad conſeruari. quia ſine illius tacita vel expreſſa voluntate, non poſſunt in vnum legitimum corpus inſtitui & erigi, & ſemel inſtituti & erecti poſſunt ad nutum ſupprimi, diſſolui, & extingui, vt ex *cap.* 1. 22. *diſtinct.* bene probat Caſtro *conſil.* 414. & habetur per DD. *cap. ſicut vnire. de exceſſibus Prælatorum.* traditque Caccialupus de vnionibus; poterit ergo validè Summus Pontifex bona Eccleſiarum transferre, variare, mutare, pro libito voluntatis ſuæ. Dixi *mediatè, vel immediatè.* quia ſit poteſt extinguere, ſupprimere, &c. eo ipſo mediatè poteſt etiam bona transferre. quod intellige, niſi bona ſint certæ Eccleſiæ cum tali conditione aſſignata, vt eo ipſo quòd diſſoluatur, &c. bona aſſignata ſint ipſo iure in certum alium vſum applicata, tunc enim non poterunt ab vna in quamcumque aliam Eccleſiam validè transferri. ſed id cùm veniat ex particulari diſpoſitione, tacita vel expreſſa ab ipſo etiam Pontifice præcepta, non deſtruet concluſionem vniuerſalem à nobis propoſitam, ſed in reliquis caſibus potiùs firmat.

Rationes autem quas attulimus dubitationem non videntur habere, ſi tres propoſitiones meliùs intelligantur in quibus illæ magna ex parte fundatæ ſunt. Prima eſt quòd qui Papam negant dominum horum bonorum, admittunt & tenentur admittere eſſe liberum, ſupremum & abſolutum adminiſtratorem, vt conſtat ex *Clementin.* 1. *vt lite pendente, in fine.* & Nauarr. ipſe tradit §. 2. *de ſpol.* nóſque ſuprà docuimus *quæſt.* 3. & 4. Secunda propoſitio eſt quòd licèt ordinarius adminiſtrator, quicquid de re diſponit, non ſemper validè diſpona; ſed eatenus tantùm, quatenus ſuæ adminiſtrationis termini porriguntur; qui tamen liber & abſolutus adminiſtrator eſt, nullũmque caſum exceptũ habet; qualis eſt qui vices domini gerens ipſum repræſentat, eo ipſo quòd quid agit, validè agit, tantùm in hoc à domino differens, quòd hic ſuo, ille verò nomine alieno diſponit: qualis tantùm adminiſtrator

Digitized by Google

tor eſt qui nullis legibus poteſt conueniri, nec vllam factorum ſuorum rationem reddere cōpelli poteſt. cuiuſmodi tantùm in terris Summus Pontifex eſt, qui nullis legibus poteſt ab vlla inferiore poteſtate coërceri, cùm alij omnes quacumque dignitate præfulgeant, poſſint in aliquo caſu ab illo iudicari. Tertia propoſitio eſt, quòd dominus validè de re diſponit cuius dominus eſt, modò dominium ipſius retineat, & lege ciuili factum irritante non prohibeatur. & hoc non obſtante quacumque ipſius factione, aut alterius prohibitione; niſi ea facta fuerit per modum conditionis appoſitæ. ad quod obſeruandum, dominum abſolutum poſſe de re ſua pro libito diſponere in omnem vſum lege non prohibitum, non ſolùm validè, ſed etiam iuſtè, ſi non poſitiuè, ſaltem negatiuè, quia eo ipſo quòd abſolutus dominus eſt, citra cuiuſquam iniuriam de re ſua diſponere poteſt, etiam illam in mare proiiciendo. *l. in re. C. mandati.* Alciat. *conſil.* 32. *tom.* 3. Dominus verò limitatus, quia dominus eſt, ſemper validè diſponit cùm non prohibente lege diſponit; quia verò limitatus eſt non abſolutus, non ſemper iuſtè diſponit, cùm validè de re ſua diſponit. Ex quibus manifeſtè fit quod in præcedentibus concluſionibus concluſum eſt, ſiue ponamus Summum Pontificem dominum, ſiue adminiſtratorem, ſemper illud ſequi quod probabamus, quoties abſolutè diſponit de rebus particularium Eccleſiarum, illas ab vna in aliam transferendo, validè ſemper diſponere; licèt ſi ſine cauſa diſponat, illicitum id ſit, & cum iniuſtitia coniunctum.

40. Dico tertio hæc valida alienatio ab vna Eccleſia in aliam, licèt non ſemper eximat Summum Pontificem, & alios quibus eſt alienatum ab onere reſtituendi. Primò tamen operatur, vt in quos alienatum eſt, verè & iuſto titulo id poſſideant; nec in eo præcisè poſſint in foro exteriori moleſtari, aut in conſcientia inquietari. dico *in eo præcisè*, quòd rem alienam poſſident; nam reſpectu intereſſe reparandi poſſunt interuenire. Secundò operatur, vt non poſſit iuſtè & legitimè, cui per illam alienationem ablatum quid eſt, in ea ſe ampliùs immiſcere virtute prioris tituli; quia verè hic ceſſauit & validè ablatus eſt per alienationem à Pontifice factam, quæcumque ea ſit, ſiue iuſta, ſiue iniuſta. Dixi non poſſe virtute prioris tituli, quia alio reſpectu poſſent rem retinere, vt ad compenſationem faciendam, ad ſe indemnes ſeruandos, &c.

Contra prædicta non obſtat primò quòd regula iuris ſit non eſſe diſcooperiendum vnum altare vt alterum contegatur. quod dictum ſæpiùs vſurpat Bald. vt *l. finali. §. ſed & ſi quis. commun. de legat.* & idem Bald. *in Authent. niſi verbo alienatus. C. ad Trebellianum.* gloſſ. *in Authent. quomodo oporteat Epiſcopos. §. ſed neque effuſas. l. ſin autem. §. finali. ff. de aqua pluuiæ arcendæ.* Bartol. *l. aſſiduas. colum.* 1. *§. exceptas. C. qui potiores in pignore*; ergo non poteſt validè ab vna Eccleſia auferri quod illi ornandæ eſt attributum vt ad alterum transferatur, & multo minus quod eſt non Eccleſiæ materiali, ſed vni cœtui Eccleſiaſtico iam applicatum. Nam reſpondeo, dictum illud intelligi de eo quod non debet fieri, non quod non poſſit validè & abſolutè. qui enim vnum altare diſcooperit, vt alterum ſine cauſa contegat, ad minimum leuiter facit, ſi pertinet ad ipſum de altaribus curare; multo magis verò, qui vnam Eccleſiam deſtruit, vt alteram ſine cauſa inſtituat. attamen ſi facit, validum eſt quod facit.

Non obſtat ſecundò ſi dicitur, quæ ſunt ex voluntate teſtatoris, vel alterius legitimè diſponentis, ad vnum vſum pium applicata, ad alium transferri non poſſe. vt habetur *l. ſi quis ad declarandum. §. ſin autem. C. de Epiſcopis & Clericis.* bona autem vni Eccleſiæ attributa, ſunt iam ex voluntate legitimè diſponentis ad vnum vſum pium applicata. nam reſpondeo primò cum cauſa piè relicta poſſe iuſtè & validè in alium vſum pium conuerti; à Summo verò Pontifice pro beneplacito ſuo, etiam ſine alia cauſa ſi non ſemper iuſtè & licitè, ſemper tamen validè, docet Bald. *conſil.* 177. *volum.* 4. Angel. *l. ſi teſtamentum. C. de teſtam.* Guido Papæ *deciſ.* 556. Aufrerius *deciſ.* 26. Capra *in regul. concluſ.* 112. Alciat. *conſil.* 479. *numer.* 50. VVameſ. *conſil.* 410. *numer.* 2. Caſtro *conſil.* 187. *volum.* 1. & notat Panormitan. *cap. nos quidem. de teſtam.*

Non obſtat tertiò quòd ſi ſine cauſa bona vni auferantur, & alteri Eccleſiæ dentur, fiat iniuria multiplex, tam ipſi Eccleſiæ, quàm illis qui bona reliquerunt. nam hoc conceſſo, non ſequitur id validè non factum, ſed non iuſtè, nec licitè.

QVÆRO DVODECIMO, an cùm Summus Pontifex ab vna in aliam Eccleſiam ſine cauſa alienet, iniuſtitia committatur. 41.

De alienante Pontifice ab vna Eccleſia in aliam ſine cauſa.

Respondeo, viſo quoties Pontifex pro libito in alias Eccleſias ab aliis alienat, validè alienare, videndum nunc eſt, an etiam iuſtè alienet, cùm pro ſolo beneplacito ſine alia iuſta cauſa mouetur.

Videri ergo poteſt in eo, nullam iniuſtitiam committi. Primò, quia non eſt aſſignare cui fiat iniuria in ea alienatione. nam de eo propriè non fit, neque Chriſto, vt infrà videbimus; neque etiam ipſis Eccleſiis. nam ſi loquimur de materialibus, illæ non ſunt capaces iniuriæ: ſi loquimur de Congregationibus & cœtibus Eccleſiaſticis, nec etiam illis poteſt fieri iniuria à Summo Pontifice, idque ex multiplici capite, primò quia vidimus talium bonorum dominium apud illas non eſſe. ergo cùm illis ea auferuntur à Pontifice, qui dominus eſt, nullam iniuſtitiam patiuntur: ſecundò, quia Summus Pontifex habet in omnimoda poteſtate cœtus Eccleſiaſticos. ergo non poteſt inter illum & Eccleſias iuſtitia vel iniuſtitia verſari, vt patet primò de Deo & creaturis, quia enim Deus iſtas habet in abſoluta poteſtate, non poteſt inter Deum & illas eſſe propriè iuſtitia, vt ex Ariſtot. 5. *Ethicor.* docent Theologi 3. *parte* D. Thom. *quæſt.* 1. *articul.* 1. Secundò in domino, & ſeruo ſecundùm antiqua iura ciuilia. Tertiò, ſecundùm eadem in patre & filio ſub patria poteſtate. nam nec dominus ſeruo, nec pater filio, poterat vllā facere iniuriam quid auferendo, & id ob poteſtatē quā habebūt in illos. cùm ergo Summus Pontifex in Eccleſias tantā habeat poteſtatem, vt eos

poſſit

Digitized by Google

poſſit pro libito conſtituere aut extinguere, quicquid illis auferat erit ſine vlla iniuria & iniuſtitia. Tertiò principaliter ſi Pontifex alienando bona particularia Eccleſiarum in alias Eccleſias ſine cauſa, faceret illis iniuriam; teneretur ergo ad reſtitutionem, ac proinde ad reſciſſionem diſpoſitionis, quod non admittitur. Quartò denique non eſſent tutæ in conſcientia Eccleſiæ in quas à Pontifice quid aliis ablatum alienatur, & deberent ſemper in incerto fluctuare, an quod acceperunt cum cauſa néc-ne ab aliis Eccleſiis ſit ablatum. & hanc cauſam cùm non poſſint ipſæ diſcutere, in perplexitate verſarentur. quod eſt abſurdum, vt ſuprà vidimus.

Pro ſolutione videndum primò an iniuſtè hæc alienatio fiat cùm ſine cauſa fit, quod nunc tractabitur. Secundò cui iſta iniuſtitia fiat, quod in ſequenti quæſtione.

42. DICO ergo PRIMO, cùm ab vna Eccleſia in aliam quid ſine cauſa per Summum Pontificem alienatur, illicitè & cum iniuſtitia alienatur. eſt certiſſima concluſio, quam pluribus docet Nauarr. §. 3. *de ſpol.* probatur autem, quia quoties alicui ſine cauſa quod ſuum eſt aufertur, iniuſtè aufertur à quocunque auferatur; contra enim ius committitur quod ille in tali re habet. *l. 1. ff. de furtis*, & *ibi* DD. dico *quod ſuum eſt*, accepto ſuum eſſe latè, vt extenditur ad id quod alicuius eſt vel vt domini, vel vt vſufructuarij, vel vt vſuarij, vel vt adminiſtratoris, vel vt naturalis poſſeſſoris. quod adeò inconcuſſum eſt, vt iura tam ciuilia quàm Eccleſiaſtica velint ante alia omnia rem ablatam reſtitui priuſquam agatur de titulo poſſeſſionis, & hoc non ob aliud, niſi quòd nemo ſine cauſa re ſua priuandus eſt quæ ſua ipſius ſit vt fruentis, vt adminiſtrantis, aut quomodocumque poſſidentis. cuius rei adæquata & vltima ratio eſt, quia nemo ſine cauſa iure ſuo poteſt priuari quodcumque illud ſit quin illi fiat iniuria, & factum ſit iniuſtum. cùm nihil aliud ſit iniuſtum quàm quod eſt contra ius. contra ius autem propriè eſt ius alteri quod habet auferri. quiſquis autem ſuum aliquid habet, in quantum illud ſuum eſt, in tantum etiam ius aliquod in illud habet: vnde non poteſt eo priuari quod ſuum eſt, quin ius illi aliquod auferatur, ac proinde iniuſtè fiat ſi ſine cauſa fiat. ſed bona vni Eccleſiæ attributa, puta Sarnenſi Tyburtinæ, &c. ſua illorum ſunt vel titulo dominij, ſiue directi, ſiue vtilis, vel titulo adminiſtrationis, vel dotis & ſuſtentationis, &c. ergo niſi iuſta & legitima cauſa ſubſit, illis auferri ſine iniuria aut iniuſtitia non poſſunt.

43. DICO SECVNDO, vni vſui pio applicata, ſine cauſa ad alium conuerti non poſſunt; quin iniuſtitia committatur. colligitur ex *l. ſi quis ad declarandum.* §. *ſin autem in perſonam certam. C. de Epiſcopis & clericis.* vbi Iacobus Butrius. *l. legatum*, & *ibi* textus & Bartol. *ff. de adminiſtratione rerum ad ciuitatem pertinentium. l. liberti.* §. *largius. ff. de annuis legatis.* Guido Papæ *deciſ.* 556. & alij q. proximè citata. Probatur autem concluſio, quia quoties de re alterius aliter ſine cauſa diſponitur, quàm ille expreſsè mandauit & voluit, iniuſtè fit, vt per ſe patet, & habetur §. *furtum.* §. *placuit. Inſtitut. de obligat.* ſed in hoc caſu cùm ſine cauſa quod vni vſui pio eſt ab eo qui potuit applicatum aliò conuertitur, de re alterius contra quam ipſe iuſtè voluit, diſponitur. eſt ergo cum iniuſtitia. & ex hoc ſecundo dicto proxima concluſio magis confirmatur. nam ſi non licet ſine cauſa pio vſui applicata aliò conuertere, & ſi fiat, iniuſtè fit; neceſſariò etiam ſequitur iniuſtè fieri quoties ab vna Eccleſia in aliam, ſine cauſa, bona quæ poſſidet transferuntur.

Sed hæc ad argumenta ſuprà poſita. Primò enim cùm dicitur non poſſe aſſignari cui fiat iniuria in hoc caſu, quia nec Deo, nec Chriſto, nec aliis; concedo propriè loquendo, neque Deo, neque Chriſto fieri; cui autem, mox dicetur. Secùdò cùm dicitur Eccleſias & cœtus Eccleſiaſticos eſſe in omnimoda poteſtate Pontificis, quoad eſſe ſuum; ergo multo magis quoad bona. Reſpondeo, ſicut ſunt in poteſtate quoad eſſe; ſic eſſe quoad bona. quare ſicut ſi ſine cauſa cœtus Eccleſiaſtici deſtruuntur, aut ſupprimuntur, iniuſtè fit: ita ſi bonis ſuis ſpoliantur ſine cauſa, vt aliis Eccleſiis applicentur. Tertiò cùm dicitur Pontificem eſſe Patrem omnium Eccleſiarum, inter patrem autem & filium non poſſe eſſe iniuſtitiam, quia neque qualitatem. Reſpondeo primò, inter verum patrem & filium non poteſt fieri æqualitas abſolutè loquendo: nempe vt tantum reddat patri filius, quantum ab illo accepit, hoc enim non poteſt, cùm acceperit eſſe quod rependere non poteſt: at ſecundùm quid poteſt eſſe iuſtitia & æqualitas, ac proinde etiam iniuſtitia. Secundò inter patrem & filium non emancipatum, iuxta priſca iura ciuilia, non poterat eſſe legalis iniuſtitia; quia permiſſum erat patri in talem filium omnia poſſe. poterat tamen eſſe iniuſtitia naturalis, ac proinde poſteriora iura priſca illa correxerunt; quæ etiam volunt in aliquibus eſſe poſſe iuſtitiam & iniuſtitiam inter vtrumque. Tertiò dico quòd Pontifex eſt Pater Eccleſiaſticorum cœtuum quoad inſtitutionem, protectionem & conſeruationem, quam illis debet; ac proinde ſicut iniuſtè faceret pater qui ſine cauſa filium grauiter verberaret, aut priuaret paternis bonis; ita poteſt iniuriam facere particularibus Eccleſiis Summus Pontifex illas ſine cauſa ſupprimendo, aut ſpoliando. Quarto loco cùm dicitur Eccleſias non eſſe dominas bonorum, &c. ergo iniuriam illis non fieri ſi auferuntur. Reſpondeo etiam domino fit iniuria cùm quod apud illum eſt aufertur ſine cauſa; vt patet in depoſito in pignore. item in vſufructu, in locato: denique in re quacumque apud alium vero vel apparenti titulo detenta, quæ ſine cauſa auferri ab illo non poteſt, quin iniuſtè auferatur. Quinto loco cùm dicitur in futurum vt Pontifex cùm ſine cauſa ab vna Eccleſia alienat in aliam teneatur ad reſtitutionem. concedo hoc, cùm infertur teneri ad reſciſſionem facti. Dico hoc non ſequi, niſi ſuppoſito quòd aliter nolit damnum reparare. Denique cùm dicatur non poſſe tutos eſſe in conſcientia quibus eſt alienatum, ſi admittimus ſine cauſa alienata, iniuſtè eſſe alienata. Reſpondeo id abſolutè non ſequi, ſed tantùm ex ſuppoſitione. Primò quòd qui acceperint conſcij ſint fraudis. Secùdò quòd Pontificem malis artibus induxerint. & in illo caſu tenebuntur tantùm ad damnum reparandum, non præcisè ad rem acceptam reſtituendam, ſi ex abſoluta voluntate & poteſtate Papæ ſit in illos tranſlata.

Digitized by Google

44. *Iniuria quæ inde prouenit.* QVÆRO DECIMOTERTIO, cui aut quibus fiat iniuria cùm ſine cauſa quid ab vna in aliam Eccleſiam alienatur.

RESPONDEO, & DICO PRIMO, cùm quid vni Eccleſiæ materiali applicatum in alteram ſine cauſa transfertur, nulla iniuria fit Eccleſiæ cui illud aufertur. res eſt clariſſima, quia materialis Eccleſia capax non eſt iniuriæ, niſi metaphoricè loqui velimus. idem dicendum cùm piè relicta in perſonas incertas & quæ communitatem non faciunt ad alium pium vſum conuertuntur: vt cùm relicta pauperibus aut ægrotis, &c. in alios pios vſus adhibentur. tunc enim etiamſi ſine cauſa id fiat, nulla tamen iniuria fit illis, quibus ea auferuntur. quia iniuria non fit niſi perſonæ veræ, qualis eſt homo quilibet particularis; aut fictè, qualis eſt cœtus, communitas, capitulum, &c. at pauperes aut ægroti in vniuerſum non ſunt perſona vera, vt per ſe patet; nec ficta, quia ficta perſona debet eſſe certa, qualis non eſt multitudo pauperum aut ægrotorum in communi. illis ergo non fit iniuria.

45. DICO SECVNDO, cùm ſine cauſa Eccleſiæ materiali aut alicui pio vſui applicata aliò conuertuntur, licèt in vſum etiam pium, iniuria fit diſponentibus, quorum res contra ipſorum voluntatem aliter quàm iuſtè ſtatuerint, attrectantur. item læditur vtilitas publica, & cultus religionis imminuitur: cùm inde reuocentur homines à ſtudio pietatis, & ſimilibus piis legatis faciendis. videntes enim qui præceſſerunt in ſuis voluntatibus defraudari rationabiliter, idem ſibi timere poſſunt. quod totum colligitur ex *l. inter omnes. §. rectè. ff. de furtis.* vbi Batt. & DD.

Limita tamen hoc, niſi talium relictorum conuerſio & tranſlatio eſſet in minimis, aut in æquiualentibus. nam eo caſu licèt ſine cauſa ad certum quid relicta aliò conuertantur, ſine cuiuſquam iniuria conuertuntur. quia, vt ſuprà dixi, non curant iura quid in æquipollentibus fiat. *l. fideicommiſſ. §. ſi cui.* & *ibi* Bartolus. *de legatis.* 3. *l.* 3. & *ibi* Bartol. & Bald. *de inſtitut. & ſubſtitut.* Speculator *de ſententia.* §. 6. *verſic. & nota. de donat.* proinde diſponenti non fit iniuria, cùm quod in vnum præcepit impendi, in alium conuertitur, ſed æquipollentem.

46. DICO TERTIO, cùm ſine cauſa vni Eccleſiæ, id eſt, cœtui Eccleſiaſtico quid aufertur, in aliam Eccleſiam transferendum, iniuria nec Sedi Apoſtolicæ, nec ſucceſſoribus fit à Pontifice transferente. patet, quia nihil illorum diſpoſitioni ſubtrahitur per hanc alienationem. ſuppoſito enim quòd bona vni ablata in aliam Eccleſiam transferantur, eodem modo ſemper remanent in Summi Pontificis poteſtate, quare in nulla re ipſius iura læduntur.

47. DICO QVARTO, in caſu proximè dicto ſi ea alienatio ſine cauſa fiat, iniuria fit primò Eccleſiæ, id eſt, cœtui Eccleſiaſtico, cui per illam bona auferuntur. Secundò iis qui bona reliquerunt. hoc ſecundum conſtat ex ſecundo dicto. illud primum patet ex ſuperiori ſiue ex proxima quæſtione, quia iuſtè fit cùm quod ſuum eſt cuipiam ſine cauſa aufertur, & ea iniuſtitia eſt cum iniuria illius cui talis res aufertur, ſi ſit perſona capax iniuriæ; ſed in hoc caſu Eccleſia cui aufertur eſt capax iniuriæ, ſumpta nimirum Eccleſia pro cœtu Eccleſiaſtico regulari aut ſæculari; ergo iniuria illi fit cùm quid illi ſine cauſa aufertur, cùm iniuſtè auferatur. Quæ etiam iniuria adhuc maior eſt, ſi præter iacturam bonorum famæ quoque periculum aliquod ex illa ademptione incurratur, quod accidit cùm bona ita ſine cauſa auferuntur, vt detur aliis cauſa probabilis ſuſpicandi, factum id eſſe propter vitam flagitioſam illius cœtus Eccleſiaſtici cui ablata ſunt.

48. DICO QVINTO, in hoc caſu tenetur ex iuſtitia Summus Pontifex id quod intereſt reparare, tam in fama & exiſtimatione, quàm bonis temporalibus. quod per ſe actum eſt ex communi obligatione, qua tenentur quicumque iuſtitiam violant illam quantum poſſunt reparare.

49. *Beneficiũ vtrùm auferri poſſit vni, & tribui alteri à Pontifice pro arbitrio.* QVÆRO DECIMOQVARTO, an poſſit Summus Pontifex pro arbitrio beneficium vni auferre, & alteri tribuere. Videtur quòd poſſit. Primò, quia *cap. vnire. de exceſſibus Prælatorum.* beneficia tam collata & poſſeſſa poſſunt ſine vlla citatione adimi poſſidenti; vt ibi notant Hoſtienſ. & Anton. tradítque Bartholomæus Socinus *conſil.* 156. *numer.* 8. quod confirmatur per *cap. in noſtra. de procuratoribus.* Secundò, quia poteſt Papa ſine cauſa pro libito ſuo quemlibet priuilegio à ſe conceſſo priuare. *cap. conſtituto*, & *ibi* Anton. & Abb. *de religioſis domibus. cap. per principalem*, & *ibi* gloſ. 9. *quæſt.* 3. Sed beneficia Eccleſiaſtica non poſſidentur iure gentium, ſed priuilegio Pontificis, vt Socin. *d. conſil.* 154. Tertiò, quia omnia beneficia ſunt Papæ manualia, & in his quod diſponit eſt pro ratione voluntas. gloſſ. *cap. ſi gratioſè. de reſcript. in* 6. & *ibi* Francus *notab.* 3. vnde poteſt illa concedere integra, diminuta, ſub conditione, abſolutè, perpetuò, ſiue ad tẽpus: & denique quomodo aut quatenus voluerit, ex *cap. paſtoralis* 7. *quæſt.* 1. *cap. vnius. de filiis presbyterorum.* cum aliis quæ ibi adducuntur à Franco.

Propter has & ſimiles rationes viſi ſunt aliqui exiſtimare, poſſe Pontificem quemlibet beneficiarium inuitum etiam ſine cauſa ſuo beneficio priuare. quod docet Barthol. Socinus *conſil.* 164. *numer.* 14. & ad id quod poſſet obiici, non poſſe quem priuari re quam poſſidet etiam ſolo titulo dominij vtilis, qualis eſt vſufructus. *l.* 1. *ff. de furtis.* beneficiarium autem vſumfructum habere in beneficio. reſpondet tacitè Socin. *conſil.* 156. *numer.* 8. id intelligi in vtili dominio & vſufructu quod per contractum oneroſum aut lucratiuum iuris gentium acquiritur, non quod per priuilegium Principis obtinetur. Pro ſolutione

50. DICO PRIMO, ſi Papa ſine vlla cauſa beneficium iam collatum & promiſſum alicui adimit, & alteri confert, ademptio tenet, & ſecunda collatio valet, ita vt ſecundus beneficiarius verè poſſideat.

Primus autem priuatus ſit, nullúmque ius in illo ipſi remaneat. eſt cunctis ſententia, quam docet Geminianus *d. cap. ſi gratioſè.* vbi gloſſ. Philippus Francus, & Ancharan. cum Barbat. eadem docet Nauarr. §. 3. *de ſpoliis. numer.* 9. cum aliis antiquioribus, quos adducit Socin. *d. conſil.* 156. & 164. Ratio eſt manifeſta, primò, quia beneficia ſunt ſub dominio Pontificis, aut certè ſub illius abſolutoria adminiſtratione; quare quod de illis diſponit, validè diſponit. eſto contra iuſtitiam id ſit, quod diſponit. ſicut patet in venditore qui rem iam vni venditam,

Digitized by Google

tam, alteri donat, vel vendit: & in debitore qui alienat in fraudem creditorum. dum enim quis retinet apud ſe rei dominium, aut ſupremam adminiſtrationem, ſemper quoque retinet facultatem de illa validè diſponendi, qua nec ſuo decreto, aut pacto, nec alterius voluntate priuari poteſt, niſi illius qui poſſit ei legem imponere. vt bene tradit in ſimili Natta *conſil.* 211. *numer.* 5. *&* 6. ex Bart. Ioan. Andr. Ioan. Monacho, Ancharano, Felino. vnde eſt vt nullo pacto poſſit quis priuari facultate validè teſtandi, aut teſtamentum factum validè reuocandi. nec etiam Princeps quocumque ſuo pacto poſſit auferre ſibi facultatem reuocandi priuilegium quæ cõceſſit. Pontifex autem non habet in terris qui poſſit illi legem imponere. quare quocumque ſuo pacto, vel facto non obſtante ſemper validè diſponit quidquid de re faciet cuius dominium, aut abſolutam adminiſtrationem retineat. Secundò probatur hoc ipſum rationibus in quæſt. 11. allatis ad probandam validitatem alienationis ab vna Eccleſia in aliam etiam ſine cauſa factam.

51. DICO SECVNDO, cùm Papa ſine cauſa pro libito tollit beneficium ab inuito, tenetur illi de æquiualenti prouidere. eſt communis ſententia, quam tradunt cum Innoc. DD. quos ſuprà attulimus *quæſt.* 2. cuius rei ratio eſt, quia licèt beneficia vacantia, hoc vel illo modo, huic vel illi conferre, ſit voluntatis: collata tamen conſeruare eo modo, & forma qua collata ſunt, eſt neceſſitatis. & hoc ex tacito pacto inter dantem & accipientem. Poſito ergo quòd Papa in titulum perpetuum beneficium tradiderit, & aliter acceptauerit, quaſi ex contractu tenetur illud ſine ipſius culpa ei non auferre, niſi de æquiualenti prouidẽdo, vt bene Bald. & Innoc. quos adduximus *loc. cit.* quia pacta omnia & contractus ſeruandi ſunt, ſi nullus caſus emergat vnde quis poſſit ab illis rationabiliter reſilire, toto *tit. ff. de pactis.*

Qua in re minus verè & inconſequenter locutus eſt Nauarr. §. 3. *de ſpoliis. numer.* 9. cùm dixit, ſi Papa aut Princeps alius aufert pro libito & ſine cauſa beneficium ab inuito, non teneri ex iuſtitia ad damnum quod inde illi conſequitur reparandum. minus enim verum hoc eſt ob rationem dictam; quia quoties quis ſine cauſa non ſtat pactis conuentis, tenetur ex iuſtitia ad id quod intereſt, ex arbitrio boni viri, vt per ſe patet, & bene docet Felin. *cap. Eccleſiarum. numer.* 61. *de conſtit.* Alexand. *conſil.* 216. Bald. & alij apud Pariſ. *conſil.* 11. *volum.* 1. *num.* 43. docentes Papam non poſſe tollere contractum tacitum vel expreſſum, ſiue contra illum venire inuito contrahente, & ſi faciat, ad id quod intereſt, obligari. minus ergo verè hoc aſſerit Nauarr. Sed & inconſequenter, quia contra id quod in ſuperiore §. docuerat, expreſsè tradens Papam peccare contra iuſtitiam & præceptum de non furando, quoties aufert ſine cauſa vſumfructum, aut adminiſtrationem per ſe vel alios, alicui conceſſam; ita ipſe diſertè §. 3. *numer.* 2. *verſ. deinde facit.* Sed ſecundùm illum beneficiarius habet vſumfructum & adminiſtrationem beneficij, quod negare non poteſt. ergo ſine cauſa non poteſt Papa illud ipſi auferre, quin teneatur ad damnum & id quod intereſt reparandum. quod volunt Innoc. *cap. cum pridem. de renunciatione.* Bald. *cap.* 1. §. *ad hæc. de patrio iure firmando.* dum dicunt, non poſſe Papam priuare quem inuitum Epiſcopatu, aut beneficio, quin ſibi prouideat de bono cambio.

Non obſtat primò, ad hæc quòd beneficia ſint omnia Papæ manualia, vt de illis pro libito diſponere poſſit, & ſit in illis pro ratione voluntas; primò hoc intelligitur de ipſis beneficiis, & eorum titulis dum vacant & antequam conferantur. tunc enim poteſt de illis ſine cuiuſque iniuria pro libito diſponere, illa contrahendo, ſupprimendo, augendo, ad tempus, aut cum conditione, & quibus magis placuerit conferendo. at iam collata, eo modo tenetur manutenere, quo tacitè vel expreſsè collata ſunt. ad tempus, ſi temporariè; perpetuò, ſi abſolutè. Secundò reſpondeo, hanc poteſtatem Papæ in beneficiis, vt ſit illi pro ratione voluntas, intelligi de eo quod validè, non de eo quod iuſtè: vt enim valeat quod facit illa reuocando, conferendo, &c. ſatis eſt, ipſum ſic velle: vt autem non ſolùm valeat, ſed etiam iuſta ſit, requiritur cauſſa.

Non obſtat ſecundò, quòd nullo modo videatur poſſe priuari quis inuitus ſuo beneficio, quia matrimonium legitimè contractum non poteſt diſſolui vllius poteſtate inuitis contrahentibus, vt per ſe patet. Sed inter beneficium & beneficiarium, præſertim Epiſcopum, eſt quoddam matrimonium ſpirituale. *cap. niſi.* §. *interea. de renunciatione. cap. inter corporalia. de tranſlatione Prælatorum.* ergo non poteſt beneficiarius inuitus, & ſine culpa à beneficio ſeparari. Nam reſpondeo primò matrimonium ſpirituale non eſſe inter beneficiarium & bona beneficij, ſed inter illum, & gregem ipſius curæ commiſſum. hîc autem agimus de bonis an poſſint à beneficiario ſeparari, & auferri inuito & ſine culpa; non de grege illius curæ commiſſo. Secundò dico matrimonium hoc inter Prælatum & gregem eſſe ſimilitudinarium, non verum, proinde in multis à vero deficere. inter alia quod eſt diſſolubile voluntate ſuperioris, quod non habet verum matrimonium corporale. hoc enim inuitis contrahentibus nullius auctoritate diſſolui poteſt.

Non obſtat tertiò, quod initio quæſtionis præponebatur, beneficia poſſideri ex priuilegio Papæ, quod ad libitum poteſt reuocare abſque hoc quòd ad vllum intereſſe teneatur. nam reſpondeo quidquid ſit an radix vltima poſſeſſionis beneficij ſit ex priuilegio: certum eſt proximum titulum poſſidendi eſſe coniunctum cũ tacito contractu dantis & acceptantis. quoties autem priuilegium tranſit in contractum, non poteſt res conceſſa auferri quin ad id quod intereſt teneatur. & hoc non ratione priuilegij, ſed ratione contractus. Sed tunc

QVÆRO DECIMOTERTIO, an ſemper Pontifex licitè poſſit beneficiarium inuitum ſine ipſius culpa bonis beneficialibus priuare, modò id quod abſtulerit compenſet. Ratio dubitandi eſt, quia nemo inuitus re ſua poteſt ſpoliari, quantouis pretio aut compenſatione oblata, vt patet ex facto Achab & Naboth, 3. *Reg.* Achab enim volebat illi pretium rependere; & tamen quia noluit illud Naboth acceptare, non auſus eſt Achab vlteriùs progredi, & ipſum cogere; quia erat iniuſtum, & contra legem naturæ. 52. *Vtrùm is priuare licitè poſſit beneficiarium inuitum bonis beneficialibus ſine aliqua ipſius culpa.*

Sed dicendum, modò Pontifex ſeruet indemnem beneficiarium, illi de æquiualenti prouidendo,

Digitized by Google

dendo, poſſe pro libito ſine vllo peccato bonis beneficialibus priuare, quantumuis inuitum, quia repugnantia beneficiarij in eo caſu eſt irrationabilis. eſt communis ſententia Innoc. Baldi, Butrij, Panorm. & aliorum quos adduxi *q.* 2. *&* 11. Ratio eſt, quia quoties beneficio & liberalitate Principis quid acquiſitum eſt, ex æquitate tenetur qui acquiſiuit, Principi conſentire; vt de eo faciat quod magis illi libuerit; modò manuteneatur in æquiualenti ſtatu: vt conſtat ex iis quæ docuimus *quæſt.* 7. ſed omnes beneficiarij beneficia quæ poſſident habent ex beneficio, gratia & liberalitate Pontificis. vnde Epiſcopi & alij Prælati cùm de ſeipſis ſcribunt, dicunt, *Lucius Dei eſt Apoſtolica Sedis gratia Epiſcopus*, &c. Tenentur ergo conſentire vt de illis ipſe Pontifex, in æquiualentia diſponat. quod fit cùm beneficium ita illis auferetur, vt æquipollens, tam quoad dignitatem, quam quoad prouentus reſtituatur, quod tamen intellige. Primò quoad ius ipſius beneficiarij in beneficium. hoc enim præcisè conſideratum non læditur à Summo Pontifice, etiamſi ſine cauſa beneficium auferat alio æquiualenti conceſſo. Secundò intellige quoad bona ipſa auferenda & permutanda, non quoad curam animarum, aut nexum qui inter beneficiarium & ſuum gregem conſurgit diſſoluendum. hic enim ſine dubio maiorē circumſpectionem requirit vt diſſoluatur. vt conſtat ex *c. inter corporalia, & c. quanto. de tranſlatione Epiſcopi.* & bene Menoch. *caſu* 423. *de arbit.* Satis enim nobis hîc eſt perſiſtendo in ſola ratione beneficij, & abſtrahendo à vinculo matrimonij ſpiritualis (quod non eſt neceſſariò cum beneficio coniunctum, vt patet in ſimplici) poſſe illud compenſatione oblata pro libito ſine vlla iniuſtitia auferre. Per hæc ad rationem in oppoſitum. cùm enim dicitur, *quod iuſtè ab aliquo poſſidetur, non poteſt ab ipſo inuito & ſine culpa auferri, etiamſi compenſatio retribuatur.* diſtinguendum eſt de eo quod poſſidetur, vel titulo hæreditatis, aut alio iuris gentium; vel ex priuilegio Principis, quod primo modo poſſidetur, non poteſt ab inuito adimi, etiam oblato pretio, niſi ob cauſam boni publici. talis erat vinea Naboth: vnde ille dicebat, *Abſit hoc à me vt vendam hæreditatem patrum meorum.* Quod autem ſecundo modo poſſidetur, qualia ſunt bona beneficialia quæ nec titulo hæreditatis, nec ex alio iuris gentium poſſidentur, poſſunt à Principe adimi compenſatione oblata; cùm enim ex illius gratia poſſideantur, ex titulo gratitudinis viciſſim illis à poſſeſſore debetur, vt liberè permittant, ea ſemper in æquipollentia commutare. quod præter dicta conformant quę à Pariſio ducuntur *volum.* 4. *conſil.* 47. *numer.* 19.

55. QVÆRO DECIMOSEXTO, quæ alienatio facta à Summo Pontifice valida ſit, aut inualida, iuſta, vel iniuſta.

Circa hanc quæſtionem multa Nauarr. habet quæ indigent maiori diſcuſſione. Dicit ergo primò aliquam alienationem Pontificis eſſe validam & iuſtam; aliquam validam, ſed non iuſtam; aliquam nec validam, nec iuſtam. Secundò dicit alienationem validam & iuſtam eſſe, quæ fit iuſta de cauſa. Tertiò alienationem validam & iniuſtam quæ fit ſine cauſa; ſed ab vna Eccleſia in aliam, & ab vno beneficiario in alium. ita *numer.* 8. §. *de ſpoliis.* Quartò, nec validam nec iuſtam alienationem eſſe factam in perſonas laicas, ſiue in profanos vſus. ita *ibidem.* rationem autem horum hanc affert, quia cùm ab vna Eccleſia in aliam fit tranſlatio, res ſuo domino non adimitur. ſemper enim manet apud Chriſtum, ei etiam inſeruiendo; licèt non in eodem loco, aut vſu. at cùm in laicos transfertur, non ampliùs remanet ſub dominio Chriſti, ac proinde inualidum eſt id quod agitur, non tantùm iniuſtum: vt cùm Titius rem aliquam Sempronij donat Seio, donatio illa non tantùm iniuſta eſt, ſed etiam nulla, quia nullus poteſt re ſua contra ſuam voluntatem validè ſine cauſa priuari. ita *numer.* 7. *eodem.* §. 3. Quintò, dicit ablationem beneficij ſine iuſta cauſa factam, eſſe iniuſtam, ſed valere. Sextò ſimiliter valere ablationem ab vna Eccleſia, licèt ſine cauſa. ita *ibi. numer.* 8. *verſic. ſecundò infertur.* nomine autem *valida* alienationis intelligit eam quæ ſubſiſtit, & effectum ſuum habet verè ab vno auferendi, & alteri conferendi. Septimò, addit poſſe vnam Papæ alienationem eſſe validam ex vna parte, non ex alia; nimirum alienationem quæ fit ab vno titulo vel beneficiario in laicum validam eſſe quoad ablationem, & terminum à quo, quia verè & cum effectu non ampliùs illi poſſident, à quibus Pontifex abſtulit alienando, at hanc eandem inualidam eſſe quoad collationem & terminum ad quem; quia laici in quos ſine cauſa alienatur verè dominium non acquirunt.

In his quæ à Nauarr. dicuntur, multa ſunt minus vera, quædam dicta ab illo inconſequenter: alia etiam contra auctoritatem Pontificis, quam nimis deprimunt. Minus verum primum eſt, quòd omnis alienatio facta cum cauſa ſit iuſta & valida. quia ad validitatem actus non ſufficit ſola iuſtitia cauſæ qua quis moueatur ad agendum; niſi ſimul adſit potentia actum illum exequendi in operante. vnde eſt vt qui putans aliquid ſe poſſe facere, quod non poteſt, inualidum ſit quod agit ſi id exequatur, licèt iuſta illum cauſa moueat ad agendum, vt paulo pòſt conſtabit. Secundò minus verum eſt alienationem ab Eccleſia in Eccleſiam validam eſſe, quòd in ea dominium rei diſpoſitæ Chriſto vero domino non auferatur. nam hæc ratio ſupponit quòd quoties de re aliena diſponitur, ita tamen vt ſemper ſub dominio veri domini relinquatur, validum ſit quod de illa fit; licèt repugnante domino diſponatur. falſum enim hoc eſt, vt patet primò in depoſito. rem enim alterius apud me depoſitam non poſſum ego validè apud aliquem ſine cauſa deponere; licèt per hanc depoſitionem dominium vero domino non auferatur. Secundò in precario & commodato eodem modo. Tertiò in re adminiſtrata. qui enim adminiſtrandam alicui dat rem alterius ipſo inuito, inualidè dat, licèt dominium non auferat. Quartò, patet id etiam in pignore & hypotheca. cui enim dubium rem pignori datam vero domino non auferri; & tamen ſi detur contra illius voluntatem inualidè pignoratur? conſtat ergo inualida, vel non valida diſpoſitione rei alienæ, non attendi ſolùm an illius dominium vero domino auferatur, vel non auferatur; ſed an de illa contra voluntatem veri domini diſponatur. & hæc falſa abſolutè ſunt in ſententia Nauarri.

Sed præterea etiam primò inconſequenter ab illo dicitur quòd alienatio ſine cauſa ab Eccleſia in Eccleſiam valida ſit, licèt iniuſta. quia ſecun

Digitized by Google

ſecundùm illum ratio cur alienatio in laicos ſit inualida, eſt quia ſit cótra voluntatem Domini, nempe Chriſti. ita *numer.* 7. Sed alienatio ſine cauſa ab Eccleſia in Eccleſiam eſt etiam contra voluntatem Chriſti, vt ipſemet docet *numer.* 8. *verſiculo, tertiò infertur.* inconſequenter ergo ab eo dicitur quòd valida ſit alienatio in aliam Eccleſiam ſine cauſa, ſi ſit contra voluntatem Chriſti.

Secundò inconſequenter etiam dicitur quòd dum ab vna Eccleſia in aliam quid transfertur, nihil ſuum ab illa auferatur. quia ſecundùm Nauarr. bona vni Eccleſiæ attributa ſunt illius dos. *numer.* 5. *verſic. concludendo.* quorum ipſa habet vſumfructum. *numer.* 2. *verſic. deinde facit.* ergo verè ab illo aufertur id quod ſuum aliquo modo eſt, nempe per modum dotis & quoad vſum, licèt non quoad proprietatem. clarè enim ibi diſtinguit inter ea quæ noſtra ſunt titulo proprietatis, & dominij directi, & titulo dominij vtilis, & hoc ſecundum concedit Eccleſiæ. inconſequenter ergo loquitur cùm dicit nihil ſuum Eccleſiæ auferri cùm hæc illi auferuntur, quæ dicit ab illa quaſi vt dotem & titulo dominij vtilis poſſideri.

Tertiò inconſequenter dicit validam eſſe alienationem in aliam Eccleſiam. poſito quòd antè docuerat; *ſi fiat ſine cauſa eſſe iniuſtam, & contra præceptum de non furando. numer.* 2. *verſic. deinde.* nam nulla diſpoſitio valida eſt, quæ ſit attrectatio furtiua alienæ rei; aut cum illa coniuncta, vt per ſe patet. alioquin qui furatur, validè ſibi acquireret, validè domino auferret, validè rem furto ablatam venderet, donaret, commodaret, &c. Sed per Nauarr. omnis alienatio ab vna in aliam Eccleſiam ſine iuſta cauſa eſt furtum, quia contra præceptum de non furando. eſt ergo inualida, tam quoad ablationem ab aliquo, quàm ad tranſlationem in alium.

Et hinc quartò conſtat etiam inconſequenter ab eo dici validam eſſe ablationem & collationem beneficij ſine cauſa factam, quia per Nauarrum talis diſpoſitio eſt contra legem naturalem de non furando; per quam tenemur non auferre ab alio non ſolùm dominium directum & proprietatem rei ſuæ, ſed etiam dominium vtile & vſumfructum, ſiue adminiſtrationem quam iuſto titulo poſſidet, vt habet eodem *numer.* 2. §. 5. Sed per eundem Nauarr. beneficiarius habet dominium vtile beneficij & vſumfructum cum adminiſtratione ex iuſto titulo; ergo cùm illo ſine cauſa priuatur, iſta priuatio eſt furtiua attrectatio rei alienæ, ac proinde inualida. quia omnis furtiuus vſus alienæ rei iure ipſo inualidus eſt, licèt de facto transferat poſſeſſionem; & hæc inconſequenter ab illo dicuntur.

At verò contra auctoritatem Pontificis eſt, quod eodem §. 5. & iterum §. 2. *numer.* 1. *&* 2. videtur poteſtatem Pontificiam circa bona Eccleſiaſtica alienanda, eadem menſura metiri & regulari, qua aliorum Prælatorum. eodem enim modo & ex eadem radice dicit, ipſum teneri ad non alienandum tam bona immobilia, quàm illorum vſumfructum ſicut alios inferiores. nempe ex prohibitione canonum, & eorundem iurium; nam ex iiſdem canonibus & iuribus probat tam Papam, quàm alios ad hoc obligari. & deinde diſertè dicit §. 4. tam illum, quàm iſtos ad hoc teneri. hoc autem eſt contra maieſtatem Pontificiam, quæ non ſubiicitur vlli legi, niſi diuinæ; nec ab aliis leges impoſitas debet ſuſtinere, ſed omnes alios ſuis debet legibus gubernare. His ergo ſic diſcuſſis, iam ad veritatis deciſionem

QVÆRO DECIMOSEPTIMO, quæ alienatio Pontificis ſit valida, iuſta & licita, & quæ tantùm valida, licèt iniuſta. 54.

De alienatione Pontificis valida, iuſta & licita.

RESPONDEO & ſuppono PRIMO, alienationem quæ ſit abſolutè bona & honeſta, debere eſſe validam, iuſtam & licitam. Secundò ſuppono poſſe aliquam eſſe tantùm validam, licèt non iuſtam, nec licitam: aliquam validam & iuſtam, ſed illicitam. valida tantùm eſt, exempli gratia, venditio facta ſecundo emptori de re iam priùs vendita & nondum tradita. valet enim hæc ſecunda venditio, licèt ſit iniuſta, cùm lædat ius primi emptoris; & ſimiliter illicita, quia omnis iniuſtitia prohibita eſt. valida autem & iuſta, ſed nó licita eſſet venditio facta meretrici propter malum finem ab abſoluto domino. hæc enim eſſet valida, quia ab habente facultatem, & de re ſua diſponente. iuſta, quia citra cuiuſque iniuriam: at illicita, quia ad turpes vſus. ex quo vlteriùs fit quod etiam ſuppono, eo ipſo quòd aliqua alienatio eſt licita, eſſe quoque iuſtam (ſaltem formaliter) & validam, & eo ipſo quòd iuſta, eſſe quoque validam; ſed non econtra. nam, vt vidimus, non omnis valida eſt iuſta, nec omnis valida & iuſta eſt licita; quia poteſt aliqua eſſe non honeſta.

His poſitis, vt videamus quæ alienatio Summi Pontificis ſit aut nó ſit valida, iuſta, & licita; videamus breuiter quid requirat actus humanus quicumque ille ſit, vt iſtas tres conditiones habeat, deinde ex hoc ad quæſitum reſpondebimus.

Quoad primum DICO PRIMO, vt actus humanus validus, licitus & iuſtus ſit, tria requiri in operante, potentiam, voluntatem, & iuſtũ modũ in operando ſeruatũ. vnde Bald. *conſil.* 326. *vol.* 1. tria, inquit, ſunt quæ canonicant actum, potentia & voluntas agendi, & ordo ſiue modus in agendo ſeruatus. quod repetit Marian. Socin. *conſil.* 27. *numer.* 16. *volum.* 1. Ratio eſt, primò quoad potentiam, quia vt actus validus ſit, debet eſſe & ſubſiſtere, cùm in iure idem ſit valere, ſeu validum eſſe, quod eſſe. nam actus qui nihil in iure valet, nec operatur, proinde eſt ac ſi non eſſet, cùm paria ſint in iure non eſſe, & non operari, & econtra. *l.* 2. §. *ſed ſi ſint. ff. ad Tertullian.* cum ſimilibus. nihil autem poteſt eſſe, niſi ſit ab eo qui poſſit illud producere, vt per ſe patet tam in phyſicis, quàm in moralibus. vnde dictum Auerrois eſt 9. *Metaphyſ.* nihil actionem aliquam agere, ad quam potentiam non habeat. quod IC. probat *l. qua ætate, in princ. ff. de teſtam.* Secundò requiritur ad id etiam voluntas, quia vbi tantùm eſt potentia, & non voluntas agendi, potentia non operatur; quæ tantùm applicatur ad actum voluntarium & liberum (de quo hic ſermo eſt) per voluntatem. vnde axioma iuris eſt quòd actus agentium tantum valet, quantum voluntas extenditur operantium. *l. non omnis. ff. ſi certum petatur.* ac proinde omnis actus data potentia dicitur ab agentis voluntate pendere, quæ ſimul cum illa requiritur, vt quod quis poteſt agere, actu peragatur. *cap. cùm ſemper. de offic. delegat.* & ibi Ioan. Andr. *l. cùm te.* vbi Bald. *C. de donat. ante nuptias.* Potentia ergo & voluntas operandi, ſemper ad actus validitatem requiruntur. quod egregiè ſignificauit Boëtius

lib.

Digitized by Google

lib. 4. de conſolatione. Duo, inquit, *ſunt, in quibus omnium humanorum actuum conſtat effectus: poteſtas ſcilicet, & voluntas; quorum ſi alterum deſit, nihil eſt quod perfici poſſit. quia nullus aggreditur quod non vult; & ſi poteſtas non adſit agendi, fruſtrà erit quod vult.* quod dictum bene ponderat Barb. *conſil.* 66. inter conſilia Currij, Decius *conſil.* 98. Marian. Socin. *conſil.* 72. *numer.* 13. *volum.* 1. notatúrque eadem doctrina *cap. cum ſuper Abbatia. verſic. poſſet & vellet. de offic. deleg.* vbi vniuersè obſeruatur vt actus valeat, requiri ſimul concurſum potentiæ & voluntatis in operando. vt etiam habetur *l. ſi filio. C. de donat. ante nuptias. l. omne verbum.* & *ibi* Bald. *C. communia de legat. l. multum. C. ſi quis alteri vel ſibi. c. ſi ſacerdos*, & *ibi* Abb. *de offic. deleg.* Tertiò, vt actus non ſolùm ſit & valeat, ſed etiam vt iuſtus ſit, & licitus, requiritur debitus modus in operando ſeruatus. vt notatur *in rubr. Inſtit. per quas perſonas nobis acquiratur.* & iterum *de exhæredandis liberis. initio.* Porrò modus hic dicit reſpectum & complexum omnium circumſtantiatum, in quibus actus verſari debet, vt non aliter neque alio fine, loco, aut ab alio, vel circa alia fiat quàm debet fieri. In vniuerſum autem modus hic & ordo circa duo debet ſeruari, primò circà operantem, ſecundò circa alios ad quos id quod agitur noſcitur pertinere: ſi ſeruatus debitus modus & ordo reſpectu aliorum eo ipſo actus iuſtus eſt; ſi etiam reſpectu operantis; vt ita ab illo fiat, vt recta ratio poſtulat agendi, actus etiam honeſtus, & vndequaque licitus eſt. ex quo fit à primo ad vltimum, quod dicebam vt actus validus, iuſtus, & licitus debeat eſſe à potente & volente operari, & debitum modum ſeruante in operando, non ſolùm erga alios quorum iura non lædat, ſed etiam quoad ſe rectæ rationis præſcriptum non egrediendo. in qua concluſione conſentiunt omnes IC. vt ſuprà vidimus, & Theologi cum D. Th. 1. 2. *tota q.* 18.

Quoad ſecundum ergo de alienatione à Pontifice facta,

55. Dico primo ſola illa alienatio rerum Eccleſiaſticarum à Summo Pontifice facta valida non eſt, in qua conſenſus & voluntatis defectus reperitur. probatur ex dictis, quia quòd actus aliquis humanus inualidus ſit, tantùm prouenit ex defectu potentiæ, aut voluntatis agendi. nam quòd actus validus ſit, prouenit à potentia & voluntate, vt modò dictum eſt; ſed ex iiſdem cauſis deficientibus vnumquodque deſtruitur, aut minuitur, ex quibus præſentibus ineſſe ponitur, & in eo conſeruatur, vt per ſe patet, & conſtat ex *l. nihil tam naturale. ff. de regul. iur.* vbi Decius & DD. ergo quòd actus aliquis inualidus ſit, prouenire tantùm poteſt ex defectu potentiæ & voluntatis. Sed in Summo Pontifice reſpectu beneficiorum bonorum Eccleſiaſticorum non eſt defectus potentiæ, vt conſtat ex ſuprà dictis, nam ſiue ponamus illum dominum, ſiue adminiſtratorem, indubitata concluſio eſt quòd tam vno, quàm altero titulo habet in illis omnimodam poteſtatem, nempe plenam & liberam, vt dicitur *Clem.* 1. *vt lite pend. in fine.* vbi DD. *cap.* 2. *in princ. de conceſſione prebend. in* 6. gloſſ. *cap. ſi gratioſè. de reſcript. in* 6. eadem *cap. per principalem.* 9. *quæſt.* 3. *c. oportebat.* 78. *diſtinct. cap. Eccleſia.* 97. *diſtinct.* Ioan. Andr. *cap.* 1. *de ſumma Trinitate.* ex *cap. in memoriam.* 19. cum ſimilibus, quæ habet Barth. Socin. *conſil.* 13. *numer.* 34. *volum.* 1. vbi dicit, dato & non conceſſo, quòd bona Eccleſiaſtica non ſint Summi Pontificis vt domini; certiſſimum tamen omnibus eſſe debere, ipſum habere circa illam omnimodam & abſolutam diſpoſitionem, adminiſtrationem, diſpenſationem. quod ipſum tradit fusè Pariſ. *conſil.* 3. *volum.* 4. *numer.* 81. probans ſibi hanc iuris concluſionem, quòd Pontifex habet plenitudinem poteſtatis de bonis Eccleſiarum ſuo arbitrio diſponendi; & id ex communi DD. *d. cap.* 2. *de prebend. in* 6. & *Clem. vt lite pend.* per ea quæ ad idem accumulant Felinus & Decius *cap. quæ in Eccleſiarum. num.* 32. *de conſtitutionibus.* Alexand. *conſil.* 92. *numer.* 35. *volum.* 6. Socin. *conſil.* 27. *num.* 8. *volum.* 3. Corneus *conſil.* 90. *colum.* 3. *volum.* 4.

Ex quibus irrefragabili ratione poteſt hæc concluſio probari dupliciter. Primò, quia vbi eſt potentiæ plenitudo ad aliquid diſponendũ, ibi nullus eſſe poteſt defectus poteſtatis, quia defectus cum plenitudine ſtare non poteſt. gl. *Clem.* 1. *de re iudicata. verſ. Plenariè.* Sed Summus Pontifex circa diſpoſitionem bonorum Eccleſiaſticorum habet plenitudinem poteſtatis, ſiue vt illorum dominus (quæ eſt probabilior opinio,) ſiue vt illorum abſolutus adminiſtrator. *d. Clem.* 1. *lite pend.* ergo non poteſt inualidum eſſe quòd ex illis diſponit ex defectu potentiæ diſponendi. Secundò, quia defectus potentiæ alienandi & diſponendi de bonis aliquibus, vel prouenit ex carentia tituli, vel eo poſito ex prohibitione facta, bona illa poſſidenti, aut adminiſtranti. exempli gratia, quòd Titius non poſſit prædium tale vendere, non poteſt eſſe niſi ex defectu tituli, nempe quòd non ſit dominus, aut adminiſtrator illorum, vel ſi titulum habeat, quòd prohibitus ſit illa vendere ab eo qui poteſt illi præceptum imponere. Sed Summus Pontifex neutrum defectum potentiæ habet circa bona Eccleſiaſtica.

Non defectum tituli, quia certiſſimum eſt illa ſua ipſius eſſe, & ad illum pertinere, ſiue vt dominum, ſiue vt vniuerſalem Adminiſtratorem, Chriſti Vicarium, ipſiúſque gregis Paſtorem; ita vt nullus alius ſit in terris qui habeat in illis titulum potiorem, vt ſuprà vidimus. neque cum iſto titulo reſtitutionem habet ex vllo præcepto quod ſibi potentiam adimat, vel diminuat. nam vel hoc præceptum eſt poſitiuum à Concilio, vel alio inferiori: & clarum eſt quòd illo Pontifex non ligatur, vel à Deo & Chriſto prohibente alienare. & certiſſimum eſt hanc prohibitionem non tollere potentiam, aut ita minuere, vt ſi fiat contra præceptum inualidum ſit quod agitur; ſed tantùm quòd iniuſtum, aut aliter illicitum. vt conſtat primò ex omnium confeſſione in ipſo Pontifice, qui ſi alienet ſine cauſa ex vna in aliam Eccleſiam, aut ex vno beneficiario in alium, valida eſt alienatio, vt ipſemet Nauarrus ex omniũ auctoritate concedit, & tamen eſt contra præceptum Chriſti prohibentis ſine iuſta cauſa hanc tranſlationem facere, vt idem Nauarr. §. 3. *de ſpoliis*, fatetur. Secundò, quia quilibet abſolutus dominus rei ſuæ præcepto naturali prohibetur bona prodigere & dilapidare; & tamen ſi donando diſſipat, &c. validè illorum dominium transfert. Tertiò, quia quilibet diuino præcepto prohibetur ad turpem finem bona ſua meretrici donare. vnde Salomon, *Ne des fili mi ſubſtantiam tuam extranea*, &c. & tamen

men quod ab abſoluto domino meretrici donatur, validè donatur. ergo quod lege naturali aut diuina prohibente diſponitur, non præcisè quòd illa prohibeat inualidè diſponitur.

Ratio autem huius rei eſt, quia dominia & poſſeſſiones rerum illorúmque diſtinctiones, tranſlationes, acquiſitiones, introductę ſunt iure ciuili, fundatæ in iure gentium; non autem introductæ ſunt lege naturali, aut præcepto diuino. vnde fit vt per iſta non adimantur, aut conferantur; ſed poſſeſſione & dominio poſito ex iure gentium, quæ circa illa ſint ſeruanda lege diuina aut naturali mandentur. quare cùm quid diſponitur de re quam quis habet vt dominus, aut adminiſtrator, curator, diſpenſator, &c. contra nudum præceptum diuinum, aut naturale, non eſt id quod diſponitur eo ipſo inualidum, ſed tantùm iniuſtum, aut aliter illicitum: & proinde tale præceptum non tollit, aut minuit potentiam ad validè agendum, ſed illam dirigit, vt id quod fieri & diſponi validè poteſt, iuſtè etiam & licitè diſponatur. Relinquitur ergo quòd quoties Pontifex de re Eccleſiaſtica diſponit, eius diſpoſitio inualida eſſe non poſſit ex defectu potentiæ in operante. Et hinc eſt primò quòd eo ipſo quòd à Summo Pontifice, circa bona Eccleſiaſtica factum quid eſt, nihil ambigi aut controuerti poſſit de facientis, aut diſponentis poteſtate. Pariſ. *conſil.* 5. *numer.* 1. *volum.* 4. VVameſius *conſ.* 246. *numer.* 1. *de prabend.*

Secundò quòd quicumque bona aliqua Eccleſiaſtica à Summo Pontifice habet, eo ipſo fundatam intentionem habet, quòd illa validè poſſideat, cùm acceperit ab habente poteſtatē, vt iidem tradunt ex pluribus iuribus.

Tertiò denique cur communiter, vt axioma iuris, aſſeratur ſacrilegium eſſe cùm quid Pontifex circa bona Eccleſiaſtica diſponit de diſponentis potentia diſputare. Pariſ. *conſil.* 5. *numer.* 70. ex *l.* 2. *C. de crimine ſacrilegij*. Bald. *cap.* 1. *ff. qualiter dominia quar.* Abb. *conſil.* 82. hoc enim eſt, quia cùm certiſſimum ſit habere in his Sūmum Pontificem plenitudinem poteſtatis, ſacram illius dignitatem lædit qui dubitat an poſſit quid facere, vel non poſſit; quia eo ipſo videtur admittere defectum pati poſſe poteſtatis. ex quibus omnibus poſita à nobis concluſio confirmatur, nempe quòd cùm quid Pontifex circa bona Eccleſiaſtica diſponit, ſi ſit inualida diſpoſitio, non poſſit id eſſe ex defectu poteſtatis, cùm ſacrilegum ſit in huiuſmodi diſpoſitionibus de Pontificis potentia dubitare.

55. Dico secvndo, alienatio facta à Summo Pontifice. tantùm inualida poteſt eſſe ex defectu ipſius voluntatis. conſtat ex dictis. nam cùm poſſit tantùm inualida eſſe ex defectu alterutrius, nec poſſit hic defectus à potentia prouenire; ſi inualida diſpoſitio ſit, neceſſariò erit ex defectu voluntatis. qui dupliciter poteſt in alienando contingere, primò ex deliberatione, ſecundò ex errore. ex deliberatione, cùm Pontifex quod abſolutè poteſt non abſolutè vult, ſed limitatè. & tales ſunt alienationes à Papa factæ, cum cauſa expreſſa; aut ad aliorum preces, aut aliqua conditione requiſita; cuiuſmodi omnes dicuntur fieri de poteſtate ordinaria, quæ eo ipſo quòd factæ ſunt, validæ non præſumuntur; niſi conſtet de cauſa, aut veritate precum, aut conditione purificata, & volentes opponere contra illas ab omnibus admittuntur. defectus autem voluntatis ex errore eſt cùm ex obreptione, aut ſubreptione poſtulantium, vel aliunde apparet Principem fuiſſe in ſua diſpoſitione deceptum; in quo caſu tota diſpoſitio corruit, cùm nihil ſit magis contrarium conſenſui & voluntati, quàm deceptio diſponentis *l. nihil eſt. ff. de reg. iur.*

Non obſtat primò contra prædicta, quòd communiter ſolet quæri, an hoc vel illud Papa circa bona Eccleſiaſtica facere poſſit, vt cùm quæritur, an ſine cauſa poſſit dare facultatem præſtandi monacho: an poſſit ſine cauſa bona immobilia donare. ex quo videtur quòd defectus vel exiſtentia cauſæ alienandi, minuit aut confert Pontificis poteſtatem. nam reſpondeo in tali caſu, nomen *potentia* accipitur pro honeſtate & conuenientia. quia tunc non quæritur, an validè id Pontifex facere poſſit; ſed an liceat, & expediat. quo pacto etiam dominus abſolutus rerum ſuarum conſulit aliquando peritos, an poſſit tale ſuum prædium, vel domum vendere. tunc enim verbum *poteſt* accipitur pro *licet* & *expedit.* quo pacto ſæpiùs ſumitur in iure, vt bene poſt alios Ioan. de Selua *tract. de iuramento. cap. qui poſſit in illo diſpenſare.*

Non obſtat ſecundò, quod ſuprà docuimus, licèt Papa ſit dominus, eſſe tamen limitatum: ex quo videtur ſequi, limitatam quoque habere potentiam. nam reſpondeo, limitatio hæc potentiæ, non minuit illam quoad validitatem agendi, ſed regulat quoad iuſtitiam & honeſtatem operandi, quia quod à domino non abſoluto fit, contra limites ſibi conceſſos, non eo ipſo inualidum eſt, ſed tantùm iniuſtum, aut aliter illicitum, vel inhoneſtum, vt patet in hærede & debitore prohibitis alienare; & in vendente ſecundo emptori, rem alteri venditam, quam validè ſecundo vendit, licèt iniuſtè & illicitè, vt bene Nau. *conſ.* 8. *de vendit. & empt.*

Non obſtat tertiò, poſita ſententia quòd Papa non ſit dominus & adminiſtrator, eo ipſo ſequi vt non poſſit ſine cauſa validè alienare in diminutionem rei adminiſtratæ. quia hæc eſt natura puri adminiſtratoris, vt colligitur ex *l. procurator totorum. ff. de procuratoribus. cap. final. de offic. Vicarij.* nam reſpondeo quòd id verum eſt in adminiſtratore limitato; ſecus in eo qui talis non eſt: vt abſolutus Vicarius illius ad quē pertinent res adminiſtratæ. hic enim de illis omnia poteſt (quoad validitatem diſponendi) quę dominus ipſe: quia quod ipſe facit, dominus ipſe facere cenſetur. Pariſ. *conſil.* 5. *numer.* 70. vnde Marian. Socin. *conſil.* 89. *numer.* 33. & deinceps eo ipſo quòd res Eccleſiæ Chriſti ſunt, cuius Papa eſt abſolutus Vicarius, dicit eſſe quoque ipſius Pontificis quoad facultatem de illis diſponendi in omnes vſus.

Non obſtat quartò, quòd obiici poſſet alienationem factam contra prohibitionem quæ venit ex contractu, tollere potentiam alienandi, ac proinde inualidam illam reddere. Pontificem verò licèt non habeat prohibitionem legis aut ſuperioris, habere tamen prohibitionem quæ venit ex contractu, cui ſtare debet; quia ſuo contractu, ſiue ille tacitus ſit, ſiue expreſſus, æquè tenetur vt quilibet alius. vt poſt alios bene Pariſ. *conſil.* 11. *numer.* 48. *volum.* 1. ex pluribus iuribus & DD. hoc oſtendens. Nam ad hanc obiectionem quid dicendum ſit ex ſequenti quæſt. conſtabit. Ergo 56. *Alienat. rei prohibitæ alienari.*

QVÆRO DECIMOOCTAVO, an

an omnis alienatio rei prohibitæ alienari, ſit eo ipſo inualida; nec transferat dominium rei alienatæ.

Pro reſponſione diſtinguendi ſunt hîc quatuor caſus. Primus eſt, ſi prohibitio ſit à lege: in quo adhuc diſtinguendum de lege aut naturali & diuina, aut de ciuili. Prohibitum alienari lege naturali & diuina, ſi contra prohibitionem alienetur, non eo ipſo inualidè alienatur, vt cóſtat ex proxima quæſtione; & patet in eo, qui bona ſua prodigè donat, aut contra rectam rationem aliter diſſipat. Prohibitum verò alienari lege ciuili, ſi ab eo alienatur qui legi ſubiectus eſt, inualidè alienatur, nec per illam alienationem dominium transfertur. Fabianus de Monte *tract. de vend. & empt. quæſt. 22. dubitat. 17. verſic. deinceps.* & apud illum Bart. & alij. ratio eſt, quia pro infecto habetur in iure, quod contra legis expreſſam auctoritatem fit à ſubiecto legi. *l. non dubium,* & *ibi* Bart. *C. de legib. l. 1. & 2. ff. de fundo dotali. Authent. excipitur. C. de bonis,* &c. fuſéque probat Innoc. *cap. Rainaldus, in gloſſ. in verſ. tenetur. de teſtam.*

Ex hoc fit primò nullam alienationem Pontificis contra prohibitionem legis eſſe præcisè ex hoc inualidam. nam ſi eſt contra legem naturalem, aut diuinam, prohibitio illa propriè alienationem non inualidat, licèt illi legi Pontifex ſubiectus ſit. ſi ſit contra legem aliam, multo minus, cùm illa Pontifex non teneatur.

Secundò fit omnem alienationem inferiorum Prælatorum ſine cauſa eſſe inualidam, quia contra legem canonicam prohibentem, cui illi ſubiiciuntur.

Secundus caſus prohibitionis eſt à ſententia iudicis, vel præcepto ſuperioris; & ſic alienari prohibitum, alienatum ab eo qui ſubiectus eſt, inualidè alienatur, nec in alterius dominium transfertur, vt vult Bart. *l. ſi ſciens,* cum Fabiano de Monte *loc. cit.* qui illum cum aliis adducit: licèt contrarium teneat Innoc. *d. cap. Rainaldus.* quem Bald. & alij ſequuntur. ex quo fit, neque ex hoc capite alienationem Pontificis inualidari poſſe, cùm in ſententia Innoc. prohibitio iſta non inualidet alienationes inferiorum: in ſententia autem Bart. tantùm valeat prohibitio ad inualidandum in iis qui ſuperiori, aut iudici ſubiiciuntur, cuiuſmodi non eſt Papa, qui nec iudicem, nec ſuperiorem habet in terris. *cap. cuncta per mundum. quæſt. 3. cap. nunc autem. 21. diſtinct.*

Tertius caſus eſt cùm prohibitio fit à teſtatore, in quo caſu contra prohibitionem expreſſam alienatum, inualidè alienatur; nec in alterius dominium transfertur. Bart. Angel. alij cum Fabiano de Monte *d. tract. de vend. & empt. quæſt. 22. numer. 34.* quia lex & teſtatoris voluntas æquiparantur. *Authent. de nupt. §. diſponat.* Sed prohibitio legis impedit dominij tráſlationem rei prohibitæ alienari, vt conſtat ex dictis in primo caſu. ergo & voluntas teſtatoris impedit, vt expreſsè etiam tenet Innoc. *d. cap. Rainaldus, in verſ. teneret.* aſſignans rationem, quoniam ſicut hæres transfert voluntate ſua dominium in legatarium abſque traditione. *l. ſi partem. ff. quemadmodum ſeruitus amittatur.* ita poteſt ipſius voluntate dominij tranſitus impediri. Ex quo fit, alienatum à Pontifice contra prohibitionem teſtatoris eo ipſo non inualidari. Primò, quia prohibitio teſtatoris non plus poteſt quàm prohibitio legis; ſed hæc non inualidat Pontificis alienationem; ergo nec prohibitio teſtatoris. Secundò, quia quòd prohibitio teſtatoris hoc poſſit, eſt ex diſpoſitione legis, ſtatuentis in vltimis voluntatibus quod diſpoſitum non iniuſtè fuerit pro lege habendum, vt *d. Authent. de nupt.* & bene Nauarr. *conſil. 8. de vend.* Sed Pontifex non eſt ſubiectus legi; ergo cùm prohibitio teſtatoris totum quod poteſt circa inualidationem prohibitæ alienationis habeat à lege, locum in Summo Pontifice, in quem nihil lex poteſt, non habebit.

Quartus caſus eſt, ex prohibitione per contractum. & tunc regulariter certum eſt alienationem non inualidari; nec impediri dominij tranſlationem, cùm quid contra prohibitionem quæ venit ex contractu alienatur. Bart. *l. ſi ea lege,* cum ibi notatis per alios. *C. de condict. ob cauſam.* idem tradunt Innoc. Ant. Imola, Bald. quos refert & ſequitur Fabianus à Monte *d. quæſt. 22. numer. 35.* & deinceps. Marian. Socin. *conſil. 108. numer. vlt.* Gomeſ. *de contract. capit. 2. numer. 19. verſ. quintò principaliter.* & iterum *numer. 20. verſicul. ſeptimò principaliter.* Dixi *regulariter*, quia poſſunt eſſe aliqui caſus excepti, in quibus per contractum & mutuam conuentionem, poterunt inter priuatos alienationes impediri. & hoc non ſecundùm communem opinionem, ſed ſecundùm quoſdam. nam alij abſolutè volunt, alienari prohibita per contractum validè alienari, & dominium transferri; licèt deinde poſſit agi ad intereſſe, aut ad reſciſſionem. quæ videtur eſſe ſententia Bart: & aliorum *d. l. ſi ea lege.* Ratio autem eſt, quia non eſt in poteſtate priuatorum, vt quæ iure communi inſunt, & per leges conueniunt, alterentur; aut contra quàm leges decernant, valeant & ſubſiſtant, ex *l. nemo poteſt. ff. de legat. 1. & l. nemo. ff. de pact. & d. l. ſi ea lege.* Sed iure cõmuni qui dominus eſt, eo ipſo per leges habet vt ſi dominiũ tráſferat, validè tráſferat, niſi ſit lege aut ſuperioris iuſſu, vel ſentẽtia iudicis impeditus. ergo non poterit contractus priuatorum naturá dominij immutare. Dixi non poſſe id ex contractu, quod intelligendum præcisè eſt ex vi illius, ita vt ſi prohibitio per illum non adeſſet, intelligatur iure communi conceſſa facultas dominij transferendi; tantùm verò ablata vi contractus. nam hoc dico fieri non poſſe propter rationem dictam.

Et ex hoc conſtat prohibitionem, quæ venit ex contractu, diſpoſitionem Pontificis non inualidare. Primò, quia ſi id non poſſet contractus inter priuatos, multo minus id poterunt cum Principe. Secundò, quia non poteſt Papa ſibi legem imponere, qua ſe adſtringat vt id quod poteſt facere, ſi id poſtea voluntaria & ex certa ſcientia aggrediatur, inualidè aggrediatur, quia tunc legibus ſuis ſubiiceretur. quod eſſe non poteſt. *cap. propoſuit. de conceſſ. præbend.* quare quemadmodum nullus poteſt ſibi legem imponere vt teſtamenta quæ faciet ſint inualida; ita nec Pontifex poteſt ita ſuam potentiam limitare: licèt ſi contra prohibitionem contractus veniat, in quem tacitè vel expreſsè conſenſit; ſi ſine cauſa veniat, iniuſtum ſemper & illicitum futurum ſit quod diſponet; licèt valida diſpoſitio ſit futura.

His caſibus ſic explicatis conſtat clara reſponſio ad vltimam obiectionem proximæ quæſtionis. nam licèt Papa alienet prohibita alienare, ex quocumque capite illa prohibeantur, non ſequitur

quitur alienationem rei ſic prohibitæ inualidari, aut per eam dominium non transferri, vt patet quatuor caſus propoſitos examinando.

57. *Alienatio bonorum Eccleſiaſticorum ſine cauſa facta in laicos.* QVÆRO DECIMONONO, qualis ſit alienatio bonorum Eccleſiaſticorum ſine cauſa facta in laicos; & an per illam iniuſtitia propriè dicta iu Chriſtum committatur. Nauarr. circa hoc dicit primò alienationem in laicos à Pontifice ſine cauſa factam eſſe contra præceptum Decalogi de non furando, ita §. 2. *numer.* 3. *&* 4. §. 3. *numer.* 1. *verſic. deinde facit. de ſpol.* Secundò dicit per illam alienationem Chriſtum dominio rei ſuæ priuari, ita §. 2. *numer.* 4. §. 3. *numer.* 7. *in fine.* Tertiò hinc infert furtum hoc & iniuſtitiam, quæ in illa alienatione committitur, eſſe contra Chriſtum verè & propriè. Pro ſolutione

58. DICO PRIMO, contra Chriſtum propriè loquendo furtum committi non poteſt. nam vel vt Deus conſideratur, & clarum eſt illi nihil auferri poſſe, ac proinde nec per furtum; vel vt homo, & hoc pacto cùm glorioſus ſit, omnia videns, & ſciens quæ ad ſtatum ſpectant mediatoris, furtum rei ſuæ pati non poteſt, cùm nulla res ad ipſum ſpectans, in vllum vſum conuerti poſſit, niſi ipſo ſciente & ſaltem permiſſiuè volente. ad malitiam autem furti requiritur, vt quid de re domini fiat, quod ipſe primò neſciat. Secundò quod ipſe nec velit, nec permittat, vt per ſe patet, docétque D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 66. *artic.* 3. & tradit idem Nauarr. §. 2. *numer.* 4. vbi dicit quemcumque domini conſenſum permiſſiuum, ſiue tacitum, ſiue expreſſum, ſiue iuſtè præſumptum excuſare à furto. ex quo fit propriè loquendo non poſſe committi furtum in Chriſtum; ſed nec etiam rapinam, quia ſicut illud ignorantiam domini includit, ſiue veram, ſiue à furante exiſtimatam; ſic rapina includit violentiam, vel iu exercitio, vel in præparatione animi rapientis. quorum neutrum propriè loquendo poteſt eſſe reſpectu Chriſti, cùm omnia ſciat, nec à quoquam violentiam pati poſſit.

59. DICO SECVNDO, Chriſto propriè loquendo nihil auferri poteſt. non vt Deo, vt per ſe conſtat; non vt homini, quia vt talis omnium Dominus eſt à Deo conſtitutus ſuper omnem creaturam; vt bene præter alios probant Iacob. Naclanctus *cap.* 1. *epiſt. ad Epheſios, digreſſione de dominio Chriſti.* & Alfonſus Mendozza *in quæſtionibus diſputationis. quæſt. de regno Chriſti.* Quod ipſum diſertè tradunt Burgenſ. *additione* 2. *cap.* 1. *Matth.* Nicolaus Grandis in illud ad Hebr. 1. *quem conſtituit hæredem vniuerſorum.* Roffenſis *artic.* 27. contra Luther. Pighius *lib.* 5. *capit.* 3. *Hierarchiæ Eccleſiaſt.* Almainus, Hoſtienſ. Turrecremat. Antonin. cum pluribus aliis quos enumerat Molin. *diſput.* 28. immo & Nauar. ipſe hoc idem tradit *c. nouit, de indic. notab.* 3. *&* 130. Quare ſicut per eundem Nauar. nihil aufertur à dominio Chriſti, cùm quid ab vna in aliam Eccleſiam tráſfertur. quia vtrobique ſemper eſt ſub illius dominio, cùm remaneat inter bona Eccleſiaſtica, quorum omnium Dominus, Chriſtus eſt. ſic cùm quid ab Eccleſia in laicos alienatur, non poteſt dici abſtrahi à dominio Chriſti, niſi aſſeramus res laicorum non eſſe Chriſti. quod eſt planè falſum, cùm data Chriſto fuerit omnis poteſtas in cælo & in terra, *Matth. vlt.* nec ad hoc refert, quòd alium vſum habeant res apud laicos, quàm apud Eccleſiam. Primò, quia hoc non tollit dominiũ, aut alterat, ſed vſum dominij, & idem Nau. §. 3. *n.* 8. nec n. per hoc quid dicitur non eſſe ſub dominio Regis, quod in vsũ adhibeatur proximè Regem ipſum nihil ſpectantem, alioquin veſtis qua induitur Rex eſſet perfectè ſub illius dominio, ſub quo non eſſent pecuniæ illius agricolis, aut aliis operariis diſtributæ. Secũdò, quia plerumque res apud laicos habent vſum proximè Chriſtum ſpectantem. Tertiò, quia etiã res Eccleſiæ habent immediatos vſus in profana.

DICO TERTIO, cùm quid in laicos ſine iuſta cauſa a Pontifice alienatur, nullam iniuſtitiam propriè dictam contra Chriſtum Dominum cõmitti. Primò, quia hæc nõ eſt niſi inter illos qui habent inter ſe diſtincta iura, & mutuò damnis affici, & releuari poſſunt. talis non eſt Chriſtus ad homines comparatus. nam & quia mortuus, & quia glorioſus, & quia omniũ Dominus, nullum iam cum hominibus commercium habere poteſt vnde damno afficiatur, vel ſubleuetur. Secundò, quia ſi iniuſtitia propriè dicta contra illum ſic alienando committitur, vel eſt quia res illi ſua auferatur transferendo dominium. & hoc falſum eſſe docuimus, vel quia de re ipſius diſponitur contra ipſius voluntatẽ. & hoc non ſufficit ad iniuſtitiam propriè dictam contra aliquẽ faciendam; niſi ille habeat alias conditiones. vt patet primò, cùm quilibet homo de re qualibet diſponit cum peccato, diſponit n. de re Dei cõtra voluntatem Dei, nec tamen in eo facit iniuſtitiam contra Deum. Secundò, quia cùm Pontifex dat vni Eccleſię ſine cauſa, quod alteri abſtulit, diſponit de re Chriſti contra voluntatẽ Chriſti; & tamen nullam iniuſtitiam propriè dictam committit in Chriſtum, vt diſertè tradit idem Nau. §. 3. *n.* 9. *verſic. ſeptimo infertur.* 60.

Si dicatur in hoc caſu non cõmitti iniuſtitiã, quia non aufertur dominium. Primò iam docui neque auferri cùm in laicos alienatur. Secundò dico adæquatam cauſam cur non fiat iniuſtitia propriè dicta contra aliquẽ, non eſſe quòd licèt diſponatur de re ipſius contra ſuam voluntatẽ, non tamen dominiũ auferatur, quia tunc ſequeretur numquam committi iniuſtitiã propriè dictam quo res inuito domino attrectatur, illi tamen dominio conſeruato. quod eſt planè falsũ. nam qui vtitur depoſito contra voluntatẽ domini deponentis, iniuſtè facit, & furti tenetur. tota ergo ratio cur in eo caſu, licèt contra voluntatem Chriſti de ſua ipſius re diſponatur, non fiat tamen iniuſtitia propriè dicta, non eſt quia dominium illi non auferatur, ſed quia inter illam & homines non ex iuſtitia propriè dicta, cum nec ſit mutua capacitas æqualitatis faciendæ, vel reparandæ. quod ad rationem veræ iuſtitiæ eſt requiſitum. Sed tunc vlteriùs

QVÆRO VIGESIMO, quæ obligatio ex iniuſta bonorum Eccleſiaſticorum in laicos alienatione, tam in alienante, quàm in recipientibus oriatur. Nauar. vt ex proxima quæſtione conſtat, abſolutè reſpondet, accipientẽ non poſſe ſic alienata cum bona conſcientia retinere, ac proinde debere ea reſtituere, alienantem verò, quod inde videtur ſequi, ad idẽ obligari, ratione cuius obligationis, teneri primò ad conatũ omnẽ adhibendũ reſtituendi. Secundò ſi non poteſt, teneri ad æquiualẽs, quod totũ colligitur 61. *Obligatio ex iniuſta bonorum Eccleſiaſticorum alienatione in laicos.*

Digitized by Google

ex ipſius §. 3. præſertim *num.* 8. *verſ. quartò infertur.* quæ ſententia poteſt ex illius fundamentis probari. Primò qui inuito domino tenet rem alterius, bona conſcientia non poſſidet, cùm præſertim non agitur de compenſatione, aut ſimili exceptione. Sed laici in eo caſu tenent rem alterius, nempe Chriſti, quia nullum tranſlatum dominium eſt, cùm inualida fuerit alienatio: & id inuito Chriſto, quia inuito eo fit quidquid cum peccato fit. Secundò, qui mala conſcientia rem alterius habet, tenetur eam reſtituere. Tertiò, qui alienauit transferendo (quantum in ipſo eſt, & de facto) dominium rei inuito domino, tenetur eam reſtituere ratione iniuſtæ acceptionis; ſicut recipiens ratione rei acceptæ. ergo Pontifex in laicos alienans ſine cauſa tenetur id quod alienauit reſtituere; & cùm conatus reſtituendi non proceſſerit, tantundem reponere. Quartò alienatio in laicos ſine cauſa eſt contra iuſtitiam; ergo tenentur per eam tam recipiens, quàm alienatus ad reſtitutionem. quia omnis iniuſtitia commiſſa reſtituendi obligationem induit. Pro ſolutione

RESPONDEO & DICO PRIMO, ex alienatione ſine cauſa in laicos à Summo Pontifice facta oritur in illo triplex obligatio. Primò reſpectu Sedis Apoſtolicæ, ſiue ſucceſſorum; quia, vt ſuprà dixi, licet Pontifex Dominus ſit Eccleſiaſticorum bonorum, eſt tamen vt hæres fideicommiſſarius, qui tenetur id quod poſſidet reſtituere. quare qui ſine cauſa ita alienauit, vt ampliùs ſub ſucceſſorum poteſtate futurum non ſit, contra illos iniuſtè facit, & conſequenter illis tenetur. quod intellige (vt ſuprà etiam dixi) de alienatione diminutiua, per quam nihil æquiualens reponitur loco alienati. Secundò tenetur illis qui bona alienata reliquerunt Eccleſiæ cum tacito vel expreſſo pacto, vt ab illa non abſtraherentur; nam quibus aliquid ex pacto debemus, iiſdem ad id quod intereſt obligamur, ſi ſine iuſta cauſa pactis non ſtemus, & legi quam illi rei ſuæ impoſuerint ſi eam poſſidere velimus, non obtemperemus. Tertiò tenetur Eccleſiis ipſis particularibus & cœtibus Eccleſiaſticorum, in quorum emolumentum bona illa tradita ſunt. quæ omnia ſatis conſtant ex ſuprà dictis, & poſſunt ex iis quæ traduntur à Fabiano de Monte *quaſt.* 2. *principali, de vendit.* vbi diſputat de alienatione rei prohibitæ alienari, & ab Antonio Gomez *cap.* 2. *de contract.* vbi agit de alienatione rerum quæ fideicommiſſo ſubiectæ ſunt. Marian. Socin. *conſil.* 44. *vol.* 2.

62. DICO SECVNDO, Summus Pontifex cùm quid ab vna Eccleſia in aliam alienauit ſine cauſa, tenetur duplici tantùm obligatione, nempe primis donatoribus & Eccleſiis donatariis, quia in eo caſu nihil læditur ius ſucceſſorum, cùm omnes Eccleſiæ ſint ſub Pontificis poteſtate.

63. DICO TERTIO, per hanc obligationem Summus Pontifex non tenetur ad reſtituendum præcisè id quod alienauit, ſed tantùm ad id quod intereſt illorum qui læſi ſunt. quare ſatis eſt ſi non rem in ſpecie, ſed in valore rependat. ratio eſt, quia in nulla diſpoſitione iniuſta rei aliis obligatæ, per quam tamen diſpoſitionem dominium transferatur, tenetur præcisè diſponens ad reſtitutionem rei malè diſpoſitæ. vt ex Bartol. Bald. Imola, Caſtro, Salic. Anchar. & communi omnium DD. probat fusè Antonius Gomez *cap.* 2. *de contract. num.* 19. & deinceps. & conſtat in venditione rei ſecundo emptori facta, quæ iniuſta eſt, & iniurioſa primo emptori; ſi tamen res tradita ſit ſecundo, & dominium tranſlatum, non tenetur venditor ad illam reſtituendam, ſed tantùm id quod intereſt, vt *ibidem* ille pluribus probat. & poſt illum Molina *diſput.* 328. *tract. de iuſtit. & iure.* Ratio autem adæquata eſt, quia nemo tenetur ad id reſtituendum quod non habet in ſua poteſtate; cùm ad impoſſibile ſiue iuris ſiue facti nemo teneatur; ſed res cuius dominiū tranſlatum eſt, non eſt ampliùs in transferentis poteſtate; ergo ad illam in ſpecie & numero reſtituendam obligari non poteſt. Cùm ergo Pontifex alienans dominium transferat rei alienanatæ, eſto per eam alienationem ius læſerit aliorum, & iniuſtè fecerit; patet non teneri illum præcisè ad reſtituendum. quòd autem teneatur ad id quod intereſt, etiam manifeſtè conſtat. quia quibus tenemur ex aliqua læſione, ſatisfacere non poſſumus, niſi vel idem reſtituendo, vel damnum in æquiualenti reparando. cùm ergo Pontifex illa triplici obligatione teneatur, nec per illam obligetur ad reſtituendum, tenebitur neceſſariò ad id quod intereſt; alioquin ad nihil teneretur, quod eſt contra ſuppoſitum.

DICO QVARTO, laici in quos malè alienatum eſt, non tenentur præcisè ad rem reſtituendam, niſi reſciſſa ab eo alienatione, quia ad id habeat poteſtatem; quòd non teneatur, conſtat, quia nullus tenetur præcisè ad rem reſtituendam, niſi ea ſit aliena, aut iuſtè in alterius poteſtate, vt pignora commodata, &c. D. Thom. *quaſt.* 66. *artic.* 3. & *ibi* Leſſius, Salon, Aragonia, Valentia, Caietan. Bagnes, vbi docent obligationem rei alicuius in ſpecie & numero reſtituendæ, oriri ex detentione rei alienæ, tam quoad dominium, quàm quoad poſſeſſionem: ſed qui poſſidet rem à Pontifice ſibi alienatam, nihil habent alienum, cùm ſit factus verus illius dominus. ergo non tenetur ad illam reſtituendam. quòd autem teneatur alienatione reſciſſa, conſtat ex eadem ratione, quia reſciſſione ſecuta res ampliùs illius non eſt, ac proinde illam retinens alienum retinet, quod reſtituere omnino tenetur. 64.

DICO QVINTO, Laicus malè alienatum recipiens ſi bona fide recepit, nec etiam ad id quod intereſt tenetur, ac propterea ad nihil reſtituendum. Probatur, quia omnis obligatio reſtituendi, vel eſt ratione rei alienæ acceptæ, vel ratione iniuſtæ acceptionis. D. Th. *quaſt.* 66. *artic.* 3. & 4. vbi Bagnes, Aragonia, Salon, Vaſquez *opuſc. de reſtit. p.* 2. Sed in hoc caſu laicus non tenetur ratione rei acceptæ, quia illa non eſt aliena, ſed ſua, nec ratione iniuſtæ acceptionis, quia bona fide accepit. ergo ad nihil reſtituendum tenetur. Ex quo 65.

DICO SEXTO, ſi conſcius fuit malæ alienationis, & ad eam aliquo modo antecedenter cooperatus eſt, tenetur vel ad rem reſtituendam, vel id quod intereſt. Probatur, quia omnis iniuſta acceptio talem obligationem inducit, vt conſtat ex D. Thom. *loc. citat.* Sed in hoc caſu laicus iniuſtè accepit; ergo ad id quod intereſt tenetur ſi non vult aut non poteſt totum præcisè refundere quod accepit. Per hæc 66.

Digitized by Google

hæc ad argumenta principio quæſtionis propoſita.

Ad primum & ſecundum patet ex dictis. qui enim à Pontifice quid in ſe alienante accepit, nihil iam alienum retinet; cùm per eam alienationem ſit factus dominus rei acceptæ, quia illa alienatio, vt ſuprà vidimus, licet iniuſta, valida tamen eſt & potens dominium transferre. Ad tertium eſt pro noſtra ſententia. nam ſi Pontifex tenetur tantùm ratione iniuſtæ actionis,& non rei iniuſtè detentæ, tenetur tantùm ad id quod intereſt reponendum, & non ad rem vllam præcisè in ſpecie reſtituendam. quia obligatio quæ venit ex hoc capite, tantùm ad hoc obligat. Ad quartum non omnis diſpoſitio de re aliqua contra iuſtitiam facta obligat ad reſtitutionem rei alicuius in ſpecie; ſed vel ad id, vel ad damnum quod illatum eſt reparandum. ſic iudex & omnis alius qui officio ſuo deeſt, & venditor,donator, &c. qui rem de qua priùs diſpoſuerant in alterum conferunt, iniuſtè faciunt, non tamen ad aliud tenentur, quàm ad id quod intereſt reponendum. Verùm vt diſtinctiùs etiam videamus quæ ſit obligatio recipientium cùm res à Pontifice alienantur,

67. *De iis quibus aliquid à Pontifice alienatum ex bonis Eccleſiaſticis.*

QVÆRO VIGESIMOPRIMO, ad quid in conſcientia teneantur in quos aliquid à Pontifice ſit ex bonis Eccleſiaſticis alienatum.

Diſtinguendum hîc multipliciter eſt, primò de alienatione titulo oneroſo, aut lucratiuo. Secundò de alienatione facta poteſtate ordinaria, aut abſoluta. Tertiò cum expreſſione cauſæ, aut ſine illa. Quartò de alienatione rei modici vel magni valoris; & id habita ratione conditionum tam dantis, quàm recipientis. Denique quid in vniuerſum de omni alienatione, quid de ſingulis ſtatuendum. Ordiamur ab hoc vltimo.

68. DICO ergo PRIMO, in vniuerſum loquẽdo, cuicumque quid eſt à Pontifice alienatum, niſi illi euidenter conſtet oppoſitum, debet exiſtimare quod accepit, ſe validè poſſidere, ſiue illud acceperit pleno iure dominij, ſiue cum vtili tantùm, ſiue alio titulo. hæc concluſio conſtat ex ſuprà dictis, quia reuerẽtia quæ ſupremo omniũ Principi debetur, poſtulat, vt omne id quod facit, niſi euidenter appareat oppoſitum, validum & iuſtum præſumatur. ac proinde cùm quid alienauit, validè fuiſſe alienatum exiſtimandum eſt. & ſi hoc, per eam alienationem dominium rei alienatæ validè eſſe tranſlatum. quæ præter dicta probantur & explicantur ex iis quæ habet Marian. *conſil.* 140. *volum.* 2. & hoc in vniuerſum de omni alienatione. Deſcendendo iam ad particulares,

69. DICO SECVNDO, cui eſt aliquid à Summo Pontifice alienatum titulo oneroſo, vndequaque tutus eſt in conſcientia, nec ad quidquam præſtandum, niſi aliud ſuperueniat, in cõſcientia ex iuſtitia tenetur. Ratio eſt, quia omnis obligatio ad quidquam præſtandum, vel eſt ratione rei acceptæ, vel iniuſtè acceptionis, ſiue cuiuſcumque iniuſtæ actionis, in rem alienam. Sed hic ex neutro capite ad quidquam tenetur. non ratione rei acceptæ; quia quod accepit, ſuum ipſius factum eſt: quare illud nulli dare tenetur, cùm alienum non ſit; nec ratione iniuſtæ acceptionis, quia titulo oneroſo accipiendo, nullum damnum intulit Sedi Pontificiæ, aut rebus Eccleſiaſticis; cùm per illam acceptionem ea quoad valorem & æſtimationem minuta non ſint, ex parte ipſius accipientis. Dico ex parte accipientis, quia ſi Pontifex pretium acceptum diſſipet, hoc ad accipientem non pertinet. Dixi ad quidquam non teneri niſi aliud ſuperueniat, quia ſi reſcindatur alienatio ab eodem Pontifice vel ſucceſſore, tunc tenebitur in conſcientia (ſeruando ſe tamen indemnem quãtum fieri poterit) ad rem reſtituendam, vel id quod fuerit iudicatum; & ſibi imputet ſi damnum patitur, quia hæc eſt cõditio re rebus Eccleſiaſticis contrahentium, vt ſuſpenſi ſint à futuris euentibus, cùm poſſint ſemper contractus de nouo diſcuti, examinari, reſcindi, re in integrum reſtituta.

Si dicas, emens ab eo qui incontinenti eſt pretium diſſipaturus, eſt in dolo & fraude ſi inde damnum tertio ſequatur. Reſpondeo hoc locum habere in eo qui per eam pretij diſſipationem redditur impotens ad ſoluendum quod debet, talis non eſt Pontifex. nam ob eius amplitudinem poteſtatis & dignitatis & varias rationes quas iuſtè habet reditus & pecunias accumulandi, nunquam videtur reddi impotens abſolutè ad id in alia parte compẽſandum quod in alia de Sedis Apoſtolicæ patrimonio diminuerit. cùm ergo qui ab illo titulo oneroſo accepit, nullo pacto ipſum reddiderit impotentem ad conditionem patrimonij Eccleſiaſtici in eodem ſtatu compenſatiuè retinendam, nihil iniuſtè fecit; ac proinde ad nihil tenebitur ratione iniuſtæ acceptionis, aut actionis. & hoc quoad alienationem oneroſam, quæ poteſt eſſe per venditionem, permutationem, locationem longi temporis, &c. nunc de alienatione lucratiua.

DICO TERTIO, cui quid titulo gratuito 70.
eſt alienatum, ſi non eſt certus, per id patrimonium Sedis Apoſtolicæ notabiliter imminui: & per compenſationem non reparandũ: nec quid habet vnde dubitet de validitate alienationis ex parte voluntatis Pontificis alienantis, ad nihil in conſcientia tenetur; niſi fuerit ab eodem Pontifice vel ſucceſſore interpellatus. Quòd ad nihil teneatur conſtat; quia nullam iniuſtitiam commiſit; ergo ad nihil ex læſa iuſtitia tenetur. nec enim iniuſtè egit accipiendo, quia nulli fecit iniuriam; nam ſi alicui, maximè Sedi Apoſtolicæ. at huic non fecit, quia ſuppono nõ conſtare recipienti per id quod accepit illius bona ita imminui, vt non ſit ablatum reſarciendum, nec remaneat Pontifex capax ad id quod alienauit compenſandum, per ea quæ in ſimili habent Bart. Bald. Caſtro, Alexand. Imola, Salicet. cum Molin. *tract.* 2. *de iuſt. diſp.* 328. dum tradunt qui accepit à debitore per quod ille factus eſt impotens ad ſoluendum, neſcius eius impotentiæ nullam facere iniuriam creditoribus; non ergo iniuſtè fecit accipiendo, ſed nec rem acceptam retinendo. quia hæc ſua facta eſt ex traditione & iuſto titulo poteſtatem habentis. Dixi non teneri ad quidquam in conſcientia ex iuſtitia læſa; nam ex alio titulo poteſt ad aliquid obligari, vt paulo pòſt conſtabit. omnis enim obligatio ad aliquid alteri ex iuſtitia præſtandum vel eſt ex iuſtitia exercenda & æquitate ſeruanda. quales ſunt obligationes ex iuſtis contractibus; vel eſt ex iniuſtitia reparãda, ex quo capite omnis obligatio quid alteri præſtandi & reſtituendi ad duo illa membra reducitur alienæ rei acceptæ, aut iniuſtæ acceptionis. ex quo patet in quo ſenſu cõmuniter dici ſoleat omnẽ obligationem reſtituendi eſſe vel ex re aliena detenta, vel ex iniuſta acceptione, ad quam reducitur

Digitized by Google

omnis iniuſta actio proximo damnoſa: quæ doctrina traditur à D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 66. præſertim *artic.* 3. ab aliis autem DD. quomodo dicatur obligationem reſtituendi, & quid alteri præſtandi, oriri etiam ex iuſta acceptione, & actione; & non ſolùm ex iniuſta: quam doctrinam tradit Vaſquez *cap.* 1. *de reſtit.* nam vtrumque diuerſo ſenſu verum eſt. Si enim loquamur ex obligatione iuſtitiæ læſæ reparandæ (ſiue ea materialiter læſa ſit, vt cùm quis rem alienam apud ſe habet ſine ſua culpa; ſiue formaliter, vt cùm ſcienter aliis damnum illatum eſt) verum eſt eam tantùm oriri ex illo duplici capite, nempe rei acceptæ, aut acceptionis iniuſtæ. Si verò loquamur de obligatione ex iuſtitia facienda & conſeruanda, clarum eſt eam quoque oriri ex iuſtis actionibus & acceptionibus, qualis eſt obligatio ex contractibus, promiſſione, officio accepto & ſimilibus. Quod ergo in concluſione poſuimus, hinc meliùs declaratur & confirmatur, quia cùm tantùm agamus de obligatione, quam poteſt habere cui donatum quid eſt à Summo Pontifice, ex læſa iuſtitiá reparanda, patet eam non poſſe oriri niſi ex illó duplici capite, quorum neutrum cùm in eo donatario ſit, quem poſuimus, conſtat illum ad nihil alteri præſtandum teneri, propter donationem illam admiſſam, & rem donatam acceptam ex iniuſtitia reſarcienda. Quòd verò teneatur, ſi ab eodem Pontifice, vel ſucceſſore fuerit interpellatus, probatur ex ſimili, quia qui accepit bona fide per quod tradens factus eſt impotens ad ſoluendum; ſi hic certus erat dum gratuitò tradebat, damni creditorum, ille tenetur ad reſtituendum. vnde factus eſt locupletior, ſi intra annũ à creditoribus interpellerur. Iaſon, Bart. Bald. ex *l. ſiquis. ff. quæ in fraudem.* & alij quos affert Gregor. Lopez *libr.* 7. *tit.* 15. *part.* 5. *gloſſ. penult.* & poſt illum Molin. *loc. cit.* Sed quod facit lex ſcripta, multo fortiùs poteſt ſupremus Principum ſuper omnes leges; cùm quod illi placet, legis habeat vigorẽ: *l. quod Principi. ff. de legibus.* ergo ſi à Pontifice eodem vel alio donatarius interpelletur, ad hoc tenebitur: & hoc non ſolùm intra annum, ſed quandocumque illi placuerit.

Dices fieri non poſſe, vt quis accipiat titulo gratuito bona valoris ingentis immobilia, & eo ipſo non cognoſcat id eſſe cum diminutione patrimonij ſedis Apoſtolicæ in immobilibus, quia omnis alienatio gratuita eſt diminutiua, ac proinde cognoſcit accipiens ſe creditoribus damnum facere, nempe illis, quibus Pontifex tenetur integrum patrimonium tranſmittere quod accepit qui ſunt ipſius ſucceſſores. Sicut enim tenetur hæres fideicommiſſarius reſtituere vocatis hæreditatem; ita quilibet Officiarius ſucceſſoribus in officio, id quod eius intuitu noſcitur poſſidere.

Reſpondeo; licèt omnis gratuita alienatio, præciſè ſpectata, ſit diminutiua patrimonij vnde alienatur; non tamen tenetur vel alienans, vel recipiens ab illa deſiſtere, niſi per eam reddatur impotens ad compenſandum quòd diminutum eſt, is qui donauit, in caſu noſtro qui accepit à Pontifice titulo lucratiuo, licèt videat præciſè id imminuere ſedis Apoſtolicæ patrimonium; non videt tamen Papam fieri impotentem ad illum ſupplendum, id quod alienauit compenſando. quia cùm tot reditus poſſideat, videt ſimul poſſe ſi voluerit aliunde rependere, aut alia ratione id quod abſtulit reparare. quòd ſi ille deinde non compenſet, nec reparet, id non tollit, nec inficit bonam fidem, quam habuit recipiens in quẽ primò alienatio facta eſt. ex quo fit, vt dicebam, ad nihil illum in conſcientia teneri, niſi iuridicè interpelletur; quod in hoc caſu tantùm ab eodem, vel alio Pontifice fieri poteſt. Quæ omnia cõfirmantur à ſimili in eo quicquid accepit à debitore, per quod rationabiliter exiſtimari non poterat reddi impotens ad ſoluendum, quòd licèt actu tunc omni poſſeſſione priuaretur, eſſet tamen aptus, vel amicorum ope, vel proprio labore, vel parciùs viuendo in eo ſtatu ſe ponere, quo poſſet creditoribus ſatisfacere cùm ſolutionis tempus vrgeret, illius enim bonæ fidei nihil præiudicat, ſi ille verè eſſet impotẽs, aut ſi poſtea ſuo vitio fiat, ceſſans aliunde reparare quod abſtulit alienando, & poterat, ſi voluiſſet, & diligentiam adhibuiſſet. vt docet Couarruuias *lib.* 3. *variar. c.* 6. Bart. Imol. Bald. Caſtro cum aliis *d. l. ſiquis. ff. quæ in fraudem.* poſt quos Molin. & Lopez *loc. cit.* Et hæc de alienatione non ſpectata cauſa propter quam fiat; nunc de illa.

DICO ergo QVARTO, cui à Pontifice quid eſt cum cauſa expreſſa alienatum, tutus in conſcientia non eſt, id retinendo quod accepit illa cauſa non ſubſiſtente. Ratio eſt, quia vbi deeſt cauſa propter quam mouetur Pontifex ad alienandum, deeſt, quoque voluntas alienandi; ac propterea alienatio ſecuta inualida eſt, non ex defectu potentiæ, ſed voluntatis; quare cui alienandum eſt, id retinendo in conſcientia tutus non eſt. Nota autem cùm cauſa non ſubſiſtit, propter quam diſpoſitio aliqua facta eſt, dubitare aliquos num ſemper inualida eo ipſo diſpoſitio cenſenda ſit: & quidam diſtinguũt, ſi diſponens facta diſpoſitione, & cognita non ſubſiſtẽtia cauſę, vellet diſpoſitionem eſſe inualidam eo ipſo illam corruere; ſi verò cognito cauſæ defectu, non feciſſet quidem diſpoſitionem, ſed tamen iam factam ſuſtentaret, hanc eſſe validam; ſed ita vt in quẽ facta eſt diſpoſitio, tutus omnino non ſit in conſcientia. verùm in caſu noſtro, non ſunt hæc argutiùs reſecanda, cùm enim agamus de diſpoſitione maximi momenti, ſubtilitates iſtæ hic locum non habent, de quibus pluribus Molin. *diſp.* 209. vbi ex Medin. Couar. Sylu. & aliis agit de eleemoſyna facta ob paupertatem verè non ſubſiſtentem. quare concludendum eſt in caſu noſtro, ſi quid alienatum à Pontifice eſt, præſertim gratuito titulo & lucratiuo, & id propter cauſam expreſſam, ſiue à Pontifice narrante, ſiue precibus illam proponentis annuente, clarum eſt ſi ea non ſubſiſtat, ex defectu voluntatis alienationem corruere; ex iis quæ ſuprà docuimus *quæſt.* 14. Et hoc de alienatione propter cauſam expreſſam.

DICO QVINTO, cùm nulla cauſa exprimitur à Pontifice, debet tamen donatarius 71.
ſemper aliquam præſumere iuſtam & rationabilem: ac proinde tenetur in conſcientia ſaltem ad ea præſtanda in Eccleſiam, propter quæ iuſtè Pontifex moueri poteſt & ſolet, ad ſimiles donationes faciendas. Quòd iuſta & rationabilis cauſa ſit præſumenda, conſtat; quia in omni Principe, ſed in ſupremo maximè, qualis eſt Summus Pontifex, cùm quid facit, ſemper præſumendum eſt, quòd faciat meliori modò quo poteſt & debet, vbi contrarium non apparet. Felinus *capite*

quæ

Digitized by Google

qua in Eccleſiarum. colum. 24. *verſic. quinta concluſio. de conſtitut.* Abb. *cap. quanto. column.* 10. *verſic. ſi tamen Papa. de iureiurand.* gloſ. ſingul. & *ibi* Bartol. *l. relegati. ff. de pœnis.* cum aliis quæ ſuprà adduximus, & expendit Marianus Socinus *conſil.* 140. *num.* 38. *volum.* 2. vbi ſpecificè probat in omni diſpoſitione Papæ ſemper eſſe talem cauſam præſumendam, qualem ille præ oculis habere debet cum quid diſponit, etiamſi illam exprimat. Quòd verò ex hac præſumptione teneatur is cui quid alienatum eſt, ad ea ſaltem præſtanda, quæ dixi, per ſe patet. quia in quem cadit defectus Pontificiæ diſpoſitionis, debet cauſa ſubſiſtere, propter quam ille mouetur, vt tutus eſſe poſſit id retinens quod recepit. Dixi *ſaltem ad præſtandum*, quia cùm quis præſumere non poteſt cauſam præſentem in ſe quæ Pontificem mouerit, debet exiſtimare illum futuram & in ſpecie reſpexiſſe, alioquin ſi putaret ob præſentem cauſam motum, quam in ſe non cœperit, inualida eſſet diſpoſitio; ſi non propter præſentem, nec propter vllam ſperatam (qualia ſunt futura merita) putaret non motum contra id quod poſuimus, nullam iuſtam cauſam in Papa donante præſumeret. nulla ergo cauſa præſente quæ verè ſubſiſtat cauſa futura debet ſpectari quæ fuerit Pontifici propoſita. hæc autem ſemper quid præſtandum requirit ab eo cui quid confertur. quid autem hoc, aut quale ſit, omnes vident: nempe bona merita in Eccleſiam vniuerſalem & Romanam. ex quo fit teneri recipientem ad Eccleſiam inualidam id quod accepit in illius vtilitatem, ſplendorem expendere; quod fit pauperes ſubleuando, Dei miniſtris ſubueniendo, templa reparando, &c. quæ ſi non faciat, contra iuſtitiam peccat. quia talis obligatio prouenit ex modo quem Pontifex apponit ſuæ donationi; non expreſsè, ſed tacitè & præſumptiuè, & id præſumptione iuris. quoties autem aliquid diſponitur cum modo; licèt hic non ſuſpendat, nec inualidet diſpoſitionem, ſi non impleatur, inducit tamen obligationem in eo, qui diſpoſitum recepit, & poteſt agi cum eo ad diſpoſitionem reuocandam, vt ex iis conſtat quæ fusè traduntur à Molin. *diſputat.* 280. *de iuſt. & iure.* ex Couarruuia, Antonio Gomez, Emanuele à Coſta & aliis. Et hæc de obligationibus illius, cui facta eſt alienatio. ſed quia in progreſſu ſuppoſuimus poſſe Papam vel ſuas vel Præceſſorum alienationes reuocare, de hoc etiam vltimo loco breuiter exponamus.

72. **De reuocatione alienationum factarum à Pontifice.** QVÆRO VLTIMO, an & quomodo poſſint alienationes à Pontifice factæ, cùm validæ fuerint reuocari.

De inualidis non eſt dubium, quia ſe ipſis corruunt, & tantùm debent tales declarari; quod poteſt ab omnibus fieri quibus hic iure competit. De validis dubium poteſt eſſe ex duplici capite. nam vel reuocantur ab eodem, vel ab alio Pontifice. ſi ab eodem, quomodo id poteſt eſſe? nam primò tam Pontifex ſuo contractu tenetur, quàm quilibet alius priuatus. Secundò Pontifex non poteſt tollere legem naturalem quæ eſt de ſeruandis pactis, & dando vnicuique quod ſuum eſt; ſi ab alio Pontifice, videtur quòd nec etiam hic poſſit. Primò propter has duas proximas rationes, & præterea ſecundò, quia par in parem non habet poteſtatem; quod tamen exercere videtur Pontifex in prædeceſſore, cuius facta valida reſcindit. Pro ſolutione

DICO PRIMO, Pontifex & ſuam, & prædeceſſoris ſui quamcũque alienationem & diſpoſitionem etiam per viam contractus celebratam reuocare poteſt. eſt certiſſima concluſio, de qua nemo poteſt dubitare. licèt enim poſſit eſſe quæſtio de honeſtate facti; non tamen de potentia reuocantis. ac proinde non poteſt eſſe dubiũ an valeat reuocatio, ſi verè Pontifex voluit reuocare, ſed an rationabilis fuerit & honeſta. ratio eſt primò, quia Pontifex deterioris conditionis quàm ſui ipſius ſubditi & alij quicumque inferiores in ſuis contractibus eſſe non debet. ſed illorum contractus cùm competentem iudicem læſus adierit validè reuocantur; ergo & Pontificis contractus poterant reuocari, ſi læſum ipſe ſe ſentiat. Quæro ergo à quo debeant reuocari, non ab alio, cùm nullum habeat ſuperiorem cuius officium in terris debeat implorare. *cap. ſi Papa.* 40. *diſtinct.* à ſeipſo ergo poterit facta reſcindere, & id ſibi remedium adhibere quod aliis imploratus impendit. hæc autem differentia inter illos eſt, quòd Pontifex neceſſe non habet grauamen ſuum explicare; ſed inferiores, qui ad ipſum vel alios iudices recurrunt, vt debent, vt cauſa à iudice cognoſcatur. at ille quia iudicem non habet in terris, hoc neceſſe non habet; ſed eo ipſo grauatus in contractu vel diſpoſitione facta iure præſumitur; quod factum ab illo reuocatur. fruſtrà enim læſionis expreſſio requireretur, ſi nullus eſſet qui poſſit illam diſcutere; & ſententia ſua deinde an valeat, vel non valeat ad reſciſſionem definire. quia ſicut natura, ita nec leges quidquam admittunt otioſum & quod effectum nullum ſortiatur. Secunda ratio, quia totum & longè perfectiùs poteſt Pontifex quod poſſunt leges & iura omnia poſitiua. ſed hæc irritant contractus faciendos, & factos inualidant & annullant, vt conſtat ex titulo *ff. quæ in fraudem creditorum.* & aliis pluribus. ergo & id quoque poteſt Pontifex. ſi enim poſſunt ſtatuere iura, vt hæres alienata contra prohibitionem teſtatoris inualidè alienet, aut etiam validè, ſed deſiſtente conditione à teſtatore poſita, iterum alienatio inualidetur, vt bene declarat Caſtro *conſil.* 247. *p.* 1. cur etiam non poſſit Pontifex quos ſuos contractus iudicauerit reſcindendos inualidare? nec aliud adiungo iure clara ſatis per ea explicata quæ habet Gomez *de contract. p.*4. *à c.* 20. 73.

DICO SECVNDO, Pontifex non ſolùm poteſt, ſed aliquãdo tenetur vel ſuas, vel prædeceſſorũ alienationes reuocare. Probatur, quia ſi aduertat per illas factũ præiudicium Eccleſiæ, ſucceſſoribus, Sedi Apoſtolicæ quod aliunde ipſe reparare non poteſt, tenetur ad idem remedium adhibendum, quod ab alio inferiori appellatus, ex officio ſupremi iudicis adhiberet, præſertim vbi ageretur de Eccleſia læſa, in integrum reſtituenda. ſed ſi quis aliquid alienaſſet in præiudicium tertij, cui ſatisfieri aliter non poſſit quàm contractum reſcindendo, iudicis officio implorato contractus reſcinderetur; vt de facto legis iuſſu reſcinditur in alienatione in fraudem creditorum, & ad id iudex ex ſuo officio teneretur. ergo in eo caſu eam quoque obligationem Pontifex haberet. Per hæc ad rationes dubitandi. 74.

Ad primam aliud eſt teneri ad contractum implendum; cùm ille in ſua validitate ſeruatur;

tur; aliud teneri ad ipſum non reſcindendum, ſiue per ſe, ſiue per alium. Ad primum tam Pontifex, quàm quilibet alius tenetur; & ſi contrauenat, non minus iniuſtus eſt, quam quilibet alius; immo magis, quia magis decet Principem verbis ſuis ſtare, quam priuatum quemlibet, vt bene Baldus *l. 1. in princip. ff. de pactis.* Cynus & DD. *l. digna vox. C. de legibus*; cum aliis apud Socinum *conſil. 94. numer. 2. volum. 2.*

Ad ſecundum patet reſponſio ex præcedenti, Pontifex enim nihil poteſt in legem de ſeruandis pactis, ſi ea in ſuo robore perſeuerent: poteſt tamen in ipſa pacta. vnde ſi illa auferat, mediatè tollit obligationem quæ ab illis eſt, non vt pacta ſint, & obligatio non ſit (hoc enim eſſe non poteſt) ſed vt pacta deſinant eſſe, & inde non poſſit amplius obligare. exemplum poteſt eſſe in voto. nec enim poteſt immediatè Pontifex tollere obligationem voti, vt ſit & non obliget; ſed votum ipſum eius materiam auferendo poteſt extingere, & eo pacto etiam voti obligationem tollere.

Ad quod notandum, licèt præcepta naturalia in vniuerſali ſint immutabilia, nec ſubſint vllius poteſtati: in particulari tamen hic & nunc poſſunt variari, & alienæ poteſtati ſubeſſe; ſic vt deſinant amplius obligare. Exempli gratia, iuris naturalis eſt vt permiſſio acceptata niſi quid exorbitans interueniat impleatur; nec hoc variari poteſt, ſiue promiſſio Deo facta ſit implenda; licèt ſit ex iure naturali, pendet tamen ex alieno; non immediatè, quaſi quis poſſit obligationem ipſam attingere, & illam ſolam auferre; ſed mediatè aliquid auferẽdo, quo ſublato ceſſat obligatio. & hoc poteſt quicumque promiſſarius. remittendo enim promiſſionem, eo ipſo ceſſat vis illius, & corruit obligatio quæ erat ex iure naturæ. ſed quia erat talis ex ſuppoſitione, non abſolutè, quæ ſuppoſitio pendebat ex voluntate promiſſarij; fit vt in cuiuſlibet promiſſarij arbitrio ſit, tales obligationes iuris naturalis particulares & non abſolutas tollere, id vnde pendent auferendo. In caſu noſtro ergo, licèt Pontifex non poſſit tollere obligationem factorum quæ iuſta ſunt vniuersè loquendo, nec in particulari nullam immediatè attingendo, poteſt tamen mediatè pactum ipſum conuentum deſtruendo. in forma ergo ad argumentum, nego hoc eſſe legem naturalem ſoluere, aut ſupra illam poſſe, aut illam non ſeruare. quia lex naturalis iubet vt pacta conuenta ſeruentur, dum ſunt & habent eſſe, non iubet vt ſemper in eſſe retineantur. quod patet in obligatione iuris diuini reſpectu voti qua vouens tenetur votum adimplere, non tamen voti diſpenſationem non poſtulare.

Ad tertium cùm vnus Pontifex reſcindit alienationem alterius, non exercet iuriſdictionem aut poteſtatem in illum, alioquin ſequeretur primò, quòd cùm Papa idem ſuas conceſſiones reuocat, in ſeipſum poteſtatem & iuriſdictionem exerceret; quod tamen nemo poteſt. nam ſicut par in parem, ita & multo minus idem in ſeipſum poteſtatem & iuriſdictionem habere non poteſt. Secundò ſequeretur quoſlibet contrahentes in ſeipſos iuriſdictionem habere. poſſunt enim ex mutuo conſenſu placita conuenta reuocare. falſum ergo eſt quòd ſi Papa prædeceſſoris facta reſcindat, par in parem habeat auctoritatem. Addo quòd ſicut ſine vlla irreuerentia Romanæ Sedis eſt vt idem Pontifex ſua pacta & conſtitutiones, prout tempora & aliæ varietates poſtulant, ſubinde reuocet; ita nullum eiuſdem ſedis præiudicium eſt, quòd vnus Pontifex alterius conſtitutiones, reſcripta, conceſſiones, priuilegia mutet, reuocet, reſcindat. nam nec id arguit vllam vnius Pontificis in alterum auctoritatem, aut contemptum; cùm, vt patet, cùm quis ſuas ipſius conceſſiones reſcindit, nec etiam prodit vllam animi inconſtantiam, aut leuitatem, quia alia tempora alios mores poſtulant, alij mores alias diſpoſitiones. vnde ſicut idem Pontifex ſine vlla leuitatis nota poteſt id in ſuis diſpoſitionibus facere, potuit & idem ſucceſſor ſine vlla reprehenſione præſtare.

Et hæc de poteſtate & obligatione alienandi, vel non alienandi, quam Pontifex habet, tam ex officio, quàm quaſi ex contractu cum iis qui bona Eccleſiæ reliquerunt; ratione cuius tam illis, quàm iis, in quorum emolumentum relicta ſunt, eſt obligatus lege diuina & naturali non aliter alienare, quàm vt illorum voluntate permitti probabiliter præſumi poteſt. quod fit cùm ita alienatur, vt nihilominus omnia in æquiualenti ſtatu conſeruentur. & hoc loquendo de obligatione quæ eſt ex iure diuino & naturali, ſpectando ſolùm naturam Eccleſiaſticorum bonorum, vt ad Summum Pontificem ſpectant; qui, vt vidimus, illorum omnium Dominus eſt, licèt non abſolutus. Nunc de obligatione non alienandi, quam ipſe peculiariter habet vel habere poteſt ex iuramento.

De iure ſpeciali quoad non alienandum Pontifex obligatur ex iuramento. §. 3.

QVÆRO PRIMO, an ſpeciali obligatione iuramenti Pontifex ad non alienandum obligetur, & quod illud ſit. 74. *Obligatio Pontificis ex iuramento.*

1 RESPONDEO, teneri. nam ſicut Epiſcopi omnes & minores dignitates, Papæ iurant, illo non conſulto ſe nihil alienaturos: ita Summus Pontifex abſolutè iurat de caſtris, & ditionibus Romanæ Eccleſiæ quid ſimile non attentaturum.

Si quæras, cur iuret, & an teneatur iurare, & quo iure, & an poſſit nõ iurare. Reſpõdeo teneri iurare, per aliud iuſiurandum à ſeipſo dum Cardinalis & in minoribus erat emiſſum, exigente Sũmo Pontifice pro tempore viuente. Ad quod obſeruandum, quia cuſtodia caſtrorum quorundam & ciuitatum Romanæ Eccleſiæ propter graues impenſas erat illi maximè grauis & oneroſa; ſalubriter olim fuiſſe inſtitutum ad tot impenſas euitandas, quibus Ærarium Apoſtolicum exhauriebatur, vt illorum vtile dominiũ in feudum concederetur. & hæc feuda ita dabantur, vt ſi quando tractu temporis cõtingeret illa deuolui, iterum concederentur. nec cenſebatur ob id inueſtitura illa noua alienatio; ſed prioris quaſi continuatio. *cap. conſuluit. de Iudæis & Saracenis*; vbi Abbas *numer.* 1. Felin. *cap. cum acceſſiſſit. numer.* 33. *de conſtit.* Redoan. *de rebus Eccleſiæ non alien. quæſt.* 12. *numer.* 59. Sed hoc ſalubre inſtitutum progreſſu temporis cõpertum eſt in detrimentum vergere Romanæ Eccleſiæ, creſcente hominum cupiditate & ambitione. propterea Pius V. conſtitutionem edidit ſub annum 1567. qua prohibet primò, vlla de nouo caſtra infeudari. Secundò, iam infeudata

Digitized by Google

data iterum concedi. Tertiò, illorum deuolutionem impediri. Quartò omnes conſulentes, proponentes, poſtulantes huiuſmodi infeudationes excommunicat. Quintò Cardinales omnes obligat ad iurandum numquam conſenſuros. Sextò, eoſdem etiam obligat ad iurandum in conclaui ſe iuraturos, non alienare, ſi quando ad Pontificatum promoueantur. Et hanc Pij conſtitutionem confirmarunt nouis conſtitutionibus Gregorius XIII. Sixtus V. Clemens VIII. illámque iurant Cardinales vbi primùm promoti ſunt; & iterum in conclaui ſe iuraturos iurant ſi Pontifices fiant; de quibus omnibus Franciſcus Leonis 1. *part. theſauri fori Eccleſiaſtici c.* 15. *n.* 11. *&* 25.

Ex hoc fit primò Papam teneri iurare, non ex vlla obligatione & præcepto ſuperioris Pontificis: nam par in parem non habet hanc poteſtatem; ſed ex ſuo iuramento quod antè in minoribus emiſit. Secundò fit iuramentum quo Cardinalis iurauit ſe iterum factum Pontificem iuraturum, emiſſum fuiſſe exigente Pontifice, qui poterat hoc illi iuſtè præcipere; præſertim ſub conditione Cardinalatus conſequendi. cùm enim hæc dignitas ſit à Romano Pontifice inſtituta, poteſt conſtitutionem condere, vt nullus Cardinalis poſſit renuntiari, qui ad hoc iuramentum non obligetur. ac proinde poteſt huic officio & dignitati tale iuramentum alligare.

75. *An ab hoc iuramento ſe poſſit abſoluere.* QVÆRO SECVNDO, an poſſit Summus Pontifex ab hoc iuramento ſe abſoluere.

RESPONDEO ſine dubio poſſe, quia licèt ſit aliqua controuerſia, an per ſeipſum id immediatè poſſit, de qua Abbas *cap.* 1. *numer.* 2. *de conſtitut.* & *ibi* Felin. *numer.* 33. quin tamen alteri facultatem tribuere poſſit, à quo abſoluatur, nulla dubitatio eſt, vt ibidem Abbas & Fel. alioquin ei ſua ſuprema dignitas noceret, & deterioris eſſet conditionis quàm fideles reliqui, ſi non poſſet ipſe ex ſua poteſtate commodum illud habere, quod ipſe reliquis impertit.

76. *Iuramentum illud ad quid obliget.* QVÆRO TERTIO ad quid per hoc iuramentum Pontifex obligetur.

RESPONDEO ad non alienandum, præſertim per modum infeudationis, caſtra, ciuitates, dominia, &c. Romanæ Cameræ & Eccleſiæ mediatè vel immediatè ſubiecta. & hoc ſpecialiter in tribus caſibus. Primus onerum infeudationis inſtituendæ reſpectu locorum quæ numquam fuerunt infeudata. Secundus continuatæ infeudationis, reſpectu eorum quæ ſolita infeudari ad Apoſtolicam ſedem fuerint deuoluta per extinctionem vtilium dominorum. Tertius confirmationis, prorogationis, &c. in eaſdem vel alias perſonas, reſpectu feudorum nondum deuolutorum. qua de re pluribus Franciſcus Leonis in ſuo Theſauro *part.* 1. *c.* 15.

77. *De pœnis huiuſmodi alienationem procurantiũ.* QVÆRO QVARTO, an procurantes, conſulentes, verba facientes pro huiuſmodi alienatione & infeudatione promouenda pœnas vllas incurrant.

RESPONDEO, in conſtitutione Pij V. & in alia Innocentij IX. & poſt eum Clementis VIII. de quibus in dicto theſauro *loc. cit.* prohiberi omnem procurationem, tractatum, petitionem, infeudationis cuiuſcumque, ſiue de nouo inſtituendæ, ſiue finitæ continuandæ, ſiue nondum finitæ prorogandæ, & tales tractãtes pœnis & cenſuris grauiſſimis ſubiici, quæ in illis conſtitutionibus leguntur. Quod tamen intellige, quoties inſcio Pontifice nec ab illo priùs petita facultate talis tractatus inſtituitur. vnde fit vt qui Pontificem ipſum adit, & cum eo de hoc verba facit, nullas tales pœnas incurrat, niſi à Pontifice repulſus vlterius pergat, & in tali inſtantia perſeueret. eo ipſo enim quo Pontifex ad proponendum admittit cenſetur facultatem dare loquendi & tractandi, & ea de re os aperire, vt loquuntur in Curia; ſi verò ſermonem auerſetur, relinquit in ſuo robore prohibitiones prædictas. quare inſtantiùs illum interpellantes & poſtulantes, cenſuras incurrunt.

QVÆRO QVINTO, qui pœnis iſtis contra tractantes de infeudatione impoſitis teneantur. 78. *Qui pœnis iſtis teneantur.*

RESPONDEO à Pio V. exprimi primò qui ad hoc obtinendum oratores mittunt. Secundò, oratores ipſos miſſos. Tertiò tales alienationes inſinuantes, & ſuadentes. per quæ tria perſonarum genera videntur includi. Primi ſunt Principes, vel quicumque pro ſe talem infeudationem procurant. Secundi ſunt legati in id miſſi; ſiue oratores, procuratores, & quicumque alieno nomine res alterius gerunt. Tertij ſunt omnes conſiliarij, & fautores, conſilio, ope, & opera viam ad hoc obtinendum expedientes. vide in eodem theſauro *loc. cit. n.* 12.

De Cardinalibus & aliis Prælatis, an & quomodo prohibitione alienationis contineantur. §. 4.

QVÆRO PRIMO, an Cardinales legibus de non alienando comprehendantur. 79. *Cardinales an legibus de non alienando cõprehenſi.* Si loquamur de alienatione per infeudationem caſtrorum, vrbium, locorum, &c. ad ſedem Apoſtolicam mediatè vel immediatè pertinentium, certum eſt comprehendi; quia expreſſè nominantur in conſtitutionibus Pij V. Innocentij IX. Clementis VIII. & ipſimet inſuper iurant nihil illorum ſe alienaturos, aut in aliorum alienationem conſenſuros. At de alienatione ſimpliciter aliorum bonorum Eccleſiaſticorum dubium poteſt eſſe, an illius prohibitione Cardinales includantur. Ratio dubitandi eſt, quia quæ ſpeciali nota ſunt digna, niſi ſpecialiter exprimantur omiſſa eſſe cenſentur, præſertim in odioſis & prohibitiuis. *cap. quàm periculoſum. de ſententia excomm. in 6.* gloſ. *cap.* 2. *de prebend. eodem.* Sed Cardinalatus eſt maior dignitas poſt Papatum. Hoſt. *cap. dilectus, col.* 2. *de prebend.* non ergo in vlla prohibitiua diſpoſitione, præſertim tot pœnis aggrauata, comprehenduntur, niſi ſpecialiter exprimantur. Quare cùm de illis Paulina *Ambitioſæ*, nominatim non loquatur; nec etiam illa debent intelligi comprehendi. Confirmatur, quia ob eandem rationem non comprehenduntur in regulis odioſis Cancellariæ; vt in illa de reſignatione infirmorum, quæ ſancit, ſi infra viginti dies poſt reſignationem reſignatarius moriatur, reſignationem non tenere. hac enim regula quia odioſa licèt vniuerſaliter loquatur, Cardinales non comprehendi, cenſet Mandoſius *quæſt.* 2. *numer.* 8. *&* 9. *in reg. Cancell.* Puteus *deciſ.* 95. *num.* 1. *lib.* 1. qui pro ſe adducit Iaſonem, Archid. & Romanum, Probum, Gigantem, alios de quibus Flamminius *lib.* 12. *quæſt.* 4. *de reſign. num.* 4. cùm ergo non omnibus odioſa ſit hæc diſpoſitio de

P 4 non

Digitized by Google

non alienando,quàm illam de non reſignando: ſi propter odium & pœnas quas iſta continet Cardinales non comprehendit; licèt verbis generaliſſimis concepta, nec etiam illa de nō alienando comprehendet quæ maioribus pœnis eſt aggrauata.

Dicendum tamen etiam Cardinales communi iure & ſpeciali Pontificio, & inſuper priuato ſui proprij iuſiurandi,comprehendi in prohibitione de non alienando , & hoc licèt nominatim in illis conſtitutionibus non exprimatur, quod conſtat. Primò , quia praxis Romanæ Curiæ ita ſe habet. Secundò à ratione, quia licèt Cardinales in diſpoſitionibus purè odioſis non includantur ; niſi ſpecialiter nominentur: in illis tamen quæ concernunt publicam Eccleſiæ vtilitatem , aut quibus agitur de fraude vitanda , & iuſtitia colenda,comprehenduntur, etiamſi per pœnas grauiſſimas procedatur , vt eſt communis opinio , de qua Caputaquenſis *deciſ.* 211. *lib.* 1. Flamin. *lib.* 12. *quæſt.* 4. *numer.* 8. hinc Cardinales comprehenduntur *cap.. de multa. de prabend.* ex Abbate *cap. Eccleſia. notabili ſecundo. de electione.* & renocatio regreſſuum comprehendit etiam Cardinales , vt fuit deciſum in vna Caurienſi coram Ioan. Paulo, 3. Iunij 1588. Similiter regula Cancellariæ de publicanda reſignatione in ſuum fauorem facta complectitur etiā Cardinales , vt ſæpius in Rota deciſum teſtatur Medin. *deciſ.* 141. cum pluribus aliis apud Pariſium *lib.* 11. *de reſig. quæſt.* 4. *numer.* 8. ex quibus & ſimilibus colligitur hæc iuris concluſio , quòd in omni diſpoſitione publicam Eccleſiæ vtilitatem concernentem Cardinales comprehenduntur, licèt nominatim non exprimantur; cùm præſertim agitur de vitanda fraude. cùm ergo iura iſta de non alienando niſi cum talibus conditionibus , publicam Eccleſiæ vtilitatem concernant , & ſint ad vitandas fraudes , vt conſtat ex *cap. non liceat Papæ.* 12. *quæſt.* 2. *& Extrauagant. Ambitioſæ,* quæ de hoc atteſtatur , illis etiam Cardinales comprehendentur.

Per hæc ad rationes dubitandi. Ad primam in purè odioſis qui ſpeciali nota digni ſunt non includuntur ; niſi ſpecialiter inueniantur expreſsè. at diſpoſitio hæc non eſt odioſa , ſed omnino fauorabilis in publicam Eccleſiæ vtilitatem. Ad ſecundam falſum eſt regulis Cancell. Cardinales non teneri. licèt enim non omnibus, pluribus tamē tenentur, illis nimirum, quibus agitur de vitanda fraude:vt eſt communis opinio quam docent Butrius *conſil.* 10. Geminian. *cap.* 1. *colum.* 1. *de ſchiſmate , in 6.* Archid. Ioan. Andreas, alij *cap. nemo deinceps. de elect. in 6.* vbi Francus , & Felinus *rubr. de maioritate & obedientia.* idem *cap. ad aures. de reſcript. colum.* 7. *verſ.* 8. *concluſio.* Caſſad. *in reg. Cancell, quæſt.* 38. eſſeque hanc communem opinionem docet Sarnenſis *deciſ.* 64. *in additionibus ad reg. Cancell.* quicquid Ancharanus , & Romanus in contrarium voluerint. ad id quod dicebatur de reg. infirmorum , nego Cardinales illa non teneri,vt ex pluribus Deciſ. Rotæ docent Puteus, Sarnenſis, Rebuff. cum Flamin. *lib.* 12. *de reſig. q.* 4. *num.* 8.

80. *An teneantur ratione iuramenti priuati.*

QVÆRO SECVNDO, an Cardinales teneantur ſpeciali ratione priuati iuramenti bona Eccleſiaſtica non alienare.

RESPONDEO & DICO PRIMO, vt Cardinales ſunt tenentur tantùm iuramento de non alienando , aut conſentiendo in alienatione caſtrorum,&c. ſedis Apoſtolicæ.

DICO SECVNDO,vt Epiſcopi & Abbates ſeu commendatarij ſunt , tenentur etiam iuramento ſpeciali bona ſuarum Eccleſiarum nō alienare. quod iuramentum ſi expreſsè ante Cardinalatum emiſerunt, eo non abſoluuntur per adoptionem dignitatis , ſed magis ligantur. ſi verò non emiſerunt , putat Nauarr. ratione ſtatus teneri; quia, vt Epiſcopi & Abbates ſunt, illud debent ex iure emittere,& quæ de iure veniunt , ſemper pacta ſupponuntur, vt ex eodem Nauarro docuimus *cap.* 1.

QVÆRO TERTIO, an omnes Eccleſiaſtici tam regulares, quàm ſæculares hac prohibitione teneantur. 81. *De cæteris Eccleſiaſticis quid.*

RESPONDEO ſine dubio teneri , vt docent pluribus Benedictus Canſilus , Alexander Steuatius *in Extrauag. Ambitioſa.* Quaranta *in Bullario, verb. Alienatio.* Nauarr. & alij omnes quos hactenus adduximus. planéque conſtar, tum ex verbis quibus de hoc iura, & Pontifices diſponunt.non ſolùm enim ampliſſima ſunt,ſed expreſsè etiam vtroſque beneficiarios comprehendunt tam ſæculares,quàm regulares. tum ex fine qui eſt publica vtilitas & euitatio fraudis; qui finis ad omnes pertinet, & multo magis illos ſpectat , in quibus maius periculum eſt ne fraudis aliquid interueniat,quales ſunt inferiores beneficiarij , & tenuiores, & immediati rectores locorum tam regularium , quàm ſæcularium , qui ſi delinquant, pœnis etiam arbitrariis præter ſtatutas contra alienantes poſſunt coërceri. quæ omnia colliguntur ex iis quæ docent DD. *cap. ſi ſciant cunili. de electione. & c.* 1. *de ſchiſmate. in 6.*

QVÆRO QVARTO de perſonis in quas alienatur.&ſpecialis difficultas eſt de Principibus , an in hos poſſint res Eccleſiæ diſpoſitione onéroſa alienari. ratio dubitandi eſt ex *Authentica , ſed & permutare. C. de ſacroſanct. Eccleſiis.* vbi Imperator cùm ſibi etiam interdixiſſet Eccleſiæ bona accipere , excipit niſi per viam permutationis id fiat , atque id pro re maiore,meliore,vel æquali. ex quo videtur permiſſa permutatio cum Principibus. 82. *Perſona in quas alienatur, & ſpecialiter de Principibus.*

RESPONDEO tamen neque etiam licere in illos res Eccleſiæ alienare , permutando , niſi ſeruata forma & ſolemnitate. quam etiam ibidem tacitè ſibi præſcribit Imperator dum omni vindicatione rei Eccleſiæ ſibi interdicit, excepta ea tantùm quæ fiat per mutationem rei maioris, melioris, aut æqualis. vide VVameſium *conſ.* 294. *tom.* 1. *n.* 13.

QVÆRO QVINTO, an ratione iuramenti præcisè ad quid non alienandum teneantur qui illud emittant. 83. *Qui teneantur ratione iuramenti.*

RESPONDEO teneri tantùm non alienare res alicuius momenti ; quia qui iurat , exempli gratia , nihil de rebus Regni donare, poteſt, non obſtante iuramento , moderatè donare. quia illud intelligitur de graui donatione , non de modica. Petrus de Ancharano *cap. intellecto. de iureiurando.* Redoan. *de ſpol. quæſt.* 3. §. 1. *numer.* 15. & hæc de perſonis à diſpoſitione comprehenſis.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT IV.

Quid rerum Eccleſiaſticarum nomine intelligatur in prohibitione alienationis, ſeu, quæ res poſſint aut non poſſint alienari.

RES Eccleſiæ, aliæ ſunt Eccleſiæ ipſius, & ex his alia ſtabilia & perpetua, vt beneficia,& quæ ad ipſam ædificandam,inſtruendam, ornandam deſtinata ſunt; alia ſubinde aduenientia, vt quotidianæ oblationes, donationes, legata & alia huiuſmodi. Aliæ ſunt beneficiatorum, vt reditus qui ex beneficiis ſumuntur. Rurſus Eccleſiæ res aliæ ſunt mobiles, aliæ immobiles,aliæ ſe mouētes;& ex his aliæ pretioſæ, aliæ viles.& ex pretioſis, aliæ quæ ſeruando ſeruari poſſunt, aliæ nequaquam. rurſus aliæ ſunt iam poſſeſſæ,acquiſitæ, & bonis reliquis incorporatæ, aliæ acquirendæ. De quibus omnibus gloſſ. *cap. nulli. de rebus Eccleſiæ.* Cardinalis *cap. cæterum. extrà de donat.* Ioan. Andr. *ibidem,* Abbas *toto tit. de teſtam.* & fusè Redoan. *tota q. 3. de ſpoliis Eccleſ.* De iſtis ergo omnibus in particulari breuiter diſſeremus. Sed primo loco in vniuerſum

1\. QVÆRO PRIMO, an reditus Eccleſiaſtici quos beneficiarij tit. ſui officij & beneficij percipiunt, nomine rerum Eccleſiaſticarum cùm de alienatione agitur intelligantur.

Reditus Eccleſiaſtici quos beneficiarij percipiunt tit. ſui officij & beneficij.

RESPONDEO non intelligi,quia, propriè loquendo,iura & canones diſtinguunt inter bona Eccleſiæ,& Eccleſiaſticorum. & illa abſolutè appellant *bona & res Eccleſiæ*, vel Eccleſiaſticas; iſta *reditus Eccleſiaſticos.* vnde cùm agendo de alienatione ferè ſemper nomen *bonorum & rerum Eccleſiæ aut Eccleſiaſticarum* vſurpent, quod de alienatione rerum Eccleſiaſticarum diſponunt; de Eccleſiaſticis reditibus beneficiorum non eſt intelligendum. Azor *cap. 2. q. 7. libr. 9.*

Ex quo fit primò fructus, & reditus omnes beneficij vltra triennium locari, & quomodolibet etiam aliter alienari poſſe. vt bene docet Couarr. *lib. 2. variarum. cap. 16. numer. 6.* Vaſquez *de red. cap. 2. §. 2. dub. 6. numer. 31.* Quaranta *verſ. Alienatio. numer. 18. verſ. tertiò declaratur.* Rebuff. *in comp. ſub numer. 4.* VVameſius *conſil. 289. numer. 8.* & ante iſtos omnes gloſſ. *cap. nulli. de reb. Eccleſiæ alien. in verſ. Immobilem.* Zabar. *cap. cæterùm. extrà de donat.* Ioan. Andr. & Laurent. *cap. 2. 12. q. 1.* Bart. *l. ſacroſancta, C. de Epiſcopis & clericis.*

Secundò fit in tali alienatione fructuum nullo modo poſſe obligari fundum,aut rem immobilem ex qua percipiuntur: ita vt per eam alienationem ius nullum transferatur, vel in re, vel ad rem, ſed tantùm oriri obligationem perſonalem,per quam quis ſe obliget ad illos fructus dandos. cùm qua cautela poteſt aliquando valere contractus locationis vltra triennium rei Eccleſiaſticæ.nam quoad effectum & rem ipſam idem ferè conſequuntur tam locator quàm conductor, ſi directè obligatio cadat in perſonam reſpectu fructuum exhibendorum, ac ſi ipſum fundum directè reſpicerent. quod bene aduertunt Quaranta *loc. cit.* Rebuff. *numer. 26. verſ. 6.* Molin. *diſputat. 366. numer. 5.* VVameſius *conſ. & loc. cit.*

QVÆRO SECVNDO, an diſtributiones quotidianæ poſſint alienari. Nauarr. negat *conſil. 10. de reb. Eccleſ. non alien.* quam ipſius ſententiam probat Quaranta *loc. cit.* ſi enim ea alienatio fiat ſine vllo interuentu obligationis realis; per quam transferatur vllum ius in re, vel ad rem; ſed tantùm cum obligatione perſonali, non eſt negandum poſſe fieri, vt conſtat ex præcedenti, etiam ex ſententia ipſius Quarantæ,& colligitur ex eo quod docent Butrius *cap. cùm olim. de reſtit. ſpoliatorum.* 2. DD. *in cap. Odouardus. de ſolut.* Calderin. *conſil. 111.* poſſe beneficiarium cedere debitoribus ſuis fructus omnes percipiendos in perpetuum, ſeruato tamen inde ſibi quo viuat; ex quo quod diximus intelligitur limitandum, poſſe eam limitationem fieri dummodo vel ex iiſdem fructibus diſtributionum, vel aliunde beneficiario reſeruetur vnde viuat. 2.

Diſtributiones quotidianæ.

QVÆRO TERTIO,an omnis res Eccleſiæ immobilis prohibeatur alienari. 3.

Res Eccleſiæ immobiles.

RESPONDEO, quæ ſunt res exigui valoris non prohiberi. *can. terrulas. 12. quæſt. 2.* qui canon correctus non eſt, nec per Paulinam *Ambitioſæ*, nec per Concil. Tridentin. vt declarauit ſacra Congregatio Concilij apud Quarantā, & docet Alexāder Steuatius in exclamatione *Extrauag. Ambitioſæ. numer. 3.* immo nec iuramentum Abbatum, aut Epiſcoporum intelligitur ad has res exiguas extendi, vt nos ſuprà docuimus, & tradit Abbas *cap. finali. de Eccleſ. ædifican. cap. vt ſuper. de reb. Eccleſ. cap. 2. de feudis.* Redoan. *quæſt. 13. num. 11.* Capricius *in inueſtitura feudorum. in verb. feudum dant. conſil. 20.* Sed tunc

QVÆRO QVARTO, quæ ſit cenſenda res exigua, aut parui valoris. 4.

Res exigua aut parui valoris quæ.

RESPONDEO arbitrio boni viri ſtandum eſſe, habita ratione Eccleſiæ, ſi tenuis conditionis ſit, aut abundantis; attenta etiam qualitate temporum, locorum & rerum: vt poſt gl. *d. cap. terrulas,* docet Abbas *cap. 1. numer. 8. de reſtit. in integrum.* Canoſilus in repetitione huius Paulinæ, *numer. 46.* Redoan. *quæſt. 10.* Quaranta *numer. 41.* bene autem monet Leonis in Theſauro fori Eccleſiaſtici *cap. 15. parte 1. num. 7.* ſpectandam eſſe hac in re conſuetudinem Synodalem, vt exigui momenti res habeantur, quæ tales ibi fuerint conſtitutæ. ex Abbare *c. cæterùm. n. 4. de donat.*

Dices, ſacri canones ſine exceptione prohibent quidquam ex bonis Eccleſiaſticis alienari, vt conſtat ex *cap. ſine exceptione. 14. quæſt. 2.* & *c. caſellas. 10. quæſt. 2.* ergo nec etiam res exiguæ poterunt alienari. quod colligitur primò per illam particulam *ſine exceptione.* Secundò per verbum *quidquam.* quod nihil excipi permittit, vt notat gloſſa *Extrauag. comm. cap. 1. ne ſede vacante.* Confirmatur, quia ibi diſertè prohibet alienari caſellas & prædia exigua. Reſpondeo quod generaliter ibi prohibitum eſt, reſtringi per ſpecialem exceptionem. *d. cap. terrulas.* ad illud de caſellis & prædiis exiguis. aliud eſt res exigua, aliud caſa & prædium exiguum. hoc prohibetur, non illud, quia caſa exigua non eſt res exigua, vt communi ſermone accipitur.

QVÆRO QVINTO, an huiuſmodi res exiguæ pro libito & arbitrio ſine vlla reſtrictione poſſint à beneficiario alienari. 6.

An & quomodo res illæ exiguæ alienari queant à beneficiario.

RESPONDEO duas conditiones requiri. Primò vt ſint, vt dicebam, modicæ & exiguæ.

Secundò

Secundò quòd non ſint vtiles Eccleſiæ. ita Rebuff. *in compend. de rerum alien. numer.* 122. Redoan. 15. *numer.* 19. *& quæſt.* 51. *cap.* 8. Ex hoc fit rem omnino ſterilem, & inutilem non poſſe alienari ſine ſolemnitatibus requiſitis; dummodo in ſe ſit magni valoris; vt eſſet Palatiū, quod locari non poteſt, aut ingens ſpatiū terræ incultum: aut etiam ſylua ex qua nullus reditus percipiatur. hæc n. exſcindi non poteſt ſine ſolemnitatibus; ſed tantùm cædi, vt de more & natura ſylua ſolet & debet. vt obſeruant Capycius *deciſ.* 105. Barocius *conſil.* 83. 85. 89. *volum.* 1. Guido Papæ *deciſ.* 156. Rebuff. *numer.* 121. quamquam rarò poteſt eſſe vt huiuſmodi res magni valoris, ſed parui prouentus, ſint omnino inutiles. poſſunt tamen aliquando eſſe, quia magnum palatium, exempli gratia, indiget aliquando maiore ſumptu, vt reparetur, quàm ſint reditus pro quibus locatur. & ſylua poteſt plus aliquando nocere vites obumbrando, quàm vtilitatis afferat ſi ſubinde cædatur. & nihilominus etiam in tali caſu tota exſcindi non poteſt ſine debitis requiſitis; alioquin cenſuræ incurruntur malè alienantibus conſtitutæ, vt iidem DD. tradunt, & conſtabit ex paulo pòſt dicendis. Secundò fit rem in ſe modici valoris, ſed magnæ vtilitatis (licèt rarò hoc vſu veniat) propter eandem rationem alienari non poſſe ex defectu alterius conditionis. Ex quo tertiò fit exiguitatem, & modicitatem rei, tam eſſe æſtimandam quoad ſeipſam, & pretium quod valet, quàm ad fructum quem præbet.

7. QVÆRO SEXTO, an arbores quæ ſolo cohærent incidi prohibeantur per canones de non alienando. *Arbores quæ ſolo cohærent.*

RESPONDEO & DICO PRIMO, inciſio arborum eſt propria ſpecies alienationis: idcirco ſicut qui domini non ſunt, non poſſunt alienare; ita nec arbores incidere, & vniuersè quicumque prohibentur alienare, iidem etiam arbores incidere prohibentur. eſt certa concluſio iuris, quam docent DD. *l. ſi fundum.* §. *final. l. ſeqq. ff. de vſufructu.* & text. *l. diuortio.* §. *ſi fundum. ff. ſoluto matrimonio.* vbi Baldus *l. diuus,* & *ibi* gloſſ. *ff. de vſu & habitatione.* Alexand. *conſil.* 118. *volum.* 5. Curtius iunior *conſil.* 70. *numer.* 8. Nauarr. *conſil.* 7. *de reb. Eccleſ. alien.* Rebuff. *in l. ſylua. ff. de verborum ſignificatione. verſ.* 3. vbi inuehitur contra Prælatos incidentes nemora beneficiorum. Aretinus *d. l. diuortio.* ibidem Bart. Imola & alij. VVameſius *conſil.* 288. *numer,* 3. *&* 7. *& conſil.* 292. *numer.* 5. Nicolaus Boërius *deciſ.* 51. ex *l. ſi grandes. de vſufructu.* accedunt Theologi, Summiſtæ, Syluest. *verſ. vſus. numer.* 3. *& verb. vſuſfructus. numer.* 2. Angelus, Armilla, Tabiena *ibidem.* ex quibus omnibus & aliis habetur, quòd vniuersè loquendo arborum inciſio ſit alienatio: & proinde qui non poteſt alienare, nec etiam incidere poſſe. cuius ratio eſt, quia verà & propria alienatio eſt rei ſubſiſtentis, & immobilis à ſe dominij abdicatio. vt conſtat ex dictis *quæſt.* 1. Sed arbores quæ iam ſolo radices conceperunt, ſunt res ſubſiſtentes & immobiles, non ſolùm ex iuris æſtimatione, ſed ex communi omnium ſenſu & conſuetudine. Boërius *deciſ.* 51 *part.* 1. Tiraquel. *de retractu conuent.* §. 3. gloſſ. 1. *numer.* 23. VVameſius *conſil.* 292. & eſt textus *l. adeò.* §. *ſi alienum. ff. de acquirendo rerum domino.* & per eorum inciſionem dominium abdicatur; quia deſtruuntur & deſinunt eſſe quod erant. nempe res immobiles, & ſubſiſtentes. ergo eorum inciſio eſt propriiſſima alienatio. neque enim melius alicuius rei dominium amittitur quàm illam deſtruendo, vt patet in domo. ſi enim diruatur, eo ipſo quòd deſtruitur alienatur. in iure autem qui deſtruunt domum & vineam, & qui arbores incidunt, æquiparantur. *l. eleganter.* §. *non ſolùm. ff. de dolo.*

DICO SECVNDO, canones prohibentes alienationem propriiſſimè etiam intelliguntur de arborum inciſione. Primò propter rationem modò dictam, quia prohibita alienatione, eo ipſo non per extenſionem, ſed per proprietatem intelligitur prohibita omnis eius ſpecies propriè dicta. ex iis quæ fusè tradunt Alciat. & Rebuff. *rubr. de verborum ſignificatione.* Sed inciſio arborum eſt propriiſſima ſpecies alienationis; ſicut deſtructio domus qua non transfertur dominium; ſed deſtruitur res quæ poſſidetur, qui eſt propriiſſimus actus dominij. ergo illa propriiſſimè prohibetur, vt etiam diſertè docent Abbas, Ancharanus, Anania, Francus, Cardinalis, & alij apud Quarantā *num.* 33. Turrecremata 12. *quæſt.* 2. Secundò quia nominatim arborum inciſio iis interdicitur, quibus omnis alienatio generaliter prohibetur. *l. ſi grandes. de vſufructu.* quæ lex canonizata, id eſt, canonibus recepta cenſetur, vt conſtat ex Syluestro, Angelo, Armilla *verb. vſus, & vſuſfructus. n.* 2. Sed tunc

QVÆRO SEPTIMO, quid nomine arborum in re præſenti intelligatur. 8. *Arbores quæ radices egerunt.*

RESPONDEO arborem dici quæ ſolo radices egerit, & durioris ligni ſit. colligitur ex Vlpiano *l. vitem. ff. arbor. furt. cæſ.* quem expendit Montolonius *in Promptuario iuris. verb. arbor. litt. D.* Ex quo fit primò quicquid ſolo infixum radices non egit; vt pedamentum, trabes, &c. arborem non dici, & eorum auulſionem, alienationem non eſſe. Secundò fit quicquid radices egit, ſed tenerum eſt, nec in lignū coaleſcit, herbam & fruticem, non arborem eſſe. Vlpian. *ibidem lib.* 4. Tertiò fit vites, oleas, hæderas arbores eſſe, vt diſertè ibidem tradit Vlpian. & cum eo DD. tum ibi *l.* 3. *&* 4. *ff. arbor. fruct. cæſar. l.* 3. §. 3. *ff. de arbor. caden.* Hinc ergo

QVÆRO OCTAVO, an omnes arbores excidi prohibeantur. 9. *Quæ excidi prohibita.*

RESPONDEO non omnes, ſed tantùm grandiores, ſiue eæ frugiferæ ſint, ſiue ſteriles & infrugiferæ, & ex grandioribus etiam eas tantùm quæ cæduæ non ſunt. Quòd grandiores tantùm prohibeantur, conſtat primò ex *l. ſed ſi grandes. ff. de vſufructu.* ex qua VVameſ. *d. conſ.* 292. *numer.* 5. Alciat. *l. ſylua cædua. ff. de verborum ſignificatione.* Secundò, quia in æquiualentibus eadem ratio ſeruatur. *l.* 1. *ff. de legat.* 1. Sed canones non prohibent terrulas alienare; ergo nec arbuſculas. ac proinde arbores tantùm grādiores, quemadmodum & terras. quòd verò ex grandibus tantùm prohibeantur, quæ non cæduæ ſunt, conſtat, quia in omnium DD. ſententia arbores cæduæ permittuntur excidi, vt fusè Alciat. Rebuff. *l. ſylua. ff. de verborum ſignificatione.* & DD. *l. diuortio.* §. *ſi fundum. ff. ſoluto matrimonio.* vbi Bart. Aret. Caſtro, Iaſon.

QVÆRO NONO, an arbuſculæ ſiue arbores paruæ liberè excidi permittantur. 10. *Arbuſculæ ſeu arbores paruæ.*

RESPONDEO nequaquam, ſed tantùm cum

Digitized by Google

cum duplici conditione. Primò, vt in ſe valoris exigui ſint. Secundò, vt earum exciſio fundo ſit vtilis futura. argumento eorum quæ tradunt DD. *cap. terrulas* 12. *quæſt.* 2. vbi Turrecremata. Vide Ioannem Franciſcum Leonis *theſauro Eccleſiaſtico c.* 15. *parte* 1.

11. *Arbores cæduæ.* QVÆRO DECIMO, quæ ſint arbores cæduæ.

RESPONDEO, quarum totus vel præcipuus fructus in inciſione conſiſtit; quales ſunt tantùm vtiles ad lignandum. colligitur ex *l. ſylua. ff. de verb. ſignificat.* vbi Caius IC. dicit ſyluam cæduam dici quæ in hoc habetur vt cædatur. ex quo fit primò, tantùm arbores infructiferas & ſteriles cæduas eſſe, ſiue ſint ex natura, vt quæ ſimpliciter tales appellantur, ſiue ex accidẽti. Arbor n. alioquin fructifera, ſi caſu infructifera reddatur, in id tantùm habetur vt excidatur, & in ignẽ mittatur. quæ autẽ fructũ affert, nõ in hoc ſolùm habetur vt cædatur. quare vites, oleæ & quæcũque poma ferunt, dum fructibus gignendis ſunt, cæduæ non ſunt. Secũdò fit, nemus, ſyluam, lucum conſitum in vinea ad amœnitatem, cæduum non eſſe. colligitur ex duplici capite. Primò, quia cæduum tantùm eſt, quod in id habetur vt cædatur; ergo ſylua, nemus, lucus cùm in hoc non habentur vt cædantur, cædua non ſunt, nec appellantur. Secundò, quia IC. manifeſtè ſignificat non omnem ſyluam eſſe cæduam; cùm ex ſyluis eam tantùm dicit talem eſſe, quæ habetur vt cædatur. ergo quæ non ad inciſionem habetur, cædua non eſt. non poteſt autem ad aliud haberi, ſi non ad inciſionem habetur, quàm ad amœnitatem. & confirmatur, quia cuius fructus præcipuus non conſiſtit in lignatione, ſed in opacitate qua reddit fundum, aut vineam pretioſiorem, id cæduum non eſt; talis eſt ſylua ad vmbram & voluptatem comparata. Tertiò fit nullam ſyluam quæ in vrbano prædio habeatur, in quod non ſolùm vtilitatis, ſed etiam honeſtæ voluptatis gratia domini ſubinde ſoleant commigrare, cæduam eſſe, ſaltem talem præſumi non poſſe. patet, quia eius præcipuus fructus eſt ad prædij amœnitatem, qui conſiſtit in ſyluæ vmbroſo opacitate; quæ etiam pretio æſtimabilis eſt, & quidem ingenti. quod conſtat, quia inde prædium redditur maioris valoris in omnium æſtimatione. intellige ſi, vt dixi, prædium ſit ſuburbanum, & quòd etiam dominis opportunam præbeat ſtationem, in quam animi cauſa concedant. Quartò colligitur quod dixi de ſylua, nemore, &c. intelligi quoque debere de arbore vnica quæ habeatur, vel ad viriditatem, vel ad opacitatem, qualis eſſet hædera latè fronde luxuriante diffuſa. hac enim ſine dubio, rus, prædium, hortus pretioſiora redduntur. & notum eſt opacam & frondoſam arborem nemoris etiam nomine contineri, colligitur ex Geneſi *cap.* 21. *verſ.* 33. Cæterùm non omnem locum arboribus infrugiferis conſitum eſſe cæduum ſatis indicant quæ tradit Plin. de plataneto, laureto, &c. quæ loca in ſacris litteris frequentiùs nemorum vocabulo deſignantur, vt haberi poteſt ex lib. Eſther *cap.* 1. 5. *cap.* 7. 8. *cap.* 15. 2. in quibus nemora appellantur arbores omnes ad opacitatem ſatæ, quas excidere nõn licet, niſi iis, quibus ſolum etiam licet alienare.

12. *De inciſione in arboribus cæduis.* QVÆRO VNDECIMO, an omnis inciſio in arboribus cæduis liberè permittatur.

RESPONDEO nequaquam, ſed tantùm cum triplici modificatione, nempe temporis, quantitatis, modi. Primò temporis, quia non ſemper licet, ſed certis & ſuis temporibus. vnde *d. l. ſylua*, dicitur cæduum quod in hoc habetur vt certo tempore cædatur. quare qui ante tempus cædit ſyluam cæduam, l. Aquilia ad damni reparationem tenetur. *l. ſi ſeruus ſeruum. §. ſi oliuam. ff. ad l. Aquiliam.* VVameſ. *conſil.* 292. *numer.* 5. vnde fit ſyluam, nemus, arborem cæduam dupliciter dici. Primò quaſi habitualiter, & eſt quod in id habetur vt cædatur: cuius nempe totus fructus in lignatione eſt. Secundò actualiter, quod iam cædi poteſt. quod ſcilicet non ſolùm in id habetur vt incidatur, ſed ad tempus inciſionis peruenit. quod eſt in arbore, aut ſylua ex arboribus cùm ad ſuam altitudinem peruenerunt. in quo, inquit Conanus *lib.* 4. *cap.* 1. *numer.* 5. *&* 6. *commentariorum iuris*, regionis mos ſeruandus eſt; & rectè hoc. nã alicubi trigeſimo, alicubi quadrageſimo quoque anno ſylua cædua cædi permittitur. ex quo, vt dicebam, iuris concluſio ſumitur non ſemper poſſe arborem cæduam cædi; ſed duntaxat dum cædua actu eſt, id eſt, poſt certum temporis ſpatium quo iam cæſa eſt, &, ſi numquam aliàs cæſa eſt, non niſi cùm ad debitam altitudinem peruenit. alioquin conductor & vſufructuarius poſſet pręiudicare domino, & vnus beneficiarius alteri ſuccedenti. Vide Alexandrum *conſ.* 118. *volum.* 5. Curtium iuniorem *conſ.* 70.

Secunda modificatio eſt ex quantitate, exempli gratia, vt non tota ſylua ſimul cędatur, ſed per partes. & quod de ſylua dicitur, de vna tantùm arbore cędua eſt intelligendum. ſi enim quis velit illam non trigeſimo quoque anno cędere, ſed ſingulo quoque, poteſt illam tantùm quoad quadrageſimam, vel ſummum ad trigeſimam partem cędere, ita vt ſingulo quoque annò trigeſima pars ſyluę, vel arboris cędatur. quod bene aduertit Ioann. Baptiſta Coſta noſtrę Societatis S. Petri Pœnitentiarius *conſ. vlt. de rer. alien.* in manuſcr.

Tertia reſtrictio eſt ex parte modi in inciſione ſeruandi. quod enim cęduum eſt, ita cędi debet, vt in eundem, vel ęquiualentem ſtatum repullulare poſſit quo antea erat. Bald. *l. diuortio. §. ſi fundum. ff. ſolut. matrim.* Curtius *conſil.* 70. Alciat. *l. ſylua*, ibi Rebuff. *ff. de verborum ſignificatione.* Aretinus *d. §. ſi fundum.* Ex quo fit primò arundines, ſalices & ſimiles arbores poſſe ita cędi vt à ſtipite detruncẽtur; quia ſic reſciſę iterum in eundem ſtatum repullulant. Alciatus, Rebuff. *loc. cit.* Secundò fit nullas arbores ita cędi poſſe, vt in primo ſtipite ab radice reſecentur, quę iterum non poſſint ſimiliter repullulare. quales ſunt quercus, &c. Dixi, *in ſtipite ab radice*, nam vbi primùm ſe in ramos diffundere incipiant, etiam detruncari poſſunt. quod vulgo dicitur *à cruce arboris ſurſum*, vt notat Ioan. Baptiſta Coſta *in d. conſ.*

QVÆRO DVODECIMO ex dictis, arborum inciſio quibus tam ciuili, quàm Eccleſiaſtico iure prohibeatur. 13. *Arborum inciſio quibus prohibita.*

RESPONDEO & DICO PRIMO, ciuili iure, omnibus vſuariis & vſufructuariis, & vniuerſaliter quicumque rem aliquam habent, & adminiſtrant aliter quàm iure dominij, iis arborum inciſionem prohiberi. tantúmque earũ vſum, & eo modo permitti, quo proximè dictum eſt; cuius ratio eſt, quia arborum inciſio eſt illarum

rum deſtructio. quare eo ipſo omnibus interdicta intelligitur qui domini non ſunt, quorum tantùm & non aliorum propriiſſimus actus eſt rei deſtructio, vt colligitur *l.* 1. & deinceps, *toto tit. Digeſt. de vſufructu*, vbi DD.

14. Dico secvndo, beneficiariis omnibus lege naturali, & Eccleſiaſtica prohibetur arborum inciſio in prædiis beneficij quod habent vel vt titulares, vel vt commendatarij, vel vt Rectores, vel vt alio quocumque titulo adminiſtrationis. iure naturali, quia nullus poteſt in re non ſua, cuius dominus non eſt, exercere actum qui proprius dominij eſt. Sed beneficiarij domini non ſunt beneficiorum, licèt ſint domini fructuum beneficij; non ergo poſſunt in illo arbores incidere, cùm earum inciſio ſit illarum deſtructio, ac propterea propriiſſimus actus dominij. nec dicas, licèt non ſint domini beneficij ſiue prædij beneficialis, eſſe tamen dominos arborum; quia notiſſima res eſt arbores ſolo radicibus hærentes eſſe res immobiles, & vt partem immobilem prædij computare: vt conſtat ex iis quæ fusè docent Nauarr. VVameſius, Rebuff. Alciat. poſt Bald. Bart. Imol. Ang. & alios adductos *quæſt.* 6. huius capitis. Secundò iure Eccleſiaſtico prohibentur incidere dupliciter, primò, tacitè & arguitiuè dum beneficiarij dicuntur vſufructuarij ſui beneficij. gloſſ. communiter recepta *in cap. ex litt. extrà de probat. & cap. fin. de peculio cler.* & textus *cap. relatum*, 2. *de teſt.* fuſéque probat ex toto corpore Eccleſiaſtici iuris Redoan. *quæſt.* 3. *de ſpoliis.* vbi oſtendit beneficiarios ad ſummum eſſe vſufructuarios, non dominos beneficij, & rerum Eccleſiæ, quod idem latiùs oſtendunt Nauarr. Sarmiento, Marſilius columna *de red. Eccleſ.* Sed natura vſusfructus, & vſufructuarij eſt vt qui talis eſt vtatur re, ſalua ipſius ſubſtantia. *l.* 1. & deinceps. *ff. de vſufructu. Inſtit. eodem.* vbi DD, ergo beneficiarij, eo ipſo quòd iure Eccleſiaſtico vſuarij, aut vſufructuarij beneficij declarantur, vti tantùm poſſunt ſolo, & arboribus beneficij, ſalua illorum ſubſtantia; ac proinde tenentur non incidere, cùm id ſit deſtruere. *l. eleganter.* §. *non ſolùm. ff. de dolo*, vbi domus deſtructio & arboris inciſio comparantur. Secundò prohibentur expreſsè, eo ipſo quòd nominatim prohibentur alienare res Eccleſiæ, cuius alienationis præcipua ſpecies eſt rei demolitio, qualis eſt in arboribus inciſio & detruncatio. Ex his

15. Dico tertio, ad dignoſcendum quas arbores & quomodo poſſint incidere beneficiarij, & Rectores ſiue regulares, ſiue ſæculares in beneficiis, eorúmque prædiis, duas regulas illis attendendas eſſe, primam vt ſciant nihil in illis ſibi licere quod actum abſoluti dominij contineat. Secundam, vt tantùm illa ſibi ſciant permiſſa, quæ licent vſuario & vſufructuario. Nauarr. *conſil.* 6. Quaranta *v. Alienatio, num.* 33. Proſper de Auguſtino in notis ad Quarantam *litt. E.*

Dices Epiſcopum reſpectu Eccleſiæ, & proinde etiam beneficiarium reſpectu ſui beneficij loco tutoris haberi. gloſſ. *cap. auditis. de in integr. reſtit.* Redoan. *de ſpol. numer.* 21. tutor autem poteſt de bonis pupilli diſponere alienando, dummodo ſit in euidentem vtilitatem, & ita poteſt arbores incidere iure ſuo quando ad id conducunt; ergo eodem modo beneficiarij, ſi iudicarint beneficio vtile eſſe, poterunt arbores quaſcumque reſecare. Reſpondeo non in omnibus beneficiarios tutoribus æquiparari, & in ſpecie circa alienationem, facultatem illis per ſacros canones eſſe reſtrictam, vt conſtat ex iis quæ diximus *cap.* 1.

Qværo decimotertio, quid & quantum peccent beneficiarij arbores incidendo. 16. *Beneficiarij quantum peccent arbores incidendo.*

Respondeo, ſi alias excidant quàm quarum inciſio ſibi debetur in fructum, reditum & prouentum ex beneficio, peccare primò contra iuſtitiam, & teneri ad reſtitutionem. Secundò pœnas illas incurrere quæ res Eccleſiaſticas iniuſtè detinentibus ſtatutæ ſunt. Tertiò incurrere pœnas omnes contra alienantes. quod totum ex dictis colligitur, & conſtat ex Nauarr. *d. conſil.* 7. VVameſ. *conſil.* 288. & 292. Ioan. Baptiſta Coſta *conſil. vltim. de reb. Eccleſ. alien.* ex quo fit, ſi beneficiarius hederam, quercum, aut ſimilem arborem ad prædij amœnitatem comparatam ſtirpitus excidat, omnibus iſtis modis peccare, vt colligitur ex *d. l. eleganter.* §. *ſeruus. ff. de dolo*, vbi domum deſtruens, & arborem non cæduam incidens æquiparantur.

Qværo decimoqvarto, an poſſit beneficiarius arbores non cæduas ſiue frugiferas, ſiue infrugiferas ſecare, vt vtiliores & fructuoſiores reponat. 17. *An ſecare poſſit arbores non cæduas, vt reponat vtiliores.*

Respondeo quoſdam exiſtimare id poſſe, exempli gratia, mutando faciem fundi, & reducendo ſyluas in vineam, aut quercetum in oliuetũ, &c. quod videtur cõcedere, licèt dubitanter, Tiraquellus *de retractu conuentionali, gloſſ.* 1. *numer.* 29. ex Anania & aliis, tenendum tamen eſt id non poſſe beneficiarium; quia permutatio rerum Eccleſiæ prohibetur fieri ſine debita forma, & ex propria auctoritate beneficiarij, licèt ſit in euidentem vtilitatem, vt vidimus *cap.* 2. ergo multo minus hæc fundi, & prædij mutatio poterit fieri. Probatur conſequentia, quia ſi non poſſum propria auctoritate permutare ſyluam beneficij cum oliueto præſenti; multo minus potero præſentem ſyluam excindere, & conuertere in oliuetum futurum incertum, & tantùm in ſpe. Confirmatur ſecundò, quia hic eſt proprius actus dominij; ergo fieri non poteſt ab eo qui non eſt dominus. poterit tamen in hoc caſu excuſari beneficiarius ab obligatione reſtituendi ſi oliuetum, in quod ſyluam mutauit, licèt adhuc in ſpe pluris æſtimetur quàm ſylua exciſa; pœnas verò contra malè alienantes impoſitas incurret, ſi non ſeruata forma exciderit. vide Bald. *d. l. diuortiũ.* Rebuff. *l. ſylua. verſ.* 8.

Qværo decimoqvinto, an poſſit beneficiarius propria auctoritate arbores incidere quando nocent fundo. 18. *An incidere arbores cùm nocent fundo.*

Respondeo primò, ſi ſint magni valoris non poſſe, niſi caſus & neceſſitas vrgeret, ratio eſt, quia euidens vtilitas alienationis requiritur, vt poſſit alienari ex parte cauſæ: ſed non ſufficit ex parte ſolemnitatis, quam facit conſenſus, & auctoritas ſuperioris & aliàs, de quibus poſtea.

Dico secvndo, ſi ſint arbores exigui momenti, & nocumentum nullo alio cõmodo compenſetur, poſſe.

Dico tertio, ſi nocumentum alio commodo compenſetur ad æſtimationem boni viri, etſi tale nocumentum præuiſum ſit, non caſuale, huiuſmodi arbores excindi non poſſe: exem

exemplum ſit in platano latè diffuſa & vmbroſa, cōparata præcipuè ad ruris amœnitatem, ex cuius vmbra tamen poſtea vites aut lactucæ offendantur. talis enim arbor prædio nocumentum affert; ſed quia non caſuale, ſed præuiſum, & ex altera parte amœnitas quæ iuri conciliatur nocumentum compenſat; nam prædium ex eius vmbra redditur pretioſius, exſcindi nō poterit. quòd ſi vnus beneficiarius nihil æſtimat commoditatem vmbræ, ſed tantùm de vino ſollicitus eſt quod ex vitibus colligat, per accidens id eſt. alius enim beneficiarius pluris vmbræ amœnitatem æſtimabit, quàm vinum quod ex illa opacitate vites ferre prohibentur, ex quo moderantur ea quæ habent Redoan. *de reb. Eccleſ. alien.* ſub titulo, *Quid poſſit emphyteota. n.* 25. Hactenus de arborum ſucciſione.

19. *De bonis locorum piorum.* QVÆRO DECIMOSEPTIMO, an bona locorum piorum licèt non Eccleſiarū, hac prohibitione contineantur.

RESPONDEO contineri. Abbas *cap. nulli, in fine. de reb. alien.* Francus *cap. 1. eodem in 6.* Quaranta *numer.* 28. Si quæras quæ ſint loca pia. Reſpondeo quæ Epiſcopi auctoritate fundata ſunt, aliàs nequaquam, licèt in iis opera pietatis exerceantur. vnde iura, loquentia de piis locis, non comprehendunt hoſpitalia, confraternitates, collegia, congregationes abſque auctoritate Epiſcopi fundatas. & conſequenter eorum bona poſſunt alienari ſine ſolemnitate, qua de re extat ſingul. conſ. Cardinal. Pariſij 34. *volum.* 4. apud quem Felin. Francus, Abbas, Decius, Bald. Ioan. Monachus. & idem docet Redoan. *q.* 28. 47. 49. 51. Quar. *n.* 28.

20. *Quando cenſeantur auctoritate Epiſcopi fundata.* QVÆRO DECIMOOCTAVO, quando pia loca cenſeantur, aut præſumantur auctoritate Epiſcopi fundata, ad hoc vt aſſenſus Apoſtolicus requiratur, ſi ſint illorum bona alienanda.

RESPONDEO ſtandum eſſe in dubio poſſeſſioni, & iis quæ prima facie apparent. Feder. de Senis *conſil.* 130. *numer.* 2. Ant. Gabr. *libr.* 1. *comm. opinione de cauſa pia, concluſ.* 2. Ioſeph. Ludouicus *deciſ.* 91. Varia autem ſigna, ex quibus probatur, aut præſumitur hoſpitale, & ſimilia eſſe loca religioſa, & Epiſcopi auctoritate fundata, latè proſequitur Selua *de benefic. parte* 1. *q.* 6. *num.* 17. Maſcardus *concluſ.* 869. & eſt ea de re egregia Rotæ *deciſ.* 725. *diuerſ. parte* 1. De Oratoriis verò, Cōgregationibus & cōfraternitatibus laicorum, an & quādo eorum bona poſſint ſine ſolemnitatibus alienari, fusè agit Menochius *lib.* 6. *præſum.* 79. poſt Lambert. *de iure patron. parte* 1. *lib.* 1. *quæſt.* 11. *art.* 12. Remig. *tract. de immunitate Eccleſiæ* 1. *parte*, *ampliatione* 2. Sed tandem ea omnia recidunt, vt ſi ſint auctoritate Epiſcopi fundata inter pia, & religioſa loca computentur. quando autem illud, & ex quibus argumentis præſumatur, docent prędicti auctores cum Maſcardo *concluſ.* 583. Quibus autem debeantur oblationes, eleemoſynæ, &c. quæ huiuſmodi Congregationibus laicorum fiunt, tradit Decius *conſ.* 148. *n.* 2. Cauallcan. *deciſ.* 17. *n.* 71.

21. *De Eccleſia materiali, & Oratoria.* QVÆRO DECIMONONO, an non ſolùm Eccleſiæ bona, ſed Eccleſia ipſa materialis & Oratoria, hac alienationis prohibitione contineantur.

RESPONDEO contineri, & multo magis quàm alia bona. *Authentica, multo magis. C. de ſacroſanct. Eccl. c. quoad hæc. de relig. domib.* quia

Vinc. Filliucij Tom. 3.

licèt Eccleſia ipſa materialis non ſit bonum Eccleſiæ reſpectu ſuiipſius, eſt tamen inter bona Eccleſiæ ſūptæ pro cœtu, & congregatione Eccleſiaſticorū. & hactenus de bonis immobilib.

QVÆRO VIGESIMO de bonis mobilibus, an & quomodo prohibeantur alienari. 22. *De bonis mobilibus.*

RESPONDEO & DICO PRIMO, Eccleſiæ mobilia pretioſa alienari ſine cauſa, & ſolemnitate non poſſunt; quia æquiparantur immobilibus per Paulinam, & pari paſſu ambulant in hac materia. *l. ſancimus. C. de ſacroſ. Eccl. l. lex quæ tutores. C. de admin. tutor.* Abb. *cap. nullum. de reb. Eccl. alien.* quare de iis tranſigi, aut amicabilis compoſitio, vel alia quæcumque alienatio fieri non poteſt. Redoan. *q.* 8.

DICO SECVNDO, nomine pretioſorum mobilium veniunt vaſa aurea, argentea, pretioſę veſtes, & alia quæ commodè ſeruari poſſunt. Molin. *diſp.* 465. *n.* 4. Redoan. *q.* 8. 23.

DICO TERTIO, bona ſe mouentia comprehendūtur quæ ſeruando ſeruari poſſunt. huiuſmodi ſunt grex ouium, armentum boum, præſepium equorum, &c. ad quod aduertendū, Canoniſtis formulam hanc vſurpari, vt mobilia pretioſa quæ ſeruando ſeruari poſſint, dicant hac prohibitione contineri. per eum autem modum loquendi ſignificant, quæ ipſa in ſe inuariata, vel in ſtatu æquiualenti poſſunt adhibita cuſtodia ad longum tempus permanere. Ex quo fit primò gregem, armentum, præſepium non poſſe alienari; quia poſſunt ſeruando ſeruari, & inter immobilia computātur alios ſubinde ſubſtituendo. Molin. *diſp.* 464. *n.* 4. Redoan. *q.* 8. Abbas *c. tua. n.* 7. *de his quæ fiunt à Prælato. cap. nulli. n.* 8. *de reb. Eccl. alien.* Nau. *c. ſine exceptione, n.* 5. docéntq; Canoſilus, Aluarotus, Alex. Stiaticus *in expoſ. Paulinæ.* Secundò fit fructus gregis, armenti, &c. poſſe alienari eodem pacto quo fructus agrorum & prædiorum, vt iidem obſeruant, & præter illos Quar. *n.* 25. 24.

DICO QVARTO, pecunia alicuius quantitatis multo magis in hac prohibitione cōtinetur, quia ſi inter mobilia computatur, ſine dubio eſt pretioſa. quare rei pretioſæ prohibitio etiā alienationem pecuniæ continebit. Alex. Iaſon, Ripa *l.* 1. *§. quæſitum. ff. ad Trebellianicam.* Tiraquel. *de vtroque retractu. gloſſ.* 7. *n.* 105. Boër. *deciſ.* 209. Redoan. *q.* 16. facit text. *in §. conſtituitur. Inſtit. de vſufructu.* qui omnes dicunt in prohibitione alienationis pecuniam contineri. ex hoc habemus primò quando pecunia notabilis quantitatis Eccleſiæ data eſt, non poſſe quoad ſortem totam conſumi, ſed eſſe fructuosè collocandā, aut certè aſſeruandā. Secundò idem intelligendū ſi ex fructibus ſit ſepoſita & deſtinata ad aliquam emptionē pro Eccleſia, vel beneficio: vel ad illius inſtaurationē, vel ad alias neceſſitates reparādas quę pro tēpore poſſunt occurrere. Iaſ. *d. §. Quæſitū. n.* 38. *ex l. ſi Caius. §.* 1. *ff. de legat.* 3. Tertiò fit, ſi pecunia nō ſit ſub proprietate Eccleſię, ſed ex fructibus beneficij, hac proprietate non cōtineri. Abb. *d. c. nulli.* Redoan. *q.* 16. Quar. *n.* 25. Et hoc totum intelligitur de pecunia otioſa nullum fructum gignente. 25.

DICO QVINTO, pecunia nō otioſa, ſed fructuoſa, qualis eſt in mōtibus, &c. collocata multo minus poteſt ſine cauſa & ſolēnitate alienari. quia illa eſt verū bonū immobile. vt Alex. Iaſ. Ripa *d. §. Quæſitū. ad Treb. l.* 1. Ex quibus omnibus fit pecuniā in arca ſeruatā ad occurrētes Eccleſię neceſſitates, nec etiā poſſe mutuo dari, vt iidē do- 26.

Q cent,

cent,quia permutatio eſt vera ſpecies alienationis ſtrictè ſumptæ.

27. *De mancipiis, iumentis,&c.*

QVÆRO VIGESIMOPRIMO, an mancipia,iumenta,&c.poſſint alienari.

RESPONDEO, ſi ſint affixa prædiis, tanquam illorum partes computari,ac proinde immobilia cenſeri,quæ alienari nō poſſunt. Molin. *diſp.*465.ſi libera ſint poſſe alienari,quia inter illa cōputantur quæ in eodem ſtatu ſeruando ſeruari non poſſunt, non ſolùm ob mortem & ſenium quæ omnibus imminent, ſed etiam ob morbos & alios caſus qui reparari non poſſunt. Abb. *c.nulli. n.* 8. *&* 11. Molin. *diſp.*465.

28. *De iuribus, actionibus & nominibus debitorum,*

QVÆRO VIGESIMOSECVNDO, an iura, actiones & nomina debitorum inter res computentur quæ alienari non poſſunt.

RESPONDEO, computari ſi ſint ad rem alicuius momenti.nam ius, actio & creditum alicuius rei in eo genere bonorum computatur, in quo eſt illa res. Molin.*diſp.* 68. *&* 202. Quare ius ad rem aliquam immobilem inter bona immobilia,ad mobilem,ſed pretioſam,inter mobilia pretioſa computabitur; quæ neutra alienari poſſunt.Molin. *diſp.*465.

29. *De donatis Eccleſiæ cum conditione.*

QVÆRO VIGESIMOTERTIO,an donata Eccleſiæ,cū ea conditione, vt pro arbitrio Rectoris ſine alia ſolemnitate poſſint alienari, conſtitutione Paulinæ contineantur.

RESPONDEO,nihilominus cōtineri, quia illa conditio tanquam illicita, ſeruanda non eſt. *c.tua*,vbi Couar. *n.* 6. *de teſt.* facit textus *l. nemo poteſt. ff. de legat.* 1. vnde habetur pro non appoſita,cùm ſit à iure reprobata. nemo enim poteſt facere vt in diſpoſitione ſua leges locū non habeant. *d.l. nemo,* gloſ.& Abb. *c.verùm. de condit. appoſitis.*Innoc.*c.verò. de foro competenti.*

30. *Quid ſi adponatur conditio rei donatæ cōtraria.*

QVÆRO VIGESIMOQVARTO, an ſi apponatur contraria conditio rei donatæ, vt nunquam liceat illam vllis de cauſis alienare, num poſſit Eccleſia vrgente caſu etiam ſeruatis ſeruandis de illa alienando diſponere.

RESPONDEO,ſemper in poteſtate Eccleſiæ futurum ſeruata formula,illam nihilominus alienare; quia ea conditio tanquam turpis pro non adiecta cenſetur. ſic Goff.Hoſt.Innoc. Panorm. cum Sylueſt. *v. Alienatio. q.* 28. Azor *q.* 9. *c.*2. *lib.*9.

31. *Quid ſi rei donatæ adiecta eſt pœna caducitatis.*

QVÆRO VIGESIMOQVINTO,an quando adiecta eſt pœna caducitatis rei donatæ,ſaltem illam Eccleſia & rector incurrant cùm ſine cauſa alienarunt.

RESPONDEO affirmatiuè ex Archid.Sylueſt.Azor.*loc.cit.*quia teſtatoris voluntas iuſta & rationabilis ſeruanda eſt. fusè Nauar. *conſ.* 8. *de vendit.* Rationabile autem eſt vt velit quis rem quam Eccleſiæ donat ſine iuſta cauſa non alienari. quare quæ res ſimpliciter legata aut donata cum conditione fuerit ne alienetur, poterit quidem ex cauſa & ſeruata ſolemnitate ſine vlla caducitatis pœna alienari; at extra caſus à iure permiſſos alienata eo ipſo ad ſubſtitutos deuoluetur.vt iidem tradunt.

32. *De relictis Eccleſiæ non capaci retentionis dominij.*

QVÆRO VIGESIMOSEXTO, an relicta Eccleſiæ quæ non eſt capax retentionis dominij,poſſint ſine alia ſolemnitate alienari.

RESPONDEO,poſſe. Rebuff. *comp. de alien. n.*23. Rogandus *conſ.* 15. *vol.* 4. Hippolytus *ſingulari* 131. Francus *de reb. Eccl. non alien. in* 6. *verſ.*12. *limitatio.* quod intelligendum eſt etiamſi legatum factum fuerit cum cōditione ne alienetur. nam tunc ad hæredes non recidet; ſed poterit & debebit alienari, & in vtilitatem Eccleſiæ legatariæ conuerti eo modo quo commodiùs poterit: gloſ. *c.* 1. *de relig. domib. verſ. domo.* Abb.Felin. Decius *cap. cùm in præſentia. de prob.* Antoninus 3.*p. tit.*12.*c.*5. Armil. *v. alienatio. n.* 29. Socin.*reg.*110. & colligit ex Trid. Quarant. *limit.* 6. *n.* 41. Et hæc de bonis iam ab Eccleſia poſſeſſis & acquiſitis.Nunc de acquirendis.

QVÆRO ergo VIGESIMOSEPTIMO, an Paulina & alia iura procedant non ſolùm in iam acquiſitis, ſed etiam in acquirendis; nempe vt non poſſint alienari, aut non aliter quàm cum cauſa & ſolemnitate. 33. *De Paulina & aliis.*

RESPONDEO,& DICO PRIMO, acquirenda quæ ipſo iure tranſeunt ad Eccleſiam, hac prohibitione de non alienando continentur.colligitur ex *l. fin. C. de ſacroſanctis Eccleſ.* Ancharanus *cap. vt ſuprà. de rebus alienand. & cap.* 1. *eodem in* 6. Alex. *l. legatum. ff. de legat.* 1. Lambertin. *de iure patronat. lib.* 3. *art.* 9. *q.* 2. *in princip.* Ripa *l.ſi vnquam. quaſt.* 11. *C. de reuoc. donat.* Molin. *diſput.* 465. 468. qui omnes generaliter docent prohibitum alienare, intelligi non ſolùm de iam acquiſitis, ſed etiam de acquirendis. Si obiicias Federicum de Senis, Lap. Abb. Gemin. Francum, Socin. Rebuff. Syluest. Armil. Iaſon. Felin. & alios quos refert Quarant. *num.* 23. contrarium ſentire: Reſpondeo non loqui eos de reb. acquir.quæ tranſeunt ipſo iure ad Eccleſiam, ſed de aliis incertis, & alio modo prouenientibus. in his enim poteſt Rector cedere vel non acquirere; cùm requiratur voluntas ipſius acceptantis, nec fiant Eccleſiæ ſolo iure. Sed ex hoc

QVÆRO VIGESIMOOCTAVO, quæ ſint acquirenda ipſo iure ad Eccleſiā tranſeūtia. 34. *De adquirendis ipſo iure ad Eccleſiam tranſeūtibus.*

RESPONDEO, illa, quæ nullo actu Rectoris acceptantis aut admittentis, ad Eccleſiā ipſo iure facta aliqua ſuppoſitione perueniunt. Ex quo fit primò non poſſe à Prælato repudiari legatum mortuo teſtatore. ratio eſt, quia eo mortuo legata ipſo iure fiunt legatarij, licèt ab ipſo non apprehendantur. *l. huiuſmodi.* §. *Stichum. ff. de leg.* 1. *l.à Titio. ff. de furtis. l. Sempronius Attalus. ff. de vſufruct. legato.* gloſ. *l.*1. §.1. *C. de caduc. tollendis.* & pluribus probat Gugliel. de Benedictis *c. Rainaldus.* §.*ſi abſque liberis.* 2. *num.*150. Sed quæ ipſo iure fiunt Eccleſiæ,ab eius Rectore alienari non poſſunt. ergo nec iſta legata repudiari. qua in re inconſequenter loqui videtur Quar. cùm enim *n.* 23. docuiſſet Prælatum non poſſe alienare acquirenda quæ ipſo iure fiunt Eccleſiæ; poſtmodum *num.* 43. dicit poſſe repudiari legatum,ſi nondum ſit incorporatum. neque enim incorporatio facit,vt non poſſit quid alienari; ſed dominium acquiſitum, aut ipſo iure acquirendum.

Dices,Prælatus poteſt præiudicare Eccleſiæ in acquirendis. Iaſon *l. Seius. n.* 2. *C. de pactis. l. legatum. ff. de legat.* 1. Reſpondeo ſi hæc ipſo iure, ſuppoſitione aliqua facta, tranſeunt ad Eccleſiam,nego; ſi non,concedo.Ex quo

Secundò fit poſſe Prælatum oblatā pecuniam ingentem aut aliquid aliud repudiare. & hoc ex contraria cauſa. nam cur non poſſit illa acquirenda repudiare, eſt quia tranſeunt ipſo iure. ergo hæc & ſimilia quæ ipſo iure non tranſeunt, ſed indigent interuentu voluntatis Prælati acceptantis, poterunt alienari. Quod intellige cum duplici declaratione. Primò vt illa repudiando non incurrant pœnas Extrauagantis;

Digitized by Google

gantis; nec propriè contra illam faciat. Secundò quòd tamen ſi irrationabiliter repudiet, peccet grauiter, & damnum teneatur reſarcire. Abb. *cap. ad præſen. de pignoribus.* Francus *cap. 1. de reb. alienand. in 6.* Syluest. *v. Canonicus. 1. num. 12.* Rebuff. *in comp. num. 31.* Redoan. *q. 2. & 3. num. 60. q. 22. num. 52. q. 76. numer. 31.* Eodem pacto licèt poſſit debitor repudiare legatum in fraudem creditorum, ita vt non poſſit ob id conueniri in foro exteriori, tenetur tamen in foro conſcientiæ non repudiare ſi commodè poteſt. vt bene Petrus Nauarr. *de reſt. lib. 3. c. 1. num. 13.* Couarr. *cap. Rainaldus. §. 5. de teſt.* Bald. *l. maximum vitium. num. 11. C. de liberis præt.* Ang. *v. excommunicatio. 1. n. 20.*

Fit tertiò poſſe tamen Prælatum mortuo teſtatore hæreditatē repudiare, licèt non legatum; quia hæreditas non tranſit ipſo iure ad hæredē, ſed præuia illius acceptatione; propter pericula quæ in illa adeunda poſſunt interuenire. & in hoc admittendus eſt Feder. de Senis *conſ. 9.* Abb. *cap. tua nos,* & alij cum Quar. *n. 23. 41.* quatenus vniuersè dicunt remiſſionem non eſſe alienationem. ex *l. alienationis. ff. de verbor. ſignif.* intelligitur enim id de remiſſione eius, quod vt noſtrum fiat indiget acceptatione noſtra; qualis eſt hæreditas. Sed tunc

35. QVÆRO VIGESIMONONO, an poſſit hæreditatem cedere in fauorem alterius.

Hæreditas an cedi poſſit in fauorem alterius.

RESPONDEO, ſi is ſit ad quem hæreditas ſpectat, poſito quòd ab Eccleſia non acceptetur, poteſt, quia talis ceſſio in fraudem, eſt pura repudiatio. Rota *diuerſ. deciſ. 233. n. 6. p. 3. deciſ. 284. n. 9.* Puteus *deciſ. 519. lib. 2.* Si verò ea ceſſio ſit in fauorem extranei ad quem hæreditas non perueniret, ſed per Eccleſiā ſuā iura cedentem deueniat, puto non poſſe. quia talis ceſſio non poteſt eſſe ſine aditione hæreditatis & cōſecutione dominij. poſito autem quòd hæreditas iam ſit Eccleſiæ acquiſita, non poteſt alienari vllo modo. quia licèt in acquirendis ſit aliqua diuerſitas opinionum; nulla tamen opinio eſt quæ exiſtimet in iam acquiſitis poſſe Prælatum Eccleſiæ præiudicare. vide Riminal. *conſ. 315. n. 15. vol. 2.* Aluar. Velaſ. *deciſ. Luſit. 77. tom. 1.* Quar. *n. 23. & 43.* Aliqui tamen cenſent aditionem illam hæreditatis & conſecutionem dominij momentaneam quæ præintelligitur neceſſariò ceſſioni, cenſeri nudam repudiationem, cùm ſit ordinata ad illam & propter illam. verior tamen & communior opinio eſt quam retuli, de qua Caputaquenſis *deciſ. 359. p. 9.* iura enim & Paulina abſolutè prohibent iam acquiſita alienari. & quòd diutius in acquiſitione & dominio talis hæreditatis Eccleſię non perſeueret, ex voluntate Prælati eſt, quē prohibet conſtitutio alienare.

36. QVÆRO TRIGESIMO, an bona in emphyteuſim dari ſolita poſſint ſine ſolemnitate iterum concedi.

Bona in emphyteuſim dari ſolita an ſine ſolemnitate concedi poſſint denuò.

RESPONDEO & DICO PRIMO, certum eſſe non poſſe bona Eccleſiæ ſine cauſa & forma requiſita in emphyteuſim tradi. res eſt certa. Primò, quia emphyteuſis eſt alienatio largè accepta *l. vlt. C. de reb. alien. non alien.* Secundò, quia prohibetur locatio ad longum tempus; ergo multo magis emphyteuſis. Tertiò, quia ſignatè Paulina illā prohibet. Vide Mol. *diſp. 470.*

37. DICO SECVNDO, rem conſuetam tradi in emphyteuſim antequam incorporetur & fiat de menſa, tradi iterum in emphyteuſim, aut etiam eodem modo in feudum poſſe abſque ſolemnitate, modò ſufficiens cauſa adſit, vt habetur in Paulina quæ hoc concedit. modò ſit cum euidenti Eccleſiæ vtilitate, hoc eſt, abſque ambiguitate aliqua iudicetur Eccleſiæ expedire. Iulius Clarus *q. 6. & 13.* Greg. Lopez *lib. 5. tit. 26. p. 4.* Couar. *var. c. 17.* vide Mol. *diſp. 648. concl. 8.*

DICO TERTIO, res ſemel tantùm tradita in emphyteuſim aut feudum, eo ipſo dicitur cōſueta tradi. Iul. Clarus §. *feudum. q. 13. n. 4.* Lopez & Molin. *loc. cit.* quod intellige dummodo traditam conſtet aut præſumatur cum debita cauſa & ſolemnitate. 38.

DICO QVARTO, bona dicuntur de menſa talis Eccleſiæ vel Monaſterij, eo ipſo quòd inſeruiunt ſuſtentationi eorum, qui de tali Eccleſia aut monaſterio ſunt, atque etiam vtilitatibus & ſuſtentationi pauperum concurrentium. Panorm. Innoc. gloſſa, alij cum Molina *diſp. 468. n. vlt.* Aliqui requirunt vt ea bona ſint iam catalogo adſcripta illorum bonorum, ex quibus de monaſterio vel Eccleſia viuentes ſuſtinentur: videtur tamen ſufficere ſi tantummodo ad illam ſuſtentationem ſint vſurpata; vt de menſa Eccleſiæ Epiſcopi vel Abbatis dici poſſint, vt colligitur in Rot. *Clem. vnica. de exceſſibus Prælatorum. v. ad menſam.* Panorm. *c. ſuper. de rebus Eccleſ. alien. n. 9.* Et hæc de iis quæ nomine rerum & bonorum Eccleſiæ intelliguntur. 39.

CAPVT V.

Quid requiratur ad iuſtam & validam rei Eccleſiaſticæ alienationem.

EX dictis ſatis conſtat ad validitatem cuiuſcumque alienationis rei Eccleſiæ, largè ſumpto nomine alienationis, prout ſpecies omnes hactenus explicatas complectitur, duo requiri, cauſam iuſtam, & certam formam ſolemnitatis, ita vt ſi alterum ex his deſit, alienatio nulla ſit. Abb. Socinus, Decius cum Couarr. *lib. 2. variar. cap. 17.* Redoan. latè *q. 36. n. 17. q. 51. n. 21.* Maſcar. *concluſ. 75.* Molina *de contract. diſp. 468.* Sarmient. *de redit. p. 1. cap. 2.* vbi præter alios fusè admodum & eruditè Vaſquez *de redit. in fine.* Azor *lib. 9. cap. 1.* Io. Franciſc. Leonis *in theſauro fori Eccleſiaſtici p. 1. cap. 15.* Bened. Canoſ. Aluarotus, Alex. Stiaticus *in expoſitione Paulinæ,* latè Nauar. *de ſpoliis. §. 2.* hæc ergo duo & quæcumque ad illa ſpectant, ſeorſim hîc explicabimus à cauſa exorſi.

De cauſa requiſita in alienatione. §. 1.

QVÆRO PRIMO, quot ſint cauſæ, quarum quælibet ſufficit & ad minimum requiritur in alienatione Eccleſiaſtica. 1.

Quæ cauſæ requirantur in alienatione Eccleſiaſtica.

RESPONDEO, quatuor recenſeri, neceſſitatis, vtilitatis, incōmoditatis & pietatis. gloſ. ſumma 12. q. 2. Abb. *c. nulli. de rebus Eccleſ.* Syluest. *Alienatio, num. 2.* Rebuff. *compend. num. 9.* latiſſimè Redoan. *q. 19. 20. 21. 23. 51.* Vaſquez *de redit. cap. 2. §. 2. dub. 9.* Couar. *lib. 2. cap. 16. & 17.* Sed verè omnes cauſæ ad duas reducuntur, vtilitatis nempe, & pietatis. nam quicquid ob neceſſitatem fit, mali vitandi & incōmoditatis arcendæ, ad cauſam vtilitatis reducitur: & quicquid ob neceſſitatē officij colendi fit, ad cauſam pietatis, vt bene aduertit Mol. *diſp. 468.*

QVÆRO SECVNDO, qualis & quotu- 2.

Neceſſitas qualis & quotuplex ſit.

quotuplex ſit neceſſitas, quæ iuſtam cauſam præbet alienandi.

RESPONDEO, neceſſarium duplex eſt, vel ad officium tuendum, vel ad proprium eſſe ſuſtentandum. Ex primo capite oritur primò neceſſitas debiti ſoluendi ſi ſit ab Eccleſia contractum. ſi enim aliunde non poteſt ſoluere quàm alienando, & ſoluere ex altera parte tenetur, profectò iuſta neceſſitas eſt alienandi. Ex ſecundo capite oritur alia neceſſitas Eccleſiæ reparandæ, fundi inſtaurandi, domus ſuffulciendæ. quibus labentibus ſi aliter ſuccurri non poteſt, quàm aliquid ex Eccleſiæ bonis alienando, ſine dubio talis neceſſitas erit ſecundi generis: nempe ad ſuſtentandum, cùm niſi prouideatur, periculum ſit ne deſtruatur Eccleſia. & hæ duæ cauſæ per ſe patentes, vlteriori examinatione non egent. vide DD. citatos, præſertim Abbatem *cap. finali, numer.* 8. *de Eccleſ. ædif.* Zabar. *Clem.* 2. *quæſt.* 2. *de relig. domibus.* Rebuff. *compend. numer.* 35. Redoan. *quæſt.* 13. Canoſil. *in repetit. Paulina num.* 85.

3\. *Vtilitas qualis ſit, & quotuplex.*

QVÆRO TERTIO, qualis & quotuplex vtilitas requiratur in iuſta alienatione.

RESPONDEO, in vniuerſum requiritur, vt ex ea alienatione conditio Eccleſiæ melior fiat, & ipſa locupletetur. Feder. Senenſis *conſil.* 249. *numer.* 2. Rebuff. *in compend. alienat. numer.* 72. Rota Roman. *deciſ.* 75. *numer.* 4. *&* 23. *volum.* 2. Iaſon, Antoninus, alij apud Quarantam *num.* 3. Ex hoc fit primò cauſam iuſtæ vtilitatis eſſe, cùm ſolum ſterile & inutile alienatur locando, tradendo in emphyteuſim, vendendo, permutando, &c. Secundò, cùm res vtilis in vtiliorem permutatur. Tertiò, ſi res nociua propter expenſas, cuſtodiam, reparationem, in pretium conuertitur. quæ omnia per ſe patent, & latiùs exponuntur à DD. citatis, quibus adde Azor. *quæſt.* 8. *cap.* 2. Vaſq. *de red. c.* 2. §. 2. Guid. Papæ *quæſt.* 156. 158.

4\. *An vtilitas Eccleſiæ ſemper reſpicienda.*

QVÆRO QVARTO, an in alienatione maior ſemper vtilitas Eccleſiæ reſpicienda ſit; ita vt ſi aliter fiat, contra vtilitatem peccetur, & ex hac parte claudicet contractus.

Quidam affirmant. ex quo deducunt, qui vendit rem Eccleſiaſticam, teneri dare illam plus offerenti; licèt quod offert Caius Eccleſiam reddat locupletiorem, quàm eſſet re non vendita.

Sed dicendum eſt ſufficere (quantum quidem ſpectat ad iura circa alienationem, & illorum pœnas non incurrendas) ſi vtilitas Eccleſiæ interueniat, licèt non ſit maior alia quacumque vtilitate quæ haberi poſſet. ratio eſt, quia, vt dicebamus capite ſuperiori, poteſt Prælatus præiudicare Eccleſiæ in acquirendis. quæ ipſo iure non tranſeunt ad Eccleſiam. eſto ergo quòd Titius velit dare centum, & Caius nonaginta, poteſt eligere Caium cui vendat, omiſſo Titio: dummodo ex pretio Titij reddatur Eccleſia locupletior; quia licèt hoc ſit aliquod illius præiudicium, non tamen eſt in iam acquiſitis, aut ipſo iure ab Eccleſia acquirendis, in quibus tãtum non poteſt Prælatus Eccleſiæ præiudicare. ita Vinc. Carroc. *deciſ.* 99. quem ſequitur Quar. *v. alienatio. n.* 12. *in fin.*

Concludo ergo hinc iuſtam vtilitatis cauſam cenſeri, ſi in alienatione fiat Eccleſia locupletior quàm antea erat: non verò ſi fiat locupletior quàm poſſit eſſe, ex iis quæ habet Cald. *conſil.* 5. *de rer. permut.* Ruina *conſil.* 35. *num.* 35. *lib.* 1. Iaſon *conſ.* 14. *n.* 20. *vol.* 1.

5\. *Cauſa pietatis qualis & quotuplex ſit.*

QVÆRO QVINTO de cauſa pietatis, qualis ea & quotuplex ſit,

RESPONDEO, quicquid fit ſtudio religionis fouendæ, propagandæ, ornandæ, aut paupertatis ſubleuandæ, ad cauſam iuſtam pietatis pertinere. Porrò ad paupertatem ſubleuandam ſpectat etiam redemptio captiuorum. de quibus habentur aurea iura, *c. aurum, & c. gloria Epiſcopi,* 12. *q.* 2. vbi cauſa hæc pietatis diſtinguitur in ædificationem templi, cœmeterij ampliationem, alimoniam pauperum, captiuorum redemptionem. de quibus Feder. Senenſ. *conſ.* 224. *n.* 5. gl. *d. c. & c. ſacrorum.* Redoan. *q.* 11. 12. 13. 19. 20. 21. Theſaurus fori Eccleſiaſtici *parte* 1. *c.* 15. *n.* 10.

De forma alienationis. §. 2.

6\. *Solemnitas ex iure antiquo.*

QVÆRO PRIMO, quæ ſolemnitas ex iure antiquo in alienatione requiratur.

RESPONDEO, legitima ſolemnitas à canonibus in alienatione præſcripta quatuor continet, auctoritatem Prælati, tractatum cum cõuocandis, conſenſum capituli, & ſubſcriptionem ſingulorum. de quibus Abb. *c.* 1. *c. tua. de iis quæ fiunt à prælat.* Quar. *v. alienatio. n.* 3. 4. Rebuff. *comp. n.* 9. fusè Redoan. *à q.* 24. *ad* 48, Molin. *diſp.* 468.

7\. *Ex iure nouo.*

QVÆRO SECVNDO, quæ ſolemnitas præterea in alienatione ex nouo iure Pontificio requiratur.

RESPONDEO auctoritatem, & aſſenſum ſedis Apoſtolicæ requiri, vt conſtat ex Paulina *Ambitioſæ*, & iis quæ latè ſuprà tradidimus *c.* 1. cùm de hac Extrau. ageremus. qua de re Caiet. *v. excõmunicatio. c.* 75. Leon. in theſaur. fori Eccleſiaſt. *part.* 1. *c.* 15. *n.* 54. & deinceps. Quar. *n.* 5. Sed tunc

8\. *An præter alia etiam requiratur conſenſus ſedis Apoſtolicæ.*

QVÆRO TERTIO, an ſi alia omnia ſeruãda ex antiquo iure, ſeruata fuerint, nihilominus etiam conſenſus ſedis Apoſtolicę requiratur. Redoan. videtur exiſtimare, vbi ſeruata alia omnia fuerint, tã quoad cauſas, quàm quoad ſolemnitates à iure antiquo requiſitas, aſſenſum ſedis Apoſtolicę non requiri. ita ille *q.* 36. *&* 42. & de eo etiã atteſtatur Quar. *d. n.* 5. Sed veriſſima ſententia eſt, iure nouo Pontificio pręter dictas ſolẽnitates quę ex antiquo iure requiruntur, omnino etiam opus eſſe Pontificis auctoritate, vt clarè conſtat ex tenore Paulinę & praxi Roman. Curię, fuſéque docet Nau. *de alien. n.* 14. *verſ.* 2. Leon. theſ. *c.* 15. *part.* 1. *n.* 57. Quar. *v. alienat. n.* 5.

9\. *Aſſenſus Apoſtolicus an ſufficiat ſolus.*

QVÆRO QVARTO, an aſſenſus Apoſtolicus ſolus ſufficiat ſine alia ſolemnitate.

RESPONDEO, ſi ſit abſolutus, ſine dubio ſufficit. vnde in hac materia recepta DD. concluſio eſt, quòd ſcientia obtenta à Sum. Pont. alienãdi res Eccleſiæ operatur, vt aliæ ſolẽnitates nõ requirãtur. Dices, plures DD. docent tãtùm ſupplere conſenſum Prælati, non verò alias ſolemnitates, vt tractatum & conſenſum Capituli, vt Abbas *conſ.* 41. *part.* 1. Decius *conſ.* 142. Rebuff. *comp. numer.* 15. 76. Capycius *deciſ.* 16. Pariſius *conſil.* 24. *lib.* 2. Redoan. *quæſt.* 38. *&* 43. Reſpondeo loqui illos DD. de conſenſu Apoſtolico non abſoluto, ſed reſtricto. tunc enim tantum operatur quantum extenditur. & regu

regu

Digitized by Google

regulariter ad aſſenſum Prælati limitatur. Cæterùm ſi amplus & abſolutus eſt, quin omnia ſuppleat, dubitari non poteſt, cùm omnia bona Eccleſiæ ſubſint arbitrio Sedis Apoſtolicæ, vt Dec. *d. conſ.* 142. Ruina *conſ.* 157. *n.* 4. *&* 11. Ferretus *conſ.* 249. *n.* 11. *vol.* 2.

10. *Quid præter conceſſionem Sedis Apoſtolicæ requiratur amplius.* QVRÆO QVINTO, quid requiratur vt habita conceſſione Sedis Apoſtolicæ alienatio valida ſit.

Respondeo, requiri vt ſeruetur forma conceſſionis. ad quod aduertendum primò, Breuia omnia, quibus talis aſſenſus & conceſſio præbetur à Romana Sede, expediri cum clauſula, *ſi in euidentem vtilitatem.* ex quo tales litteræ ſolent ſimpliciter in Curia appellari, *ſi in euidentem.* Secundò ſolet aliquando in illis litteris certo Commiſſario cauſa committi, qui debeat aſſenſum præſtare alienationi. Tertiò huic Commiſſario ſolet imponi diſpoſitio & inſpectio vtilitatis Eccleſiæ; an ſcilicet interueniat in alienatione quæ intenditur. tali ergo forma ſi litteræ, *ſi in euidentem*, ſint expeditæ, vt alienatio valida ſit oportet ad vnguem ea omnia ſeruari. Quare

11. *Auctoritatis nomine quid veniat, & cuius auctoritas requiratur in alienatione.* QVÆRO SEXTO, quid intelligatur nomine auctoritatis, , & cuius auctoritas in alienatione requiratur.

Respondeo, & dico primo, nomine auctoritatis intelligitur conſenſus maioris ad aliquid efficiendum, ſiue, vt notat gloſ. *cap.* 1. *de rebus Eccleſiæ non alienand. in* 6. conſenſus eius qui ex munere publico præeſt. quidquid enim illius conſenſu fit, de auctoritate fieri dicitur: non ſic cùm quid fit de conſenſu priuati, aut non præſidentis. Panorm. *c.* 1. *de his quæ fiunt à Prælato.*

12. Dico secvndo, in materia alienationis auctoritas, ſiue conſenſus, non debet eſſe illius Rectoris, qui immediatè rem alienat; ſed ſuperioris illius. itaque ſi alienat Parochus, debet interuenire conſenſus Epiſcopi; ſi Epiſcopus, conſenſus Primatis. in regularibus verò ſi alienat ſuperior localis, requiritur conſenſus Prouincialis, & reſpectu Prouincialis requiritur conſenſus Generalis. cùm autem alienant exempti, tunc etiam iure requiritur conſenſus Sedis Apoſtolicæ, cui ſunt exempti immediatè ſubditi. Molin. *diſput.* 468. *concluſ.* 3. *quæſt.* 5. Nauarr. *conſil.* 8. *de alienat.* Quar. *n.* 5.

13. *De tractatu quis quorúmque requiratur.* QVÆRO SEPTIMO, qualis & quorum tractatus requiratur.

Respondeo, tractatum eſſe inſtituendum ad examinandas cauſas alienationis. ad eum autem conuocandos eos quorum intereſt, vt in Eccleſia capitulari, Canonicos in Monaſterio, Monachos de conuentu; vt conſtat ex *cap. ſine exceptione.* 12. *quæſt.* 2. *cap. cum Apoſtolica, c. tua. de his quæ fiunt à Prælato, cap. vt ſuper. §. poſſeſſiones. de rebus Eccleſiæ non alienand.* Panorm. *cap.* 1. *de his quæ fiunt à Prælato.* Molin. *loc. citat.* Ex his fit primò alienationes in terris vbi Paulina non eſt vſu recepta nullas eſſe, niſi talis tractatus & conſenſus interueniat. Fit ſecundò cùm Papa præbet abſolutum aſſenſum, talem ſolemnitatem non requiri. Tertiò fit cùm Papa præbet aſſenſum dūmodo ſeruentur de iure ſeruanda, talem tractatum in alienatione requiri, & ſine eo nullū eſſe. Quartò denique fit in religionibus quæ per Capitula non gubernātur (qualis eſt noſtra Societas) requiri tractatum & conſenſum, iuxta conſtitutiones & modum agendi cuiuſque religionis; qui in noſtra Societate eſt, vt tractatus inſtituatur cum conſultoribus, & informatio, deinde mittatur ad Præpoſitum Generalem, vt obſeruat Molin. *diſp.* 468. *concl.* 4. Vaſquez *dub.* 12. §. 2. *c.* 2. *de redit.* & habetur in compendio priuilegiorum Societatis. §. 2. *&* 4. Hæc autem omnia limitanda ſunt iuxta cuiuſque Eccleſiæ ſiue ſæcularis, ſiue regularis priuilegia, vt per ſe patet, & docet Turrecremata *c.* 1. 12. *q.* 2.

QVÆRO OCTAVO, quæ ſit cenſenda euidens vtilitas, & reſpectu cuius temporis æſtimanda. 14. *Euidens vtilitas quæ.*

Respondeo, & dico primo, euidentem vtilitatem eſſe, quando nullum dubium remanet quin magis conducat Eccleſiæ alienare quàm non alienare. *c. ſine exceptione.* 12. *q.* 2. *c. tua nuper. de his quæ fiunt à Prælato.* Redoan. *quæſt.* 20. *num.* 81. Rebuff. *num.* 97. *&* 98. Ex quo fit primò, quoties vtrinque ſunt rationes, ſemper requiri tractatum & conſultationem. Secundò fit nunquam fermè euidentem vtilitatem in inciſione arborum frondoſarum interuenire, quando præſertim ſunt in prædiis ſuburbanis; quin requiratur tractatus ad illam vtilitatem enucleandam. ratio eſt, quia ſemper poteſt eſſe dubium an prædium ſit pretioſius cum illa opacitate arboris frondoſæ, quàm ſine illa. vnde nunquam fermè ante tractatum poteſt hæc euidens vtilitas apparere in huiuſmodi inciſione.

Dico secvndo, ad hanc vtilitatem ſtatuendam attendendū eſſe tempus contractus ſiue cuiuſcumque alienationis; non anterius, vel poſterius. eſto enim quòd poſt duos vel tres annos hæc alienatio fortaſſe non ſit ita vtilis futura: ſi tamen nunc cùm fit alienatio euidenter vtilis eſt, ſufficit ad præceptum conſtitutionis implendum. Rebuff. *conſil.* 111. *numer.* 8. *conſ.* 112. *numer.* 13. quod tamen declarationem & limitationem recipit, niſi tempus contractus in ſolito aliquo caſu calamitoſum ſit peſtis, famis, belli, &c. nam in eo caſu oporteret attendere vtilitatem Eccleſiæ non reſpectu præſentis temporis vrgente aliqua ex illis calamitatibus, ſed prout erit & ſolet eſſe ſine illis accidentibus. quod bene obſeruat Menoch. *de arbitr. lib.* 2. *caſu* 172. DD. de Rota *deciſ.* 63. illud enim tempus non habens cauſam fixam, ſed incertam, & breui duraturam, non attenditur. Caualcan. *deciſ.* 45. *n.* 53. *deciſ.* 46. *n.* 26. *p.* 1.

QVÆRO NONO, an decretum Commiſſarij, qui conſenſum præſtare debet alienationi, faciat eo ipſo præſumptionem pro vtilitate Eccleſiæ. 15. *Decretum Commiſſarij.*

Respondeo facere. Abbas *conſil.* 41. *p.* 1. Decius *conſil.* 341. Maſcar. *de probat. concluſ.* 488. Quare ſi poſt celebratum contractum velit Eccleſia illum reſcindere tanquam læſa, non poteſt niſi euidenter conſtet de læſione, cuius probatio ad illam incumbet. ea autem probata reſtituitur in integrum, non obſtante interpoſitione decreti, & aſſenſus Commiſſarij. *cap. ad noſtram. de rebus Eccleſiæ alienand.* vbi Abbas. *& cap.* 1. *de reſtit. in integrum. & d. cap. tua nuper.* Couarruuias *lib.* 2. *variarum, cap.* 17. *numer.* 2. Decius *conſil.* 141. Grammat. *deciſ.* 79. Redoanus *quæſtion.* 78. *cap.* 4. intellige tamen tunc eſſe præſumptionem pro vtilitate Eccleſiæ ex interpoſitione

Digitized by Google

aſſenſus Commiſſarij, ſi conſtat fuiſſe legitimè interpoſitum. hoc autem conſtat ſi appareat præceſſiſſe cauſæ cognitionem, præſertim vbi in cóceſſionibus Breuis Apoſtolici clauſulæ có-ditionales adeſſent hoc requirentes. tunc enim de diligenti perquiſitione & cauſæ cognitione clarè & liquidè conſtare deberet; nec ſufficeret ſola atteſtatio & relatio Commiſſariorum. Caualcan. *deciſ.* 45. *n.* 77. vbi formam præſcribit & perpendit Breuis *ſi in euidentem*, Commiſſario directi. *& deciſ.* 46. *numer.* 28. *p.* 1. Maſcar. *concluſ.* 1612. *numer.* 38. Anton. Maria de Canibus *conſil.* 47. poſt deciſ. Caualcan. *num.* 281. *&* Ruin. *conſ.* 68. *n.* 5. *lib.* 1.

Præſumitur autem præceſſiſſe cauſæ cognitio. Primò cùm debitum tempus interceſſit, nec decretum fuit præcipitatum. Octauius Simoncellus *in tractat. de decretis lib.* 3. *tit.* 7. *tract.* 3. *num.* 47. *de cenſib. loc. citat. numer.* 262. Alij apud Menochium *lib.* 2. *præſumpt.* 75. *numer.* 15. vbi agit an & quando decretum in alienatione bonorum Eccleſiæ legitimè interueniſſe præſumatur. Contrà verò ſi appareat de nimia feſtinatione, nihil maturè factum præſumitur, vt iidem tradunt. Secundò præſumitur præceſſiſſe, cùm Commiſſarius affirmat etiam extraiudicialiter & ſimpliciter; vbi tamen cauſa ipſius arbitrio & fidei in litteris Apoſtolicis permittitur. DD. de Rota *deciſ.* 716. *diuerſ. numer.* 4. *volum.* 1. Atque ex his intelligitur quando poſſit Eccleſia agere ad reſciſſionem contractus ex oppoſitione læſionis ſibi factæ, quando non, item quando incumbat ipſi probatio; quando item conſtet de euidenti vtilitate, & reſpectu cuius temporis ea ſit æſtimanda.

10. *Contractus ſub conditione conſenſus Apoſtolici.*

QVÆRO DECIMO, an valeat contractus alienationis ſub conditione aſſenſus Apoſtolici requirendi & impetrandi.

RESPONDEO, valere ex obligatione perſonali, non reali, quia tenentur mutuò contrahentes vel aſſenſum requirere, vel eo impetrato contractum celebrare. ac per illum nulla obligatio contrahitur in rem ipſam. quare aſſenſu impetrato de nouo contractus eſt celebrandus, quia quoties aliquid eſt de forma contractus, ſemper illud præcedere debet. Abb. *c. nulli. n.* 7. *de reb. Eccl.* Rebuff. *in comp. n.* 15. *&* 52. Afflictus *deciſ.* 355. Felin. *c. ſicut tuas. n.* 8. *de ſimon.* Iaſon *l. licet. C. de procuratoribus.* cùm ergo aſſenſus hic ſit de forma alienationis, vt vidimus, quandoquidem ſine illo actus nullus eſt, vt clare habetur in Paulina, debet præcedere. quare eo impetrato iterum iniri teſtatur Quar. *n.* 8. & ſic in ſua Curia practicari.

11. *Alienatio ſine aſſenſu Apoſtolico.*

QVÆRO VNDECIMO, an in aliquo caſu valeat alienatio ſine aſſenſu Apoſtolico.

RESPONDEO, communem ſententiã eſſe valere vrgente neceſſitate, quæ non permittat adiri ſuperiorem. Abb. *c. fin. n.* 8. *de Eccl. ædific.* Cardinalis Zab. *Clem.* 2. *q.* 11. *de relig. dom.* Rebuff. *in comp. n.* 35. Redoan. *q.* 13. *n.* 13. Canoſ. *in repet. Paulinæ.* Quar. *n.* 42. *limit.* 7. talis autem neceſſitas eſſet ſi captiui eſſent redimendi, & pauperes in graui neceſſitate paſcendi, vide Molin. *diſp.* 468. *verſ. Quartò dictum.*

12. *Conſenſus Apoſtolicus an ſuppleat cauſas requiſitas ex iure communi.*

QVÆRO DVODECIMO, an conſenſus Apoſtolicus ſicut ſupplet antiquas ſolennitates, ita etiam ſuppleat cauſas ex communi iure requiſitas.

RESPONDEO, nequaquam, quia ſemper expreſsè ſupponit interuenire in alienatione cauſam aliquam diſiunctiuè ex ſuprà memoratis, vt patet in Breui *ſi in euidentem*; vel ſi non exprimitur, tacitè ſubintelligitur ſemper requiri Eccleſiæ vtilitatem. Rota *diuerſ. deciſ.* 178. *n.* 2. *vol.* 1. Redoan. *q.* 22. *n.* 75. Vnde fit alienationem quácumque licèt interueniente aſſenſu Apoſtolico celebratam poſſe ſemper oppugnari ex defectu cauſæ, & opponi contra illam de læſione Eccleſiæ; niſi clare conſtet vtilitatem adfuiſſe tempore contractus, vt iidem docent cum Menochio, Ferreto, Decio, aliis apud Quar. *n.* 7. *v. inde elicitur.* Et hæc de forma in alienatione ſecunda tam ex parte cauſæ, quàm ſolemnitatis.

CAPVT VI.

De pœnis contra malè alienantes conſtitutis.

IN Paulina pœnæ malæ alienationis ſunt in duplici genere; quædam perſonales, quædam reales. Perſonales reſpiciunt contrahentes aliter quàm contrahendo alienantes; vt ædificia demolientes, arbores incidétes, &c. Reales, ipſum contractum. de vtriſque ſeorſim agemus; & primò de perſonalibus.

De pœnis perſonalibus malè alienantium & contrahentium. §. 1.

QVÆRO PRIMO, quas pœnas incurrant malè alienantes ex Paulina *Ambitioſæ.* 1. *Pœnæ alienantium ex Paulina Ambitioſæ.*

RESPONDEO, Epiſcopos & Abbates ipſo iure interdicti ſunt ab ingreſſu Eccleſiæ: & poſt ſex menſes ſi in eo perſeuerent, eo ipſo ſuſpenduntur à regimine & adminiſtratione. Secundò alij omnes inferiores tam alienantes, quàm recipientes cuiuſcumque dignitatis ſint excommunicantur. Tertiò beneficiarij ipſo facto priuantur beneficio cuius bona alienarunt. quæ omnia conſtant ex tenore Extrauag. vt bene obſeruat Quarant. *n.* 49. Leonis in theſauro *c.* 15. *p.* 1. *num.* 54.

QVÆRO SECVNDO, an malè alienantes alias pœnas incurrant ex Concil. Trid. & quæ illæ ſint. 2. *Ex Concilio Tridentino.*

RESPONDEO, Tridentinum *cap.* 11. *ſeſſ.* 22. anathemati & aliis pœnis eos ſubiicere qui bona quæcumque Eccleſiæ ſibi vſurpauerint. & clericos qui ad id conſenſum & adiumentum perhibuerint eidem cenſuræ ſupponere, & prætereà beneficiis priuare, & ad alia recipienda inhabilitare. quod Tridentini decretum, ſacra Congregatio Concilij extendit ad Clericos omnes malè alienantes, locando, permutando, &c. vt habetur in deciſ. eiuſdem Congregationis ſuper illo capite; de quibus teſtatur Leonis *in theſauro fori Eccleſiaſtici p.* 1. *num.* 53. Hinc fit, malè alienantes, quia eo ipſo conſentiunt, & auctores ſunt iniuſtæ vſurpationis rei Eccleſiæ, præter pœnas Paulinæ incurrere etiam pœnam excommunicationis, priuationis & inhabilitatis, vt probatur in eodem theſauro.

QVÆRO TERTIO, per quos poſſint abſolui. 3. *Per quos abſoluantur.*

RESPONDEO, & DICO PRIMO, excommunicationem Paulinæ non eſſe reſeruatam, ſed Epiſcopalem, ac proinde poſſe quemlibet ſupremum

Digitized by Google

mum Prælatum religionis ab illa abſoluere ſuos regulares,& Epiſcopum ſubditos ſuos. Nauar. *conſil.* 4. *&* 18. *de reb. alien.* Quaranta *numer.* 49.

Dico secvndo, excommunicationem Trident. eſſe Papalem, vt clarè ex verbis colligitur. quare ſi ea incurritur, vt vult illa deciſ. Congregationis, abſolutio erit reſeruata. Ceterùm an illa deciſio, de qua theſaurus fori Eccleſiaſtici atteſtatur, verè extet & in vſu ſit, mihi non conſtat. proinde ſtandum erit praxi Romanæ Curiæ, durum enim videtur eſſe, vt pœnæ impoſitæ adiuuantibus vſurpatores bonorum Eccleſiæ extendantur ad alienantes, cùm ij qui ex alienatione aliqua recipiunt, titulum coloratum habeant, nec nomine vſurpatoris intelligantur, niſi poſtquam admoniti, & poſt ſententiam non reſtituerint.

4. *Qui & quãdo pœnas illas incurrant.* QVÆRO QVARTO, à quibus & quando pœnæ iſtæ à malè alienantibus,& recipientibus incurrantur.

Respondeo & dico primo, qui aliquid alienant, deſtruunt, demoliuntur in beneficio Eccleſiaſtico tam regulari, quàm ſæculari, iure proprio illius adminiſtrationem habentes, tanquam illius beneficiarij & Prælati hac conſtitutione ligantur, iique ſoli pœnas incurrunt, vt tradit Cardinalis Zab. *Clem.* 1. *de reb. Eccleſ. non alien. quæſt.* 21. *numer.* 28. quem ſequitur Felin. *in tractat. quando conatus. numer.* 4. Ex quo fit regulares ſubditos, qui nullo iure adminiſtrationem habentes arbores incidunt, domos demoliuntur, aut etiam contractus alienationis celebrant, licèt aliunde peccent, pœnas tamen contra alienantes non incurrant. quod etiam intelligendum eſt de quibuſcumque aliis qui in bonis Eccleſiaſticis aliquid deſtruunt, aut de facto in alios alienant. iſti enim cùm id quod agunt non cum iure adminiſtrationis agant reſpectu eius rei quam alienant, pœnas impoſitas Prælatis & beneficiariis non incurrunt. Secundò fit Procuratores regulares, qui à Prælato auctoritate accepta adminiſtrandi malè in alios alienant, aut fundos immutant, domos demoliuntur, arbores incidunt non ſeruatis ſeruandis, Paulinæ pœnas incurrere, quia quod agunt, cum iure adminiſtrationis agunt illius rei quam malè alienant, vt colligitur ex eodem Cardinale *loc. cit.* & bene docet Ioan. Baptiſta Coſta *conſil. penult. de reb. alien.* vbi excuſat ab excommunicatione monachum, qui alienauerat poſtquam cellerariatus illius tempus effluxerat; quam incurſurum fuiſſe concedit, ſi cùm adhuc eſſet cellerarius alienationem illam feciſſet. Et hoc de his qui incurrunt. Quando autem incurratur,

5. Dico secvndo, in foro conſcientiæ tantùm incurruntur iſtæ pœnæ, cùm in fraude & dolo ſunt contrahentes mortaliter delinquendo in huiuſmodi alienatione & receptione. communis opinio, de qua Nauarr. *conſil.* 19. *de reb. Eccleſ. non alien.* Quaranta *numer.* 50. quæ probatur primò ex generali regula quòd cenſura, & aliæ pœnæ tam graues, quales ſunt excommunicationis, priuationis, inhabilitatis, non incurruntur niſi per peccatum mortale. Secundò, quia conſtitutio punit qui aliter facere præſumpſerint. ergo vbi non eſt præſumptio, nempe dolus, temeritas, arrogantia cum contemptu propriæ ſalutis & officij, pœnæ iſtæ non incurruntur, vt bene idem Nauarr. *comment. de alien. numer.* 16. *&* 17. Azor *capit.* 2. *libr.* 9. *quæſt.* 6. Ex quo fit primò, qui bona fide contrahunt, exiſtimantes ſe non errare, nullas pœnas incurrere in foro conſcientiæ, quia bona fides excludit præſumptionem, quæ ſemper eſt cum dolo & temeritate. Nauar. *numer.* 16. Quaranta *numer.* 50. Secundò fit, qui verſantur in ignorantia facti, etſi ſint perſonæ non ita peritæ in ignorantia iuris non incurrere, quia ſunt in bona fide. Nauarr. Azor, Ioan. Baptiſta Coſta *d. conſil. penult. de reb. alien.* Tertiò fit non incurrere, qui licèt intelligant contra conſtitutionem ſe facere, putant tamen iuſtam ſe cauſam habere aliter faciendi; vel quia habent opinionem Doctoris pro ſe, vel quia putant conſuetudinem eſſe in contrarium. ratio eſt, quia vniuerſaliter quicumque facit contra legem humanam, putans habere iuſtam cauſam contra illam faciendi, non peccat mortaliter, vt bene Nauarr. *conſil.* 8. *de reb. alien. conſil.* 2. *de præſcriptionibus. comment. de rer. alien. numer.* 10. *&* 16. *in Manual. cap.* 23. *n.* 43.

QVÆRO QVINTO, an ad incurrendas pœnas huius conſtitutionis requiratur realis alienatio, vel ſufficiat attentatio per celebrationem inſtrumenti. 6. *Quid requiratur ad pœnas illas incurrendas.*

Respondeo requiri realem rei traditionem. colligitur ex *capit. ſi quis presbyterorum*, & *ibi* gloſſ. *in verſ. celeriter. de reb. Eccleſ. alien.* Iaſon *l. final. num.* 132. *C. de iure emphyteutico.* ratio eſt, quia regulariter pœnæ impoſitæ intelliguntur perficienti rem prohibitam; ſiue de actu perfecto, non inchoato, & attentato. Cùm ergo pœnæ iſtæ ſint impoſitæ præſumptuoſè alienantibus, alienatio intelligenda eſt cum effectu, nempe cum reali & pacifica traditione. Couar. *libr.* 2. *cap.* 16. *n.* 7. Nauarr. *conſil.* 18. & modò citati DD. qui docet eum qui peracto inſtrumẽto non procedit ad rei traditionem, nullas pœnas incurrere. Quod tamen intelligendum eſt, vt dixi, regulariter, niſi aliud exprimatur; quia, vt ſuprà vidimus, attentantes, conſulentes, & conſentientes in infeudationem locorum ſedis Apoſtolicæ ipſo facto excommunicantur, etiam effectu non ſecuto.

QVÆRO SEXTO, an pœna priuationis beneficiorum incurratur ipſo facto in conſcientia. 7. *De pœna priuationis beneficiorum.*

Respondeo probabilem opinionem eſſe, pœnas puras ipſo iure inductas non habere locum in foro conſcientiæ ante condemnationem. gloſſ. notab. *cap. fraternitas.* 12. *quæſt.* 2. quam declarat Felin. *cap.* 1. *numer.* 41. *verſicul. tertius caſus. de conſtit.* vbi Dec. *numer.* 72. Inſtabis in conſtitutione Paulina dici incurri, pœnas illas abſque alia declaratione. Reſpondeo id intelligi abſque declaratione pœnæ, non abſque ſententia declaratoria facti & criminis. Caietan. 2. 2. *quæſt.* 62. *articul.* 2. Anton. Gabriel. *libr.* 7. *comm. opin. concluſ.* 34. Couarruu. latè & eruditè *in Epit. decret. lib.* 4. *part.* 2. *de ſponſalib. c.* 6. §. 8. *n.* 10. Quare ante ſententiam iudicis declaratoriam criminis, non tenentur beneficiati abſtinere ſe à beneficiis, dignitatibus, & officiis. ita Henriquez *in ſumma lib.* 13. vbi de excomm.

Digitized by Google

c. 56. §. 3. in textu, & in gloſſ. litt. Q. & habetur ex *c. cùm ſecundum leges. de hæreticis in 6.* & per regulam generalem quam de hoc facit Ioá. Andr. *c.* 1. *n.* 10. *de homicid. in 6.* Gomez *reg. de annua poſſeſſ. q.* 52. Couar. *c. Alma mater. de ſent. excom. n.* 6. *part.* 1. §. 2. *n.* 9. Quar. *v. alien. n.* 49. *& v. beneficiorum reſignatio. verſic. rurſus quæro.* Hinc collige, cùm leges dicunt, *qui hoc fecerit ipſo iure priuamus, inhabilitamus,* &c. requiri ſententiam declaratoriam criminis, non declaratoriam iuris & priuationis beneficij. Soto *lib.* 1. *de iuſt. q.* 6. *art.* 6. *concl.* 3. Rota diuerſorum *deciſ.* 708. *part.* 3. *n.* 2. Achilles de Graſſis *deciſ.* 1. *n.* 5. ſub tit. *de pœnis.*

Dixi probabilem opinionem hanc eſſe, quia probabiliorem & tutiorem puto illam quæ aſſerit ipſo facto eſſe priuatos, abſque alia ſententia declaratoria, neque iuris, neque facti. ratio eſt, quia praxis ſacræ Pœnitentiariæ videtur contraria primæ opinioni; ſolet enim illa quotidie expedire Breuia habilitationis ad futura, & reualidationis ad iá obtenta beneficia, pro iis qui alienarunt cum effectu, ſaluo aſſenſu ſedis Apoſtolicæ, & nondum impetrato.

Dixi hanc eſſe probabiliorem, non omnino certiſſimam. quia praxis ſacræ Pœnitentiariæ, non ſolùm abſoluit, rehabilitat & conualidat, in caſibus omnino certis qui reualidatione indigent, ſed etiam in dubiis ad maiorem cautelam quatenus opus eſt ad conſcientias tranquillandas.

Dixi præterea, pœnas puras non incurri, quia quæ ſunt ſimul inhabilitationes, aut cenſuræ, aut cùm priuatio non eſt tantùm pœna, ſed modus appoſitus in conſecutione beneficij, ipſo facto ſine alia ſententia incurritur, vt ſunt excommunicationes, irregularitates, &c. Nauarr. *manu. cap.* 25. *numer.* 118. Et hæc de pœnis perſonalibus malè alienantium, & cum illis contrahentium.

De pœnis realibus ipſorum contractuum in mala alienatione.

§. 2.

Pœna contractus eſt ipſius extinctio, & annullatio. ideo hîc breuiter agemus quando huiuſmodi contractus in alienatione rerum Eccleſiaſticarum inualidi ſunt, & quæ inde obligatio conſurgat ſpectans ad conſcientiam malæ vel bonæ alienationis.

8. Q V Æ R O ergo P R I M O, quot modis alienationes rerum Eccleſiaſticarum illarúmque contractus inualidi reddantur.

Modi quibus alienationes rerum Eccleſiaſticarum redduntur inualida.

R E S P O N D E O, vt bonum ex integra cauſa, & malum ex ſingulis defectibus, ſic cuiuſlibet contractus validitas ex omnium concurſu eſt qui ad ipſum requiruntur; euerſio verò & nullitas ex cuiuſlibet illorum defectu. Diximus autem duo requiri ad validitatem alienationis, cauſam & ſolemnitatem, & cauſas disiunctiuè neceſſarias ad duo illa ſumma genera reduximus, pietatis, & vtilitatis: ſolemnitatem. autem quadruplici capite contineri docuimus ex iure communi, nempe auctoritate ſuperioris, tractatu Capituli, conſenſu conuocatorum, & eorum ſubſcriptione: quibus quintum caput iam adiungitur, conſenſus Apoſtolici, ex Extrauag. Paulina, ad quem conſenſum impetrandum tenentur Prælati, & Paſtores quilibet exempti.

Ex quibus omnibus fit, alienationem omnem inualidam eſſe, quçcumque dictarum ſolemnitatum, vel cauſç defectu laborat. quod per ſe clarum, & ex dictis ſatis probatum oſtendunt DD. citati, prçſertim Sarmiento *parte* 1. *cap.* 2. *de redit. Eccleſ.* Molin. *diſput.* 468. Afflictus *deciſ.* 107. Vincentius de Franchis *deciſ.* 35. Abb. Decius, Socin. cum Redoan. *q.* 51. Maſcar. *concluſ.* 75. & alij apud Couar. *lib.* 2. *c.* 17. *variarum.*

Q V Æ R O S E C V N D O, 9.
an, & quomodo deficiente cauſa, poſita tamen ſolemnitate requiſita, alienatio inualida ſit.

Inualiditas alienationis ex defectu cauſæ.

R E S P O N D E O inualidam eſſe. ratio eſt, quia inter ſolemnitates, præcipua eſt auctoritas Papæ, quæ alias omnes ſupplet, ſi adſit, & propterea omnes virtute continet: & tamen etiam cum conſenſu Apoſtolico alienatio nulla eſt, ſi appareat in ea defectus cauſæ, nempe vtilitatis, aut pietatis. Redoan. *quæſt.* 22. Rota diuerſ. *deciſ.* 178. *numer.* 2. *volum.* 2. qualis autem ſit hæc inualiditas, mox explicabitur.

Q V Æ R O T E R T I O, ad quid teneantur contrahentes, ſi contractus inualidus ſit, initus tamen ab iſtis bona fide. 10.

Contrahentes ad quid teneantur, ſi contractus ſit inualidus.

R E S P O N D E O & D I C O P R I M O, ſi res adhuc in integro ſit, nec adhuc ad rei traditionem peruentum eſt, tenentur vlteriùs non procedere, vel certè id quod deficit ſupplere.

D I C O S E C V N D O, ſi res iam tradita ſit, & alienatio laboret defectu cauſæ, tenentur in conſcientia damnum Eccleſiæ reparare. qui autem rem accepit cùm illam non poſſideat recto titulo, tenetur illam reſtituere. & hoc ſub pœnis quæ contra malè detinentes res Eccleſiaſticas ſtatutæ ſunt: niſi aliter ſibi prouideat per conſenſum eorum requiſitum quorum hoc intereſt.

D I C O T E R T I O, ſi contractus tantùm defectu ſolemnitatis laboret, adſit autem cauſa requiſita, ad nihil aliud in conſcientia tenentur contrahentes, præſertim cùm Eccleſia non ſolùm læſionem vllam paſſa non ſit, ſed etiam vtilitatem conſecuta. Si tamen alter ex contrahentibus velit contractum reſcindere, potior in eo erit cauſa Eccleſiæ quæ poterit alterum quidem cogere ad contractum reſcindendum, ipſa verò nequaquam; ſed ad ſummum tenebitur ipſa ſolemnitatem deficientem ſupplere & reponere. Vide VVameſium *conſil.* 283. 292. Molin. *diſput.* 468.

Q V Æ R O Q V A R T O, an 11.
alienatio inualida ex defectu cauſæ, vel ſolemnitatis, talis ſit, quia ipſo iure nulla, aut quia reſcindenda & annullanda.

Quomodo alienatio valida ſit ex defectu cauſa, vel ſolemnitatis.

R E S P O N D E O & D I C O P R I M O, ante Paulinam ſecundùm ius antiquum, alienatio inualida ex defectu cauſæ, poſita tamen ſolemnitate requiſita, talis erat, non quia ipſo iure nulla, ſed quia annullanda, & per reſtitutionem in integrum reſcindenda. ita Guido Papæ *deciſ.* 159. ex gloſſa, Innocent. Hoſtienſ. Cardinal. & Anton. de Butrio.

Dico

Digitized by Google

12. Dico secvndo, iuxta illud ius antiquum alienatio inualida ex defectu ſolemnitatis alicuius, modò cauſa ſubſiſteret, erat inualida, quia annullanda, & id non ad inſtantiam partis vtriuſque, ſed Eccleſiæ tantùm, ſi nollet contractui ſtare. Hoſtienſ. *capit. finali. ne ſede vacante.* idem Hoſtienſis *capit.* 1. 3. *Extrauagant. de his quæ fiunt à Prælato*, & *ibidem* Innocent. Butrius & Zabarel.

13. Dico tertio, poſt Paulinam vbi illa viget alienatio inualda ex defectu ſolemnitatis, nempe conſenſus Apoſtolici, nulla eſt ipſo iure: vt patet ex ſupradictis, & ex tenore conſtitutionis, & id etiamſi ſubſit cauſa ſufficiens alienandi. vbi verò inualida tantùm eſt alienatio ex defectu cauſæ; celebrata tamen de conſenſu Sedis Apoſtolicæ; tunc non videtur eſſe nulla ipſo iure, ſed annullanda. ratio eſt, quia Paulina, quoad cauſas in alienando requiſitas, nihil de nouo ſtatuit. quare circa illas antiquo iure ſtandum eſt, non ſic verò quoad ſolemnitatem, qua celebranda eſt alienatio; quia in illius defectu contractum annullat. & hæc de Alienatione.

TRACTA

Digitized by Google

TRACTATVS QVADRAGESIMVS QVINTVS

DE VITIO SIMONIÆ:

QVI EST QVARTA APPENDIX AD TRActatum de Beneficiis.

P*OST Beneficia, Penſiones, ſpolia clericorum, & alienationem rerum Eccleſiaſticarum, de Simoniæ vitio tractandum eſt, quòd potiſſimum in beneficiorum Collationibus, Præſentationibus, Permutationibus, & Reſignationibus habeat locum. Ad capita quatuor reuocamus cum Suarez* cap. 1. num. 15. *totam illius amplitudinem. Primò, ad genus vitij, in quo eius definitio, & diuiſio in ſimoniam intrinſecè malam, & malam quia prohibita, diſcutienda erit. Secundò, ad eius materiam, in quo diuiſiones ex parte materiæ declarandæ, vt quòd alia ſit in materia naturali, alia in ſupernaturali; alia in ſupernaturali per eſſentiam, vt eſt gratia & alia dona ſupernaturalia; alia in ſupernaturali per cauſam, vt Sacramenta, alia in ſupernaturali per effectum, vt ſunt actus Ordinis, iuriſdictionis, & huiuſmodi; alia in rebus ſpiritualibus ſimpliciter, vt ſunt prædicta; alia in rebus ſpiritualibus per connexionem, vt ſunt beneficia. Tertiò ad pretium, ſeu rem temporalem, quæ datur pro ſpirituali, ad quod pertinet diuiſio ſimoniæ in pretium à manu, à lingua, & ab obſequio. Quartò, ad actionem ipſam vendendi, ſeu commutandi, ad quam pertinet diuiſio in mentalem, conuentionalem & realem; alij item modi ad eam reducuntur, quibus paciſcendo, & contrahendo, committitur ſimonia.*

Hæc porrò capita quatuor, more noſtro in hæc alia magis ordinatè partimur. In primo enim explicabitur, quid & quotuplex ſit ſimonia, & de prima diuiſione. In ſecundo de ſecunda diuiſione in materia naturali & ſupernaturali, & de ſupernaturali per eſſentiam. In tertio de eadem diuiſione, materia ſcilicet ſupernaturali per cauſam. In quarto de eadem, in re ſupernaturali & ſpirituali per effectum. In quinto de eadem, in ſpirituali per annexionem, vt beneficiis. In ſexto, de ſimonia in Permutationibus. In ſeptimo, de ſimonia in Penſionibus, & Reſignationibus beneficiorum. In octauo, de tertia diuiſione ex parte pretij. In nono, de quarta diuiſione in mentalem, conuentionalem, & realem. In decimo, de cauſis excuſantibus, & de varijs modis pactionum & contractuum qui ſufficiunt ad ſimoniam. In vndecimo, de perſonis, & cauſa efficiente ſimoniæ. In duodecimo, de varijs pœnis ſimoniæ.

Tractant autem de ſimonia, Theologi quidem in 4. diſt. 25. *S. Thom.* 2. 2. quæſt. 100. *vbi Caietan. & alij DD. Sotus* lib. 9. iuſt. quæſt. 5. *& deinceps. Valentia* tom. 3. diſput. 6. quæſt. 16. *Leſſ.* lib. 2. de iuſt. cap. 35. *Azor* tom. 3. libr. 12. *Suar.* tom. 1. de relig. lib. 4. *Canoniſtæ verò in Titulis* de ſimon. *in Decretal. Sext. & Clem. & multis Decretis*, cauſa 1. per ſex primas qq.

Summiſtæ

Digitized by Google

Summiſtæ verb. Simonia. *Nauarr.* capit. 23. num. 99. *Tolet.* lib. 5. à capit. 84. *Victor.* in releѣt. de ſimon. *Scripſit etiam de ſimonia tractatum Ioan. Carraſa Neapol. vt habetur* tom. 15. Tractatuum, parte 2. *& de ſimonia mentali Redoan.* tom. eod.

CAPVT I.

Quid & quotuplex ſit ſimonia, & de prima eius diuiſione in ſimoniam de iure diuino, & humano.

HVIVS primi capitis materia his qq. exponetur. Primò quæremus, quid nominis de ſimonia. Secundò, quid rei. Tertiò, ſitne aliqua ſimonia iure diuino prohibita. Quartò, quo iure, diuino, naturali, an poſitiuo. Quintò, an in lege gratiæ ſit latum ſpeciale præceptum diuinum poſitiuum ſimoniam prohibens. Sextò, qualis malitia ſit, & an ſuo genere mortalis. Septimò, an eiuſmodi malitia ſit ita intrinſeca, vt diſpenſati in ea non poſſit. Octauò, an ſit in ſimonia malitia contra religionem. Nonò, an etiam contra iuſtitiam proximi. Decimò, an ſit vitium proprium legis gratiæ. Vndecimò, an in lege naturæ habuerit locum. Duodecimò, an detur aliqua ſimonia ſolo iure humano prohibita.

1. *Nominis ſignificatio.* PRIMO QVÆRO, quid nominis de ſimonia.

RESPONDEO & DICO PRIMO, ſignificari nomine ſimoniæ, vitium quod committitur vendendo, aut emendo, aut quocumque alio modo commutando rem ſacram, ſeu ſpiritualem pro temporali: hinc enim ſequitur indignè tractari tamquam prophana quædam, ideóque irreuerentiam exhiberi Deo, à quo ſanctitatem habent.

2. *A Simone Mago.* DICO SECVNDO, nomen ſimoniæ dictum eſſe à Simone Mago, ideóque omnes hoc vitio infecti, dicuntur à Chryſoſt. *homil.* 60. *ad Pop. Simones.* tribus autem de cau-

Retenta tribus de cauſis. ſis hæc nominis deductio retenta eſt. Prima, quia in nouo Teſtamento primus is legitur hoc crimine infectus, *Actor.* 8. Secunda, quia grauiſſimè peccauit hoc vitio, venalia faciens dona Spiritus ſancti, & ipſammet perſonam Spiritus ſancti. Tertia, quia ſenſiſſe pertinaciter videtur, idipſum licitum eſſe, ideóque hæreticus fuiſſe, vnde ſimoniaca hæreſis dicta à S. Gregor. *epiſtol.* 110. 113. *&* 114. plura teſtimonia habentur 1. *q.* 1. Quarta additur à Suar. *cap.* 1. *numer.* 4. quia id vitium in Simone primùm per Apoſtolos damnatum eſt, & veluti anathematizatum. Quinta, quia in Simone non ſolùm ipſum vitium damnatum eſt; ſed etiam radix eius quæ eſt auaritia, à qua plerumque ortum habet, &c.

3. *Definitio.* SECVNDO QVÆRO, quid ſit ſimonia.

RESPONDEO, ſolere eam ita definiri, ſimonia eſt ſtudioſa voluntas emendi, vel vendendi pretio temporali aliquid ſpirituale, vel adnexum ſpirituali. S. Thom. 4. *diſt.* 25. Sot. *lib.* 9. *quæſt.* 5. *art.* 1. & alij apud Suar. *n.* 9. ex gloſſ. *in cap. qui ſtudet.* 1. *quæſt.* 1. communiter recepta. Dicitur primò, *ſtudioſa voluntas,* hoc eſt, deliberata, ad excludendos animi motus indeliberatos, vel procedentes ex ignorantia inculpabili. *Voluntas* autẽ ponitur primò, vt appareat in ſola voluntate id vitium poſſe conſiſtere. Secundò, eſſe in voluntate tamquam in ſubiecto, ſicut eſt ipſa religio, contraria ſimoniæ. Tertiò, quia prima ſimonia in Eccleſia commiſſa, à qua hoc vitium nomen accepit, ſola ſtudioſa voluntate, & conatu commiſſa eſt. Victor. *in relect. de ſimonia. num.* 3. Dicitur ſecundò, *emendi, vel vendendi.* his enim verbis ſignificatur omnis contractus non gratuitus, ſiue ſit vera emptio, ſiue permutatio, ſiue locatio, ſiue contractus innominatus qui ad eos reducatur. Dicitur tertiò, *pretio temporali*, addita enim eſt eiuſmodi particula à DD. vt intelligatur non eſſe propriè ſimoniam, ſi ſpirituale detur pro ſpirituali, nam turpitudo huius vitij in eo poſita eſt, vt ſpirituale æſtimetur humano pretio, vel aliqua humana re pretio æſtimabili, vt eſt munus à manu, à lingua, ab obſequio. Dicitur quartò, *aliquid ſpirituale,* hoc eſt, omne donum, quod ſupernaturale cùm ſit, inſtitutum eſt ad ſalutem conſequendam. Hoc autem triplex eſt, primum ſpirituale per eſſentiam, vt gratia gratum faciens, bona Spiritus ſancti, virtutes ſupernaturales, & gratiæ gratis datæ. Secundum ſpirituale cauſaliter, vt Sacramenta, & officia Eccleſiaſtica relata ad hominum ſalutem. Tertium ſpirituale per effectum, ſiue effectiuè, vt actus ipſi gratiarum, ordinum, & officiorum Eccleſiaſticorum. Dicitur quintò, *vel adnexum ſpirituali.* hoc enim triplex etiam eſt. Primum adnexum antecedenter, vt ornamenta ſacra, vaſa, templa, ſacramentalia, &c. Secundum concomitanter, vt labor qui ſuſcipitur in adminiſtratione Sacramentorum, & officiorum Eccleſiaſticorum. Tertium conſequenter, vt ſunt beneficia Eccleſiaſtica, iuſpatronatus, penſiones, iura eligendi, præſentandi, nominandi, & his ſimilia. hæc enim omnia ſupponunt officium diuinum, cui adnectuntur.

Ex his patet expoſitio, eſt ſenſus alterius definitionis, quam ponit Suar. num. 7. *Simonia eſt* *Alia definitio.* *ſacrilegium, quod committitur in emptione, & venditione, ſeu in contractu quolibet, quo res ſpiritualis vt talis eſt pro temporali commutatur.* Re vera enim ſimonia ſpecies quædam eſt ſacrilegij, vtpote iniurioſa quædam contrectatio rei ſacræ, & per id genus diſtinguitur ab aliis vitiis oppoſitis religioni; per alias autem particulas diſtinguitur ab aliis ſpeciebus ſacrilegij, continent enim diuerſam rationem deformitatis in ordine ad rectam rationem; vnde etiam reſpectu confeſſionis diſtinctè exprimenda eſt, vt notat in particulari Suar. *loc. cit.*

Patet etiam, aliam particulam quam addunt aliqui Canoniſtæ, nimirum, *opere ſubſecuto,* reſtringere definitionem ad ſimoniam realem, quæ propriè ad forum externum pertinet, & eſt capax pœnarum; nos autem quia hîc agimus de ſimonia communi etiam notabili, & conuentionali, ideo illum omiſimus cum aliis DD.

TERTIO

Digitized by Google

4. TERTIO QVÆRO, ſitne aliqua ſimonia iure diuino prohibita.

Aliqua iure diuino prohibita.

RESPONDEO affirmatiuè; tum quia primò omnes ferè DD. admittunt diuiſionem ſimoniæ in eam quæ eſt contra ius diuinum, & eam quæ tantùm eſt contra Eccleſiaſticum, vt ex gloſſ. *in cap. cùm primum. de pact.* & Canoniſtis, & ex Theologis etiam docet Suar. *cap. 2. n. 1.* Tum quia ſecundò Simon Magus ſimoniam commiſit contra ius tantùm diuinum, non contra Eccleſiaſticum, quod tunc non erat; è contra permutare beneficia propria auctoritate, ſimonia eſt tantùm contra ius Eccleſiaſticum, quia Eccleſia id prohibuit, tamquam neceſſarium ad reuerentiam beneficij Eccleſiaſtici, non contra diuinum, vt infrà. Tum quia tertiò ſimonia, quà ſacrilegium eſt, admittit hanc diuiſionem, nam aliquod ſacrilegium poteſt eſſe, tum contra ius diuinum, vt fractio voti, omiſſio peccati mortalis in confeſſione & ſimilia, tum contra ius Eccleſiaſticum tantùm, vt agere ſeculare iudicium in loco ſacro; quà verò proprias habet differentias, non apparet vlla repugnantia. Denique id patebit ex dicendis infrà de ſimonia in Sacramentis, in beneficiis, in penſionibus, & aliis materiis, ſemper enim explicabitur quæ ſimonia committatur, iuris diuini, an humani Eccleſiaſtici, &c.

5. QVARTO QVÆRO, quo iure diuino talis ſimonia prohibita ſit, naturali, an poſitiuo.

Et quidem iure diuino naturali.

RESPONDEO & DICO PRIMO, ſimonia regulariter eſt contra ius diuinum naturale. S. Thom. *d. num. 1.* ibique Caiet. & alij DD. ex Suar. *cap. 2. numer. 6.* Probatur primò ex iis verbis Act. 8. *pecunia tua tecum ſit in perditionem, quia donum Dei exiſtimaſti pecunia poſſideri*; indicatur enim tum eſſe contemptum quemdam & vilipendium doni diuini, quòd cùm tantùm pendeat à Dei voluntate, per temporale pretium acquiri intendatur; tum grauem iniuriam inferri ipſimet Deo, quòd tractentur eius dona venali modo, quaſi ipſe inducendus ſit ad præſtanda bona per pecuniam: hæc autem omnia ſunt contra ius diuinum naturale. Secundò ratione, tum quia res ſpiritualis indignè tractatur, æſtimando eam proportionatam temporali pretio, & conſequenter tamquam rem vilem, & paruæ æſtimationis; tum quia vendit homo rem cuius non eſt dominus, nempe rem ſacram & ſpiritualē; quæ ſunt rationes S. Th. fuſiùs expoſitæ & defenſæ à Suar. *numer. 7.* & deinceps.

6. DICO SECVNDO, non dici eiuſmodi præceptum de iure diuino naturale, eo quòd dictetur per lumen naturale, ſed quia ratio lumine fidei edocta, naturaliter quodammodo dictat, dona ſupernaturalia, cuiuſmodi ſunt gratia, ſacramenta, diuina officia, & his ſimilia ſanctè eſſe tractanda, ideóque non deducenda in temporales contractus.

Cur dicatur tale.

7. DICO TERTIO beneficia etiam Eccleſiaſtica recenſeri poſſe inter res ſupernaturales ratione eius quod eſt in illis ſpirituale: ratione verò temporalis emolumenti, quomodo ſimonia circa illa commiſſa, iuris poſitiui dicenda ſit, dicetur infrà. Hinc patet quo modo accipiendum ſit dictum primæ concluſionis, regulariter ſimoniam eſſe contra ius diuinum naturale, ſermo enim eſt de ſimonia quæ ſit contra ius diuinum, quo poſito, iuxta ſecundam concluſionem dicendum potiùs erit, eſſe contra ius diuinum naturale, quàm poſitiuum; vt etiam patebit ex ſeq. q.

Benef. etiā cenſentur res ſpirituales.

QVINTO QVÆRO, an in lege gratiæ ſit latum ſpeciale præceptum diuinum poſitiuum, ſimoniam prohibens. 8.

Non eſt datū præceptum de ea in lege gratiæ.

RESPONDEO & DICO PRIMO, non eſſe latum. Victor. *relect. de ſimon. num. 11.* Suar. *cap. 2. num. 11.* & alij recentiores ex eodem. Ratio eſt, quia in lege gratiæ nec negatiua, nec affirmatiua præcepta lata ſunt à Chriſto, præter præcepta fidei & ſacramentorum. S. Thom. 1. 2. *quæſt.* 108. *num. 1. ad 2. & artic. 2.* dicens id pertinere ad libertatem legis gratiæ. Et meritò, quia cùm omnis ſimonia contra res per ſe ſpirituales, vel ſacras ex Chriſti inſtitutione ſit contra legem naturalem; non fuit neceſſarium aliud præceptum poſitiuum diuinum, ſed tantùm explicari ipſum naturale; vt dicetur ſeq. concluſione.

DICO SECVNDO, conueniens fuiſſe explicari à Chriſto ipſum ius naturale. potiſſimus locus eſt Matth. 10. *Gratis accepiſtis, gratis date.* vbi verbum *gratis* propriè accipitur, hoc eſt, ſine pretio & merito, ſed ex gratuita voluntate dantis. præterea continent præceptum, id enim in rigore poſtulat verbum *date*, quod eſt imperandi, vt ex Patribus & Theologis communiter docent Suar. *num. 13.* contineri præceptum, quo prohibetur ſimonia, & confirmant id verba Petri *epiſt. 1. cap. 4.* *Vnuſquiſque prout accepit gratiam, in alterutrum illam adminiſtrantes, ſicut boni diſpenſatores multiformis gratiæ Dei.* Si enim eiuſmodi gratiæ & Eccleſiaſtica miniſteria pretio venderentur, inutile redderetur Euangelium & inefficax, & æſtimarentur miracula, inuentiones humanæ ad lucrum. 9.

Sed explicatum ius naturale à Chriſto.

DICO TERTIO, præceptum contentum dictis verbis, *gratis accepiſtis, gratis date*, non eſt poſitiuum tantùm, ſed ex natura rei in tali materia neceſſarium. ratio eſt, quia finis eiuſmodi gratiarum, & dignitas exigit, vt non ſint venales: quod egregiè confirmant verba S. Ambr. *lib. 5. in Luc. 8. & lib. de dign. ſacerd. c. 5.* quæ refert Suar. *n. 15.* 10.

Quale præceptum in verbis, gratis date.

SEXTO QVÆRO, qualis malitia ſit, & in ſuo genere mortalis. 11.

RESPONDEO & DICO PRIMO, ſimoniam ex ſuo genere eſſe contra religionem. Ratio eſt, quia inter cætera pertinet ad religionem res ſacras, & diuinas tractare debita veneratione: at per ſimoniam maximè id contingit; vendendo enim illos, vel per temporalem pactionem contrectando, & commutando, debitam aufert ſimoniacus venerationem, vnde conſequenter grauem irreuerentiã infert Deo, illarum auctori.

Simonia eſt contra religionem.

DICO SECVNDO, ſimoniam eſſe ex ſuo genere mortale peccatum, & valde graue. receptum eſt ab omnibus Theologis, Iuriſperitis & Summiſtis, ex Suar. *cap. 3. num. 2.* ratio eſt, quia opponitur religioni quatenus pertinet ad res ſacras, vt dictum eſt præced. concluſione. Religio autem obligat ex ſuo genere ſub mortali. Quòd autem ſit valde graue, conſtat ex Patribus, & Conciliis, relatis 1. *quæſt.* 1. 3. & 7. & alibi; dicitur enim, *omnia crimina præter ſimoniacam hæreſim quaſi pro nihilo reputari*; vocatur *turpiſſimum lucrum*, aſſeritur *puniendum ad inſtar publici criminis & læſæ maieſtatis.* propterea dicitur *peſtis*, eſt enim pernicioſiſſimum Eccleſiæ, 12.

Eſt ex ſuo genere mortale peccatum.

Digitized by Google

cleſiæ, & facile diffunditur. Maius tamen eſt hæreſis, idololatria, & peccata contra Theologicas virtutes.

13. *Non datur ſimonia venialis ex parte materiæ.*

Dico tertio, probabile eſt non dari in ſimonia peccatum veniale ex leuitate materiæ; ſed tantùm ex inconſideratione, vel ignorantia habente admixtam venialem negligentiam. Ratio primi eſt, quia neque ex parte rei ſpiritualis quæ vendatur, diminui peccatum poteſt, ſemper enim fit grauis irreuerentia Deo, & ipſi rei ſpirituali, quæ per venditionem contemnitur, & vilis æſtimatur; neque ex parte pretij, quia ſi magna ſit, grauis eſt deformitas; ſi vile, eo magis videtur contemni res ſpiritualis. Ratio ſecundi inde conſtat, quia interuenire poteſt ignorantia vel facti, & tunc erit ex inconſideratione, & inaduertentia quòd res illa ſit ſpiritualis; vel iuris; & tunc ſi ſit inuincibilis, excuſabit etiam à culpa veniali; ſed rarò accidet in materia pertinente ad ius diuinum, ſi ſit vincibilis, ſed ex negligentia veniali, tunc erit peccatum veniale. Ex ſubreptione autem, vel indeliberatione vix accidere poteſt, propterea quòd actio per quam fit ſit conuentio quædam & contractus, atque adeò ſoleat fieri cum ſufficienti deliberatione; vt pluribus Suar. *n.* 7.

14. *Malitia ſimoniæ eſt illi intrinſeca.*

Septimo qværo, an eiuſmodi malitia ita intrinſeca ſit, vt diſpenſari in ea non poſſit.

Respondeo & dico primo, ſuppoſitis conditionibus quæ tam ex parte materiæ, quàm ex parte obiecti ſimoniæ per ſe malæ, nunc reperiuntur in actione vendendi & emendi rem ſacram, malitia ſimoniæ intrinſecè ſequitur ex natura talis actus. Ratio patet ex præcedenti *quæſt.* 4. in qua probatum eſt ſimoniam eſſe malam de iure naturali; ideòque fieri non poteſt, vt per illam diſpenſationem talis actus non ſit malus, neque enim ideo eſt malus, quia prohibitus, ſed è contra, ideo prohibitus, quia malus ex ſe eſt: diſpenſatio autem ſolùm poſſet tollere prohibitionem, non autem mutare naturam, ideòque nec à tali actu ſeparari poteſt malitia per vllam diſpenſationem. Suarez *numer.* 10.

Mutata materia poſſet malitia auferri.

Dico secvndo, ſuppoſita mutatione materię talis actionis, poteſt Deus ita donare hæc ſpiritualia bona hominibus, vt ex vi talis donationis liceat vendere talia bona abſque ſacrilegio. Primò enim poſſet Deus concedere homini abſolutum dominium talium rerum, ſunt enim res creatæ, & homo capax eſt dominij talium rerum, quo poſito poſſet homo eas vendere ſine vllo peccato. Secundò ſi non concedat dominium, poſſet ſaltem dare facultatem diſpenſandi illas per venditionem, vel contractum onerosum in vtilitatem, vel diſpenſatoris, vel alterius ad arbitrium diſpenſatoris: quæ facultas non diceretur diſpenſatio in præcepto, ſed mutatio in materia. Tertiò poſſet Deus concedere aliquod donum ſpirituale non vt pertinens ad ſalutem animæ, ſed vt commodum illud recipienti, vel aliis, & tunc ceſſaret malitia in venditione illius, vt ſi daret donum Prophetiæ, vel gratiam ſanitatis alicui, vt ex vſu eius viueret; vt pluribus Suarez *num.* 12. & 13. Verùm hæc ad praxim parum conferunt; ſatis ſit, ea leuiter attigiſſe.

15.

Malitia ſimoniæ abſolutè loquẽdo, inſeparabilis.

Dico tertio, ſimpliciter dicendum de potentia ordinaria, & iuxta congruam prouidentiam naturis rerum, non poſſe à venditione talium rerum ſeparari malitiam ſimoniæ; ratio eſt, quia ex naturali conditione ſua afferunt eæ res ſecum obligationem ne vendantur, nec procurentur per temporales commutationes. At ſecundùm extraordinariam prouidentiam non repugnat, mutata eorum materia, vt dictum eſt, vendi poſſe.

Octavo qværo, an ſit in ſimonia malitia contra religionem. 16.

Malitia contra religionẽ.

Respondeo affirmatiuè, quia iniuſtitia, quæ committitur contra Deum, vendendo rem ſpiritualem, quæ eſt Dei, non eſt alia malitia niſi irreuerentiæ, & indebitæ æſtimationis ſacrarum rerum: vt enim iuſtitia ad Deum eſt religio, ita iniuſtitia erga eumdem, irreligioſitas quædam eſt & vitium contra religionem. Et quamuis Deus ſit Dominus rei ſpiritualis, vendendo autem illam homini, videatur vendi res aliena, atque adeò committi iniuſtitia, tamen, vt dictum eſt, hæc iniuſtitia reſpectu Dei eſt tantùm irreligioſitas quædam, alioqui nec vllum damnum fit Deo, cùm non propterea ipſe priuetur illius dominio; nec prohibitum eſt illum alteri dare, ſed tantùm dare tali modo, hoc eſt, per venditionem, vel pactum æquinalens.

17. *Non ſemper ſimoniacus eſt etiam iniuſtus.*

Ex his infero, malitiam iniuſtitiæ non ſemper coniungi cum malitia ſimoniæ; & in eo qui emit apertè conſtat, is enim propriè ſimoniacus eſt, non tamen facit iniuſtitiam ex natura rei, quia nulli facit iniuriam, cùm voluntariè alter vendat rem ſacram. In vendente autem ex eo patet, quia etſi contra religionem faciat ſumendo rem temporalem in recompenſationem rei ſacræ, & incommodi quod ſubit priuando ſe illa re vt beneficio, non tamen facit contra iuſtitiam, quia datur res materialis æquiualens, ratione commodi & vtilitatis, pretio quod recipitur, idque per pactum vtrimque voluntariũ: vt pluribus perſequitur Suar. *c.* 4. *n.* 5.

Nono qværo, an ſit etiam malitia contra iuſtitiam proximi in ſimonia. 18.

Quando ſimoniacus etiam iniuſtus ſit.

Respondeo & dico primo, ſi in eo qui vendit aliquam actionem ſacram, ſit obligatio ex iuſtitia, gratis illam actionem miniſtrandi, vt eſt in Parocho obligatio ex iuſtitia ad miniſtranda ſacramenta, ſic non ſolùm malitia contra religionem eſt in venditione actionis ſacræ, ſed etiam maltia iniuſtitiæ ſi pretium pro ea accipiat. Verùm id eſt per accidens, neque enim id prouenit ex venditione rei ſacræ quatenùs talis eſt; ſed ratione perſonæ aliàs obligatæ ex iuſtitia ad id gratis miniſtrandum.

19. *Alius caſus.*

Dico secvndo, etiamſi in eo qui vendit non ſit obligatio ex iuſtitia, tamen quotieſcumque ratione ſolius ſpiritualitatis rei aliquod temporale pretium accipitur, committitur iniuſtitia.

Exemplum eſt in eo, qui venderet calicem conſecratum, vel Agnos benedictos pluris quàm valeat materia auris, vel argenti elaborati in calicem, vel materia ceræ elaboratæ in Agno; talis enim venditio non ſolùm ſimoniaca eſt, ſed etiam iniuſta quo-

R ad

ad exceſſum valoris materiæ. ratio eſt, quia ratione ſolius ſpiritualitatis res non eſt pretio æſtimabilis, quare nec erit plus æſtimabilis pretio, quàm valeat ex ſola materia; ſi ergo plus vendatur, ratione illius erit iniuſtitia. Confirmatur, quia ſic hominum communi æſtimatione cenſetur, videlicet rem eiuſmodi eſſe quidem digniorem & venerabiliorem, non tamen pretio magis æſtimabilem, vt docet Suar. *n.* 7. apud quem etiam ſoluuntur argumenta contraria.

20. DECIMO QVÆRO, an ſimonia ſit vitium proprium legis gratiæ, an verò etiam in veteri committi potuerit.

Vitium ſimoniæ etiam in veteri lege fuit.

RESPONDEO, & DICO PRIMO, in lege veteri potuit eſſe vitium ſimoniæ contra ius diuinum. communis ex Suar. *c.* 5. *n.* 4. ratio eſt, quia in ea fuit ſufficiens materia ſimoniæ. multæ enim gratiæ gratis datæ erant, vt Prophetia, interpretatio Scripturarum; ſacerdotium etiam & Pontificatus, ſacramenta & ſimilia, res erant ſpirituales, & ſuo modo ſacræ; facilè ergo poterant homines vendere & emere eiuſmodi res, atque adeò committere ſimoniam.

21. *Giezi ſimoniacus.*

Ex hoc patet primò factum Giezi, qui duo talenta accepit à Naaman poſtquã fuit ſanatus à lepra ab Elizeo 4. *Reg.* 5. damnari communiter tanquam ſimoniacum, quãuis enim ſpeculatiuè defendi poſſet à ſimonia, quia fuit petitum donum poſt factum abſque pacto præcedente, & ex mera liberalitate Naamam; tamen quia ſtatim poſt acceptum beneficium, poſtulatũ eſt, magna præſumptio adeſt, poſtulatũ fuiſſe pro illo, eóque magis quo perſona quæ poſtulat iniqua apparet ob immoderatũ affectum lucri; & ſaltẽ vitãdum erat ob ſpeciem ſimoniæ quam præ ſe ferebat.

22. *Non Balaam.*

Patet ſecundò factum Balaam, qui mercede conductus ibat ad maledicendum Iſraël, *Num.* 22. non pertinere ad ſimoniam; neque enim vt propheta vocatus fuit, ſed tanquã ariolus, & maleficus, qui inuocatione Dæmonum malediceret: reprehenditur autem in Scriptura tum ob vitium ariolandi, tum ob cupiditatem argenti, & pecuniæ, quam præ ſe ferebat.

23. *Nec Ieroboã.*

Idem dicendum de Ieroboã 3. *Reg.* 13. ſacerdotes enim illi quos ipſe creauit, falſi erant & ſacrilegi; nec ex Scriptura colligitur eum talia ſacerdotia vendidiſſe, verba enim illa, *qui volebat, implebat manum ſuam*, non ad manum Ieroboam, ſed ad manum ſacerdotis, referuntur, qui ex eo quòd conſecrabat manum ſuam applicando ad ſacrificia, dicebatur eam implere, vt ex aliis docet Suar. *n.* 10.

24. *Sed bene Iaſon & Menelaum in libb. Machab.*

Patet tertiò factum Iaſonis 2. *Machab.* 4. qui ambitione ſummi Sacerdotij obtulit Antiocho multa talenta argenti, verè fuiſſe ſimoniacum; vt etiam Menelai cuiuſdam, qui aucta promiſſione maioris pretij, ſacerdotiũ obtinuit; & veriſimile eſt ab eo tempore percrebuiſſe hoc vitium inter ſacerdotes Iudæos; vt pluribus Suarez *num.* 11.

25. *Prohibita ſimoniam veteri lege.*

DICO SECVNDO, in lege veteri fuiſſe ſufficienter hoc vitium prohibitũ. patet tum ex 23. Exod. *non accipietis munera,* &c. tum Ezech. 22. vbi Prophetæ reprehenduntur, eo quòd opes, & pretium acceperunt; tum ex eo, quòd Deus tum copioſè prouidit, vnde ſacerdotes viuerent ex decimis, primitiis, & aliis oblationibus; non alia de cauſa, niſi vt ſine pretio ſpiritualia miniſtrarent. Immo prohibitum erat, vt nec alia, nec alio modo quàm per legem inſtitutum erat, exigerent, ex 1. *Reg.* 2. de filiis Heli, & alibi; vt Suar. *num.* 14.

Quòd autem aliqui Prophetæ ſoliti fuiſſent pretium pro ſuo munere poſtulare, id non boni, ſed mali prophetæ egerunt, ideóque reprehenduntur in Scriptura. Daniel autem *c.* 5. dona quidem recepit non in pretium & commutationem; dixerat enim antè, *Munera tua ſint tibi*, &c. ſed Rex ob magnam exiſtimationẽ conceptam ex ipſius ſapientia, eleuauit ad excelſam dignitatem. Idémque de aliis dici poteſt, vt de Ioſeph; de quibus Suar. fuſiùs *loc. cit.*

VNDECIMO QVÆRO, an in lege naturæ fuerit vitium ſimoniæ. 26.

Simonia potuiſſe in lege natura.

RESPONDEO, & DICO PRIMO, potuiſſe vitium ſimoniæ committi in lege naturæ, prout fuit in fidelibus ante legem Moſis. ratio eſt, quia etiam in lege naturæ erat materia ſpiritualis, vt prophetiæ, ſacerdotia, ſacrificium, ſacramentum, & aliæ actiones ſpirituales; ſi ergo circa hæc facta eſſet emptio & venditio, vtique factum eſſet contra ius diuinũ prohibens ſimoniam. Confirmatur ex multis exemplis quæ commemorari poſſunt; vt primò de Ephrem *Gen.* 23. qui vendidit Abrahæ locũ ſepulturæ. Sed reſpectu Abrahæ nulla fuit ſimonia, nec fortè reſpectu Ephrẽ, vt pluribus Suar. *c.* 6. *n.* 4. Secundò de Eſau qui vendidit primogenituram, & conſequenter ius ſacerdotij Iacob fratri ſuo propter rẽ tẽporalẽ, ſed excuſari poteſt quia ius ſpirituale adnexum primogenituræ non fuit cõputatũ in venditione, & æſtimatione pretij; primogenitura autem non eſt res ſpiritualis, ſed temporalis.

DICO SECVNDO, potuiſſe ſimoniã committi etiam in lege naturæ pura, qualis fuiſſet in homine creato in puris naturalibus. Ratio eſt, quia dato quòd in ea fuiſſent aliquæ res ſpirituales & ſacræ, & conſequenter materia ſufficiens ſimoniæ, ſi venditio earum accedat & emptio, vel permutatio, vtique exiſtet ſimonia. Quòd ſi in eo ſtatu non fuiſſet materia ſimoniæ, vt nonnulli volunt; vtique nec etiam fuiſſet ſimoniæ vitium; de qua te infrà. 27.

Et in ſtatu puræ naturæ.

DVODECIMO QVÆRO, an detur aliqua ſimonia ſolo iure humano prohibita. 28.

Datur ſimonia ex ſolo iure poſitiuo.

RESPONDEO, & DICO PRIMO, tunc dici ſimoniam aliquam eſſe de iure poſitiuo tantùm; quando talem malitiam immediatè habet ex vi prohibitionis Eccleſiæ, quæ intuitu reuerentiæ debitæ rebus ſacris, vetuit venditionem, vel pactum circa illam rem. Exemplũ eſt in prohibitione illa Trid. *ſeſſ.* 24. *c.* 18. *de reform.* vbi de examinatoribus ad beneficia, dicit, *Caueant ne quicquam prorſus oratione huius examinis, nec antè, nec poſt accipiant: alioqui ſimoniã vitium tam ipſi, quàm alij dantes incurrant.* Nec explicari poſſunt de ſola pœna, quia poſtea ſubiicitur pœna. Dixi, *quando talem malitiam immediatè habet*, &c. quia ſi mediatè haberet talem malitiam ſimoniæ ab Eccleſia, ex eo videlicet, quia repoſita eſſet res illa inter res ſacras & ſpirituales ab Eccleſia, tunc potiùs eſſet ſimonia de iure diuino, nam ex rei natura ſequitur poſito quòd res illa ſacra ſit, vt ſit prohibita vendi, &c. vndecumque habeat, quòd ſit res ſacra. Hoc pacto matrimonium cum conſanguineo in tertio gradu eſt ſacrilegium contra ius naturale; quia hoc ipſo quòd per Eccleſiam perſonæ taliter coniunctæ factæ ſunt inhabiles, etiamſi id oriatur ex iure humano; ſequitur ex natura rei eſſe ſacrilegiũ, quia contra legem diuinam naturalem eſt facere

Digitized by Google

re ſacramenta irrita; at fornicari cum conſanguineo in tertio eſt inceſtus contra ius poſitiuum; quia ſublata prohibitione Eccleſiæ vetantis matrimonium in tertio, non eſſet inceſtus fornicatio cum conſanguineo in tertio.

29. *Quibus modis prohibita ſit res aliqua immediatè vẽdi ab Eccleſia.* DICO SECVNDO, tribus modis fieri poteſt eiuſmodi prohibitio. Primò circa rem venditã, ſi non ſit verè res ſacra in ſe, ſed ob adnexionẽ rei ſacrę, prohibeatur ab Eccleſia, & ſic per legẽ poſitiuam compleatur malitia ſimoniæ. exemplũ eſt in officio œconomi, aut theſaurarij rerum Eccleſiæ; ob aliquam enim adnexionem ad res ſacras, ſimonia eſſet venditio eiuſmodi officij, ex *c. Saluator. 1. q. 3.*

30. Secundò ex parte actionis vendendi, & tunc oportet vt contractus non ſit propria emptio & venditio; quia ſic iure naturæ prohibita eſſet, ſed aliqua pactio, quæ intuitu Religionis ab Eccleſia prohibetur; ſic prohibetur beneficiorum permutatio facta propria auctoritate, compoſitio litis beneficialis per ſolam conuentionem partium, & ſimilia. *c. quam pio, c. quæſitum. de rer. permut. c. fin. de pactis.*

Tertiò ex parte pretij, quod licèt non ſit aliquid propriè temporale, vt pecunia, &c. tamẽ ob aliquam ſpeciem recompenſationis temporalis prohibetur ab Eccleſia. Sic prohibetur permutatio beneficiorum inter ſe, quia licèt ſit res ſpiritualis abſolutè, tamen ob fructus adnexos, qui ſunt quid temporale, prohibetur etiam permutatio inter illa, ſi propria auctoritate fiat; vt pluribus Suar. *c. 7.*

31. *Hæc propria legis gratiæ.* DICO TERTIO. Hæc ſimonia propria eſt temporis legis gratiæ, atque ita poſitiua appellari poteſt; in ſtatu enim legis naturæ non cõſtat fuiſſe huiuſmodi prohibitionẽ, licèt eſſe potuerit; nec etiã inuenitur in lege ſcripta aliquod præceptum de hac re: quare propria erit legis gratiæ. Eſt tamen peccatum mortale ex vi ſuæ ſpeciei; eſt enim eadẽ cum ſimonia contra legem naturalem. quare etiam erit eiuſdem grauitatis ſubſtantialis; vt aduertit Suar. *d. c. 7. n. 13.*

CAPVT II.

De ſecunda diuiſione ſimoniæ in ſimoniam; de materia naturali, & de materia ſupernaturali; & de ſupernaturali per eſſentiam.

AB hac ſecunda diuiſione, ſimoniæ materia incipit exponi. Et primo loco inquiremus, an detur ſimonia in materia purè naturali. Secũdò an ſit ſimonia velle vendere doctrinã, etiamſi intendatur vẽditio veritatis naturalis. Tertiò, an qui auget pretium ſuæ doctrinæ, ſimoniacus ſit. Quartò, an qui carius vendit doctrinam, quàm par eſſet, ſimoniacus ſit. Quintò, an ſi præceptor nolit vacare à legendo, niſi accepto pretio à diſcipulis, ſimoniacus ſit. Sextò, an dare licentiam docendi ob pretiũ, ſimonia ſit. Septimò, an bona naturalia moralia ſint materia ſimoniæ. Octauò, an pro dando conſilio pecuniã accipere, ſimonia ſit. Nonò, an accipere pretiũ ob exhortationẽ ad virtutem moralem, ſimonia ſit. Decimò, an vendere opera miſericordiæ, ſimonia ſit. Vndecimò, an dare pecuniam alteri, vt bonũ opus omittat, ſimonia ſit. Duodecimò, an in materia religionis naturalis, poſſit dari ſimonia naturalis. Decimotertiò, an vẽdere ſacerdotium in pura natura, ſimonia ſit. Decimoquartò, an gratia vnionis poſſit eſſe materia ſimoniæ. Decimoquintò, an gratia ſanctificans ſit inuendibilis iure vel facto.

1. PRIMO QVÆRO, an detur ſimonia in materia purè naturali.

Pro reſponſione aduertendum vocari materiam purè naturalem, quæ poteſt in homine eſſe ex vi luminis naturalis, eiúſque naturali arbitrio ſubditur. Hæc duplex eſt, vna merè corporalis, vt bona corporis & fortunæ; & de his nõ eſt quæſtio; clarum enim eſt, non eſſe materiam ſimoniæ. *Duplex materia naturalis.* Altera aliquo modo ſpiritualis, vt ſcientia, & res ſacræ pertinentes ad Dei cultum. Aduerto ſecundò duplicia dona ſpiritualia & naturalia eſſe in homine, intellectus, & voluntatis; hęc neque iure, neque facto certum eſt poſſe transferri in alium, permanent enim in anima, quæ in alium tranſire non poteſt; *Duplicia dona in homine.* quoad vſum verò etiam externa opera vendi poſſunt, quia cedunt in vtilitatem & commodum aliorũ. Ex operibus intellectus alia ſunt merè corporalia, vt cantus, pulſatio citharæ, ſaltatio & ſimilia, & de his certum eſt poſſe vendi, nec eſſe materiam ſimoniæ. Alia ſpiritualia, quia proximè ordinantur ad inſtruendam mentem, vel dirigendam voluntatem, & de his eſt dubitatio. Hoc poſito,

Dona intellectus, non ſunt materia ſimoniæ. RESPONDEO, & DICO PRIMO, bona ſpiritualia intellectus, ſiue ſpeculatiua, ſiue practica, eo modo, quo de facto ab homine vendi poſſunt, non poſſunt eſſe materia ſimoniæ. communis DD. ex Suar. *c. 8. n. 8.* vt S. Th. *q. 71. a. 4. ad 2. & q. 100. a. 3. ad 3.* Caiet. *ibi*, Nau. Sot. & aliorum recentiorum. Ratio eſt, quia materia ſimoniæ quæ eſt peccatum contra Religionẽ, debet eſſe aliquid pertinens ad Religionem, ideóque debet eſſe res ſupernaturalis pertinẽs ad ordinem gratiæ; at in venditione donorum naturalium nihil agitur contra Religionem, vel cultum Dei hoc ipſo quòd res merè naturales res ſunt. Cõfirmatur, quia malitia ſimoniæ in eo poſita eſt, quòd non datur gratis quod gratis acceptũ eſt, vel quia venditur id quod non eſt proprium, vel quod non eſt vendibile; at nil horum interuenit in venditione donorum eiuſmodi naturalium; nã & debita naturæ ſunt, & ſunt propria hominis, & ſecundùm moralem æſtimationem, & in ordine ad vſum humanum vendibilia ſunt & comparabilia pretio: vt certè dicunt auctores ſecundæ ſententiæ relati à Suar. *n. 6.*

2. *Nec malum moraliter.* DICO SECVNDO, vendere hæc bona naturalia, non eſt malum moraliter, & quamuis eſſet, non eſſet malum pertinens ad ſimoniã. Primum ex eo conſtat, quia nec eſt contra Religionem, vt dictum eſt; nec contra iuſtitiã, quia labor & opera in docendo poſſunt arbitrio hominum iuſto pretio æſtimari; nec contra charitatem, quia nemo tenetur operam ſuam gratis impendere; non apparet autem contra quam aliam virtutem id eſſe poſſit. Secũdum verò probatur, quia materia talis actionis non eſſet materia Religionis; quare dato quòd eſſet peccatum, non eſſet ſimonia, ſed aliud vitium, vt iniuſtitiæ, vel immiſericordiæ, vt rectè Suar. *d. c. 8. n. 10.*

3. SECVNDO QVÆRO, an ſit ſimonia velle vendere doctrinam, etiamſi intendatur venditio veritatis naturalis.

Vendere doctrinã vt vera eſt, non eſt ſimonia. RESPONDEO, & DICO PRIMO, non eſſe. ratio eſt, quia talis veritas nec eſt per ſe ſupernaturalis, vt ſupponitur, nec res aliqua ſacra, aut pertinens ad religionem, vt conſtat ex præced. q. ergò quamuis intentio ordinetur

netur ad illius venditionem, non efficietur actio ſimoniaca. S. Thom. *quæſt.* 100. *art.* 3. vbi alium loquendi modum vſurpauit ab eo, quem tenuerat *in quodl.* 8. *art.* 11. in quo venditionẽ veritatis naturalis dixerat ſimoniã. In art. autem tertio tantùm dicit eum, qui ſic vendit veritatem, grauiter peccare.

4. *Quando cenſeatur vendi ut vera eſt.*

DICO SECVNDO, tunc aliquem propriè vendere veritatem, quãdo vltra iuſtum pretium ſui laboris & operis in docendo, exigit aliquid pro ipſa veritate. Ratio, quia vel committit iniuſtitiam, bis vendendo eandem rem, nempe doctrinam & veritatem; qui enim docet, tenetur docere veritatem, vel vendit rem non ſuam, vt ſi velit pretium pro veritate doctrinæ quæ incipit eſſe in mente addiſcentis; hæc enim cùm ſit bonum proprium addiſcentis, ſi pro ea aliquid vltrà vellet, vellet pro re non ſua; vt pluribus Suar. *num.* 12. Quãuis autem, ſi hoc modo vellet aliquid vltra pretium laboris, peccaret, non eſſet tamen ſimonia; quia illa inæqualitas eſt alterius ordinis in materia ſimoniæ.

5. TERTIO QVÆRO, an qui auget pretium ſuæ doctrinæ ſimoniacus ſit. Pro reſpõſione aduertẽdũ, augeri poſſe pretiũ, vel ob nobilitatem doctrinæ: vt ſi quis doceat Theologiã, Philoſophiã & ſimiles; vel ob eximiam peritiã perſonæ, vt ſi eſſet Doctor primarius iam à multis annis, conſũmatus, &c. etiãſi labor idem eſſet, vel non maior eo quem inferior Doctor poneret in docendo. Quo poſito,

6. *Non eſt ſimonia augere pretium ſuæ doctrinæ.*

RESPONDEO & DICO PRIMO, non eſſe ſimoniacum, primò ex vſu in vniuerſitatibus; conducuntur enim Doctores artium nobiliorum maiori ſtipendio; item excellentiores ac ſanctiores cæteris paribus maius ſtipendium accipiunt. Secundò ratione, quia ſcientia quo obiectum eius nobilius eſt, eo etiã ipſa dignior & excellentior eſt; ex perſonæ etiam peritia plurimum augetur æſtimatio doctrinæ. Id omne ergo conſiderari poteſt ad taxandã pretij æqualitatem. Hinc infert Suarez *num.* 13. non bene dixiſſe gloſſ. *in cap. non licet.* 11. *quæſt.* 3. teneri Doctorem ad dandum gratis conſilium, quãdo ſine ſtudio & labore illud dat. Nã actio eiuſmodi ex ſe æſtimabilis eſt pretio, & habet valorem ſuum; & quãuis facile præſtetur eiuſmodi opera à perito, ac propterea videatur compenſanda paruo pretio, tamen penſandæ ſunt expenſæ præteritæ & labores, quibus ea facilitas comparata eſt.

7. *Etiamſi infuſam haberet à Deo.*

DICO SECVNDO, quamuis Doctor abſque vllo labore ſcientiã comparaſſet, vel accepiſſet infuſam diuinitus, adhuc exigere pretium pro ea docenda nec malũ eſſet, nec ſimoniacum. Ratio eſt, quia id eſſet per accidens, & alioquin opera & labor in docendo eſt eiuſdem rationis, & conſequenter eiuſdem valoris eſſe debebit. Sicut ſi quis miraculosè manum iã aridam, integrã recepiſſet; vtique pro operibus illius manus, poſſet iuſtè pretiũ exigere. Denique valor operis non ex modo quouis, & facultas id faciendi cõparata eſt; ſed ex intrinſeca natura, & cõmuni æſtimatione attendi ſolet; vnde falſum eſt quod dixit Altiſiodorenſis, ſcientiã non poſſe vendi; vt pluribus Suar. *n.* 15.

8. QVARTO QVÆRO, an qui vendit doctrinã carius, quã par ſit, ſimoniã committat. Exemplũ eſt in Magiſtro habente ab Eccleſia iuſtũ ſtipendium vt omnes aduenietes ad publicã ſcholã doceat; qui tamen à ſingulis diſcipulis aliquid præterea exigat.

Magiſter ſtipendiatus, ut poſſit à diſcipulis aliquid exigere.

RESPONDEO & DICO PRIMO, ſi quæratur, an id liceat, ita reſpondendum cum Panor. *in c.* 1. *de Magiſtr.* Si enim conductus ſit, vt gratis omnes doceat, ſiue pauperes, ſiue diuites, ſiue incolas, ſiue extrancos; ſic à nullo poteſt aliquid exigere, ſponte tamen oblatum accipere poteſt. Si verò ſolùm ſit conductus pro pauperibus, vel incolis, tunc poterit à diuitibus, & extraneis pretium exquirere. Quòd ſi non conſtet de modo conuentionis, ſtandũ erit cõſuetudini.

9. *Iniuſtè agit, quando exigit, & non licet.*

DICO SECVNDO, ſi quæratur, quale peccatum ſit, quãdo non licet; Reſpondendũ, eſſe iniuſtitiã, non autem ſimoniã; eſt iniuſtitia ſuppoſito quòd illicitè pretium accipiat contra cõuentionem; poſito enim quòd iuſtum ſit pretiũ quod illi dat Eccleſia, iã exceſſus ſuper illud efficiet iniuſtitiã. Non eſt ſimonia, quia materia capax non eſt ſimoniæ; cũ ſciẽtię naturales quas ille magiſter tradit, non ſint res ſupernaturales, nec pertineãt ad religionẽ. An autem ſi doceret Theologiã, vel alias doctrinas ſacras, poſſet eſſe ſimoniacus, dicetur infrà.

Non ſimoniacè.

10. QVINTO QVÆRO, an ſi præceptor nolit vacare à legendo, niſi accepto pretio à diſcipulis, ſimoniacus ſit.

Præceptor nolens vacare niſi ob pretiũ, non eſt ſimoniacus.

RESPONDEO & DICO PRIMO, ſiue vacatio ordinetur ad feſtũ colendũ, ſiue nõ, ſi propter eã accipiatur pretiũ, non eſſe ſimoniacũ. Ratio patet ex dictis, quia materia nõ eſt capax ſimonię, abſolutè loquendo; nã vel dies feſtus eſt Eccleſię pręcepto, & ſic non pertinet ad debitã eius obſeruãtiã docere, vel ne docere: vt n. ſi quis doceat, feſtũ non violat, ita ſi quis non doceat, non propterea meliùs colit: ſicut ergo recipere pretiũ pro læſione non eſt ſimonia, ita nec accipere pro vacatione à lectione, erit ſimonia, materia enim non eſt religionis. Extrinſecũ autẽ eſt, & per accidens quòd vacatio illa ordinetur à diſcipulis ad cultũ diei feſti; neque id mutat naturã operis: vel vacatio cõceditur in die profeſto, & tunc multo magis idem dicendum, quia quod venditur, religioſum non eſt.

11. *Poteſt tamen eſſe iniuſtus.*

DICO SECVNDO, an id liceat, néne, iudicãdũ ex obligatione magiſtri: ſi n. is teneatur docere illo die ex officio, vel ſtipẽdio, nõ licet pretio vendere vacationẽ, & tunc peccabit cõtra iuſtitiã, vel obedientiã pro ratione obligationis; ſi verò ſit res volũtaria, non eſt per ſe iniuſtũ vendere obligationẽ ad non operãdũ aliquid, quod poſſet facere ſine iniuria alterius. Hæc ex Suar. *n.* 18. qui ea docet ex S. Th. *q.* 100. *a.* 3. *ad* 3. & Summiſtis *v. Magiſter.*

12. SEXTO QVÆRO, an dare licentiam docendi ob pretium, ſimonia ſit.

Dare licentiã docendi quãdo ſit ſimonia.

RESPONDEO, gl. *c.* 1. *de Mag.* dicere eſſe quaſi ſimoniã idẽ Abb. qui vocat ſimoniã largo modo. Sed meliùs diſtinguendũ ex Suar. *n.* 19. vel n. pẽdet licẽtia ex poteſtate ſpirituali veluti actus eius, & tũc cenſeri poterit ſimonia, illam vendere ob pretiũ: vt n. poteſtas ipſa ſpiritualis eſt, ita actus eius eiuſdẽ generis erit. vel nõ pendet ex ſpirituali poteſtate, vt regulariter cõtingit; & tunc queãdmodũ ipſa actio docẽdi, ſimonię materia nõ eſt, ita nec licẽtia docẽdi. Poterit autẽ eſſe contra iuſtitiã propriè dictam, ſi is qui debet illã dare, teneatur ex officio illam concedere, quando perſona quæ petit alioquin idonea eſt, & non adeſt ratio cõmunis boni in contrarium, tunc enim tenetur reddere pretium danti; is enim iniuriam paſſus eſt. Quòd ſi non ſit

Quando contra iuſtitiam.

Digitized by Google

ſit perſona idonea, & tamen det licentiam ob pretium, tunc non facit iniuſtè reſpectu dantis pretium, ſed turpiter; iniuſtè autem facit reſpectu Reipublicæ, cui iniuria facta eſt; ideóque reſtitutio illi facienda, dando pauperibus pretium receptum.

Ex his patet diſtinctionem de ſimonia ſtricto, & largo modo non eſſe ſolidam, & rem obſcuriorem reddere, nec explicare, an illa largo modo ſit contra Religionem necne, quod explicandum erat.

13. SEPTIMO QVÆRO, an bona naturalia moralia ſint materia ſimoniæ. Per bona naturalia moralia intelliguntur tum prudentia in intellectu, tum quælibet alia ſcientia moralis, & practica, tum aliæ virtutes morales in voluntate, eæ præſertim quæ ordinantur ad proximum, & communem hominum ſocietatem.

14. RESPONDEO ergo & DICO, nō eſſe materiam ſimoniæ. Ratio eſt, quia omnia hæc bona, quæ verſantur inter homines, ideóque moralia dicuntur, merè naturalia ſunt, nec pertinent ad Religionem, ſed merè humana ſunt; non erunt ergo materia ſimoniæ. Confirmatur; quia eiuſmodi bona vt ſunt habitus quidam mentis, vendi non poſſunt, quia non poſſunt transferri de vno in aliū: ſolùm igitur vēdi poſſunt operæ & labor, quæ impendantur in commodum alterius. Hæc autem vendi poſſunt, pretio enim æſtimabilia ſunt; nec apparet, vnde malitiam ſimoniæ habere poſſint. & ita ſentiunt DD. allati *in q.* 1. & Suar. *n.* 20. quod etiam clariùs fiet ex ſequentibus quæſtionibus.

Virtutes morales non ſunt materia ſimoniæ.

15. OCTAVO QVÆRO, an pro dādo conſilio, pecuniam accipere, ſimonia ſit.

RESPONDENDVM eſt, non eſſe, ſiue detur in ordine ad actionē politicam, vt gubernandum, vincendā litem, & ſimilia, ſiue in ordine ad conſcientiam, prout deſeruiūt ad faciendum bonum honeſtum, & vitandum prauum, vtroque enim modo conſilium dari poteſt, & ſemper eſt quid naturale; ideóque nō erit materia ſimoniæ. Nec eſt per ſe malum talia conſilia venderé; quia ſunt res pretio æſtimabiles tum propter ſtudium & laborem; tum ob præſentiam & dignitatem, quam habent in genere ſuo: & patet vſu apud omnes ferè gentes; nam & patrocinium aduocati, & conſilium Iuriſconſulti vendi ſolet, & habetur *c. vlt.* 14. *q.* 5. ex Aug. & *c. non licet.* 11. *q.* 3. Item S. Th. *q.* 71. *a.* 4. Sot. & alij apud Suar. *n.* 21.

Pro dando cōſilio pecuniā accipere non eſt ſimonia.

Hinc ſequitur, in talibus venditionibus ſi pretium excedatur, committi iniuſtitiam, non autem ſimoniam, vt dictum eſt.

16. NONO QVÆRO, an ſit ſimonia, pretium accipere ob exhortationem ad virtutem moralem. Sermo eſt de exhortatione qualem faceret Philoſophus moralis, vel eloquens Orator ad virtutes morales acquirendas, & vitāda peccata contra legem naturæ, ſiue id fieret in priuata admonitione, ſiue in publica concione.

RESPONDEO ergo nullā eſſe ſimoniam; quia eiuſmodi actiones non excedūt limites rerum naturalium, ideóque nō poſſunt eſſe materia ſimoniæ. Vnde non modò poſſunt locare operas ſuas in ſuſtentationem vitæ, vt dicemus infrà de Concionatoribus Chriſtianis; ſed etiam in vim contractus venditionis, vel alterius illi æquiualentis, compenſando non tantùm laborem corporalem, ſed etiam dignitatem actionis, & induſtriam: vt enim dictum eſt, actio tota merè naturalis eſt, nec pertinet ad Religionem per ſe, ſed ad moralem gubernationem, vt pluribus Suar. *n.* 23.

Ob exhortationē ad virtutem moralem, pretium accipere, non eſt ſimonia.

17. DECIMO QVÆRO, an vendere opera miſericordiæ pertineat ad ſimoniam.

RESPONDEO, & DICO PRIMO, non pertinere ad ſimoniam, quia illæ actiones non excedunt terminos rei naturalis, ſunt enim virtutes morales; quæ materia ſimoniæ non ſunt, ex *q.* 7. Deinde patet vſu; nam ſeruire infirmis, ſepelire mortuos, & ſimilia, opera miſericordiæ ſunt, & tamen emi & vendi poſſunt, non modò ratione materialis actionis, ſed etiā quatenus opera miſericordiæ ſunt cum omnibus externis conditionibus & circunſtantiis neceſſariis ad virtutem; hæc enim omnia non excedunt terminos actionis naturalis.

Nec vendere opera miſericordiæ, ſimonia eſt.

18. DICO SECVNDO, ſi quis in caſu, quo tenetur ex miſericordia gratis iuuare proximum per opus aliquod miſericordiæ, velit nihilominus pretium accipere, peccabit contra charitatem; ſi verò teneatur ex officio ad talia opera facienda abſque nouo præmio, propterea quòd ipſum officium det conueniens ſtipendium, & tamen nolit facere niſi nouo accepto pretio, erit contra iuſtitiam. Idem ſi venderetur ſpeciali pretio id quod vendi nō poteſt: vt mutuatio. Denique ſi ſit illicitum ea vendere ob legem aliquam id prohibentem, tunc erit contra iuſtitiam legalem. Quomodo autem reſtitutio facienda, diximus *tract.* 32. *cap.* 6.

Poteſt eſſe cōtra charitatē, vel iuſtitiam.

19. VNDECIMO QVÆRO, an ſit ſimonia dare alteri pecuniam vt omittat opus bonū.

RESPONDEO negatiuè, quia poterit quidē eſſe contra iuſtitiam, aut charitatem ea bona omittere; contra iuſtitiam, ſi ex officio, vel ſtipendio accepto teneatur ea præſtare: cōtra charitatem, ſi ſit extrema, vel grauis neceſſitas; non tamen contra Religionem, ſuppoſito quòd opus bonum quod præſtandum eſſet non pertineat ad Religionem. Aliquando etiam ſine iniuſtitia vēdi poterunt eiuſmodi priuationes, & omiſſiones bonorum; obligatio enim illa, & priuatio libertatis propriæ pretio æſtimabilis eſt; tales etiam circunſtantiæ adeſſe poterunt, quæ purgent omiſſio nem ab omni labe latæ malitiæ, & culpam, vt aduertit Suar. *n.* 26.

Nec dare pecuniam alteri, vt immittat opus bonum.

20. DVODECIMO QVÆRO, an in materia Religionis naturalis poſſit dari ſimonia naturalis.

RESPONDEO, probabile eſſe quòd dari poſſit: ſermo tamen eſt de cultoribus veri Dei per puram rationem naturalem tantùm, non autem de Idololatris & Gētilibus, qui nec veram Religionem habent, nec vera ſacerdotia, nec conſequenter venditio eorum ſacerdotiorū pertinere poteſt ad vitium contra veram Religionē. Ratio eſt, quia in pura natura poſſet eſſe verum ſacerdotium, venditio autem eius fuiſſet contra rationem naturalem & Religionem, mala enim eſſet, quia cùm ſit inſtitutum ad cultum Dei, ex hoc habet ſufficientem dignitatem, vt ſecundùm rectam rationem vendi non poſſit; quod pluribus probat Suar. *num.* 28. & nos etiam *in ſeq. q.* Quare conſequenter dicendum erit, tunc fore ſimoniam naturalem.

Probabile, dari ſimoniā in materia contra Religionem naturalem.

21. DECIMOTERTIO QVÆRO, an vēdere ſacerdotiū in pura natura, ſimonia fuiſſet.

RESPONDEO, affirmatiuè, quia eſſet res contraria diuino cultui, eo enim ipſo deſpiceretur eiuſmodi dignitas, & fieret venalis; conſequenter daretur locus ambitioni perſonarū quæ

Ita vendere ſacerdotiū in pura natura ſimonia fuiſſet.

indignæ eſſent; vnde vileſceret cultus Dei, & cõſequenter fieret contra Religionem, atque adeò genus quoddam eſſet ſimoniæ. Nec obſtat, quòd venditio aliorum officiorum temporalium Reipublicæ, non ſit intrinſecè mala: vt ex S. Th. Sot. & aliis docet Suar. *num.* 30. quare nec venditio ſacerdotij, ſtando in pura natura, in ea enim non habitus fuiſſet dignius quàm temporalis quidam magiſtratus. Reſpondeo enim ſacerdotiũ etiam pura natura futurũ rem ſacram, quod non habent alia temporalia officia, ideóque intrinſecè fore malam eiuſmodi venditionem; non ſic venditio aliorum officiorum, mala enim ſolùm eſt ex nocumento quod inde poteſt Reipub. prouenire; quod ſeparabile eſt per Principis prouidentiam, vt pluribus perſequitur Suarez *n.* 31. & deinceps.

Non eadem ratio ſacerdotij & officiorum temporalium.

22\. DECIMOQVARTO QVÆRO, an gratia vnionis poſſit eſſe materia ſimoniæ.

Pro reſponſione aduertendum hactenus actum eſſe de bonis naturalibus; in hac & ſequenti q. agendum de bonis ſupernaturalibus quoad eſſentiam, vt eſt gratia, virtutes infuſæ, dona Spiritus ſancti, gratiæ gratis datæ, & huiuſmodi. Ad has reduci poteſt gratia vnionis humanæ naturæ cum ſuppoſito diuino; de qua hoc loco quærimus, an poſſit eſſe materia ſimoniæ.

Gratia vnionis non eſt materia ſimoniæ.

RESPONDEO breuiter, non eſſe materiã ſimoniæ propriè dictæ, de qua ſermo eſt, tum quia hæc verſatur circa res ſupernaturales quidẽ, ſed creatas: at gratia vnionis eſt alterius ordinis & increata; tum, quia impoſſibile eſt, vt aliquis cognoſcens gratiam vnionis, hoc eſt, aliquem hominem eſſe verum Deum & perſonam diuinam, tentet vendere illum temporali pretio: at ſimonia pendet intrinſecè ex cognitione ſpiritualitatis rei quæ venditur; materiale enim vendi poteſt abſque ritu ſimoniæ, vt argentum in Calice, cera in Agno, & ſimilia. Ex his patet Iudam vendendo Chriſtum non fuiſſe propriè ſimoniacum, quia ſolùm ratione humanæ naturæ quæ erat in Chriſto illum vendidit, nihil cogitans de ſpiritualitate, quæ in Chriſto erat; de qua re pluribus Suar. *cap.* 9. *num.* 3. & 4.

23\. DECIMOQVINTO QVÆRO, an gratia ſanctificans poſſit eſſe materia ſimoniæ.

RESPONDEO, quoſdam negare, vt Abb. *c. conſulere. n.* 3. *de ſimon.* Ang. *ſimonia* 1. *n.* 1. Fab. *n.* 7. Sot. *lib.* 9. *q.* 6. *n.* 1. & alios.

Eſt autẽ gratia ſanctificans.

Dicendum tamen poſſe eſſe materiam. Primò quoad habitum, non quòd ipſa gratia vendatur in abſtracto, ſed in concreto homo gratus, iuſtus, Chriſtianus. ſi enim Chriſtianus captiuus cariùs redimatur, quia Chriſtianus eſt, ex parte vendentis erit ſimonia, venditur enim perſona maiori pretio quàm valeat, ſolùm quia habet gratiam ſpiritualem fidei, & doni ſupernaturalis. Idem ſi quis vendatur cariùs quia ſanctior eſt, vel ſacerdos intuitu ſacerdotij. Secundò quoad actum, vendendo actionem, per quam gratia fit in alio, vt abſolutionem à peccatis, per quam in abſoluto fit gratia ſanctificans; vel vẽdendo ſpiritualem actum quatenus alteri poteſt vtilitatem adferre vel impetrationis, vel meriti; de congruo, & aliis modis, de quibus Suarez *n.* 11. Non obſtat quòd multa iura, vt *in c. ſaluator.* 1. *q.* 3. & *c. iudices.* 1. *q.* 1. videantur dicere Spiritum S. nec vendi poſſe, nec emi.

Et ſi Spiritus ſanctus non detur, datur de facto gratia ex vi promiſſione.

RESPONDEO enim ſenſum eſſe, non dari Spiritum ſanctum ex vi venditionis, vel emptionis, nec vi malæ voluntatis qua venditur; verè enim non venditur, ſed tamen ex vi promiſſionis & externæ conuentionis, de facto venditur, cùm pro pretio illa offeratur, & cum effectu detur: & hoc modo etiam exponendi ſunt Sancti, & Doctores, qui contrariam ſententiam ſecuti ſunt; nil enim aliud voluerunt, niſi quod dictis iuribus indicari diximus; vt exponit Suarez *n.* 12. Hæc ſatis.

CAPVT III.

De materia ſupernaturali ſimoniæ, quæ dicitur ſupernaturalis ex cauſa, hoc eſt, de Sacramentis.

SAcramenta numerantur inter dona ſupernaturalia ex cauſa, ſunt enim cauſa gratiæ & donorum ſupernaturalium. Primò ergo quærendum de Euchariſtia, quæ vt eſt ſacramentum permanens poſt actionem qua conficitur, peculiare quid ſibi vendicat. De eo ergo quærimus, an ſit materia ſimoniæ. Secundò de cæteris ſacramentis vt dicunt totum quid conflatum ex materia & forma. Tertiò in particulari de matrimonio, an poſſit eſſe materia ſimoniæ. Quartò an poſſit exigi pretium pro re quæ eſt materia ſacramenti. Quintò an cum neceſſitate poſſit emi ſacramentum ab eo, qui non vult aliter miniſtrare. Sextò an ſi petatur pecunia in pretium Sacramenti, dari poſſit abſque ſimonia. Septimò an liceat pretio inducere ad dandum baptiſmum, eum qui non vult dare ex odio. Octauò an idem dicendum de ſacramento Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ pro viatico. Nonò an ſacramentalia ſint materia ſimoniæ. Decimò an res conſeruatæ vendi poſſint ratione materiæ non obſtante conſecratione. Vndecimò an ſit admittenda aliqua exceptio ad regulam generalem. Duodecimò an reliquiæ Sanctorum poſſint vendi abſque ſimonia.

PRIMO QVÆRO, an Euchariſtia qua ſacramentum eſt permanens poſt conſecrationem ſit materia ſimoniæ. 1.

Vẽdere Chriſtũ in Euchariſtia contentum, eſt grauiſſima irreligioſitas, non ſimoniaca.

RESPONDEO, & DICO PRIMO, ſi ſermo ſit de re cõtenta ſub ſpeciebus ſacramentalibus, quæ Chriſtus ipſe eſt, venditio eius eſt peccatum maius quàm ſimoniæ, materia enim eſſet res ſupernaturalis increata, & ipſa perſona diuina ſimilis peccato Iudæ, quod diximus eſſe alterius rationis: eſſet ergo peccatum grauiſſimum irreligioſitatis, vt rectè Suar. *cap.* 10. *n.* 2. & 3. Si verò ſermo ſit de toto ipſo ſacramento, vt comprehendit ſpecies ſacramentales & Chriſtum ſub iis exiſtentem, ſic eius venditio duplicem malitiam cõprehenderetur, vnam ſimoniæ, vt eſt venditio ſacramenti ſenſibilis accommodati ad humanos vſus: alteram irreligioſitatis grauioris rationis, vt eſt venditio perſonæ Chriſti, vt dictum eſt.

Vẽdere totum ſacramentum eſt etiam ſimonia.

DICO SECVNDO, venditio Euchariſtiæ vt ſacramentum eſt duplicem malitiam habere poteſt; vnã ſimoniæ propriæ, quatenus illæ ſpecies venderentur ad vſum ſacramentalem, vt ad cõmunicandum, tunc enim venderetur quodãmodo gratia Spiritus ſancti, & res maximè ſacra temporali pretio commenſuraretur. Alteram ſacrilegij horrẽdi, quatenus ſpecies illæ venderentur ad vſus magicos & prauos, ſic enim maleficiis vtuntur, & irreuerenter eas tractare ſolent. 2.

Duplex malitia in venditione Euchariſtiæ vt ſacramentũ eſt.

DICO TERTIO, materia remota Euchariſtiæ 3.

Remota materia Eucharistiæ vēdi poteſt, non proxima.

ſtitiæ vt panis & vinum, vendi poteſt, ſunt enim res venales; nec quia conficiendum ſit ex iis ſacramētum, neceſſariò gratis dādæ ſunt, neque enim res ſacræ euadunt ex ea extrinſeca ordinatione. Materia verò proxima vendi nō poteſt; hæ enim ſunt ipſæ ſpecies conſecratæ, de quibus iam diximus.

4. SECVNDO QVÆRO, an cætera ſacramenta vt dicunt totum quid conflatum ex materia & forma, ſint materia ſimoniæ.

Sacramenta ſunt propria materia ſimoniæ.

RESPONDEO & DICO PRIMO, ſacramenta, vt ſic eſſe propriam materiam ſimoniæ contrariæ iuri naturali. eſt communis DD. ex Suar. *cap.* 10. *numer.* 5. Ratio, quia vt ſic, dona quædam diuina, & ſupranaturalia ſunt gratis à Chriſto nobis collata, & ſpiritualia, quia ſunt cauſa gratiæ ſpiritualis; quare venditio eorum eo ipſo erit contra reuerentiam illis debitam, & contra religionem. Habetur *cap. cùm in Eccleſia. de ſimon.* & comparatur peccato Giezi & aliis iuribus de baptiſmo, de confirmatione, & aliis ſacramentis in particulari.

5. *Alia etiam malitia in iis vendendis, eſſe poſſunt.*

DICO SECVNDO, in venditione ſacramentorum præter malitiam ſimoniæ, dari poteſt etiam malitia contra charitatem & iuſtitiam. Contra charitatem quidem, quia regulariter cum tali venditione coniunctum eſt ſcandalum populo, & facilè pauperes arcentur à perceptione ſacramentorum, vt indicauit Gelaſ. *cap. baptizandis.* 1. *quæſt.* 1. contra iuſtitiam autem, quando qui pretium exigit, obligatur ex officio gratis miniſtrare. gloſſ. *cap. relatum.* 10. *q.* 3. & Abb. *cap. cùm ſit. de ſimon.*

6. TERTIO QVÆRO de matrimonio in particulari, an poſſit eſſe materia ſimoniæ.

Matrimoniū vt ſacramentum eſt materia ſimoniæ.

RESPONDEO & DICO PRIMO, matrimonium vt ſacramentum eſt, vendi non poteſt abſque ſimonia. eſt contra gloſſ. *cap. cùm in Eccleſia. de ſimon.* dicentem poſſe vendi, quia in eo gratia non confertur, & alibi, cum quo alij DD. ſenſerunt, vt Durand. Hoſtienſ. & Alenſ. ex Suar. *cap.* 10. *numer.* 7. Probatur primò, quia verum ſacramentum eſt, & confert gratiam ex opere operato, vt definitum eſt in Trid. *ſeſſ.* 7. generatim, & 24. *can.* 1. in particulari *de matrimonio.* non ergo vendi poteſt vt ſacramentum, & ita ſentiunt omnes Theol. cum S. Thom. *quæſt.* 100. *num.* 6. *ad* 2. & contrariū eſt erroneum, & hoc tempore hæreticum, vt affirmat Suar. *num.* 8. Vt enim eſt de fide matrimonium conferre gratiam, ita eſt certum, eſſe materiam ſimoniæ, & non poſſe vendi abſque illa.

7. *Non vt contractus, & cōmutatio rei corporalis pro corporali.*

DICO SECVNDO, matrimonium vt eſt humanus contractus, in quo intercedit cōmutatio quædam rei corporalis pro corporali, contrahi poteſt interueniente pretio ex parte eius, cuius reſpectu adeſt inæqualitas. Et quidem dos quæ datur ex parte vxoris, non eſt pretium matrimonij, ſed ſubſidium ad ſuſtentanda onera matrimonij, vt communiter iuriſperiti *in cap. cùm Eccleſia. de ſimon.* Alij verò contractus qui frequenter fiunt ob inæqualitatem inter coniuges, & compenſari ſolent pecunia, non attingunt ipſum ſacramentum, neque aliquid ſpirituale, quod ſit in illo; ſed potiùs corpora ipſa materialia quæ ſunt materia ſacramenti; non eſt autem inconueniens corpora humana emi ad vſum matrimonij, ſicut emuntur ad vſum ſeruitutis, vt pluribus declarat Suar. *numer.* 11. & 12.

QVARTO QVÆRO, an poſſit exigi pretium, pro re quæ eſt materia ſacramenti. 8.

Materia remota ſacramenti, vendi poteſt.

RESPONDEO & DICO PRIMO, pro materia remota ſacramenti, quæ ſemper eſt aliqua res naturalis, vt aqua, oleum, chriſma, vinum, panis, &c. poteſt exigi pretium abſque ſimonia. ratio eſt, quia vt ſic res quædam eſt materialis, & venalis. Quòd ſi aliquando hæc materia conſecrata ſit, aut benedicta, vt eſt chriſma, & oleum ſanctum; tunc eadem eſt ratio de illa quæ dicemus *capit. ſeq.* eſſe de rebus ſacris.

Non proxima.

DICO SECVNDO, pro materia proxima ſacramenti, quæ conſiſtit in aliqua hominis actione, vt eſt ablutio in Baptiſmo, conſignatio in Confirmatione; prolatio verborum in pœnitentia, &c. non poteſt exigi pretium abſque ſimonia. S.Thom. *d. quæſt.* 100. *artic.* 2. vbi alij, & communis DD. ex Suar. *cap.* 11. *numer.* 3. Probatur primò ex iuribus 1. *quæſt.* 1. *c. baptizandis. & cap. cùm in Eccleſia. de ſimon.* quæ non ſolùm dicunt eſſe ſimoniam vendere ſacramenta, ſed etiam vendere actiones ſacramentorum, & ſacra miniſteria; quæ conſiſtunt in corporalibus actionibus. Secundò, ratione, quia omnes eiuſmodi actiones ſunt actus miniſterij, & poteſtatis ſpiritualis & ſupernaturalis, ideóque ipſæmet actiones materiales gratis cōferendæ ſunt. Confirmatur, quia actiones eiuſmodi ſacramentales prout fiunt in ſacramentis, non habent humanam vtilitatem, ſed ſolùm ſpiritualem & religioſum cultum Dei; ideóque non poſſunt æſtimari pretio quaſi materiales eſſent. 9.

Non obſtat, quòd in matrimonio corpora contrahentium vendi poſſint quæ ſunt materia ſacramenti, & contractus ipſe qui ſubſternitur rationi ſacramenti pretio compenſari poteſt; ergo idem in aliis ſacramentis euenire poterit. Reſpondeo enim corpora contrahentium eſſe materiam remotam, non proximam; proxima autem in hoc ſacramento quæ eſt traditio corporum mutua eſt etiam quid merè naturale habens ſuum finem proximum, & vtilitatem moralem, quæ eſt mutua coniugis obligatio; & hæc non eſt immutata à Chriſto, ideóque nullum inconueniens, ſi maneat vendibilis; in aliis verò tota materialis actio quæ ſolet eſſe materia proxima, ſupernaturalis eſt, & ideo non eſt eadem ratio. Vt omittam in matrimonio dotem non habere rationem pretij, ſed ſubſidij ad onera matrimonij ſuſtentanda. Quod verò daretur per modum recompenſationis, ob inæqualitatem nobilitatis, vel alterius conditionis coniugum, non datur pro materia proxima, ſed remota, vt pluribus Suar. *n.* 5. & 6. 10.

Proprium matrimonij vt etiam proxima materia vendibilis ſit.

An autem pro defatigatione ex labore quæ contingunt in eiuſmodi actionibus pretium accipi poſſit, nécne, dicetur *c. ſeq.*

QVINTO QVÆRO, an in neceſſitate poſſit emi ſacramentum ab eo, qui non vult aliter miniſtrare. 11.

Quadruplex ſententia.

RESPONDEO eſſe quadruplicem ſententiam. Prima abſolutè negat licere, quia intrinſecè malum eſt emere ſacramentum, in caſu autem etiam neceſſitatis non poteſt dari pecunia petenti illam vt miniſtret ſacramentum, niſi emendo ſacramentum; ergo, &c. Secunda diſtinguit inter extremam neceſſitatem ſimpliciter,

Digitized by Google

qualis eſſet in puero baptizando, & neceſſitatem grauem, qualis eſſet in adulto, qui per contritionem ſaluari poſſet. In priori ergo affirmat poſſe dari pecuniam non animo emendi, ſed tantùm tollendi impedimentum, & ſatiandi auaritiæ alterius, vt hoc impedimento remoto, miniſtrare ſacramentum poſſit, excuſat autem extrema neceſſitas vt hoc modo poſſit dari; quiſque enim habet ius naturale vitandi damnationem proximi, ideóque nec erit ſimonia expreſſa ob defectum intentionis, nec interpretatiua ob cauſam rationabilem quam is habet vitandi apparentem ſimoniam ob neceſſitatem extremam proximi. In poſteriori caſu negat, quia cùm non ſit extrema neceſſitas, ceſſat ratio excuſans ab interpretatiua ſaltem ſimonia.

Tertia ſententia idem aſſerit quod ſecunda, ſed diuerſo cum fundamento, & eſt Soti *lib. 9. instit. quæſt. 6. art. 1.* licet dare pecuniam pro paruulo, quia in eo caſu licet emere, vendere autem numquam licet, licet autem emere, quia non fit ob finem temporalem, ſed ob neceſſitatem ſpiritualem & extremam; non licet autem in adulto hoc ipſo quòd non eſt extrema neceſſitas, & ita vitanda occaſio ſcandali, videretur enim dando pecuniam, conſentire iniquitati alterius.

Quarta conuenit cum ſecunda, quòd liceat dare pecuniam non vt pretium ſacramenti, ſed vt remouentem impedimentum prauæ voluntatis & auaritiæ, differt autem quia non ſolùm in paruulo id admittit, ſed etiam in adulto. Alb. Mag. Gabr. Adrian. Maior, & Vgol. quos citat & ſequitur Suar. *n.* 13.

12. *Poteſt dari pecunia non volenti aliter miniſtrare ſacramentum abſque ſimonia.*

Et cum hac tanquam probabiliore tenendum eſt. Et prima quidem pars, quòd non ſemper dare pecuniam iniquo miniſtro petenti illam, & nolenti aliter ſacramentum miniſtrare, ſit emere, patet tum ex dictis in prima ſententia, tum ex eo quòd non apparet cur non poſſit ſeparari per intentionem contrariam dantis & habentis ad hoc ius ex neceſſitate, datio pecuniæ ab emptione, cùm in eius poteſtate id ſit, & habeat tam magnam cauſam id agendi.

13. *Idque tam pro adulto quàm pro infante.*

Secunda verò quòd eadem ſit ratio in paruulo, & in adulto, conſtat ex eo, tum quia etiam in adulto poteſt datio pecuniæ, per intentionem ſeparari à ratione emptionis, & tunc etiam eſt ſufficiens cauſa ita operandi, tum quia maior obligatio cuique eſt ſubueniendi ſibi in ſpiritualibus, quàm proximo; quare ſi id licet ad ſubueniendum proximiori extremè indigenti, licebit etiam ad ſubueniendum ſibiipſi; & inæqualitas neceſſitatis, quæ eſſe poſſet in puero, non in adulto, computari poteſt inæqualitate maioris obligationis ex charitate ad curandam propriam ſalutem in adulto quàm alienam in puero, tum denique quia ſatis magna neceſſitas eſt illa adulti, cui tenemur ſubuenire etiam cum periculo vitæ, vt dictum eſt cùm de pœnitentia; ſufficiet ergo vt iuſtè ſeparari poſſit per intentionem datio pecuniæ ob alios honeſtos fines, ab emptione; quod ſi ſeparetur, iam non erit ſimonia, & conſequenter licebit etiam in adulto.

14. SEXTO QVÆRO, an ſi petatur pecunia in pretium ſacramenti, dari poſſit abſque ſimonia.

Etiamſi petatur in pretium, poteſt non dari eo modo, & ſic non erit ſimonia.

RESPONDEO & DICO PRIMO, ſi tãtùm id petat nec amplius vrgeat, poteſt qui dat pecuniam non dare iuxta intentionem petentis, ſed vel ad ſuſtentationem, vel in eleemoſynam, vel ad remouendum impedimentum, vel certè ſi non ſit adeò capax, intendat dare omni meliori modo quo poteſt. Suar. *n.* 15. ex mente aliorum.

Quid ſi vrgeatur ad ſic dandum.

DICO SECVNDO, ſi miniſter ampliùs vrgeat, & petat, vt qui dat profiteatur ſe dare illam pecuniam in pretium ſacramenti, non in alios fines dictos; ſiquidem id faciat in iniuriam Chriſtianæ religionis; hauddubiè deſiſtẽdum à pecunia danda, & deſtituendus puer, præualet enim iniuria religionis: adultus autem relinquendus prouidentiæ Dei, & auxilio per contritionem: ſi verò tantùm id faciat ex auaritia, & ex odio priuato, tunc poſſet qui dat vt verbis amphibologicis, accommodando illa ad mentem ſuam, alioqui dare in pretium, & affirmare cum iuramento quòd det cum hac intentione, nullo modo videtur licere, quamuis Sotus concedat, contra quem Suar. *numer.* 16.

SEPTIMO QVÆRO, an liceat pretio inducere ad dandum baptiſmum eum qui non vult dare ex odio. 15.

Nolentem dare ex odio, licet pretio inducere ad dandum.

RESPONDEO affirmatiuè; quia ex parte petentis nulla committitur ſimonia, neque n. pecuniam offert animo emendi, ſed tantùm auferendi impedimentum, vt dictum eſt *quæſt. præced.* nec inducit ad malum, ſed ad minus malum, nempe ad baptizandum pecunia extremè indigentem, quod minus malum eſt, quàm illum ſine ſalutis remedio relinquere. Ideóque qui ſic offert pecuniam, non ſimpliciter petit, vt det baptiſmum accepta pecunia, ſed ſub conditione ſaltem tacita; quòd ſi non vult deſiſtere à grauiſſimo peccato non baptizandi, ſaltem baptizet accepta pecunia ex alio titulo; quare non petitur actio ab eo quæ non poſſit niſi malè fieri, poſſet enim bene fieri, ſi gratis miniſtret, &c. vt rectè Suar. *n.* 17.

OCTAVO QVÆRO, an idem dicendum ſit de ſacramento Pœnitentiæ, & de Euchariſtia pro viatico. 16.

In pœnitentia idem fieri poteſt.

RESPONDEO & DICO PRIMO, de pœnitentia idem eſt dicendum, quod dictum eſt de baptiſmo in ſpecie, ſi enim conſtitutus ſit aliquis in extremis, & habeat conſcientiam peccati mortalis, & non ſit niſi vnicus ſacerdos, qui non vult audire confeſſionem, niſi recepta pecunia, poſſet illi dari modo explicato; quia hoc ſacramentum eſt tantùm neceſſitatis reſpectu peccatoris baptizati, ſicut baptiſmus reſpectu adulti non baptizati. notat id in particulari Vgol. ex Suar. *cap.* 12. *numer.* 18. De aliis ſacramentis non item, quia non ſunt tantæ neceſſitatis. Per accidens tamen cenſet Suarez, etiam poſſe extendi ad extremam vnctionem in caſu quo infirmus nullum aliud ſacramentum recipere poſſet. Idem de Euchariſtia, ſuo enim modo deficientibus aliis valde neceſſaria eſt. An autem neceſſitas recipiendi Euchariſtiam pro viatico ſit ſufficiens ratio etiamſi confeſſus ſit, & non habeat conſcientiam peccati mortalis, dubitatio eſſe poteſt; pro qua

Non in aliis, niſi per accidens.

17. *Probabile id poſſe fieri in Euchariſtia pro viatico.*

DICO SECVNDO, probabile eſſe, idem dicendum de ea, tum quia probabilis ſententia eſt, eam eſſe neceſſariam ad ſalutem neceſſitate medij, atque adeò adhibendam re ipſa quando poteſt abſque emptione ſacramenti, habita debita intentione, vt dictum eſt; tum quia malitia

tia

tia alterius non debet innocentẽ priuare tanto bono, ad quod habet alioqui ius, & poteſt bene vti malitiâ alterius; vt rectè Suar. *num.* 19. Qui denique addit alium caſum, de Euchariſtia conculcanda, vel comburenda ab hæretico, Iudæo, infideli, tunc enim data pecunia poſſet eripi de eorum manibus ad iniuriam ſacramenti auertendam: quod etiam cohærens eſt ſupradictis, & valde probabile.

18. NONO QVÆRO, an ſacramentalia ſint materia ſimoniæ. Pro reſponſione, ſupponendum ex Tractatione prima, de ſacramentis in communi, ſacramentalia eſſe omnes cæremonias & benedictiones ſacras, quæ fiunt in Eccleſia. Sacramentalis autem actio duplex eſt; vna tranſiens, quæ ſcilicet non habet effectum permanentem, vt benedictio nuptialis, exorciſmus, & huiuſmodi; alia permanens, quæ habet effectũ permanentẽ, vt benedictio aquę, conſecratio calicis, & ſimiles; prior vocatur ab aliquibus benedictio inuocatiua, poſterior conſtitutiua. Nos vtramque dicimus ſacramentale tranſiens, rem autem ſacram quæ per benedictionem conſtituitur, ſacramentale permanẽs: de vtraque agemus. Hoc poſito,

Sacramentalia quid ſint.

19. RESPONDEO & DICO PRIMO, ſacramentalia omnia tranſeuntia eſſe materiam ſimoniæ. Talia ſunt primò benedictiones omnes conſtitutiuæ prout ſunt in fieri. Secundò inuocatiuæ modò non ſint priuatę, quales à laicis etiam fieri poſſunt, vt benedictio menſæ paterna, & ſimiles, ſed publicę, quæ fiunt cum miniſtris Eccleſiæ ad hoc conſecratis, vt nuptialis, domus, ciborum, paramentorum, & ſimiles. Tertiò cæremoniæ quæ fiunt in ſacramentis conferendis, vt exorciſmus, catechiſmus in baptiſmo, & aliæ. Hæ ergo omnes ſunt materia ſimoniæ; tum quia omnes hæ ſunt actus ordinum, nec poſſunt fieri, niſi à ſacerdotibus, tum quia ſunt propriæ actiones ſpirituales procedentes à poteſtate ſupernaturali, & ordinatæ ad ſpiritualem finem: hinc colligitur ſimoniam circa res eiuſmodi eſſe contra ius diuinum & naturale; & prohibentur etiam iure Canonico ſub lege prohibente vendi ſacra miniſteria.

Sacramentalia tranſeũtia ſunt materia ſimoniæ.

20. DICO SECVNDO, ſacramentalia omnia permanentia eſſe etiam materiam ſimoniæ, hoc eſt, res ipſę conſecratæ & benedictę, vt tales ſunt, eſt communis Theologorum ex Suarez *cap.* 14. *numer.* 3. Probatur tum ex iuribus *in cap. cùm in Eccleſia. de ſimon. & cap. ſi quis obierit.* 1. *queſt.* 3. vbi res conſecratæ prohibentur eſſe venales, vt Eccleſia, templum, ſepultura. tum ratione, quia ſunt res verè ſacræ, & conſequenter ſupranaturales, & ſpirituales, ideóque ſi cariùs vendantur ratione conſecrationis, vel benedictionis, ſimonia committitur contra ius diuinum naturale, vt pluribus Suar. *n.* 3.

Etiam ſacramentalia permanentia.

Si vendātur, eſſet ſimonia.

21. DECIMO QVÆRO, an res conſecratæ vendi poſſint ratione materiæ, non obſtante conſecratione.

RESPONDEO eſſe duplicem ſententiam. Primã Canoniſtarum, eiuſmodi res ſemel conſecratas, quamdiu conſecrationem retineãt, vẽdi non poſſe, ſed ſi quæ ſint quæ confractæ, aut reſciſſæ amittant conſecrationem, priùs eſſe frangendas, & poſtea illam materiam vendi poſſe. Vnde Calix, patena, ex alia vaſa ſacra, quia poſſunt confracta & priuata forma illa artificiali, amittere conſecrationem, poſſunt ita confracta vendi: at chriſma, oleum, panis & ſimilia conſecrata, quia poſt conſecrationem nõ poſſunt amplius priuari ea forma conſecrationis, & reuerti ad humanos vſus, ideo inuendibilia ſunt etiam ratione materiæ. gloſſ. *cap. ea quæ, & cap. non ſatis, & cap. in tantum. de ſimon.* vbi DD. Panor. Angel. Tablen. & fauet S. Thom. *q.* 100. *art.* 4. *ad* 1.

Duplex ſententia.

Secunda ſententia eſt, res ſacras vendi poſſe ratione materiæ, ſiue ſint res arte factę, vt calices, patenæ & vaſa ſacra; ſiue naturales, vt oleũ, chriſma, aqua, panis, &c. eſt communis ex Suar. *cap.* 14. *numer.* 6. vt Duran. Palud. Riccar. Caiet. Sylueſt. Nauarr. *cap.* 23. *numer.* 108. Anton. & ipſius S. Thom. *d. art.* 4. *ad* 1. 2. & 3. ſi attentè legatur, hi enim indifferenter loquuntur de rebus ſacris, etſi nominent ferè ſemper vaſa, & veſtes ſacras.

Dicendum ergo cum hac ſecunda ſententia, omnia ſcilicet, quæ ſunt antecedenter annexa ſpiritualibus, hoc eſt, ſecundùm ſe, antecedunt conſecrationem & ſpiritualitatem, vt ſunt vaſa ſacra, veſtes, oleum, chriſma, &c. vendi poſſe ſpectata ſecundùm ſe, & ratione materiæ. Ratio eſt, quia res eiuſmodi ratione ſuæ ſubſtantiæ, & naturalis conditionis æſtimabiles ſunt pretio, nec amittunt valorem ex conſecratione, quamuis nouum non acquirant ex illa: poterunt ergo ratione illius vendi etiam poſtquam conſecratæ ſunt. Nec obſtat, quòd non poſſint amplius ad profanos vſus conuerti. Reſpondeo enim id eſſe accidentarium, & pertinere magis ad reuerentiã debitam rebus ſacris, quàm vt amittant valorem ex conſecratione. Denique iã hic vſus increbuit, vt calices ſacri, & alia vaſa vendantur abſque eo quòd frangantur priùs, nec aliter ſaluari poteſt, niſi ratione quam diximus. 22.

Res conſecrata vendi poſſunt ratione materiæ.

VNDECIMO QVÆRO, an ſit admittenda aliqua exceptio, vel limitatio ad regulã generalem iam datam. 23.

RESPONDEO duas limitationes afferri ſolere à pleriſque, ex Caiet. *v. ſimonia.* Prima eſt, niſi per Eccleſiam venditio talis rei conſecratæ prohibita ſit. Sed primò hîc non agimus niſi de ſimonia ex natura rei; quare etiamſi Eccleſia prohibeat venditionem alicuius rei conſecratæ, non propterea eſſet inuendibilis ex natura rei, ſed tantùm ex iure poſitiuo. Secundò non adducitur exemplum aliquod, nam quod affert Caiet. de quibuſdam officiis, non videtur pertinere ad hoc caput rerum, vt dicetur infrà. De chriſmate non colligitur vniuerſalis prohibitio, ſi quæ autem eſſet, haberet locum etiam in foro conſcientiæ. De ſepultura dicetur alibi.

Prima limitatio.

Secunda limitatio, niſi in re compoſita ex materia, licèt ſpirituali, minus principale eſſet id, quod ſe tenet ex parte materiæ. Sed refellitur ſatis efficaciter à Suar. *cap.* 14. *numer.* 9. tũ quia ſemper ſpirituale debet eſſe principalius, cùm ſit altioris ordinis, tum quia difficile eſt agnoſcere, quod non ſit principalius, tum denique quia etiamſi materiale ſit minus principale, cur non poterit vendi res ratione eius quantum id valet. 24.

Secunda limitatio.

Quid verò alij addunt de materia rei ſacræ quando eſt magni, vel parui valoris. ſi enim ſit parui valoris, vt in aqua benedicta, vel Agnus Dei, dicunt vendi non poſſe. Sed etiamſi ſit parui valoris, cur non poteſt vendi paruo pretio? De aqua verò benedicta communiter docetur contrarium 25.

Tertia ſi parui valoris ſit, vel magni.

Digitized by Google

trarium ex Suar. *numer.* 10. & Agni Dei ratione materiæ ſine ſcrupulo à viris timoratis venduntur & emuntur Romæ, vt ſæpe egomet vidi; & quamuis in vno Agno, ſi paruus ſit, parua ſit materia, tamen in multis, vel in vno ex maioribus, multum materiæ eſſe poterit. Conſtitutio autem Greg. XIII. omni certè ſtudio, non prohibet venditionem Agnorum Dei abſolutè, ſed pictionem eorum, & venditionem eorum ſic depictorum, vt diximus alibi.

Non obſtat primò quòd qui vendit rem quæ ſine alio ſubſiſtere non poteſt, neutrum inuẽditum relinquitur, ex *cap. ſi quis obiecerit*, 1. *q.* 3. vbi infertur propterea non poſſe vendi Eccleſiam. Reſpondeo enim temporale, cui ſit adnexum ſpirituale, vt ius patronatus fundo, vel conſecratio calici, & vaſi ſacro, poſſe vendi; non autem temporale quod ſit adnexum ſpirituali; vt præbenda ſpirituali officio. Et quamuis videatur ibi ſermo eſſe etiam de primo, vt de Eccleſia, tamẽ dicendum, ſermonem eſſe de Eccleſia formaliter vt ſpiritualis eſt, quo pacto vendi non poteſt; vt omittam veram lectionem illius canonis aliá eſſe ex Gregoriano Codice; quo pacto non eſt ſermo de materiali Eccleſia, ſed de dignitate Epiſcopi, vel Abbatis, an poſſit vendi; vt aduertit Suar. *n.* 13.

Temporale cui ſit adnexum ſpirituale poteſt vendi.

Non contra.

26. Non obſtat ſecundò quòd in actionibus ipſis conſecrandi, & conficiendi ſacramentum inuenitur materiale, & formale, nam locutio, motio manus, verbi gratia, eſt materiale, ratio conſecrationis, & habitudo ad poteſtatem & finem ſpiritualem eſt formale: & tamen poſt coniũctionem materialis cum formali, materiale vendi non poteſt; ergo, &c. Reſpondeo & in his materiale nõ antecedere formale, ſed eſſe concomitans & intrinſecè permixtum, ideo non conſideratur ſeparatum à formali, ſecus in aliis. Ideo S. Bonau. ait, in his materiale etiam tenere locum ſpiritualis, vt ex Suar. *n.* 14.

Quando materiale non antecedit ſpirituale, non valet regula.

Non obſtat tertiò quòd ſepultura vendi non poteſt, nec ratione terræ eſt materialis, ex *cap. cùm in Eccleſia. de ſimon.* neque Eccleſia, ex *d. c. ſi quis obiecerit*, nec balſamum in chriſmate. *cap. dictum eſt.* 1. *quaſt.* 1. Reſpondeo enim ſepulturam, hoc eſt, locum ſacrum communem pro ſepulturis fidelium, prohibitum eſſe vendere alicui ad ſepulturam. *cap. abolendæ. de ſepult.* vnde malum eſt, quia prohibitum, prohibitum autem intuitu religionis, ideo peccatum contra eam ſpectat ad ſimoniam. Et quidem reſpectu clericorum in ordine ad loca ſacra in communi iure prohibitum eſt, quia ipſi non ſunt domini: reſpectu verò alicuius particularis, cuius is locus proprius ſit, non eſſet ſimonia ex natura rei, tamen ob ſpeciem quamdam eius extenditur prohibitio etiam ad hunc caſum, vt pluribus Suar. *num.* 21. & à fortiori eſſet ſimonia accipere aliquid pro loco honoratiore ſepulturæ, vt idem *numer.* 22.

Cæterùm vendere terram communem ad vſum ſepulturæ non eſt ſimonia, vt idem *numer.* 17. Vendere autem illam reſpectu habito ad benedictionem abſque dubio ſimonia eſſet, vt *numer.* 18. De Eccleſia iam dictum eſt, quomodo vendi non poſſit. Chriſma autem ex natura rei vendi poſſet, ſed ex Canonica prohibitione non poteſt abſque ſpecie ſimoniæ, vt Suar. *numer.* 23.

27. DVODECIMO QVÆRO, an reliquiæ Sanctorum poſſint vendi abſque ſimonia.

RESPONDEO & DICO PRIMO, non poſſe vendi. *cap. vlt. de rel. & venerat. ſanctorum.* gloſſ. *ibi* Abb. & alij. Syluest. *Reliquiæ.* prohibetur autem non ſolùm venditio earum, ſed etiam venalis quæſtus per oſtenſionem earum, vel locationem pro pretio. Ratio autem eſt, quia in iis non diſtinguitur materiale à formali, nec materiale eſt æſtimabile pretio ſi ſecundùm ſe ſpectetur; quin potiùs ſecundùm ſe ſunt ſuo modo res ſpirituales, vtpote partes hominis ſancti. Quòd ſi incluſæ ſint in vaſis argenteis, vel aureis, iam ratione illorum vendi poterunt, modò non plus vendantur propter relationem ad rem, quam continent. Idem dic de Roſariis, coronis, libris Euangeliorum, Antiphonarum, & ſimilibus.

Reliquiæ vendi non poſſunt abſque ſimonia.

DICO SECVNDO, licentiam vendendi res ſacras ratione materiæ, non debere extendi ad profanas negotiationes, vt ad locandas res ſacras pro pretio, vt calicem pro vſu ſacrificij, virtute enim eſt vendere vſum ſacrum, quod profana negotiatio eſſet, etiamſi ſacrificium ſit res ſacræ. In veſtibus autem ſacris, ſi ſæpius id accideret, quia vſu conſumuntur, concedi poſſet, vt Suar. *numer.* 25. ex Vgolino. Sacriſtæ autem non poſſunt aliquid exigere pro pretioſioribus veſtimentis, vel calice meliori, quæ præbeant ad ſacrificandum, vt idem *numer.* 26. 28.

Non debet licentia vendendi res ſacras, extendi ad profanas negotiationes.

CAPVT IV.

De eadem materia ſupernaturali, in rebus ſpiritualibus ex effectu.

PRIMO loco agendum de actibus ordinum procedentibus à poteſtate ordinis generatim. Secundò de iiſdem in ſpecie. Tertiò de diuinis officiis. Quartò de actibus ſoli operanti vtilibus, vt an liceat dare alicui pecuniam vt fiat Chriſtianus. Quintò quid ſi fiat pactum expreſſum vel tacitum. Sextò, an ingreſſus religionis ſit materia ſimoniæ. Septimò, an doctrina Theologica ſit materia ſimoniæ in ordine ad illam docendam. Octauò, an ſit materia ſimoniæ in ordine ad dandum conſilium ex ea, & concionandum. Nonò, an actus iuriſdictionis fori interni ſint materia ſimoniæ. Decimò an actus iuriſdictionis fori externi ſint materia ſimoniç. Vndecimò, an labor & defatigatio in operibus ſpiritualibus ſit materia ſimoniç. Duodecimò an omiſſio actuum ſpiritualium ſit materia ſimoniæ.

PRIMO QVÆRO, an actus ordinum procedentes à poteſtate ordinis generatim ſint materia ſimoniæ. 1.

RESPONDEO & DICO PRIMO, ita eſſe, atque adeò illos emere aut vendere ſimoniacum eſt. communis ſententia ex Suarez *cap.* 13. *numer.* 1. vt S. Thom. *quaſt.* 100. *art.* 2. ſignificans aliquid eſſe in iis ſpirituale quod vẽdi non poteſt, aliquid materiale quod vendi poteſt. Alij Theologi 4. *d.* 25. Sylueſter *ſimonia quaſt.* 9. Canoniſtæ *in cap. conſulere. de ſimon.* dicentes ſpiritualia quoad effectum eſſe materiam ſimoniæ; dici etiam poſſunt ſpiritualia quoad cauſam, quia diſponunt ad ſalutem, vel conferunt aliquam ſanctificationem; vnde cenſentur actus ſpirituales in ſe, in eſſe morali ex inſtitutione

Actus ordinis ſunt materia ſimoniæ.

Digitized by Google

ſtitutione Spiritus ſancti, ideóque pertinent ad ſpiritualem Dei cultum ex religione infuſam. Hinc patet ratio concluſionis, quia omnes hi actus ordinum ſupernaturales ſunt, & proximè ordinati ad ſalutem animæ, & in ſuo eſſe morali ſpirituales; quare erunt materia ſimoniæ. Confirmatur ex iure Canonico, in quo pro miniſterio Eccleſiaſtico prohibetur acceptio pecunię. *c. ad noſtram. de ſim. c. cùm in Eccleſia. & c. ſuam. eod.*

2. *Et ſimonia hæc eſt contra ius diuinum.* DICO SECVNDO, hanc ſimoniam eſſe contra ius diuinum naturale, ideóque prohibitam, quia mala eſt. Ratio patet, quia materia eius res eſt ſacra & ſpiritualis, & ſupernaturalis, ideóque non poteſt conſuetudo præualere contra illam; & qui vnum vendit quod ſine alio ſubſiſtere non poteſt, nihil inuenditum derelinquit, vt dicitur *c. ſi quis obiecerit. 1. quæſt. 3.*

3. SECVNDO QVÆRO de actibus ordinum in ſpecie, an ſint materia ſimoniæ.

Tales actus ſunt, abſoluere à peccatis, confirmare, baptizare ſolemniter, &c. RESPONDEO & DICO PRIMO, actus ex diuino iure requirentes certum ordinem ſunt materia ſimoniæ. Tales ſunt primò in ſacerdote abſoluere, & conſecrare; dare extremam Vnctionem, inter Deum & populum intercedere ſacrificium offerendo. Secundò in Epiſcopo, confirmare, & dare ordines. Tertiò baptizare ſolemniter, & benedicere nuptias etiam in ſacerdote.

4. *Item conſecrare Calices, Altaria, Templa, &c.* DICO SECVNDO, actus qui ſuam immediatam inſtitutionem habent ab Eccleſia, ſunt etiam materia ſimoniæ. Tales ſunt primò conſecrationes multarum rerum, vt calicis, altaris, templi, chriſmatis, & Agnorum Dei. Secundò aliæ ſimpliciores benedictiones, vt aquæ, veſtimentorum, ſacrorum corporalium. Tertiò aliç iure proprio ſacerdotibus competentes, vt quædam ex dictis; & prætereà benedictio nuptiarum, aquæ & ſalis, incenſi, cerei paſchalis, candelarum pro die Purificationis, & cinerum, de quibus ſunt multa iura, quæ offert Suarez *n. 5.*

5. *Functiones Diaconi, ſubdiaconi, &c.* DICO TERTIO, functiones diaconi, & ſubdiaconi ſunt etiam ipſæ materia ſimoniæ. Tales ſunt primò in diacono, miniſtrante Epiſcopo, vel ſacerdoti ſacra ſolemniter facienti. Secundò diſpenſatio Euchariſtiæ in abſentia ſacerdotis, & vrgente neceſſitate; olim etiam cùm ſub vtraque ſpecie communio dabatur, diſpenſatio ſanguinis. Tertiò in ſubdiacono eſt peculiare ſuum miniſterium in ſolemni Miſſa, legere epiſtolam, &c. ſi tamen epiſtola cantetur eo modo quo ſolet etiam fieri à laico, probabile eſt etiamſi non ſit actus ordinis, eſſe materiam ſimoniæ, quia valde ſacra actio eſt & ſacrum miniſterium: vt ex Vgol. Suarez *numer. 6.*

6. *Item actus ordinum minorum.* DICO QVARTO, actus inferiorum ordinum, vt Exorciſtæ, Acolythi, Lectoris & Hoſtiarij ſuo modo ſunt etiam materia ſimoniæ. Dixi *ſuo modo*, quia in ſingulis peculiaris ratio eſſe poteſt, & primò actus exorcizandi maximè ſpiritualis & ſupernaturalis eſt, non minus quàm actus gratiæ gratis datæ. Secundò actus Acolythi ſi fiat ex officio & cum ſolemnitate, materia eſt ſimoniæ, quia ſacrum miniſterium eſt, & valde coniunctũ cũ diuino ſacrificio; vt autem fit etiam à laicis ob coniunctionem cum ſacro miniſterio gratis fieri debet, & non venali modo; quamuis pro obligatione, vel ſuſtentatione, vel aliis titulis, de quibus infrà, poſſit aliquid accipi. Tertiò idem de actu lectoris, qui eſt ſacram lectionem veteris & noui Teſtamenti legere, vt in Matutino, Capitulis Horarum, &c. Quartò actus Hoſtiarij, vt fieri poteſt auctoritate ordinis, ſpirituale eſt, vt autem laico committi poteſt, non videtur de ſe materia ſimoniæ, quia valde materialis eſt, & remotus à ſacro miniſterio. Quintò officium cantoris non eſt proprium ordinis, & prout fit à laico non videtur materia ſimoniæ. Sextò, prima tonſura quamuis Ordo non ſit, aliquid tamen ſpirituale eſt, cùm per illam ſanctificetur perſona, & ſpecialiter Deo dicetur, ac proinde materia ſimoniæ, & comprehenditur ſub prohibitione, ne ordinationes emantur & vendantur, ex *c. cùm contingat. de ætat. & qual.*

TERTIO QVÆRO de diuinis officiis, an ſint materia ſimoniæ. Pro reſpóſione notandum, diuina officia generali ſignificatione comprehendere actus præcipuos poteſtatis ordinis, vt ſacramenta, & maximè Miſſam; hoc tamen loco tantùm ſermonem eſſe de actibus publicæ orationis quæ fit in Eccleſiis, vel in horis Canonicis, vel in exequiis, vel in publicis proceſſionibus, qui diſtinguuntur ab actibus ordinum, quia ſine ordinibus fieri poſſunt, & cadere ſub obligationem, ſicut cadunt in beneficiatis, monialibus, & religioſis non ordinatis. Hoc adnotato, 7. *Quid nomine diuini officij hoc loco intelligatur.*

RESPONDEO & DICO PRIMO, diuina officia prout fiunt in Eccleſia ex eius inſtitutione & per Eccleſiaſticos miniſtros, eſſe materiam ſimoniæ contra ius diuinum naturale, communis DD. ex Suarez *cap. 15. numer. 3.* & probatur ex iure Canonico *in cap. ad noſtram, cap. cùm in Eccleſia, cap. non ſatis. de ſimon.* in quibus generatim pro miniſterio Eccleſiaſtico aliquid recipi prohibitum eſt. Secundò ratione, quia ſunt quid ſpirituale tum ex principio & poteſtate ſpirituali, nam fiunt nomine Eccleſiæ delegantis eiuſmodi miniſterium, tum ex conditione propria, vtpote requirentia fidem & gratiam Spiritus ſancti, vt rectè fiant, vnde ſunt opera in ſe ſpiritualia, & continentia cultum Dei, ideóque religioſa; tum denique, quia ordinantur ad ſatisfaciendum Deo pro peccatis, & impetrandam gratiam, quare etiam ſuo modo cauſæ ſpirituales ſunt. 8. *Diuina officia ſunt materia ſimoniæ.*

DICO SECVNDO, ſuffragia mortuorum eſſe diuina officia, ideóque materiam ſimoniæ, ac proinde ea vendi, & pro iis pretium dari maximè prohibitum eſt. ita habetur *cap. ad Apoſtolicam, & cap. ſuam. de ſimon.* Ratio, quia ſpiritualia ſunt & Eccleſiaſtica officia, ideóque pretio illa æſtimare ſimoniacum eſſet. An autem aliquid poſſit accipi honeſto modo & titulo, dicetur infrà. nam loco ſtipendij, ſpontaneæ oblationis, ex conſuetudine licitum eſſe poteſt; non autem tamquam in pretium. In funere autem varij actus ſunt, quidam ſpirituales, vt pſalmodię, litaniæ, lectiones, Antiphonæ, orationes, ea quæ ſpectant ad pompam ſpiritualem, vt proceſſio clericorum, & etiam confraternitatum, concurrunt enim ad ſpiritualem actionem, & in auxilium animæ, ideóque quòd recipiuntur debent recipere per modum eleemoſynæ, vel ſuſtentationis; non per modum pretij. Quidam temporales & merè humani, vt deferre corpus defuncti, illud tradere ſepultu- 9. *Item ſuffragia mortuorum.* *Varij actus in funere.*

ræ,

Digitized by Google

tæ, cooperire, tumulum facere, ornare, mundare, & ſimilia, & pro his licitum eſt pretium exigere. Idem dicendum de aliis proceſſionibus.

Item priuatæ orationes vt ſunt impetratoriæ, vel ſatisfactoriæ.

10. DICO TERTIO, priuatæ orationes ſi conſiderentur vt ſunt vel impetratoriæ, vel ſatisfactoriæ, vel meritoriæ de congruo pro eo pro quo funduntur, ſunt materia ſimoniæ. S. Thom. *art.* 3. *ad* 2. & communis ex Suar. *numer.* 9. Ratio, quia ſub ea conditione ſunt res meræ ſpirituales, & procedentes à diuina gratia, & ordinantur ad effectum ſpiritualem. Iura autem de his locuta non ſunt, quia non ita neceſſe erat, ſicut de publicis. Conſuetudo autem, ſi qua eſſet accipiendi aliquid pro illis, intelligenda vt id quod datur non ſit per modum pretij, ſed eleemoſynę & in ſuſtentationem orantis, vel per modum ſtipendij.

Actus virtutum vt ſunt in vtilitatem proximi, ſunt materia ſimoniæ.

11. Ex his patet, quid dicendum de virtutum actibus vt ſunt in vtilitatem proximi, an vendi poſſint. Primum enim eſt quatenus ſunt in vtilitatem ſpiritualem, & ad obtinendam à Deo aliquam rem temporalem, vel ſpiritualem; ſic eſſe materiam ſimoniæ, nec poſſe vendi; quatenus verò ſunt in vtilitatem temporalem præſtando ſeruitium corporale, ſic non eſſe materiam & poſſe vendi, vt pluribus Suarez *cap.* 15. *num.* 10.

12. QVARTO QVÆRO de actibus ſpiritualibus qui ſoli operanti vtiles ſunt, an licitum ſit dare pecuniam, vt quis Chriſtianus fiat, vel religionis, vel frequentet ſacramenta.

Duplex diſtinctio, inſufficiens.

RESPONDEO, omiſſa duplici diſtinctione, vna Hoſtienſis qui diſtinguit de neceſſariis ad ſalutem, vt baptiſmo, & de non neceſſariis, vt religione; & in pluribus aliquid poſſe dari, non in poſterioribus. Altera Abbatis, vel pecunia datur ad remouendum obſtaculum conuerſionis, & ſic licet dare; vel vt ſit motiuum operandi & veniendi ad fidem, & ſic non licet. Omiſſa, inquam, hac duplici diſtinctione, de qua tamquam inſufficienti legendus Suarez *c.* 16. *numer.* 1. & 2. Illa maximè probatur, vt dicamus, duobus modis poſſe aliquid dari alteri intuitu conuerſionis eius. Primò ſimpliciter, vel nomine eleemoſynæ, vel in ſignum amicitiæ vt alter paulatim alliciatur, & faciliùs inducatur ad conuerſionem. Secundò ex pacto expreſſo, vel tacito, do vt facias, ita vt qui recipit, promittat, & ſe obliget vi muneris. In hac quæſt. agetur de primo modo; pro quo

Intuitu conuerſionis ad fidem, quomodo poſſit aliquid dari.

Nomine eleemoſynæ, vel in ſignum amicitiæ poteſt dari.

13. RESPONDEO & DICO PRIMO, modo licitum eſt dare aliquid proximo intuitu conuerſionis eius, vel vt alliciatur ad quodcumque exercitium virtutis. Recipitur ferè ab omnibus ex Suarez *cap.* 16. *numer.* 3. vt S. Thom. *art.* 3. *ad* 4. Sot. *ibi* & aliis. Probatur primò ex gloſſ. *cap. quàm pio, cap. debet.* 23. *q.* 4. & *cap. dilectus.* 2. *de ſimon.* quemque debere proximum adducere ad Dei cultum non ſolùm doctrina, ſed etiam beneficentia, hoc eſt, donis & beneficiis. Secundò ratione, quia cùm non interueniat pactum, non poteſt eſſe emptio, nec venditio, nec conſequenter ſimonia; illa autem intentio optima eſt; quare nulla adeſt malitia ex ſe. Dixi *ex ſe*; quia in exceſſu munerum poteſt committi culpa, adeò vt alter principaliter conuerteretur propter humanum reſpectum, ne videatur ingratus; ſic autem exponitur periculo fictionis & circumſtantiæ, vt rectè Suar. *n.* 4.

QVINTO QVÆRO, quid iuris, quando fieret pactum expreſſum vel tacitum, do vt facias. 14.

Duplex ſententia.

RESPONDEO eſſe duplicem ſententiam. Primam ferè communem, negantem licere donationem per modum pacti. S. Thom. *art.* 3. *ad* 4. ibique Caiet. Sot. Arrag. Valent. Ang. *ſimonia* 3. *numer.* 26. Syluest. *quæſt.* 8. & alij apud Suarez *cap.* 16. *numer.* 9. Secunda affirmat licere pactum vbi agitur de conuerſione alicuius ad fidem. gloſſ. *cap. quàm pio.* 1. *quæſt.* 2. *verb. interuenit. & cap. debet* 23. *quæſt.* 4. Adrian. *quodlib.* 9. *art.* 3. *ad* 3. Sanch. *lib.* 1. *de matr. diſp.* 39. Leſſ. *lib.* 2. *cap.* 35. *dub.* 12. & alij apud eumdem *n.* 10. Hoc poſito,

Donatio facta intentione vt donatarius faciat opus ſpirituale, non eſt mala.

DICO PRIMO, dare aliquid de præſenti alicui, vt faciat opus ſpirituale, vel de præcepto, vel de conſilio, vel vt vitet peccata, non eſt malum, ita vt donatio fiat abſolutè, & qui accipit ſtatim acquirat dominium, non maneat tamen obligatus ad opus ſpirituale. Molin. *tract.* 2. *diſp.* 93. *concluſ.* 4. Suarez *numer.* 12. Ratio eſt, quia tunc re vera nullum fit pactum; & alioqui actio illa vt donatio non eſt mala ex obiecto, nec ex fine, immo bona, nec ex modo mala eſt; quia donum illud non datur vt pretium hoc ipſo quòd non adeſt pactum. Ita mater dat filio munera, vt bona opera exequatur, & licèt interdum dicat ſe dare cum tali conditione, non eſt propriè conditio, ſed modus quo intentio explicatur. eodémque modo licita eſt donatio ad inuitandum ad religionem, vel fidem. Dixi *ita vt qui accipit, non maneat obligatus*, intellige determinatè ad illud opus, vt religionis, vel fidei; nam ſub disiunctione poſſet, eſt enim donatio limitata pro arbitrio donantis, vt colligitur ex *capit.* 2. *de condit. appoſ.* 15.

Item promiſſio ſub conditione ſi fiat opus ſpirituale.

DICO SECVNDO, promittere aliquid ſub conditione expreſſa, ſi fiat opus ſpirituale, ita vt intendat quis ſe obligare ad promiſſionem adimpleta conditione, & non aliter, licitum eſt, nec eſt ſimoniæ labes, ſi ex parte eius cui fit promiſſio nulla oritur obligatiò. Ratio eſt, quia talis promiſſio non excedit donationem liberalem ordinatam ad inclinandam voluntatem alterius ad opus virtutis; hæc autem donatio licitá eſt ex præced. concluſione. Ità legatum ſub conditione, ſi Petrus fuerit religioſus validum eſt, & licitum, ex communiori apud Suar. *numer.* 14. & manumiſſio ſeruorum ſub hac conditione, dummodo monachi fiant, & in monaſterio perſeuerent, & non aliter, valida declaratur, & ſeruari præcipitur *cap.* 2. *de cond. app.* Confirmatur, quia in effectu eſt tantùm optio quædam gratuito homini oblata, vt hoc vel illud obligat ſuo arbitrio, non autem coactio, vel obligatio; conſequenter neque pactio, neque ſimonia. Ita damnato ad mortem conceditur vita, ſi velit fieri religioſus. Infideli promittitur matrimonium cum ea contrahendum ſi conuertatur; domino etiam licet affligere ſeruum infidelem oneribus iuſtis, vt conuertatur, vexatio enim ſæpe dat intellectum. 16.

Dare temporale ſub pacto operis ſpiritualis, ſimonia eſt.

DICO TERTIO, dare vel promittere temporale ſub pacto vt alter obligatus maneat ad opus ſpirituale, ſimonia eſt. Procedit concluſio iuxta priorem ſententiam, aliæ duæ iuxta ſecundam. Probatur primò ex iure Canonico. *cap. quàm pio. tit. cap. quæſitum. de rer.* 17.

Digitized by Google

rer. permut. cap. vlt. de pactis. Omnia enim pacta, & conuentiones in materia ſpirituali reprobata ſunt. Secundò ratione, quia opus illud ſpirituale pro quo datur temporale, donum eſt deſcendens à Patre luminum; qui ergo pro illo munus accipit, donum Spiritus S. vendit; qui verò dat munus, emit. Denique ſi liceret hoc modo dare temporale donum alicui vt velit baptizari, eodem modo liceret dare, vt vellet baptizari; quare ita poſſet ſaluari omnis pactio ſimoniaca; vt fuſiùs docet Suar. *n. 6.* qui etiam ſoluit argumenta contraria *num.* 17. & deinceps.

18. SEXTO QVÆRO, an ingreſſus religionis ſit materia ſimoniæ. Pro reſponſione aduertẽdũ, cõparari poſſe ingreſſum ad monaſterium duobus modis, primò vt monaſterium vendat ſtatum religioſum, & ingrediens illum emat. Secundò vt monaſterium emat perſonam ingredientẽ, & ingrediens vendat ſe ad monaſteriũ. Priori modo pertinet ad hunc locũ, ſed ad cõplementum dicetur etiam de ſecundo, ad quẽ pertinet quæſtio textus *in c. quàm pio.* cùm enim quoddam monaſterium Prælato caueret, & ex alio illum poſtularet, hoc nolebat illum concedere, niſi facta ſibi aliqua recompenſatione. Hoc animaduerſo,

19. *Monaſterium dans temporale pro impetranda perſona in Prælatũ ſimonia eſt.* RESPONDEO & DICO PRIMO, ſi ſecundo modo comparatiò fiat, tunc ſi per modum pacti detur aliquid temporale à monaſterio pro impetranda perſona ad prælationem Eccleſiæ, ſiue detur ipſi, ſiue alteri, ſimonia eſt. Patet ex præced. quæſt. & præterea; quia qui ſic vendit, aut locat ſuam perſonam ad tale miniſterium, vendit ipſum miniſterium: at vendere miniſterium ſpirituale pro temporali emolumento, ſimonia eſt. Nec obſtat quòd temporale illud poterat peti pro recompenſatione damni ex priuatione religioſi, qui erat vtilis fortè, & lucroſus monaſterio. Reſpondeo enim id eſſe per accidens, & tunc locum haberet, quando eſſet omnino temporale, at in caſu poſito prouenit ex concomitantia, & adnexione ad ſpirituale; vt infrà dicetur *c. ſeq.*

20. *Vendere ſtatũ religioſũ pro re temporali data ab ingreſſione ſimonia eſt.* DICO SECVNDO, ſi primo modo cõparetur, tunc ex natura rei ſimonia eſt, recipere aliquem in religionem, vendendo illi talem ſtatum. eſt communis ex Suarez *cap.* 17. *num.* 5. Ratio eſt, quia res quæ venditur, maximè ſpiritualis eſt, tam ex parte principij, quod eſt Spiritus S. deducens & inſpirans in viam rectam religionis, quàm ex fine proximo, qui eſt cultus Dei, & ſpiritualis profectus ingredientis.

21. *Recipere aliquid ad onera ingreſſuri ſuſtentanda, nõ & ſimonia ex natura rei.* DICO TERTIO, ad ſuſtentanda onera temporalia non eſt ſimoniacum ex natura rei, aliquid recipere pro perſona ingrediente. S. Thom. *loc. cit.* & alij citandi *in ſeq. concl.* Ratio eſt, quia hoc modo non accipitur temporale pro ſpirituali, ſed pro temporali, vt dictum eſt de matrimonio, quod vt ſacramentum eſt, & quid ſupernaturale, gratis omnino conferendum eſt; vt autem eſt humanus contractus, & habet adnexa onera temporalia, licitum eſt pro eo ab vtroque coniuge aliquid conferri; ſic ergo Profeſſio duo habet, primum eſſe ſtatum quendam ſpiritualem, & genus quoddam conſecrationis perſonæ ad cultũ Dei, & vt ſic nihil poteſt pro eo recipi. Secundum eſſe humanum quendam contractum inter profitentem & religionẽ; ille n. totum ſe tradit religioni, & religio ſe obligat ad illum ſuſtentandum; vt recte Suar. *n. 6.*

DICO QVARTO, nec etiam iure Eccleſiaſtico ſimpliciter prohibitum eſt aliquid recipere pro dictis oneribus ſuſtentandis. S. Th. *art.* 3. *ad* 4. & alibi. Caiet. *ibi.* Syluestr. *Simonia. q.* 15. Ang. *ſim.* 4. Sot. *lib.* 6. *q.* 6. *art.* 2. & alij apud Suar. *n.* 7. Ratio, quia nullum eſt decretum id oſtendens, vt rectè ponderat Suar. *n.* 13. 14. *&* 15. Vel enim tantùm prohibetur id quod iure diuino prohibitum eſt, nempe receptio alicuius rei temporalis pro religionis Profeſſione, vt eſt quid ſpirituale, vel non abſolutè, ſed ſuppoſito quòd monaſterium diues ſit, & non egeat, vt dicemus; vel ſi eſſet aliquod decretum, contraria conſuetudine abrogatum eſt, vt patet communi vſu in monialibus, nec aliter fieri moraliter poterat; ſi n. plures recipiendi erant in religione, & ab ea ſuſtentari non poterant, vtique aliquid recipiendum erat ab ingredi volentibus. 22. *Nec etiam iure Eccleſiaſtico.*

Dixi, *non ſimpliciter iure Eccleſiaſtico eſſe prohibitum,* quia duas limitationes adhibent DD. Primam vt reuera monaſterium egeat, alioqui non ſolùm eſſet iniuſtitia, quia reditus monaſterij Eccleſiaſtici ſunt; ideóque gratis expendi debet in his operibus ad quæ sũt deſtinati ab Eccleſia, verùm etiam ſimonia ſaltem ſuppoſita prohibitione Eccleſiæ, quia intuitu religionis virtutis ea prohibitiò facta eſt, tam *in c. tua nos. de ſimon.* quàm *in c. quoniam. eod. & in Extrau.* Prima de ſim. vt pluribus docet Suar. *n.* 10. Secunda limitatio, vt pactum non intercedat. Verùm hæc nõ eſt cõmunis, ſed tantùm aliquorum Iuriſtarũ, & in Caiet. Nau. Sot. & aliis nõ admittitur; & iure, tum quia nõ eſt illicitum ſeducere in pactum, quod licitũ eſt petere, ita vt niſi detur opus non fiat; tũ quia impoſſibile ferè eſt cõcedere quòd liceat recipere aliquid ad onera perſonæ ſuſtentandi, & prohibere pactũ; moraliter n. ſine pacto inter homines hæc nõ fiunt, vt rectè Suar. *n.* 12. Quare iuxta cõmunem ſententiã, non eſt prohibitũ iure Can. in vero caſu neceſſitatis aliquid recipere, & de illo pactũ facere, explicãdo illud eſſe pro neceſſaria ſuſtẽtatione. Cõfirmatur ex Trid. *ſeſſ.* 25. *c.* 16. *de reg.* diſponente circa bona ingredientium, & concedente poſſe aliquid recipi pro ſuſtentatione nouitij pro tempore prohibitionis, vt rectè ponderat Suar. *n.* 18. 23. *Niſi cum duabus limitationibus.* 24. *Secunda limitatio vt pactum non fiat, non eſt neceſſaria.*

SEPTIMO QVÆRO, an doctrina Theologię ſit materia ſimonię in ordine ad illã docẽdã. Pro reſpõſione aduertẽdũ, ſupernaturalẽ doctrinã nõ modò dici fidẽ ipſam, ad quã reducuntur graię omnes etiam gratis datæ, & omnia dona ſupernaturalia quę cõferre ſolet Deus vel ad intelligendã Scripturã, vel ad nõ errandum in doctrina fidei, verùm etiã dicitur doctrina ſupernaturalis, ipſa ſciẽtia Theologię, ſiue Scholaſticę, ſiue poſitiuę. Et fides quidẽ vt habitus eſt, vẽdi nõ poteſt, vt actus; neque, ſiue vt eſt perfectio ipſius habẽtis, & habet rationem diſciplinę, ſiue vt traditur alteri, & habet rationẽ doctrinæ; ſẽper n. donũ ſupernaturale eſt pretio inæſtimabile, vt pluribus Suar. *c.* 18. *n.* 2. Dubitatio ſolùm ſupereſt de Theologiæ doctrina, cuius functiones tres pręcipuę ſunt. Prima, vt eã doceamus ad inſtituendas mentes. Secunda, vt iuxta eã conſiliũ detur in ordine ad cõſcientiã. Tertiò, vt prædicetur populo in cõcionibus, vel tradãtur rudimẽta pueris. in hac q. ſermo erit primo modo. 25. *Nomine ſupernaturalis doctrina, & fides & Theologia, intelliguntur.* *Theologia functiones tres.*

RESPONDEO & DICO PRIMO, pro docenda Theologia ſiue Scholaſtica, ſiue poſitiua probabilius eſt recipi poſſe pretium abſque ſimonia, hæc eſt communis ſententia ex 26. *Recipi poteſt pretium pro docẽda Theologia abſque ſimonia.*

ex Suar. *c.* 18. *n.* 7. vt Adrian. Caiet. Victor. Sot. Leſſ. & aliorum ratio potiſſima eſt, quia licèt doctrina ipſa Theologiæ in ſe ſupernaturalis ſit, vtpote procedens ex principiis fidei, & certior, quàm ſcientiæ naturales, tamen actiones magiſtri illam docentis naturales ſunt, & naturali modo cooperãtur ad hoc vt Auditores eam addiſcant; & quamuis aſſenſus ſupernaturalis ſit, tamen ſolùm labor venditur, & opera poſita in alio iuuando. Confirmatur, quia ſi daretur beneficium quod non habet coniunctum munus docendi, alicui cum pacto vt doceret Theologiam, eſſet ſimonia: ſignum ergo eſt docere Theologiam eſſe quid temporale, & pretio æſtimabile; poſſet tamen huic rationi reſpõderi, fore ſimoniam, quia in datione beneficiorum omnis pactio prohibita eſt. Dixi *probabilius eſſe quod recipi poſſit pretium*, quia contraria ſententia etiam probabilis eſt, ſi nempe dicatur, recipi aliquid in ſuſtentationem congruam, non autem in pretium.

27. *Nec eſt ſimonia, vendere licentiam docendi Theologiam.*

DICO SECVNDO, vendere licentiam ad docendum Theologiam, non eſt ſimonia ex natura rei. Suar. *n.* 14. ratio eſt, quia concedendo alicui Cathedram, datur licentia docendi Thelogiam, at Cathedram vendere licet abſque ſimonia, alioquin vendere ſuffragium in concurſu ad Cathedram ſimoniacum eſſet, quod nullus dixit, ex eodem. ſic etiamſi Princeps, vel Rector ſtudiorum, pro conferenda Cathedra Theologiæ aliquid acciperet; poſſet quidem eſſe turpe lucrũ, non tamen ſimonia, quia nec poteſtas ex qua datur, ſpiritualis eſt, ſed temporalis, nec actus ad quem datur ſpiritualis eſt. Atque ita ſentiunt Innoc. Abb. & alij *in c.* 2. *de mag.* quos refert Suar. *d. n.* 14.

28. *Nec vendere magiſterium Theologiæ.*

DICO TERTIO, nec vendere magiſterium Theologiæ, ſimonia eſt, ſi propriè loquamur. ratio eſt, quia gradus eiuſmodi ſolùm ſunt publicæ quædam approbationes ad officium docendi, conſulendi, & ſimilia cum aliquibus priuilegiis, & honoribus omnino temporalibus; ideóque habilitas illa ad docendum, quæ nomine gradus ſignificatur, æſtimabilis pretio eſt. Hinc eſt vt iura quæ prohibent contributiones pro recipiendis perſonis ad muneca Eccleſiaſtica, vt *cap. cùm in Eccleſi. de ſimon.* non comprehendant hos gradus.

29. *Obligatus ex beneficio ad docendam Theologiam, ſi petat aliquid erit iniuſtus, non ſimoniacus.*

DICO QVARTO, qui ratione beneficij obligatur ad docendam Theologiam, ſi petat aliquid pro ipſa doctrina, iniuſtus quidem erit, niſi conſuetudine, vel alio titulo excuſetur; at ſimoniacus non erit ex natura rei, quia ſemper accipitur temporale pro functione temporali; iure tamen Eccleſiaſtico prohiberi potuit tãquam ſimoniacum, prohibendo exactionem tanquam extortam pro re adnexa rei ſpirituali ex præcepto Eccleſiæ. vt Suar. *n.* 17.

30. OCTAVO QVÆRO, an eadem doctrina ſit materia ſimoniæ in ordine ad dandum conſilium ex ea, & concionandum.

Dare conſiliũ ad iuſtitiã in foro externo, ob pretium nõ eſt ſimonia.

RESPONDEO, & DICO PRIMO, ſi conſilium concernat ſolùm forum externum & iuſtitiam in ordine ad illud, non eſt materia ſimoniæ. ratio, quia actus eſt merè naturalis, & conditio perſonæ quòd ſit Theologus, accidentaria eſt, vſus autem doctrinæ Theologicæ in actibus merè naturalibus & ad inſtructionem intellectus tantùm, æſtimabilis eſt pretio. Suarez *numer.* 18. ex Victor. *in relect. de ſimon.*

DICO SECVNDO, ſi conſilium detur ad parandam conſcientiam, & in illius foro, nec eſt materia ſimoniæ, dummodo ſiſtat in pura inſtructione intellectus. ratio, quia tale conſilium dicetur potius doctrinale quàm ſpirituale, & ordinatur ſolùm ad inſtructionem mentis; inſtructio autem hæc non eſt minus naturalis, quàm ſi daretur in materia ſpeculatiua. Atque ita ſentit S. Th. *artic.* 3. *ad* 3. iis verbis, *licitè poteſt pretium ſuæ doctrinæ, ſeu conſilij accipere.* idem Caiet. & Sot. & Nau. *c.* 23. *n.* 100. 31. *Nec ſi detur ad parandum conſcientiam inſtructiuè.*

Contraria autem ſententia probabilis eſt, quando conſilium eſſet exhortatiuum, & ordinaretur proximè ad animæ correctionem; vel eſſet conſilium potius pendens ex dono Spiritus ſancti, quàm ex ſola doctrina & humano ſtudio, vt pluribus Suar. *n.* 20. & 21. *Secus, ſi exhortatiuè.*

DICO TERTIO, actus concionandi, & conſequenter doctrina Theologica vt conſiſtit in concione, eſt materia ſimoniæ. communis DD. ex Suarez *numer.* 22. S. Th. *artic.* 3. *ad* 2. ratio, quia actus concionandi eſt verbum Dei, & concionator eſt velutì legatus miſſus à Deo ad exercendum illud munus, ex Matth. vlt. *Euntes ergo prædicate*, &c. Verbum autem Dei eſt res ſpiritualis, & prædicatio opus Dei, cuius homo inſtrumentum eſt; ergo, &c. 32. *Theologia expoſita in actu concionis, eſt materia ſimoniæ.*

In ſuſtentationem autem, & pro labore concionandi, dicetur infrà poſſe aliquid accipi, non autem tanquam pretium; eſt enim pretioſior res, quàm vt vllo pretio æſtimari poſſit; vt ex Auguſtino idem docet *numer.* 23. Ex his patet quid dicendum ſit de doctrina Chriſtiana, an eam docere ſit actus, qui ſit materia ſimoniæ. Reſpondendum enim eſt, ſi doceatur ſolemni ritu, tanquam actus ordinis, ſicut fit in Baptiſmo, materiam eſſe ſimoniæ, quia eſt miniſterium ſacrum, ſicut alij actus ordinis; quo pacto rectè dixit Leſſ. *cap.* 35. *dubit.* 13. eſſe ſimoniam. Si verò doceatur modo perſuaſiuo, exhortando, & concionando, ſic eandem eſſe rationem ſicut de concione diximus. Si tertiò doceatur tanrùm ad iuuandam memoriam alterius, & exercendam illam, ſicut ſolent docere magiſtri Grammaticæ, & alij qui præficiuntur in claſſibus puerorum, ſic in rigore non eſt materia ſimoniæ, eſt enim actus naturalis ordinatus ad rem naturalem, vt rectè Suar. *n.* 24. & Vgol. Tab. 1. *c.* 10. *num.* 3. *de ſimon.* 33. *Niſi detur temporale in ſuſtentationem.* *Docere Chriſtianam doctrinam, quãdo ſit materia ſimoniæ.*

NONO QVÆRO, an actus iuriſdictionis fori interni ſint materia ſimoniæ. Per iuriſdictionem fori interni, comprehenditur tota illa iuriſdictio, quæ eſt adnexa curæ paſtorali parochorum, ſiue tanquam neceſſaria ad valorem ſacramenti, vt in Pœnitentia, ſiue ad rectum vſum illius, vt in cæteris. Hoc poſito, 34. *Iuriſdictio fori interni.*

RESPONDEO, & DICO PRIMO, omnes actus eiuſmodi iuriſdictionis ſunt materia ſimoniæ. Patet ex dictis *q.* 1. 2. & 3. quia enim vſus eius conſiſtit in miniſterio ſacramentorum, ſacrificiorum, aliorúmque officiorũ diuinorum, & verbi diuini; actus autem eiuſmodi iam probatum ſit eſſe materiam ſimoniæ: ſequitur etiam actus curæ paſtoralis Parochi, eſſe materiam ſimoniæ. 35. *Actus eius ſunt materia ſimoniæ.*

Id autem præcipuè verùm eſt in ſacramento Pœnitentiæ, in qua vſus iuriſdictionis eſt ſimul actus ordinis, & de ſubſtantia ſacramenti, ideóque non magis vendi poteſt, quàm ſacramentum ipſum; vel actus ordinis. ita commu *Præcipuè in Pœnitentia.*

Digitized by Google

communis S.Th. *q. 100. a.2. ad 3.* Sylu. Anton. Nauar. & aliorum apud Suar. *c. 15. n. 1.*

36. *In pœnitentia multis modis peccari poteſt.* DICO SECVNDO, multipliciter peccari poteſt in iuriſdictione pertinente ad ſacramentum Pœnitentiæ. Primò, ſi ſumatur pretium pro confeſſione audienda, inde enim inchoatur ſacramentum. Secundò, ſi poſt confeſſionem pro conferenda abſolutione pecunia exigatur, ſiue pœnitens dignus ſit, ſiue indignus, ſemper enim eſt vſus, vel abuſus iuriſdictionis ſpiritualis; vendit enim poteſtatem ſpiritualem quantum eſt ex parte ſua. Tertiò ſi neget abſolutionem pœnitenti propter pecuniam ab alio acceptam, vt habetur *c. nemo. de ſimon.* eſt enim etiam illa denegatio actus clauium, quo pœnitens virtualiter declaratur indignus abſolutione. Quartò, ſi pretium ſumatur pro leui pœnitentia imponenda, vel pro augenda. Quando autem imponerentur in ſatisfactionem aliquæ eleemoſynæ pro pauperibus, vel pro Miſſis dicendis, ſiquidem confeſſum cogat pœnitentem, vt ſibi tribuat eleemoſynam, ſimoniacum eſſet; ſi verò relinquat illum in libertate, etiamſi eo animo fecerit, vt ſibi imponeret dicendas, non eſt ſimoniacus. Quintò, ſi pro delegatione iuriſdictionis quæ fiat alteri confeſſario; vel pœnitenti: vt ipſe eligat quem voluerit, pretium accipiat; nam ea etiam eſt actus ſpiritualis. Sextò ſi pro abſolutione à cenſuris ſumatur pecunia, quatenus ea ſolet præmitti abſolutioni à peccatis in ſacramento Pœnitentiæ, eſt enim actus ſpiritualis, & procedit à poteſtate ſpirituali. Quòd ſi quis vexetur per iniuſtam cenſuram, & ſacerdos nolit illi dare, ſiquidem pecunia detur alteri ab eo qui abſolutionem daturus eſt, vt vexanti & vim inferenti, ſecundùm omnes non eſſet ſimonia; ſi verò detur eidem ad redimendam tantùm vexationem, non intentione emendi abſolutionem, probabilis eſt ſententia gloſ. *in cap. dilectus de ſimon.* Anton. & Redoani, quam etiam Suarez *num.* 8. dicit eſſe in rigore veram, nempe non eſſe ſimoniam, quia intentio dantis eſt tantùm de tollendo prauo appetitu, vel affectu qui impedit ne det abſolutionem gratis, ad vitandam autem omnem ſuſpicionem mali, tunc tantùm deduci in praxim debet, quando ex carentia abſolutionis imminet aliquod damnũ, vt Abb. *in cap. ad aures de ſimon.* Septimò ſi concedatur indulgentia pro pecunia, conceſſio enim illa eſt actus ſpiritualis iuriſdictionis; idem pro quacumque gratia vel actu, qui ſolet in Iubilæis concedi à Pontifice ad indulgentiam obtinendam, vt pro commutatione voti, vel diſpẽſatione; pro abſolutione à reſeruatis, & ſimilibus. Octauò licentiæ omnes à Parochis concedi ſolitæ ſuis ſubditis, materia ſunt ſimoniæ; vt laborandi in die feſto, concedendi cibum prohibitum in aliquo die, & huiuſmodi. De actu autem aſſiſtendi matrimonio, etiamſi non ſit iuriſdictionis, tamen quia eſt actus muneris eius & officij ſpiritualis, ideo etiam illum vendere, ſimonia eſſet, vt pluribus Suar. *num.* 12.

37. *Varij actus iuriſdictionis fori externi.* DECIMO QVÆRO, an actus iuriſdictionis fori externi ſint materia ſimoniæ. Pro reſponſione aduertendum. Inter actus iuriſdictionis, alij ſunt quibus ipſis confertur, vt cùm datur alteri iuriſdictio ordinaria, vel delegata: alij quibus ipſa adminiſtratur, ſiue pertineant ad directionem, vt præcepta & leges, maximè Eccleſiaſtici fori; ſiue ad executionem, vt iudicia tam in ciuilibus, quàm criminalibus Eccleſiaſticarum perſonarum, ſiue ſint actus iuriſdictionis voluntariæ, vt diſpenſationes, priuilegia, conceſſiones facultatum & ſimilia; ſiue contentioſæ, vt actus pertinentes ad iudicia. Hoc animaduerſo,

RESPONDEO, & DICO PRIMO, actus quibus communicatur iuriſdictio ſpiritualis, ſunt materia ſimoniæ, contra ius diuinum. Eſt communis ex Suarez *cap. 20. numer. 4.* ratio eſt, quia non poſſunt vendi eiuſmodi actus, niſi vendatur ipſa ſpiritualis iuriſdictio ſimul, vendere enim actum quo res traditur, eſt vendere rem traditam; at vendere iuriſdictionem Eccleſiaſticam ſimonia eſt, eſt enim res ſupernaturalis, & conceſſa ad finem ſpiritualem & ſupernaturalem. Confirmatur, quia ſi communicetur iuriſdictio ordinaria, id non fit niſi cõferendo aliquam dignitatem, aut beneficium Eccleſiaſticum; hæc autem vendere, ſimonia eſſet, vt infrà; ſi communicetur iuriſdictio delegata, iam ipſa in ſe ſicut æſtimabilis pretio non eſt; ita neque ipſa commiſſio. 38. *Actus quibus conceditur iuriſdictio, ſunt materia ſimoniæ.*

Hinc ſequitur primò neque Epiſcopi Vicarium poſſe pretio conſtitui, nec aliquem iudicem ſpiritualem, ſiue ordinarium, ſiue delegatum. Quòd ſi in Romana Curia vẽdantur multi Clericatus Cameræ, & ipſemet Auditoratus, quæ ſunt munera conſtituta ad exercendam Eccleſiaſticam iuriſdictionem; duo in illis diſtinguenda ſunt, ipſa iuriſdictio, & emolumentum temporale quod ex eius adminiſtratione prouenire ſolet; primum illud non venditur, eſſet enim ſimonia contra ius diuinum. Secũdum verò ex ſe vendibile eſt; & licèt quatenus coniunctum iuriſdictioni ſpirituali vendi non poſſit ex iure Canonico, tamen reſpectu Papæ id locum non habet, qui poteſt illa duo diſiungere, & dare ſpirituale gratis, reſeruando ſibi emolumentum temporale, vel partem eius: alij inferiores Prælati non poſſunt. 39. *Vicarius Epiſcopi non poteſt pretio conſtitui.* *Auditoratus Cameræ, quomodo vendatur abſque ſimonia.*

Secundò ſequitur non poſſe vendi ius eligendi ad dignitates & beneficia, ex *cap. Matthæus. de ſimon.* nec ius confirmandi electionem, aut conferendi talia beneficia, vel inſtituendi in illis. ratio generalis eſt, quia ius eiuſmodi pertinet ad poteſtatem iuriſdictionis ſpiritualis; quare etiam ipſum ſpirituale erit, & conferre illud, actus iuriſdictionis ſpiritualis, ideòque materiam ſimoniæ; vt pluribus Suarez *numer.* 2. 40. *Ius eligendi, vendi non poteſt.*

DICO SECVNDO, actus iuriſdictionis voluntariæ, quatenus ordinantur ad effectum ſpiritualem ſunt materia ſimoniæ. communis DD. ex Suarez *cap. 20. num.* 8. Probatur tum ex *cap. ad noſtrum, cap. contulere, & c. nemo presbyterorum. de ſimon.* tum ratione, quia tales actus iuriſdictionis ſunt diſpenſationes votorum, relaxationes iuramentorum; & diſpenſationes in legibus Eccleſiaſticis, irregularitate, impedimentis matrimonij, & ſimilibus: at hæ diſpenſationes ſunt actus ſupernaturales poteſtatis iuriſdictionis tùm ex parte principij vt conſtat, tum ex parte finis, quia tollunt vincula quæ ligant conſcientiam, & ordinantur ad ſpiritualem vtilitatem. *Nec actus iuriſdictionis voluntariæ reddi poſſunt.*

Non obſtat ſtilus Romanæ Curiæ, & legatorum Pontificis; quoad obtinendas eiuſmodi diſpenſationes, ſoluitur pecunia. Reſpondeo enim non exigi pretium pro ipſa diſpenſatione, id enim eſſet ſimonia contra ius diuinum; 41. *Stilus Rom. Curiæ in ſoluenda pecunia pro diſpenſationibus.*

ſed vel in ſuſtentationem diſpenſantis, vel ad arcendos homines ab illis petendis, quia cùm ſint odioſæ & contra ius commune, ſic redduntur oneroſæ petentibus, vel non fiunt diſpenſationes puræ, ſed commutationes etiam vnius operis, vt voti, in aliud, vt eleemoſynam. Aliquid etiam ſoluitur pro officialibus & repenſis in ſcribendo, expediendo, & ſimilibus. Id autem etſi prohibitum ſit Epiſcopis, & aliis Prælatis; ipſi tamen Summo Pontifici haud prohiberi potuit, immo etiam in Trid. innuitur, & permittitur ipſi talis vſus *ſeſſ.* 22. *cap.* 5. *de reform.* Legatis autem aliqua conceduntur ex priuilegio, & indulto: vt pluribus Suar. *n.* 11. 12. 13. *&* 14.

42. *Nec actus iuriſdictionis contentioſa, & inuoluntaria.*

Dico tertio, actus iuriſdictionis Eccleſiaſticæ etiam contentioſæ & inuoluntariæ, ſunt materia ſimoniæ, ideóque gratis exerceri debent. hæc etiam eſt communis DD. ex Suar. *numer.* 16. & ratio eſt, quia in omnibus eiuſmodi actibus exercetur ſupernaturalis poteſtas à Deo gratis conceſſa ad gubernationem Eccleſiæ, ideóque gratis exerceri debet ex vi ſuæ inſtitutionis, vnde ſi vendatur, ſimonia committetur ex natura ſua, etiamſi non eſſet per Eccleſiam prohibita, vt re vera prohibita etiam eſt. Tales autem actus ſunt primò viſitandi, ex *cap.* 1. *&* 2. *de cenſibus in* 6. & Trid. *ſeſſ.* 24. *cap.* 3. *reform.* in quo tamen debita procuratio recipi poteſt. Secundò actus iudicij Eccleſiaſtici vſque ad ſententiam, ex *cap. cùm ab omni, cap. vendentes, cap. nemo. de ſimon.* licet tamen accipere ſtipendium ſuſtentationis, quo titulo excuſantur ſportulæ; & quædam alia dari ſolita iudicibus. Tertiò actus ligandi ſub cenſura, vel ſoluendi ab ea, ex *c.* 2. *de ſimon.* & DD. *ibi.*

43. *Actus iuriſdictionis qui ſunt materia ſimoniæ, debēt procedere à poteſtate ſpirituali.*

Ex dictis conſtat, actus iuriſdictionis, qui ſunt materia ſimoniæ, debere procedere à poteſtate Eccleſiaſtica propria & ſpirituali; quæ ſcilicet conueniat Prælatis, vt ſunt tales. nam quæ conueniret illis vt Principibus temporalibus cùm temporalis ſit, etiam actus illius temporales ſunt, & non ſunt materia ſimoniæ. Qui verò actus politici ſunt & humani, quia proximè verſantur in materia temporali & humana, vt licentia ſtudendi, docendi, legitimationis ad honores tantùm temporales, iudiciorum in materia ciuili inter clericos de bonis temporalibus, & huiuſmodi; etſi cenſeant aliqui non eſſe materiā ſimoniæ, probabilius tamen putat Suar. *numer.* 19. eſſe materiam ſimoniæ; quia vſus iuriſdictionis ſpiritualis ſemper ſpiritualis eſt ex relatione ad finem ſpiritualem ad quem conducit, etſi proxima materia actus videatur eſſe res politica, & temporalis, vt pluribus idem *loc. cit. & n.* 20.

44. *Multiplex labor.*

Vndecimo qværo, an labor & defatigatio in operibus ſpiritualibus ſit materia ſimoniæ. Pro reſponſione præmittendæ nonnullæ diſtinctiones. Prima, alius eſt labor ex parte ipſius operis ſpectati ſecundùm ſe, alius ex parte ſubiecti & perſonæ operantis, idem enim opus poteſt eſſe laborioſius vni quā alteri, vt nobili, inſueto, debili, &c. Secunda, alius eſt labor intrinſecè coniunctus cum ſacro miniſterio, vt dicendi Miſſam; alius accidentariè additus, vt ſi ad eam dicendam opus ſit iter duorum, vel trium milliariorum peragere. Tertia, alij ſunt labores, qui per ſe neceſſarij ſunt ad tale miniſterium, prout ab hominibus exerceri ſolet, vt ſtudium, labor videndi proceſſum, audiendi partes in iudice; in Epiſcopo viſitante, labor itineris, ſtudendi, legendi & ſimiles; in concionante, ſtudium, defatigatio in ea, contentio in dicendo, & ſimiles. Alij per accidens coniuncti, vt iter longum quod faciendum eſſet à iudice, vel concionatore, ſtudium extraordinarium quod requireretur, & ſimilia; ex his ergo quæſtio ſoluenda erit. Hoc poſito

45. *Labor non ſpectatur ex parte ſubiecti.*

Respondeo & dico primo, labor operis ex parte ſubiecti ſpectari non debet, hic enim non auget operis æſtimationem, aut valorem. Suarez *cap.* 21. *numer.* 7. ex Durand. Patet exemplis, vt foſſoris terræ nobilis, & ruſtici; quamuis enim plus laboraturus ſit nobilis quàm ruſticus, non propterea plus eius opera æſtimaretur quàm alterius. Idem ſi pedes iter ageret delicatus & fortis; plus enim laboraret, non tamen dignus eſſet propterea maiori lucro, & ſic de aliis. Et ſicut facilitas operandi proueniens ex perfectione ſubiecti, non minuit valorem operis, cæteris paribus, ita nec difficultas augebit valorem. At verò labor ex parte ipſius operis, qui ſolet attendi per comparationem ad ordinariam hominum conditionem, multum facit ad operis æſtimationem, ideóque in operibus corporalibus vendi ſolet. An autem in operibus ſpiritualibus & ſacris, vendi poſſit, conſtabit ex infrà dicendis.

46. *Labor intrinſecè coniunctus cum opere nō poteſt æſtimari.*

Dico secvndo, labor intrinſecè coniunctus cum ſacro miniſterio, non poteſt abſque ſimonia pretio æſtimari; ſecus de accidentario labore. Prima pars eſt communis ferè DD. vt S. Thom. Sot. Caiet. Durand. Gabr. Victor. Hoſt. Archid. & aliorum apud Suarez *numer.* 5.

Ratio eſt, quia opus & labor intrinſecè illi coniunctus non ſunt æſtimabilia duplici pretio, ſed vno tantùm, vel nullo; labor enim operis non eſt dignus alia æſtimatione, quàm ipſum opus, loquendo de labore ex parte ipſius operis. Cùm ergo in materia hac ſpirituali & ſacra, opus ipſum pretio æſtimabile non ſit abſque ſimonia, nec etiam æſtimabilis erit labor illi intrinſecè coniunctus abſque ſimonia; labor n. vt rectè Suar. *n.* 8. non eſt æſtimabilis ex ſe, ſed in ipſo opere; ſicut ergo in operibus profanis non æſtimatur diſtincto pretio opus & labor intimè illi coniunctus, ita in ſacris non erit æſtimandus labor operis, niſi opus ipſum æſtimetur. Hinc eſt, vt diſtinguentes in operibus ſacris inter opus & laborem, & opus inuendibile dicentes, affirmant laborem eſſe vendibilem, non loquantur cohærenter, quia labor non eſt vēdibilis ſi de intrinſeco ſermo ſit, niſi cum opere, & ratione operis; nec ſit opus vendibile ratione laboris, ſi ratione ſuæ entitatis & ſubſtantiæ vendibile non eſt. Sic rectè habet regula illa in c. ſi quis obiecerit. 1. q. 3. *Qui horum alterum vendiderit, ſine quo nec alterum prouenit, neutrum inuenditum derelinquit.*

47. *In operibus ſacris, & opus & labor intrinſecè coniunctus vēdi non poteſt.*

Labor accidentarius, vendi poteſt.

Secunda verò pars concluſionis, de labore accidentario, communis eſt, illam non eſſe materiam ſimoniæ, ſed poſſe pretio æſtimari, & ita fortè conciliari poſſunt DD. dicentes poſſe pro labore coniuncto operibus ſpiritualibus recipi pretiū: per laborem tamen accidentariū non intelligimus eum qui etſi per accidens cōiūgatur, tamen prouenit ex parte ſubiecti, vt ſi ſacerdos propter tarditatē ſuam, vel ſenectutem nimiū

ſati

Digitized by Google

fatigetur dicendo Miſſam, vel miniſtrando ſacramentum; hic enim non magis vendi poteſt quàm opus ipſum cū quo per accidens iungitur, & ſic non poteſt pro illo pretium exigi. Sed intelligitur is, qui naſcitur ex alio opere per accidens coniunctо cum opere ſacramenti, vt ſi ſacerdos cogatur agere iter vnius leucæ, vel expectare duas horas, vt ſacrum faciat, hic enim labor accidentariè iungitur miniſterio ſacro, & pro eo recipi poteſt pretium.

48. *Neceſſaria ad opus ſacrum, non poſſunt vendi.*

DICO TERTIO, non ſolùm labor & opera quibus intrinſecè quodammodo componitur actus ipſe ſpiritualis, verùm etiam quæ per ſe neceſſaria ſunt ad tale ſacrum miniſterium prout ab hominibus communiter exercetur, non poſſunt pretio æſtimari. Hæc concluſio reſpondet tertiæ diſtinctioni allatæ initio quæſtionis. & patet; quia aliter iudex Eccleſiaſticus qui non poteſt pro ſententia vel actu iudiciali pretium ſumere, poſſet pro ſtudio, pro labore videndo proceſſum, & ſimilibus; & concionator qui non poteſt pro concione pretium ſumere, poteſt pro ſtudio eius, pro labore mandandi memoriæ concionem, pro laſſitudine in ea facienda; atque ita iuſtificari poſſunt omnia dona & præmia temporalia. Ratio autem eſt, quia omnia eiuſmodi componunt vnum opus morale, quod totum ſacrum eſt, & tanquam tale æſtimandum. At verò pro labore qui non ex vi miniſterij coniunctus eſt, ſed per accidens ratione circunſtantiarum, aut locorum coniungatur, poteſt pretium ſumi, qualis eſſet labor itineris vnius leucæ ad ſacrum faciendum, dicere Miſſam ſtatis horis, & pro eo obligari, & ſimilia: vt pluribus Suarez *numer.* 15. qui etiam rectè reſpondet argumentis eorum, qui abſolutè dixerunt pro labore coniunctо operibus ſpiritualibus ſuſcipi poſſe pretium, vt *num.* 10.

49. *Pro labore per accidens coniuncto, poteſt ſumi pretium.*

50. *Duplex ſententia.*

DVODECIMO QVÆRO, an omiſſio ſpiritualium actuum ſit materia ſimoniæ. Reſpondeo eſſe duas ſententias. Primam abſolutè negantem, vt Adrian. Innocentij apud Suar. *c.* 22. *n.* 3. tum quia omiſſio non eſt aliquid ſupernaturale, nec fit per poteſtatem ſupernaturalem, ſed per meram voluntatem operantis: tum quia tantùm præcipitur miniſtris rerum ſacrarum, vt gratis dent, *Gratis accepiſtis, gratis date*; qui autem omittit, non facit contra præceptum, quod eſt conditionatum, vt ſi dent, debeat dare gratis. Secunda abſolutè affirmat, vt S. Th. *q.* 100. *a.* 3. *ad* 3. Palud. Gab. Sylueſt. *ſimonia. q.* 9. Tab. Anton. & communis ex Suar. *num.* 4. tum quia in iure expreſsè dicitur committi ſimoniam omittendo, ſicut committendo. *c. nemo. de ſimon.* prohibetur enim ne detur pœnitentia pretio, vel negetur, vtrumque enim ſimoniacū eſt. tum quia negare abſolutionem ſacramentalem, aliàs debitam, ob pretium quod alter det, ſimoniacum eſt, eſt enim actus clauium, vtpote ligare; tum quia omiſſio eſt vera priuatio realis, & reducitur ad actionē, & poteſt habere eoſdem effectus morales, quos habet actio: vt ſi quis omittat dare eleemoſynam extremè indigenti, vel non defendat cùm poſſit eum qui occiditur, & alioqui teneatur ex officio; ergo. His poſitis,

51. *Omiſſio ſpiritualis actus, poteſt eſſe materia ſimoniæ.*

DICO PRIMO, in ſola omiſſione poteſt interdum reperiri ſufficiens ratio ſimoniæ. Patet ex rationibus pro ſecunda ſententia. Dixi *interdum*, quia non omnes omiſſiones actuum ſpiritualium, vt ſunt materia propriæ ſimoniæ. Ideóque hæc diſtinguenda. Primum aliud eſſe, dare pretium ne actus ſpiritualis indignè fiat; aliud, ne fiat ſi iuſtè faciendus ſit. Secundum aliud eſt dare pretium pro omiſſione actionis non debitæ, aliud pro omiſſione actionis debitæ. Tertium aliquæ omiſſiones ſunt merè priuationes aliquorum vſuum, vel poteſtatum, vt non orare, non audire Miſſam & ſimiles, aliquæ ſunt moralis vſus poteſtatis ſpiritualis, vt non abſoluere dignè confeſſum, iuſtè petentem relaxationem cenſuræ, & ſimiles. Quartum aliquando poteſt eſſe omiſſio materiæ ſimoniæ de iure diuino: aliquando tantùm ſimoniæ de iure humano. Iam determinandum quando omiſſio ſit ſufficiens materia.

Variæ omiſſiones.

52. *Non eſt ſimonia, dare pro omiſſione actus iniuſti.*

DICO SECVNDO, dare pecuniam pro omiſſione actus ſpiritualis, qui iniuſtè faciendus eſſet, non eſt ſimonia. eſt communis, ex Suarez *num.* 6. ratio, quia id non eſt per ſe malum, cùm is qui dat pecuniam, non intendat emere aliquid ſpirituale, ſed tantùm impedire, ne fiat ſacrilegium, quod bonum eſt, etiamſi fiat pecunia, licet enim inuitare ad bonum, & retrahere à malo, media pecunia. Neque etiam id eſt prohibitum, nam *in cap. nemo.* ſermo tantùm eſt de omiſſionibus quæ ſunt contra honeſtatem & obligationem. Atque id probat, non eſſe ſimoniam ex parte dantis. Ex parte autem accipientis neque eſt ſimonia, vt ſi quis accipiat ne eligat indignum, vel ne celebret cum peccato; quicquid ſit de turpi lucro, vel de iniuſtitia: neque enim vendit vſum alicuius doni ſpiritualis, ſed vſum tantùm ſuæ libertatis, & ſupponimus non omittere actionem ſpiritualem, ad quam alioqui teneretur, ſed tantùm prauam circunſtantiam, quam apponere in eius ſitum erat libertate.

53. *Simonia eſt dare pro omiſſione abſolutionis v. g.*

DICO TERTIO, dare pecuniam pro omiſſione ſpiritualis actus iuriſdictionis, quæ omiſſio moraliter cenſeatur prouenire à tali iuriſdictione, ſimonia erit. Patet argumentis pro ſecunda ſententia, aliquæ enim omiſſiones tales ſunt, vt cenſeantur prouenire à tali iuriſdictione, vt non abſoluere dignè confeſſum, vel iuſtè petentem relaxationem à cenſura, re vera enim id, eſt vſus quidam ſpiritualis poteſtatis, vt diximus; ideóque qui emit, vel vendit illum, virtute vendit ipſam iuriſdictionem ſpiritualem, vt pluribus Suarez *numer.* 10.

54. *Non eſt, pro omiſſione actus Ordinis.*

DICO QVARTO, pro omiſſione actus ſpiritualis ſi non ſit actus iuriſdictionis, non eſt ſimonia, dare vel accipere pretium, niſi intuitu alicuius boni ſpiritualis ematur, aut vendatur. Prima pars patet exemplo omiſſionis actus Ordinis, ſi enim detur pecunia ſacerdoti, ne Miſſam celebret; vel Epiſcopo, ne conferat Ordines; nulla eſt ſimonia, illa enim omiſſio eſt ſolus vſus libertatis, non actus poteſtatis Ordinis: & ſiquidem ſacerdos vel Epiſcopus teneatur ad eos actus, peccare poterunt, ſed non erit ſimonia; aliquando neque peccabunt, ſi ad eos non teneatur. Dixi *niſi intuitu*, &c. quia tunc eſſet ſimonia; non modò enim res ſpiritualis vendi non poteſt tanquam proxima materia venditionis, verùm etiam neque vt ratio æſtimationis alicuius rei pro pretio temporali, tunc enim res ſpiritualis pretio emeretur; *nam propter quod vnumquodque tale, & illud magis.* de quo Suarez *numer.* 18.

Digitized by Google

Ex his ſequitur primò parochū qui ex officio tenetur Miſſam dicere, ſi pretio illam omittat, peccare contra iuſtitiam, non cōtra Religionem oppoſitam ſimoniæ; quia nec eſt actus iuriſdictionis, nec habet effectum pertinentem ad moralem iuriſdictionem; ſed ſolùm eſt voluntarius non vſus iuriſdictionis: vt Suar. *n.* 13.

55. *Parochus pro pretio omittens miſſam, non eſt ſimoniacus.* *Neque nō denuncians publicum peccatorem.* Sequitur ſecundò non eſſe ſimoniam, non denunciare publicum peccatorē, pro pecunia; quia non eſt in ſe aliquid ſpirituale, nec naſcitur ex ſpirituali poteſtate, aut titulo eius, ſed tantùm ex praua voluntate; vnde poterit eſſe contra charitatem, vel obedientiam, vel iuſtitiam legalem ſi ſit contra bonum commune. Neque *cap. nemo*, contrarium habet, vt pluribus Suar. *n.* 14. quando tamen ſacerdòs ex officio teneretur ad denunciandum, etiam vt hoc pertineret ad eius iuriſdictionem, omittendo pro pecunia ſatis probabile eſt, fore ſimoniacum; quo pacto interpretandi Canoniſtæ in illud cap. id affirmantes, vt idem docet *n.* 15.

56. *Negare licentiam confitendi ob pretium, ſimonia eſt.* Sequitur tertiò negarè ſubdito iuſtè petenti aliquem actum ſpiritualem, vt licentiam confitendi alteri, & ſimilia, ſi fiat ob pretium, eſſe ſimoniam, quia eiuſmodi negatio eſt vſus iuriſdictionis, & ab illa accipit auctoritatem. Sic iudex Eccleſiaſticus ob pecuniam corruptus nihil agens, tacitè condonat delictum, aut non procedit contra criminoſum, aut permittit iniuſtam dilationem in damnum alterius; hæ enim omnes omiſſiones ſunt vſus quidam iuriſdictionis, vt Suar. *num.* 16. ex Vgol. quando eſſet mera negatio, tunc non eſſet ſimonia.

57. *Examinatores non approbantes dignos ob pretium, ſimoniaci ſunt.* Sequitur quartò, Examinatores Eccleſiaſticos repellendo dignos, ſeu non approbando ob pretium, eſſe ſimoniacos; vt enim eſſent ſi pro danda approbatione reciperent pretium, ita è contra, de quo plura Suar. *n.* 57.

58. *Regulā ad id dignoſcendum.* Sequitur quintò hanc regulam ſeruari poſſe ad diſcernēdas omiſſiones ſpiritualium actuum, quando pertineant ad ſimoniam, ſi ob pretium omittantur, & quando nō; ſi enim vel ſint actus ſpiritualis poteſtatis, vel ſub reſpectu ſpirituali ſumantur, ſemper ſunt materia ſimoniæ; aliæ non erunt, vt confirmat Suar. *n.* 20.

CAPVT V.

De eadem materia ſupernaturali, in rebus ſpiritualibus per adnexionem, qualia ſunt beneficia Eccleſiaſtica.

Dictum hactenus eſt de materia ſimoniæ ſpirituali, vel per eſſentiam, vel per cauſam, vel per effectum: agendum de materia ſimoniæ in rebus ſpiritualibus per adnexionem. Eam autem hoc ordine declarabimus. Primò quæremus, in quo poſita ſit hæc adnexio cum ſpiritualibus. Secundò, quæ dicantur adnexa antecedenter & conſequenter. Tertiò, quæ dicantur adnexa comitanter. Quartò, an id quod ſpirituale non eſt niſi per adnexionem, ſit materia Simoniæ. Quintò, quæ ſint certa in materia beneficiorum Eccleſiaſticorum. Sextò, quæ ſint controuerſa, & quæ DD. ſententiæ ea de re. Septimò, an Papa poſſit præbendam ſeparare ab officio ſpirituali, & ſic eam vendere ſine ſimonia. Octauò, an Papa poſſit æſtimare valorem penſionis quam beneficio imponit, & eum ſimul accipere. Nonò, an Papa media ſeparatione præbendæ poſſit dare beneficium exhibenti pecuniam. Decimò, an Epiſcopus non obſtante iure poſitiuo poſſit imponere onus pecuniæ accipienti beneficium. Vndecimò, an in priuata perſona ſit ſimonia aliquid poſtulare ab eo, cui beneficium confert. Duodecimò, quid de præſtimoniis dicendum, an ſint materia ſimoniæ.

PRIMO QVÆRO, in quo poſita ſit hæc adnexio cum rebus ſpiritualibus. 1.

RESPONDEO, & DICO PRIMO, poſitam eſſe in vinculo aliquo, quod intercedit inter rem vnam quæ adnectitur, & alteram cui adnectitur: quod vinculum reducitur ad genus cauſæ alicuius, vt finalis, materialis, efficientis. *Adnexio dicit vinculum inter duo.*

DICO SECVNDO, tria genera diſtingui adnexorum rebus ſpecialibus. Primum eorum, quæ dicuntur antecedenter adnexa, quia ſcilicet ſint cauſæ eius cui adnectuntur, cauſa autem antecedit effectum. Secundum eorum, quæ dicuntur adnexa conſequenter, quæ videlicet ſunt effectus eius cui adnectuntur, effectus autem conſequitur ſuam cauſam. Tertium eorum, quæ dicuntur adnexa concomitanter, quia intrinſecè coniunguntur, & veluti partes ad componendum vnum totum; vt pleniùs dicetur ſeq. quæſt. 2. *Adnexorum genera tria.*

SECVNDO QVÆRO, quæ dicantur adnexa antecedenter & conſequenter.

RESPONDEO, variis modis explicari à DD. Primò enim S. Th. *q.* 100. *artic.* 4. explicat illa duo per habitudinem cauſæ, antecedenter enim adnexa dicuntur quæ ſecundùm ſe tempore poſſunt præcedere ſpiritualia; vt ius patronatus, & vaſa ſacra, & omnia, quæ ordinantur ad vſum ſacrorum, & ad diuina officia, vt templa, veſtes ſacras, &c. Alij etiam addunt ſacramentalia, vt Catechiſmus & Exorciſmus, quæ præcedere ſolent ad ſacramentum. 3. *Antecedenter adnexa quæ ſint iuxta S. Th.*

Conſequenter autem adnexa dicuntur Eccleſiaſtica beneficia, ſunt enim adnexa ſpiritualibus officiis tamquam dependentia ab illis, & propter illa inſtituta, beneficium enim datur propter officium: addit Sylueſt. *ſimonia, q.* 1. functiones, v. g. ſacerdotij, vt celebrare, quia pendent ex ordine. *Quæ conſequenter.*

Secundò Nauarr. *cap.* 23. *num.* 99. antecedenter adnexa dicit illa, quæ in habente illa tutum requirunt Chriſtianiſmum, vt ius patronatus, ius ſepulturæ, & Calix ſacer. Conſequenter adnexa dicit ea, quæ in habente requirunt aliquem ordinem, vel conſecrationem præter Baptiſmum, vt beneficia Eccleſiaſtica, & officia. 4. *Quid ſecundùm Nauarrum.*

Tertiò Suarez *cap.* 23. *num.* 4. dicit primò adnexa ſpiritualibus dici illa, quæ cùm in ſe materialia ſint, ratione ſolius connexionis cum ſpiritualibus cenſentur ſpiritualia, & ſunt materia ſimoniæ. Ita excluduntur primò ſpiritualia adnexa ſpiritualibus; hæc enim ſimpliciter ſpiritualia dicuntur, vt officium Canonicum licèt ſit adnexum Ordini ſacro, conſecratio corporis, licèt ſit adnexa Ordini ſacerdotali. Secundò functiones Ordinum & ſacramentalia, ſunt enim res ſpirituales; etiamſi pendeāt ex Ordinibus, vel ordinentur ad Ordines. Secūdò dicit nō omnia ſpiritualia, quæ ſunt ex ſola inſtitutione Eccleſiæ, propterea eſſe ex his adnexis, vt ſunt multæ benedictiones, & conſecrationes; ſiue enim 5. *Quid ſecundùm Suar.*

Digitized by Google

enim actio ſit immediatè inſtituta à Chriſto, ſiue ab Eccleſia, dummodo per inſtitutionem conſequatur veram ſpiritualitatem, dicenda erit ſimpliciter ſpiritualis, & ex ſe; nam Eccleſiaſtica inſtitutio mediatè ſaltem reducitur ad diuinam, quia data eſt per diuinam poteſtatem; ſic prima tonſura & collatio eius eſt quid ſpirituale, & tamen ab Eccleſia eſt inſtituta; ſic ceremoniæ accidentales baptiſmi, & ſacramentalia propriè ſpiritualia ſunt, & tamen ex ſola Eccleſiaſtica inſtitutione habentur. Tertiò dicat, cùm vaſa ſacra numerantur inter adnexa, non eſſe id intelligendum de vaſis ſacris quatenus talia ſunt, ſic enim ſunt quædam ſpiritualia in ſe, licèt adnexa ſacramentis & vſibus ſacris; ſed de vaſis ipſis ratione materiæ, quæ ſupponitur conſecrationi, ideo dicuntur antecedenter adnexa ſpiritualibus; quia ratione materiæ antecedunt conſecrationem. Sic etiam cùm dicitur beneficium eſſe adnexum ſpirituali, debet id intelligi de beneficio ratione præbendæ quæ reſpicit temporale emolumentum, non autem ratione officij, quod ſpirituale eſt.

6. *Probatur maximè tertius modus id explicandi.*

Ex his modis, tertius maximè probatur, vtpote exactior, & ſoluens omnes difficultates. Vnde ſub antecedenter adnexis, non debent reponi ſacramentalia & alia munera ab Eccleſia inſtituta, vt in primo modo; hæc enim ſpiritualia ſunt, vt diximus. Item ſub conſequenter adnexis non debent reponi functiones ſacerdotij, quia hæ etiam ſpirituales ſunt, contra id quod in primo modo additum extat ex Syluestro.

Sic etiam Nauarr. in ſecundo modo non rectè explicat rationem connexionis; nec in calice & ſimilibus apparet, quomodo ſupponunt tantùm Chriſtianiſmum, ſupponunt enim in eo qui iis vtitur, etiam ordines ſacros.

7. TERTIO QVÆRO, quæ dicantur adnexa concomitanter.

Adnexa concomitanter quæ dicantur.

RESPONDEO quamuis à S. Th. & aliis hoc tertium membrum poſitum non fuerit, ab aliis tamen admittitur, vt Riccar. Gabriel. Durand. Redoano & aliis, ex Suarez *cap.* 23. *numer.* 7. Iuxta quos ea dicentur concomitanter adnexa ſpiritualibus, quæ ſpiritualia munera cùm ſint, ſiunt per actiones materiales, quæ connectuntur intimè & concomitanter ſpiritualibus muneribus, tales ſunt functiones Sacramentorum & ſacramentalium, benedictionum, & conſecrationum; in omnibus enim actio ipſa materialis eſt veluti pars functionis ſpiritualis, & totum compoſitum ex materiali & ſpirituali. Quia tamen eiuſmodi actiones abſolutè dici poſſunt ſpirituales, ideo viſum eſt S. Thom. & aliis eas reponere ſub rebus ſpiritualibus, & modo de re conſtet, de nomine parum curandum eſt.

8. QVARTO QVÆRO, an id quod ſpirituale non eſt, niſi per adnexionem, ſit materia ſimoniæ.

Adnexum ſpirituali eſt materia ſimoniæ.

RESPONDEO & DICO PRIMO, generatim loquendo, adnexum ſpirituali ratione connexionis quam habet ad illud, eſt materia ſimoniæ, ideóque vendi non poteſt abſque illa. S. Thom. *art.* 4. *ad* 1. & communis ex Suarez *numer.* 8. Ratio, quia ſpirituale vendi non poteſt, nec vt res vendita; nec vt ratio venditionis, hoc enim ipſo pretio æſtimaretur, vt conſtat ex dictis capitibus præcedentibus; ſi autem adnexum ſpirituali venderetur ratione connexionis, ſpirituale eſſet ratio venditionis; ergo, &c.

DICO SECVNDO, in particulari, adnexum antecedenter per ſe ſpectatum vendi poteſt etiam ſuppoſita adnexione, modò non ratione illius vendatur. patet ex dictis *cap.* 3. *quæſt.* 10. ſi quæ autem difficultas ſit de iure patronatus, ſepulturæ, & ſedendi in certo loco Eccleſiæ, dicetur infrà *cap. ſeq.* Adnexum verò conſequenter, vendi non poteſt abſque ſimonia; venderetur enim neceſſariò ſpirituale quod ſupponitur illi, eſt enim hoc modo adnexum dependens à ſpirituali, & poſterius, non ita adnexum antecedenter quod eſt prius ſpirituali. Denique adnexum concomitanter vendi neque poteſt, vt explicatum eſt quæſt. præcedente, verè enim eſt quid ſpirituale, cùm ſit pars functionis ſpiritualis; quæ magis patebunt ex qq. ſeqq. in quibus de beneficiis agendum, quæ pertinent ad ſecundum modum adnexionis, quem vocauimus conſequenter adnexum. 9.

Adnexum antecedenter, vendi poteſt, modò non vt adnexum.

At non adnexum conſequenter.

Concomitanter adnexũ vendi non poteſt.

QVINTO QVÆRO, quæ ſint certa in materia beneficiorum pertinentia ad ſimoniam. Pro reſponſione ſupponendum, beneficium eſſe ius perpetuum miniſtrandi in Eccleſia, & pro miniſterio recipiendi fructus annuos ex Eccleſiaſticis bonis. Diſtinguuntur autem beneficia ex titulis propter quos reditus Eccleſiaſtici tribuuntur, alia enim ſimplicia ſunt, alia duplicia, vt curata, alia iuriſdictionem habent in foro tantùm conſcientiæ, vt parochiæ; alia etiam in externo, vt Epiſcopatus, Abbatiæ quædam, de qua re fuſiùs egimus tractatione præcedente. Et quidem titulus ſemper ſpiritualis eſt, ex *cap. dilecto. de prebend.* ideo ſemper beneficium annexum eſt alicui ordini, vel gradui clericali: præbenda verò, ſeu reditus ſunt res temporalis in ſe, ſed ratione adnexionis cum titulo ſpirituali, participant aliquam ſpiritualitatem, vt ex dicendis conſtabit. Hoc ſuppoſito, 10.

Beneficium, quid ſit.

RESPONDEO & DICO duo eſſe certa. Primum beneficium, quoad ius ſpirituale in ipſo incluſum eſſe materiam ſimoniæ contra ius diuinum, eſt commune DD. ex Suarez *cap.* 24. *numer.* 4. Ratio eſt, quia iura ſpiritualia quæ poſita ſunt in aliqua poteſtate ſpirituali, vendi non poſſunt, vt conſtat ex ſupradictis. Articulus beneficij, ſpirituale quoddam ius eſt, quare neque ipſum, neque beneficium ratione illius, vendi poterit. Atque id commune, eſt cuicumque beneficio etiam ſimplici, ſemper enim titulus eius ſpiritualis eſt, per quem, vel ordinatur ad executionem alicuius ordinis, vt celebrandas Miſſas, vel ad diuina officia miniſtranda, aut recitanda. 11.

Duo certa.

Ex hoc patet ſecundum quod diximus, venditionem beneficij, quoad hoc ius eſſe ſimoniam contra ius diuinum; quia venderetur res ſpiritualis, atque adeò cùm id intrinſecè malum ſit, nec etiam Papæ diſpenſatione licitum eſſe poterit. nec refert quòd inſtitutio beneficij atque adeò etiam ipſe titulus ſit ab Eccleſia; poſtquam enim facta eſt res ſpiritualis, iure diuino prohibitum eſt vendi, vt patet etiam in ſacramentalibus, vaſis ſacris, & ſimilibus.

Secundum quod etiam certum eſt, de facto beneficium vendi non poſſe abſque ſimonia etiam habito reſpectu ad temporale commodum, 12.

De facto beneficiũ vendi non poteſt.

Digitized by Google

quod in ipſo eſt: ideóque etiam hoc modo beneficium eſt materia ſimoniæ. Patet ex multis iuribus, quæ prohibent in beneficiis contractus oneroſos & pacta; vt *cap. fin. de pact. cap. ſuper eo. de tranſact. cap. querelam. cap. tua nos. de ſim.* & aliis. Ratio autem vnde id proueniat, patebit ex ſeqq. qq.

13. SEXTO QVÆRO, quæ ſint controuerſa, & quæ DD. ſententiæ ea de re, hoc eſt, an vendere beneficium tantùm ratione temporalis commodi, vel incommodi ob eius priuationem cum reſignatione, ſit ſimonia contra ius diuinum, an verò tantùm contra Eccleſiaſticum.

Triplex ſententia. RESPONDEO eſſe præcipuas ſententias hac de re tres. Prima eſt eſſe contra ius diuinum. Durand. Palud. Riccar. Maior, Bonau. quos ſequuntur Syluest. *ſimonia. quæſt.* 12. Victor. *relect. de ſimon. numer.* 44. Couarr. *reg. peccatum. parte* 2. §. 8. *numer.* 8. & alij relati à Suarez *cap.* 24. *numer.* 7. Ratio præcipua; quia vel venduntur fructus beneficij ſeparati à titulo Eccleſiaſtico; & ſic non eſſet quidem ſimonia, ſed tunc non venderetur beneficium, hoc enim non conſiſtit tantùm in fructibus, ſed etiam in iure percipiendi illos, vel non ſeparati à titulo, & ſic eſt impoſſibile vendere vnum ſine alio; vt enim beneficium transferri in alium non poteſt, niſi etiam transferatur ius illud ſpirituale, ita nec vendi; eo maximè, quòd cùm venditur beneficium, non venduntur tantùm temporales fructus, ſed magis ius ad illos; ius autem ad illos, quia oritur ex functione ſpirituali, eius enim ratione ſuſtentatio debetur, ideo etiam ſpirituale conſequenter dicetur, ac propterea ſimonia eſſet contra ius diuinum illud vendere. fauet cap. ſi quis obiecerit. 1. q. 3. *qui horum alterum vendit, ſine quo alterum non prouenit, nihil inuenditum derelinquit.* & c. ſaluator. eod.

Secunda eſſe tantùm contra ius poſitiuum, ſi intuitu temporalis commodi tantùm vendatur, ideóque à Papa, vel alio ex eius diſpenſatione vendi beneficium poſſe. communis Canoniſtarum ex Felin. *cap. ex parte,* 1. *de offic. deleg.* Sequitur Nauarr. *cap.* 23. *numer.* 108. §. *nono.* Vgol. *tab.* 1. *cap.* 3. §. 5. & alij ex Suar. *numer.* 13. fundamentum eſt, quia ius ad emolumentum temporale diuerſæ rationis eſt à iure ſpirituali, quamuis coniuncta ſint; vnum enim eſt ad temporale commodum, aliud ad functionem ſpiritualem; hoc eſt, ex iure diuino poſitiuo, illud fundatur in iure naturali, quatenus dignus eſt operarius mercede ſua, partim ex Eccleſiæ inſtitutione, partim ex largitione fidelium. Suppoſita autem diſtinctione etiamſi ſimul dentur; poteſt tamen vnum vendi ſine alio ex intentione vendentis, vt fit in calice, & iure patronatu, quod etſi dicatur adnexum ſpirituali antecedenter, nam antecedit beneficium conferendum per præſentationem; dici tamen etiam poteſt alia ratione eſſe conſequens, quia prius eſt fundus, & deinde iuſpatronatus quod tranſit cum illo; quare id quod eſt in illo ſpirituale, naſcitur ex temporali.

Quare licèt beneficium æſtimetur, veluti quid vnum conflatum ex parte materiali & formali, tamen poteſt vendi æſtimata ſola materiali parte, non autem formali; id enim prouenit ex intentione, quæ vnum ab altero diſtinguere poteſt, ſicut in calice, & vaſis ſacris. Tertia diſtinguit inter beneficium ſimplex, & curatum; nam vendere ſimplex eſt ſimonia tantùm contra ius humanum, curatum verò vel habens maiorem iuriſdictionem eſt ſimonia cõtra ius diuinum, tribuitur Abb. ex Nauarr. *loc. cit.* & Vgol. At Suar. *numer.* 21. putat Abbatem ſentire cum prima ſententia. Quare duæ tantùm priores ſententiæ recenſendæ ſunt; hæc enim tertia probabilis non eſt; cùm in vtroque beneficio ſit ius ſpirituale, & emolumentum temporale; ideóque vel vtrumque contra ius diuinum, vel contra ius humanum tantùm erit ſimonia, ſi alterum ex iis vendatur.

SEPTIMO QVÆRO, an Papa poſſit præbendam ſeparare ab officio ſpirituali, & ſic eam vendere ſine ſimonia. 14.

Papa ſeparare poteſt præbendam ab officio ſpirituali. RESPONDEO & DICO PRIMO, poſſe Papam id facere, eſt communis DD. ex Suarez *numer.* 23. & patet, quia ſicut poteſt præbendam adnexere alicui officio temporali, vt lectioni Grammaticæ, quam laicus legere poteſt, & donare etiam alteri ex iuſta cauſa; ita eam ſeparare ab officio ſpirituali: tunc autem non venderet propriè beneficium, quia hoc includit ius ad officium quod ſpirituale eſt. Hinc conſequitur poſſe Pontificem extinguere beneficium, non ſeparando præbendam ab officio, illud extinguit, & ſic infert Suarez *loc. cit.* poſſe vendere beneficium, quod ſpirituale hactenus fuerat, extinguendo ſpirituale officium, vel obligationem eius.

Et dare beneficium cum onere ſoluendi partem fructuum. DICO SECVNDO, poſſe Papam dare beneficium alicui cum onere ſoluendi, quotannis ſibi vel alteri partem aliquam fructuum beneficij. Id patet quotidiano Eccleſiæ vſu; & ratio eſſe poteſt, quia, cùm ſit diſpenſator ſupremus temporalium bonorum Eccleſiæ, poteſt fructus ex humana inſtitutione adnexos titulo talis beneficij, ſeparare ab illo; & ſub alio titulo, vel ſine illo ſpirituali conferre: tunc autem non venditur beneficium, quia illa pars fructuum non habet rationem pretij quod detur à beneficiario, hic enim non eſt dominus beneficij, nec ex bonis ipſius exigitur, ſed ex bonis Eccleſiæ: vt pluribus Suar. *n.* 24. 15.

OCTAVO QVÆRO, an Papa poſſit æſtimare valorem penſionis, quam beneficio imponit; & eum ſimul accipere. Reſpondeo affirmatiuè ex Adrian. vt refert Suar. *numer.* 25. ſequitur Sot. *lib.* 9. *quæſt.* 7. *art.* 2. Ratio eſt, quia impoſita redimi poteſt auctoritate Papæ, vt infrà; ergo etiam à principio poteſt imponi & redimi, parum enim refert quòd fiat diſtinctis temporibus, aut ſimul; moraliter enim in idem recidit. 16. *Et accipere totum valorem penſionis ſimul.*

Nec obſtat quòd videatur venditio quædam beneficij, cogitur enim beneficiatus vt penſionem acceptet, & ſimul eam redimat quod oneroſum ſapit contractum. Reſpondeo enim eſſe tantùm impoſitionem oneris temporalis, quam Papa poteſt facere in beneficio, ſimul cum redemptione eius, & licèt redemptio ſit venditio quædam, tamen non eſt venditio rei ſpiritualis, ſed temporalis non adnexæ per ſe titulo beneficij, hoc ipſo quòd per impoſitionem eius ſeparatur pars redituum à beneficio. Porrò datio beneficij gratuita eſt, etiamſi nolit illam gratiam facere, niſi volenti acceptare penſionem & redemptionem eius; ſicut ſi Petrus nolit mutuare pecuniam, niſi ſibi mutuatarius

mutuet

Digitized by Google

mutuet vinum, vel vendat triticum, vt alibi diximus. Quòd ſi dicas, non aliter dici Clericatum, vel Auditoratum Cameræ vendi, niſi quia à principio reſeruat ſibi Pontifex partem ſaltem prouentuum illorum officiorum, & eorum valore computato, exigit pretium. Reſpondeo primò eiuſmodi officia non eſſe beneficia Eccleſiaſtica, quia prouentus illi non ſunt ex bonis Eccleſiaſticis, ſed ex ſalariis & ſtipendiis à Papa aſſignatis eiuſmodi officiis; atque ita quamuis ea dicantur vendi communi modo, & materialiter ea reſpiciendo; tamen idem non diceretur de beneficiis impoſito onere penſionis, eáque ſtatim redempta. Reſpondeo ſecundò etiamſi non ſint beneficia, tamen conueniunt cum iis, primò quia fundamentum illorum eſt quid ſpirituale, nempe Eccleſiaſtica iuriſdictio, & functiones etiam munerum ſpirituales ſunt, vtpote actus illius iuriſdictionis. Secundò quia prouentus illorum officiorum ſunt adnexi ſpiritualibus conſequenter; dantur enim propter officium ſpirituale; verùm hoc etſi Suarez affirmet, non facile admiſerim, emolumenta enim illa temporalia quæ recipiunt ex his officiis non dantur ob officium aliquod ſpirituale; ſed potiùs ob officium temporale, nam dicti Clericatus & Auditoratus officia temporalia ſunt fructificantia certos reditus & emolumenta temporalia, ob quæ venduntur & emuntur. Et licèt habeant adnexam aliquam iuriſdictionem ſpiritualem iudicandi clericos, eóſque & laicos cenſuris puniendi, & aliis pœnis, tamen hæc non eſt totum officium ipſorum, ſed potiùs adiunctum additum ad rectè exercendum officium temporale, vnde etiam theſaurarius poteſt cenſuris afficere eos, qui delinquunt in rebus pertinentibus ad officium eius, & tamen nullus dicat theſaurariatum eſſe officium ſpirituale: clerici etiam Cameræ habent adnexam aliquam iuriſdictionem temporalem; vnde multo magis vendi poterunt abſque illa ſimonia.

17\. *Auditoratus Cameræ, & clericatus non ſunt beneficia Eccleſiaſtica.*

Conueniunt in quibuſdã cum beneficiis.

Potius dici debent officia Eccleſiaſtica ſ temporalia.

18\. NONO QVÆRO, an Papa media ſeparatione præbendæ poſſit dare beneficium exhibenti pecuniam.

Papa poteſt dare beneficiũ exhibenti pecuniam facta ſeparatione præbendæ.

RESPONDEO & DICO PRIMO, facta ſeparatione poteſt. Eſt eorum qui ſuprà recenſiti ſunt *in ſecunda ſententia quæſt. 6.* & primò patet exemplo in permutatione beneficij pinguis cum tenui, Papa enim concedit cõputari exceſſum impoſita penſione ſuper pingue; quare etiam concedere poſſet, vt data à principio certa pecunia æquiualenti penſioni, commutatio fieret, vt enim dictum eſt *præced. quæſt.* Papa æſtimare poteſt à principio valorem penſionis, & ſimul eum accipere. Secundò ratione, quia ſicut Papa tanquam ſupremus diſpenſator poteſt reipſa ſeparare temporales reditus à titulo ſpirituali, ita intentione & voluntate idem præſtare poteſt, & ſpirituale gratis conferre, vel pro ſpirituali, temporale verò compenſare cum temporali.

19\. DICO SECVNDO, nulla facta ſeparatione non poteſt abſque ſimonia dare beneficium exhibenti pecuniam, eſt eorum quos ſuprà *quæſt. 6.* reponimus in prima ſententia. Ratio eſt, quia ſi non fiat ſeparatio, iam ergo vendito beneficio, vendetur facultas, & ius obtinendi illos reditus temporales conſequenter, & adnexos miniſterio ſpirituali; quare vendetur ipſum ius & miniſterium ſpirituale, ſaltem, vt medium neceſſarium ad temporales reditus: id autem abſque ſimonia eſſe non poteſt, vt patet ex dictis. Confirmatur, quia ſi fructus non ſeparentur, erunt ſemper ſtipendium ſuſtentationis debitæ pro ſpirituali munere; vendendo ergo eiuſmodi ſtipendium ſuſtentationis, conuincitur vendere ipſum ſpirituale munus, cui talis ſuſtentatio adnexa eſt: vt pluribus Suar. *n.* 24.

Secus, non facta ſeparatione.

DECIMO QVÆRO, an Epiſcopus non obſtante iure poſitiuo poſſit imponere onus pecuniæ, accipienti beneficium. 20.

RESPONDEO & DICO PRIMO, Epiſcopus non poteſt vendere Eccleſiaſtica beneficia abſque ſimonia contra ius diuinum, eſt communis ex Suarez *cap. 24. numer. 35.* Ratio eſt, quia beneficia vt ſic, hoc eſt, quatenus adnexa titulo ſpirituali, neque etiam vendi poſſunt à Papa; ergo multo minus poterunt ab Epiſcopis.

Epiſcopus nõ poteſt vẽdere beneficiũ, abſque ſimonia contra ius diuinum.

DICO SECVNDO, nec etiam poſſe aliis modis explicatis *in ſeptima, octaua, & nona qq.* pecuniam exigere pro beneficio. eſt etiam communis ex *eod. loc. cit.* Ratio eſt, quia Epiſcopus non poteſt ſeparare præbendam à beneficio, conſequenter nec diſponere de illa tanquam de re merè temporali; debet enim conferre beneficia ſine diminutione, vt in proprio titulo, & *cap. prohibemus. de cenſib.* & alibi. Vnde eiuſmodi prohibitio eſt de iure poſitiuo, idcóque ea ſublata, poſſunt Epiſcopi in ſuis diœceſibus facere ſimilem ſeparationem abſque ſimonia: iure tamen prohibitum eſt ob multa inconuenientia. 21.

Nec conferre iis modis quos diximus de Papa.

DICO TERTIO, de facto non poteſt Epiſcopus imponere onus pecuniæ cupienti beneficium; niſi iuſta de cauſa, & in caſibus illi à iure conceſſis. Et primò quidem propriam penſionem imponere ſuper beneficiis, quæ confert, non poteſt, ſuppoſita prohibitione de iure Eccleſiaſtico, & curiæ ſtilo, vt fuſiùs dictum eſt cùm de penſionibus; neque enim beneficia diminuere poſſunt. Secundò, quando Eccleſiam ſui iuris à ſua dignitate ſeparant, poſſunt aliquid reſeruare in recognitionem antiqui iuris. *cap. conſtitutus. de relig. dom.* Tertiò aliquando poteſt imponere penſionem perſonalem, non in ipſo beneficio; vt in tranſactionibus & concordiis; hi enim ſunt caſus iure conceſſi: vt etiam reſeruare penſionem ad vitam renunciantis propter ſenium, vt alibi dictum eſt, & iuxta hæc interpretandi ſunt Canoniſtæ, quorum ſententiam refert Suar. *loc. cit. num.* 36. 22.

Non imponere penſionem ſuper beneficio.

Sed ſuper perſonam habentem beneficium poteſt.

VNDECIMO QVÆRO, an in priuata perſona ſimonia ſit aliquid poſtulare ab eo, cui beneficium confert. 23.

RESPONDEO & DICO PRIMO, priuatis perſonis propria beneficia vendere, illicitum eſt, & eſſet ſimonia contra ius diuinum. Patet ex dictis, & ratio eſt, quia beneficia vendere quoad ſpiritualem titulum certum eſt non poſſe, cùm neque Papa id poſſit; quoad temporale verò emolumentum neque poſſunt, quia temporale illud ſemper eſt adnexum ſpirituali titulo, & ipſi non poſſunt ſeparare vnum ab alio; hinc ſequitur fore ſimoniam contra ius diuinum; vt rectè Suar. *n.* 38.

Nec priuatis perſonis licet vendere beneficia.

Non obſtat, quòd poſſit beneficiarius locare fructus ſui beneficij ad aliquot annos, & ſecluſo iure poſitiuo, poſſet etiam per totam vitam, 24.

quare

quare poſſet ab eodem recipere valorem fructuum per totam vitam ſuam; & ſimul dare illi beneficium, id autem eſt virtualiter vendere beneficium quoad temporale emolumentum. Reſpondeo beneficium ipſum, hoc eſt, fundum non poſſe locari: niſi ad tres annos, per *Extrau. Ambitioſæ. de reb. Eccleſ. non alien.* poſſet per totam vitam, ſecluſo iure poſitiuo, ita vt ſemper per ſe primò ad beneficiarium pertineant tanquam annexi beneficio, conductori autem tantùm vice illius.

Beneficium locari non poteſt niſi per triennium, at fructus vendi poſſunt per totam vitam.

Vnde falſum eſt quod infertur, poſſe fructibus ſic locatis, dare eidem vel alteri beneficium ita vt fructus ſibi remaneant, vel conductori; ſemper enim fructus, vt dixi, debent eſſe adnexi beneficio, & locatio eorum non poteſt præiudicare ſucceſſori in beneficio; vt pluribus Suar. *n.* 39. & 40.

25\. *Simonia eſſet priuatæ perſonæ petere aliquid ab eo, cui confert beneficium.*

DICO SECVNDO, in priuata perſona ſemper eſſe ſimoniam, aliquid poſtulare ab eo cui beneficium confert. Ratio eſt, quia ſi id faciat ob venditionem fructuum futurorum, cùm fructus hi futuri acquirendi ſint titulo beneficij, venderet titulum ipſum beneficij, atque adeò eſſet ſimonia contra ius diuinum; ſi verò id faciat, quia locauit fructus beneficij, & recipit penſionem totá eorum anticipatiuè, iam dictum eſt, non poſſe penſionem accipere niſi pro eo tempore, quo beneficium apud ipſum manet: atque ita eſſet iniuſtitia, & ſi præcedat pactum, vt neceſſe eſt præcedere ob contractum, eſſet ſimonia contra ius poſitiuum; vt infrà.

Non obſtat, quòd beneficiarius dans alteri beneficium priuet ſe aliquo commodo temporali, & incurrat damnum aliquod temporale; quare pro illo poterit aliquid recipere. Reſpondeo enim ſi ſolùm ius diuinum ſpectetur, probabile eſſe, quòd aliquid poſſet recipi pro eiuſmodi damno, & ſi probabilius ſit non poſſe, niſi daretur gratis. At ſi conſulatur etiam ius Eccleſiaſticum, hæc multo minus licent, quia beneficia debent purè conferre; quòd ſi penſio aliqua quæratur, ea requirenda à Prælato, & ſuperiore, qui nunc eſt tantùm Papa, vt aliàs diximus.

26\. *Præſtimonia ſunt verè beneficium, ideoque materia ſimoniæ.*

DVODECIMO QVÆRO, quid dicendum ſit de Præſtimoniis, an ſint materia ſimoniæ.

RESPONDEO affirmatiuè; ratio, quia ſunt vera beneficia hoc tempore ſaltem poſt motum proprium Pij V. *Ad perpetuam rei memoriam*; qui habetur apud Nauarr. *cap.* 25. *numer.* 122. obligant enim ad officium Canonicum; atque ita habent titulum ſpiritualem, cui temporales fructus adnexi ſunt. Suarez *cap.* 25. *numer.* 3. & 4. ex Hoſtienſ. *in cap. poſtulaſti. de reſcript. numer.* 9. & 10. Sot. *lib.* 9. *quæſt.* 7. *art.* 1. & aliis. Beneficia autem ſunt materia ſimoniæ, ex dictis qq. præcedentibus; ergo, &c. Hæc ſatis.

CAPVT VI.

De aliis beneficiis Eccleſiaſticis, an ſint materia ſimoniæ.

REDVCVNTVR hæc ad tria potiſſimum genera; Primum ad Commendas, Coadiutorias, & Hoſpitalia. Secundum ad beneficia iuriſpatronatus. Tertium ad officia Eccleſiaſtica: quæ hoc ordine breuiter diſquirimus. Primò de commendis clericalibus, an ſit materia ſimoniæ. Secundò de commendis militaribus. Tertiò de Coadiutoriis: Quartò de Hoſpitalibus. Quintò de iuriſpatronatu, an ſit materia ſimoniæ. Sextò, an ſimonia admiſſa in venditione eius ſit contra ius diuinum. Septimò, an poſſit vendi iuſpatronatus & tranſire cum re vendita, in qua fundatum eſt. Octauò, an in beneficio litigioſo aliquem præſentare cum ea conditione, vt ſuis expenſis litiget, ſimonia ſit. Nonò, quibus modis poſſit in alium transferri. Decimò, de temporalibus officiis. Vndecimò, an ea vendere, ſimonia ſit, vel aliud vitium. Duodecimò, quæ officia temporalia comprehendantur. Decimotertiò, de officio Sacriſtæ & Primicerij in particulari. Decimoquartò, an vendere functiones eiuſmodi officiorum, vel bona Eccleſiæ, ſimonia ſit.

PRIMO QVÆRO, de commendis clericalibus, an ſint materia ſimoniæ. Suppono, Commendam eſſe, cùm Eccleſia aliqua, vel beneficium commendatur alicui, & non confertur ei in titulum, ſed committitur ei cura, vel adminiſtratio eius, ideóque illi aſſignantur fructus beneficij; vel pars eorum, vt diximus cùm de Commendis. Hæ duplices ſunt, quædam clericales, cùm ex continent ſpiritualem iuriſdictionem, vel adminiſtrationem, cui temporales fructus adnectuntur; quædam militares, quæ ſcilicet dantur titulo merè laico, & ſunt temporalia quædam ſubſidia pro muneribus temporalibus; in hac quæſtione dicetur de primis Commendis. Hoc poſito, 1. *Commenda quid ſit.* *Duplex.*

RESPONDEO & DICO PRIMO, Commendæ Clericales ſiue temporales ſint, ſiue perpetuæ, materia ſunt ſimoniæ contrariæ iuri diuino. Ratio, quia in iis quod eſt principale, continet ſpirituale miniſterium, cui conſequenter adnexum eſt temporale commodum; ſi ergo venderentur, vtrique ſpirituale daretur pro pretio, quæ eſt ſimonia contra ius diuinum. Dixi, *ſiue temporales ſint*, &c. quia ſi ſint temporales, in eis iuriſdictio ſpiritualis datur per delegationem, ex *cap. cùm nobis. de elect.* ſi perpetuæ, datur iuriſdictio ordinaria, vel quaſi ordinaria, & æquiparantur Eccleſiaſticis beneficiis, vt ex Gomeſ. Mandoſ. Rebuff. & Hoieda docet Suar. *c.* 27. *n.* 3. 2. *Commendæ clericales ſūt materia ſimoniæ.*

DICO SECVNDO, ſiue Commenda detur ob vtilitatem Eccleſiæ commendatæ, ſiue in fauorem Commendatarij, vt ſcilicet fruatur eius bonis, & illi inſeruiat per Vicarium, ſemper eſſet materia ſimoniæ eius venditio. Ratio eſt, quia etiam quando commendatur in fauorem Commendatarij modo dicto, Commendatus habet ius ſicut Præſentatus ad Eccleſiam illam in proprietate obtinendam, quando erit adultus, hoc autem ius ſpirituale eſt; immo ex vi commendationis ad eum per ſe pertinet adminiſtratio ſpiritualium in tali Eccleſia, & ad Vicarium loco illius; quare habet in ſe ſpirituale ius, ideóque illud vendendo committeret ſimoniam contra ius diuinum; ex quibus patet multo magis id locum habere, quando commenda perpetua eſt. 3. *Quocumque modo Eccleſia commendantur.*

SECVNDO QVÆRO de commendis militaribus. 4.

RESPONDEO & DICO PRIMO, com- *Non commē-*

Digitized by Google

dæ militares per ſe ſpectata. commendas eiuſmodi non eſſe per ſe ſpectatas materiam ſimoniæ. Ratio, quia non ſunt aliquid ſpirituale, neque ſpirituali adnexum, ſed tantùm temporalia quædam ſubſidia, ſeu ſtipendia pro muneribus temporalibus. Suarez *cap.* 27. *numer.* 6. ex Victor. *in relect. de ſimon. numer.* 45. Arrag. *queſt.* 100. *numer.* 4. & viris doctis Regni Caſtellæ & Luſitaniæ. Confirmatur ex vſu; nam dantur pro temporalibus ſeruitiis, & illarum diſpenſatio & adminiſtratio laicis conceſſa eſt. Non obſtat primò quòd non dentur niſi religioſis Profeſſis, vnde videntur adnexæ ſtatui religionis, quæ ſpiritualis eſt: obligantur etiam ad pactum quarundam orationum, vice officij diuini. Reſpondeo enim ſtatutum religionis eſſe conditionem ſine qua non darentur commendæ, & diſpoſitionem ex parte perſonæ, vt ſit capax illius cõmendæ, non autem eſſe titulum, cui ſint adnexæ; ſicut ſi Papa præciperet, vt determinata bona temporalia non diſtribuerentur niſi inter religioſos, non propterea dicerentur adnexa titulo ſpirituali. Obligatio autem earum orationum non oritur ex commenda, ſed ex profeſſione.

Non obſtat ſecundò quòd habeant nonnulli milites ius præſentandi in ſuis Eccleſiis, regularem aliquem Clericum ſui ordinis ad beneficium, ſeu titulum beneficij in tali Eccleſia; hoc autem ius ſpirituale quiddam eſt. Militia etiam in ipſis opus quoddam ſpirituale eſt & religionis, quia ex voto ad eam obligantur. Reſpondeo enim ius illud eſſe ad modum iuriſpatronatus, quod eſt antecedenter adnexum beneficio talis Eccleſiæ, & ineſt Commendæ tamquam fundamento, & tranſit cum ipſa Commenda. Nec militia eſt opus ſpirituale, ſed temporale pretio æſtimabile; nec vouent directè militare, ſed tantùm obedire iuxta regulam; vnde poſſunt imponi opera corporalia, quæ remotè ordinentur ad cultum Dei; vt pleniùs docet Suar. *n.* 7. *&* 8.

5. *Non eſt ſimonia eas vendere, ſed illicitum.* DICO SECVNDO, quamuis eas vendere prohibitum non ſit iure Eccleſiaſtico, ideóque nec eas vendere eſſet ſimonia; videtur tamen illicitum eas vendere directè & formaliter, & primum quidem eſſe prohibitum vendere, affirmant aliqui ex Suarez *numer.* 9. ipſe tamen addit ſibi id non conſtare, ideóque cùm non afferatur canon, aut Bulla, in qua id prohibeatur à Papa, abſolutè dicere poſſumus non eſſe id prohibitum iure Eccleſiaſtico. Secundò non fore ſimoniam, patet conſequenter, quia nec eſſet ſimonia contra ius diuinum, cùm dictum ſit non eſſe eas aliquid ſpirituale; nec contra ius humanum Eccleſiaſticum, cùm non conſtet; quod ſi conſtaret & intuitu religionis, & rerum ſpiritualium prohiberetur earum venditio, tunc vtique eas vendere, eſſet ſimonia contra ius Eccleſiaſticum. Tertiò quòd ſit illicitum, ex eo patet, quia Magiſtri ordinum & generales eas non poſſunt vendere cùm non ſint domini, ſed tantùm diſpenſatores, & quidem ſub Papa, qui dedit illis talem facultatem tantùm ad diſtribuendum. Commendatarij autem priuati multo minus poſſunt, cùm tantùm vſufructuatij ſint, & ſolùm recipiant illas ad vitam. Dixi, *directè & formaliter.* quia indirectè, & virtute quando non ſit contra finem inſtitutionis, nec contra iuſtam diſtributionem, poſſent, dando illas cum onere ad aliquid temporale, vt eundi in bellum contra Turcas, vel Saracenos, &c. Cum licentia autem Papæ, poſſet etiam vendi commenda; applicando pretium ad maius bonum militiæ; vel imponi penſio aliqua danda alteri. Procurare autem eius obtentionem per pecuniam, emendo fauorem, non eſſet quidem ſimonia, ſed poſſet eſſe mala actio, vt diximus *tractat.* 30. cùm de venditione officiorum temporalium, &c.

TERTIO QVÆRO de Coadiutoriis, an ſint materia ſimoniæ. 6.

Coadiutoria, materia eſt ſimoniæ. RESPONDEO affirmatiuè, tum quia ſunt ſimiles Commendis Clericalibus, ſi enim proprietarius committat Coadiutori vices ſuas, aut à ſuperiore id ei committatur, erit ſimilis Commendatario temporali; ſi datus ſit cum iure ſuccedendi, & congrua ſuſtentatione, ſic comparatur Commendatario cum futura ſucceſſione. tum quia per Coadiutoriam datur ius miniſtrandi, celebrandique diuina officia loco alterius; hoc autem eſt quid ſpirituale; tum denique, quia ius futuræ ſucceſſionis ſpirituale eſt, ideóque eadem eſt ratio de Coadiutoria, quam diximus de Eccleſiaſticis beneficiis; vt docet etiam Suarez *cap.* 27. *numer.* 5.

QVARTO QVÆRO de Hoſpitalibus, an ſint materia ſimoniæ. 7.

Hoſpitalia ſunt materia ſimoniæ. RESPONDEO & DICO PRIMO, Hoſpitalia quæ ſunt Eccleſiaſtica beneficia; quę nimirum ſunt religioſa loca auctoritate Epiſcopi constructa, & dantur in titulum, materia ſunt ſimoniæ contra ius diuinum, ſicut ipſa Eccleſiaſtica beneficia; habent enim ſpiritualem adminiſtrationem, & titulum ſpiritualem & fixum auctoritate Epiſcopi conferendum. Idem dic de Hoſpitali habente Rectorem cum adminiſtratione ſpirituali ſimul cum temporali abſque titulo, & ad nutum amouibili, & tunc etiam ſunt materia ſimoniæ ob ſpiritualem adminiſtrationem quamuis delegatam, vt Suarez *loc. cit. numer.* 11. At verò Hoſpitalia quæ vel priuata voluntate erecta ſunt, & non verſantur ſub Epiſcopi poteſtate, vel tantùm habent temporalem adminiſtrationem cum cura pertinente ad infirmos & peregrinos; non ſunt materia ſimoniæ, ex communi apud Suarez *cap.* 27. *numer.* 12. quia, vt ſupponitur, ad nullam ſpiritualem functionem ordinata ſunt; non ergo erunt materia ſimoniæ ſaltem contra ius diuinum. *Modò ſint beneficia Eccleſiaſtica.*

8. *Si non ſint, adhuc prohibitum eſt vendi.* DICO SECVNDO, probabile eſt tamen fore ſimoniam contra ius Eccleſiaſticum hæc etiam Hoſpitalia fundata Epiſcopi auctoritate habentia tantùm temporale regimen, vendere. Ratio, quia videntur comprehendi ſub generali prohibitione *in cap. Saluator.* 2. *queſt.* 3. Ibi enim prohibetur vendi officium Procuratoris, & per Procuratorem explicatur intelligi quemlibet adminiſtratorem rerum Eccleſiaſticarum, vt Præpoſitum, OEconomum, Vicedominum. Hæc autem Hoſpitalia & eorum bona Eccleſiaſtica ſunt; officium ergo Rectoris eorum comprehendetur ſub nomine Procuratoris, ac propterea illud vendere erit ſimonia contra ius Eccleſiaſticum, vt ex Victor. & Soto confirmat Suarez *loc. cit. numer.* 15.

QVINTO QVÆRO de iuriſpatronatu, an ſit materia ſimoniæ. Pro reſponſione notandũ iuſpatronatũ Eccleſiaſticum, de 9.

hoc

hoc enim ſermo nobis eſt,inter alias gratias ad oſtenſionem gratitudinis illi conceſſas ab Eccleſia; habere etiam adnexum ius præſentandi perſonas ad beneficia ſuæ Eccleſiæ. Dubitatur ergo,an ratione huius iuris,ſit materia ſimoniæ. Quo poſito,

Iuſpatronatus eſt materia ſimoniæ.

RESPONDEO affirmatiuè, nempe eſſe materiam ſimoniæ. communis ex Suarez *cap.* 28. *numer.* 5. & probatur ex *cap. quia clerici. de ſimon.* vbi prohibetur vendi Aduocatia, quæ idem eſt cum iure patronatus, ex Io. Andr. *ibi*, vnde ſub nomine Defenſoris & Aduocati comprehendetur patronus *in cap. Saluator.* 1. *quaſt.* 3. Verè enim patronus eſt defenſor, & Aduocatus ſuæ Eccleſiæ. Ratio verò ea eſt; quia iuſpatronatus eſt ſpiritualibus adnexum: *cap. de iure, cap. preterea. de ſimon.* Simonia autem committitur etiam circa adnexa ſpiritualibus. *cap. quæſitum. de rer. permut. cap. querelam. de ſimon.* Atque hæc probant ſaltem eſſe materiam ſimoniæ contra ius Eccleſiaſticum; de diuino ſeq. q.

10. SEXTO QVÆRO, an ſimonia admiſſa in venditione eius ſit contra ius diuinum.

Simonia in eo admiſſa eſt contra ius diuinum.

RESPONDEO & DICO PRIMO, poſtquam ab Eccleſia iuſpatronatus inſtitutum eſt,ſit materia ſimoniæ contra ius diuinum. Et quidem Canoniſtæ varij ſunt, nam primò quidam dicunt ſecundùm ſe eſſe temporale; ob annexionem reputari tamquam ſpirituale. Secundò alij dicunt partim temporale, partim ſpirituale. Tertiò alij eſſe ſimpliciter ſpirituale,& hi fauent noſtræ concluſioni. Butr. Barb. *in cap. quanto. de iudic. gloſſ. vlt. in cap. preterea.* 1. *de tranſact.* quam refert & ſequitur Suarez *cap.* 28. *numer.* 7. Ratio, quia iuſpatronatus eſt veluti potentia quædam moralis ad aliquid agendùm, nempe ad præſentandum ad beneficium Eccleſiaſticum: obiectum autem & terminus huius potentiæ ſpirituale eſt, nempe ipſum beneficium,actus etiam qui eſt præſentatio ad ſpirituale, ſpirituale quiddam eſt; ergo etiam potentia quæ ſuam ſpeciem ſumit ab obiecto,& ab actu, ſpirituale quid erit. Confirmatur, quia ius eligendi ad prælationem Eccleſiaſticum etiamſi ſit in laico, ſpirituale eſt; ergo etiam ius præſentandi ad beneficium Eccleſiaſticum ſpirituale erit.

Nec obſtat, quòd dicatur adnexum ſpirituali; re enim vera vtrumque eſt, & ſpirituale, & adnexum ſpirituali antecedenter, nempe beneficio Eccleſiaſtico; quia tamen hoc ſecundùm quid principalius eſt, & hoc modo eſt ſpirituale tantùm per adnexionem, ideo ita dicitur communiter; ſicut vaſa ſacra etiam vt ſic dicuntur annexa rei ſpirituali, nempe ſacramentis & ſacrificio. Nec etiam refert, quòd inſtitutum ſit ab Eccleſia; nam poſtquam eſt inſtitutum,iam factum eſt ſpirituale, & conſequenter inuendibile ſua natura; ſicut Calix,& vaſa ſacra, de quibus dictum eſt ſuprà.

11. DICO SECVNDO, præſentationem, quæ eſt actus huius rei, eſſe materiam ſimoniæ contra ius diuinum. Patet, tum quia eſt actus ſpiritualis, vt diximus, tum quia per illam confertur aliquid ſpirituale, tum quia procedit à poteſtate ſupernaturali; tum denique, quia ſi præſentatio vendibilis eſſet, etiam eſſet æſtimabile pretio ipſum ius præſentandi ob commoditatem temporalem adnexam; id autem falſum eſſe iam dictum eſt; plura Suarez *numer.* 11.

Præſentatio eſt materia ſimoniæ contra ius diuinum.

SEPTIMO QVÆRO, an poſſit transferri ius patronatus, & tranſire cum re vendita,in qua fundatum eſt. 12.

Tranſit cum re vendita iuſpatronatus.

RESPONDEO affirmatiuè, modò res in qua fundatur non vendatur carius ratione illius. communis DD. ex Suarez *d. cap.* 28. *num.* 12. habetur *cap. ex literis, cap. cùm ſeculum. de iure patron.* & ratio eſt, quia ſicut patrono laico collatum eſt hoc ius præſentandi, ita potuit conferri eidem, vt pro ſuis hæredibus, vel ſucceſſoribus valeret, vel etiam vt poſſit transferre in alterum, quando transfertur res in qua fundatum eſt,& connexum; hæc enim nullam continent repugnantiam; & quod ita ius Canonicum conceſſerit, patet ex citatis iuribus, & quòd vnum vendi poſſit non diuendito altero cui connexum eſt; patet in venditione Calicis, cuius materia venditur non diuendita conſecratione.

Hinc infertur, in nullo contractu, vel ſolutione, vel compenſatione, haberi poſſe rationem huius iuriſpatronatus, hoc enim ipſo venderetur, quod fieri nequit. Quare nec in ſolutionem temporalis debiti dari poterit; nec tribui in compenſationem maioris portionis ab hærede; nec concedi in feudum, aut alio modo titulo oneroſo; vt ex DD. in iura citata colligi facile poteſt; & notat etiam Suarez *numer.* 13.

OCTAVO QVÆRO, an in beneficio litigioſo aliquem præſentare cum conditione, vt ſuis expenſis litiget, ſimonia ſit. 13.

Simonia eſt præſentare aliquam cum onere vt litiget.

RESPONDEO, ſi ita præſentatio inſtituatur, vt per modum oneroſi contractus, vel pacti exigatur vt litiget, & probet ius præſentandi, pertinere ad præſentantem, ſic ſimonia committitur; quia perinde eſt ac ſi venderetur præſentatio pro illis expenſis ad quas præſentatus non tenetur. Si verò ſic inſtituatur, vt præſentatus obligetur ad defendendum ſuam præſentationem, alioquin præſentans vti poſſit iure ſuo præſentandi alium,vel agere quod vtilius fuerit, ſic non apparet interuenire vllam ſimoniam, quia tunc non imponitur præſentato vllum onus præter id quod iure ineſt, nec obligatur ad litigandum abſolutè, ſed ſub conditione, ſi velit ſuam præſentationem ſtabilem permanere, quod eſt defendere ius ſuum; licèt ex hoc redundet commodum etiam in præſentantem, vt rectè Suar. *n.* 14.

Non, vt defendat ſuam præſentationem.

NONO QVÆRO, quibus modis ius patronatus in alium transferri poſſit. 14.

Transfertur in aliis caſibus in iure expreſſis.

RESPONDEO id quidem alterius loci eſſe,breuiter tamen ob connexionem cum *quaſt.* 7. dicendum, non poſſe à patrono in alium transferri, niſi modo & caſibus in iure expreſſis; laici enim nil poſſunt in ſpiritualibus, niſi quod eis iure conceſſum reperitur. gloſſ. *in cap. vlt.* Abb. & Innoc. *in cap. quanto. de conſuetud.* Hi autem modi tres ſunt. Primus iure hæreditario, & extenditur etiam ad hæredes voluntarios, & extraneos. Secundus per literalem donationem, quiſque enim poteſt in alium transferre ius quod habet. Requiritur tamen conſenſus Epiſcopi, vt transferatur in alios quàm Religioſos, ex *cap. illud. de iure patr.* & *cap. vnic. eod. in* 6. Tertius per venditionem rei in qua fundatum eſt, & tunc dicitur ius patronatus

Digitized by Google

tronatus reale; perſonale enim duobus aliis modis tantùm transfertur, non tertio, etiamſi omnia bona venderentur, vt ex Lamberti. docet Suar. *loc. cit. n.* 19.

15. *Quando bona cohærent patronatui.* Ex his infertur quid dicendum, quando ius patronatus non cohæret bonis, ſed potiùs bona patronatui. Si enim fructus omnes eorum bonorum ex obligatione conuertendi ſint in vſus Eccleſiæ, vendi non poſſunt, transferendo cum illis ius patronatus, in ſe enim non habent æſtimationem ratione prouentuum temporalium, cùm omnes pertineant ad Eccleſiam; ratione verò iuris-patronatus ſi æſtimarentur, venderetur ipſum ius patronatus: ſi verò ordinariè cedunt in commoditatem perſonæ habentis ius patronatus, ex occaſione tamen neceſſitatis Eccleſiæ, illi etiam prouidendum, tunc non obſtante connexione cum iuris patronatu vendi poſſunt ob ſuum temporalem vſum, ob quem pretio æſtimari poſſunt: vt fuſiùs Suar. *num.* 22.

16. *Ius ſepulturæ paſſiuum vendi poteſt. Non actiuũ.* Infero etiam ius ſepulturæ paſſiuum, vt ſcilicet quis ſepeliatur, vendi poſſe, iuxta ſupradicta *in c.* 3. ius verò ſepulturæ actiuum, quod Clerici habent funerandi & ſepeliendi, magis ſpirituale eſt, & conuenit ratione Eccleſiaſticæ adminiſtrationis & poteſtatis. officium etiam eius iuris ſpirituale eſt, ideóque vendi non poteſt; vt cum Syluest. & aliis idem docet *n.* 23.

17. DECIMO QVÆRO de temporalibus officiis, quomodo ſint materia ſimoniæ.

Temporalium officia Eccleſiæ non ſunt materia ſimoniæ contra ius diuinum. RESPONDEO & DICO PRIMO, temporalia officia Eccleſiæ, vt etiam actiones eorum non eſſe materiam ſimoniæ contra ius diuinum. communis Theologorum ex Suarez *c.* 29. *numero* 1. Ratio, quia non habent in ſe aliquid ſpirituale, nec ordinantur ad ſpirituales actiones, ſed tantùm ad temporales, vt cuſtodire res Eccleſiæ, vel eas adminiſtrare, vt infrà dicetur.

18. *Proximus finis eorũ ſunt opera corporalia.* Nec obſtat quòd ordinentur ad cultum templi, & defenſionem bonorum Eccleſiæ, vt officium Sacriſtæ, & Syndici. Reſpondeo enim, proximum finem eſſe opera mere corporalia, remotum verò, ſpiritualia; prior autem finis reſpicitur, cùm venduntur. Sic etiam quamuis collatio horum officiorum ſit actus ſpiritualis iuriſdictionis, tamen terminus eius & officium ipſum ratione temporalis commoditatis annexæ functionibus temporalibus, habet æſtimationem, ratione cuius vendibile eſt.

19. *Prohibentur tamen vendi iure poſitiuo.* DICO SECVNDO, eiuſmodi officia ob ius poſitiuum id prohibens, vendi non poſſunt abſque graui peccato. communis DD. & Suar. *num.* 3. Probatur ex *c. ſi quis Epiſcopus.* 8. 1. *q.* 1. *& c. Saluator.* 1. *q.* 3. *& c. conſulere. de ſimon.* Prohibentur enim iis capitibus vendi multa officia, vt œconomi, præpoſiti, Vicedomini, &c. Nec obſtat, quod dicunt aliqui ex gloſ. *in c. ſaluator. verbo, & iudicem.* conſuetudine contraria derogatum eſſe iuri communi, præſertim in Romana Curia. Reſpondeo enim non conſtare de contraria conſuetudine vniuerſali, ideóque probabilius eſt durare etiam nũc prohibitionem, nec in Romana Curia vendi eiuſmodi officia; ſed ſi quæ venduntur, potuit id fieri diſpenſatione Papæ ſcientis & videntis; potuit enim in prohibitione tantùm iuris poſitiui diſpenſare; vt rectè Suarez *n.* 3.

VNDECIMO QVÆRO, an peccatum contra eiuſmodi prohibitionem commiſſum, ſimonia ſit, vel aliud vitium. 20.

RESPONDEO probabilius videri, reduci ad ſimoniam. Caiet. *ſimonia, reg.* 3. *in fin.* Victor. *relect. de ſimo. n.* 16. Abb. Anan. Felin. & alij cum Suarez *c.* 29. *n.* 5. Ratio eſt, quia licèt eiuſmodi officia de ſe ſpiritualia non ſint, ita vt ſufficiant ad materiam ſimoniæ ex ſua natura, & contra ius diuinum, quia tamen habent aliquam adnexionem ſpiritualibus, potuerunt adiuncta Eccleſiæ prohibitione intuitu Religionis tãquam ſufficientia ad materiam ſimoniacam prohiberi: ſic autem effectum eſt prædictis iuribus, præſertim *c. conſulere. de ſim.* vbi cùm eſſet ſermo de huiuſmodi officiis, *tam ementes, quàm vendentes cum ſimone percelluntur.* vt pluribus explicat Suar. *loc. cit.* *Venditio eſſet ſimonia contra ius humanum.*

Hinc patet non ex eo dignoſcenda eiuſmodi officia, an ſint materia ſimoniæ, necne, quòd à Clericis adminiſtrentur, vel à laicis; nam præterquã quòd poſtulant à Clericis adminiſtrari; ſi iniuria, vel neceſſaria occaſione à laicis exerceri contingat, non propterea amittũt rationem ſuam; ſicut conditio ſola Clericatus non ſufficit ad ſimoniam, niſi facta eſſet prohibitio ratione connexionis, vt diximus.

DVODECIMO QVÆRO, quæ officia temporalia comprehendantur ſub prohibitione. 21.

Reſpondeo ex *c. ſi quis Epiſcopus*, colligi primò prohiberi per pecuniam promouere *Diſpenſatorem*, ſeu *Procuratorem*, vt habetur *in c. ſaluator.* per quem intelligitur quilibet Eccleſiaſticarũ rerum adminiſtrator, vt Præpoſitus, OEconomus, Vicedominus, quæ voces idem ſignificant ex *c. conſulere, & c. volumus. d.* 89. gloſ. ibi cum Hugone. OEconomus autem ex Trid. *ſeſſ.* 24. *c.* 16. *refor.* eſt quilibet rerum Eccleſiaſticarum adminiſtrator, Vice Prælati, habens poteſtatẽ ad adminiſtranda Eccleſiaſtica bona. *Eſſe diſpenſatorem officium eſt temporale.* Secundò, *in eo c. ſi quis Epiſcopus*, prohibetur pretio cõſtituere defenſorem, hoc eſt, Aduocatum, ſiue Caſtaldum, aut iudicem, ex *c. ſaluator.* *Item eſſe defenſorem Eccleſiæ.* Communiter autẽ DD. intelligunt Procuratorem quãdo cum officio, & ſpeciali poteſtate ab Eccleſia recepta, ad id munus conſtituitur. Tertiò Aduocatum, quo ſpeciale mandatum habet ab Eccleſia, vel Epiſcopo, & alio nomine, ſolet vocari Syndicus; cui ſcilicet generaliter Eccleſiæ negotia commẽdantur, non autem qui abſque mandato ſumitur ad patrocinandum, & ſcribendum in iure. *Aduocatum.* Quartò iudicem, qui ſcilicet loco Epiſcopi adminiſtrat iuriſdictionem temporalẽ, vbi illam habet, ex gl. *in c. ſaluator.* ſi enim iuriſdictio ſpiritualis ſit, certum eſt ſi committatur pro pretio fore ſimoniam contra ius diuinum. *Iudicem.* Meritò autem etiã illa prohibetur vendi ab Eccleſiaſticis; quia pertinet ad Eccleſiaſticarum rerũ adminiſtrationem, & eſt adnexa rebus ſpiritualibus. Quintò manſionarium, per quem ex Suarez *n.* 10. intelligitur Præfectus Clericorum, aut Canonicorum, ad manſiones diſtribuendas quando Eccleſiaſticæ ſunt, & conferuntur de domibus Eccleſiæ; quod munus pertinet ad partem quãdam OEconomi. *Mãſionarij.*

DECIMOTERTIO QVÆRO, de officio Sacriſtæ, & Primicerij in particulari. 22.

RESPONDEO & DICO PRIMO, quamuis iuribus citatis non connumeretur inter officia quæ vendi prohibentur, officium Sa- *Item officium Sacriſtæ, ſeu Theſaurarij.*

Digitized by Google

criſtæ, ſeu theſaurarij, ſeu cuſtodis rerum ſacrarum; tamen ex communi hoc etiam ponitur inter ea quæ vendi prohibentur. Suarez *numer.* 11. ex Sot. *lib. 9. quæſt. 5. artic.* 2. Vgol. §. 7. quamuis hic etiam ſignificet officium eiuſmodi vendere, fore ſimoniam contra ius diuinum. Verùm probabilius cum Suarez *loco citat.* dicendum, eſſe tantùm contra ius Eccleſiaſticum, quia functiones huius muneris verſantur circa materialem partem rerum ſacrarum; & ſic actiones ſunt corporales. Poteſt etiam dici comprehendi ſub *cap. Saluator*, quatenus officium Sacriſtæ re vera pertinet ad Eccleſiaſticarum rerum adminiſtrationem comprehenſum generaliter ſub ea prohibitione: & poſſet etiam comprehendi ſub œconomo; eſt enim Sacriſta œconomus particularis rerum ſacrarum.

23. *Et Primicerij.* DICO SECVNDO, officium Primicerij etiam comprehenditur ſub illa generali prohibitione: pertinet enim ad illum gubernatio chori. Et ſiquidem haberet aliquam iuriſdictionem Eccleſiaſticam, officium eius eſſet inuendibile natura ſua, & ſimonia contra ius diuinum; verius tamen eſt cum Abb. *tit. de officio*, habere tantùm quamdam auctoritatem ad minores Clericos inſtruendos, & ad chorum dirigendum; quæ functiones quædam merè corporales ſunt. Vnde miniſterium quoddam Eccleſiaſticum eſt; quod *cap. ad noſtram. de ſimon.* vendi prohibetur, atque ita cenſet Suarez *num.* 12.

24. DECIMOQVARTO QVÆRO, an vendere functiones eiuſmodi officiorum, vel bona Eccleſiæ ſimonia ſit.

Vendere functiones horum officiorum non eſt ſimonia. RESPONDEO, & DICO PRIMO, vendere functiones non eſſe ſimoniam; quia ſunt merè corporales, & ſic poſſunt iuſto pretio æſtimari; nec prohibentur vendi iure Eccleſiaſtico; iura enim prædicta tantùm loquuntur de ipſis officiis. Nec mirum, quia officia ſunt ex inſtitutione Eccleſiaſtica, & conferuntur per poteſtatem Eccleſiaſticæ iuriſdictionis, & iis debent præfici perſonæ idoneæ, ideóque gratis conferenda ſunt, non ob pretium; non ita actiones, quæ ſtipendium merentur, & condignam recompenſationem.

25. *Nec vendere bona Eccleſiæ.* DICO SECVNDO, vendere bona Eccleſiæ mobilia vel immobilia etiam ſacra, ſi non vendantur quatenus ſacra ſunt, non eſſe ſimoniam etiam contra ius Eccleſiaſticum. patet ex tit. *de rebus Eccleſiæ. non alienand.* vbi traditur forma vendendi bona Eccleſiaſtica; ſignum ergo eſt non eſſe materiam ſimoniæ, Communis etiam ſenſus DD. ex Suarez *numer.* 14. eſt non committi ſimoniam etiamſi vendatur iniuſtè poſſeſſio Eccleſiæ, vel triticum, aut vinum.

Nec obſtat quòd in *cap. Saluator.* generaliter dicitur, *vendere Eccleſiaſticam rem, ſimoniacum eſſe.* & infra, *quiſquis res Eccleſiaſticas, &c. propter lucra vendit, vel emerit, cum eodem Simone donum Dei poſſideri pecunia exiſtimat.* Reſpondeo enim loqui de venditione rerum Eccleſiaſticarum in ordine ad adminiſtrationem & gubernationem, quæ ſolum ſit, vendendo officia Eccleſiaſtica; non autem de rebus Eccleſiaſticis ſecundùm ſe ſpectatis; hæc enim res temporales ſunt, & per modum diſpenſationis vendi poſſunt ab habente poteſtatem, ſeruata forma iuris, vt alibi dictum eſt. Hæc ſatis.

Niſi vendantur in ordine ad adminiſtrationem.

CAPVT VII.

De ſimonia in permutationibus beneficiorum.

HOc capite & ſequenti exponetur tertia diuiſio ſimoniæ, quæ ſumitur ex parte pretij. Vnde hæc potiſſimum diſquirentur. Primò quid requiratur ad rationem pretij. Secundò, an res ſpiritualis ſtando in ſolo iure diuino poſſit habere rationem pretij. Tertiò an in permutatione ſpiritualium poſſit eſſe ſimonia contra ius Eccleſiaſticum. Quartò, an permutatio facta in prouiſionibus beneficiorum, ſit ſimonia contra ius Eccleſiaſticum. Quintò, an extra beneficia permutatio ſpiritualis cum ſpirituali ſit ſpecialiter prohibita. Sextò, an Prælati auctoritas neceſſaria ſit ad euitandam ſimoniam in beneficiis. Septimò, an liceat ſe mutuo obligare ad perſeuerandum in conuentione donec ſuperior deneget conſenſum. Octauò, quis ſit ſuperior, cuius auctoritate facienda eſt permutatio. Nonò, an aliquando licitè fieri poſſit abſque ſuperioris auctoritate. Decimò, an beneficia poſſint permutari cum penſione, & quis poſſit facere hanc permutationem. Vndecimò, an permutatio inæqualium beneficiorum poſſit fieri facta temporali recompenſatione abſque ſimonia. Duodecimò, an ſi compenſetur pecunia, poſſit fieri auctoritate Epiſcopi. Decimotertiò, an permutatio beneficiorum imponendo alteri penſionem ſimoniaca ſit.

PRIMO QVÆRO, quid requiratur ad rationem pretij. Pro reſponſione notandum duo in pretio conſiderari, materiale & formale; materiale eſt res illa, quæ in commutationem rei ſpiritualis datur; vt pecunia, domus, torques, & ſimilia; formale eſt reſpectus ſub quo danda eſt, vt habeat rationem pretij; id ergo quærimus. 1. *In pretio, materiale, & formale.*

RESPONDEO, & DICO, ad rationem pretij requiri vt detur in commutationem & æſtimationem rei, quæ pro pretio datur, ita loquitur S. Th. *quæſtio.* 100. *artic.* 1. *&* 2. Sotus *lib. 9. quæſtio.* 1. Nauarr. *cap.* 23. *numer.* 100. & ita etiam loquuntur iura, *cap. cum in Eccleſia, cap. non ſatis. de ſimon.* & alibi. Vnde non ſatis eſt quòd pecunia detur pro actione ſpirituali quocumque modo; multis enim modis poteſt licitè dari, vt in ſuſtentationem, in eleemoſynam, ob gratitudinem, & ſimilibus modis, de quibus infrà. Formale ergo pretij eſt vt detur in commutationem rei ſpiritualis. Suarez *cap.* 30. *numer.* 1. 2. *Ratio pretij, vt detur in commutationem rei.*

SECVNDO QVÆRO, an res ſpiritualis ſtando in ſolo iure diuino poſſit habere rationem pretij. Pro reſponſione notandum primò, per rem ſpiritualem intelligi omne id quod diſtinguitur à re temporali quæ ſit pecunia, vel pecunia æſtimari poſſit. Notandum ſecundò quæſtionem tractari poſſe vel 3. *Quid per rem ſpiritualē intelligatur.*

ex

Digitized by Google

ex natura rei, vel ex iure Eccleſiaſtico; in hac agimus de illa, ſtando in iure diuino & ex natura rei: in ſequenti agetur de eadem, ſtando in iure Eccleſiaſtico.

4. *Duplex ſententia.*

Notandum tertiò eſſe duplicem ſententiam. Primam affirmatiuã, poſſe ſcilicet rem ſpiritualem habere rationem pretij, ſi detur ex pacto vero & oneroſo; atque ita ſimonia erit dare eo modo rem ſpiritualem pro ſpirituali. Primò, quia tunc emitur res à non domino, nec enim homo eſt dominus rerum ſpiritualium. Secundò, quia contra rationem gratiæ eſt vt vendatur etiam pro ſpirituali pretio, iam enim hoc ipſo non eſt gratia. ita Richard. 4. *d.* 25. *artic.* 3. *q.* 1. *ad* 1. Tertiò, quia ſic liceret dare alteri Miſſam de præſenti, vt ille obligetur ad dicendum aliam in futurum, hæc autem obligatio eſt pretio æſtimabilis. ſic etiam liceret dare vas aureum ſacrum pro beneficio, vtrumque enim res eſt ſpiritualis. Secunda ſententia contraria exponetur ſeqq. concluſionibus.

5. *Pretium, debet eſſe quid temporale in ſimonia contra ius diuinum.*

DICO PRIMO, pretium in ſimonia debere eſſe quid temporale, ſtando in iure diuino. Patet primò, quia malitia ſimoniæ ponitur commutatione rei ſpiritualis pro pecunia, Act. 8. *Pecunia tua tecum ſit in perditionem, quoniam donum Dei exiſtimaſti pecunia poſſideri.* & Matth. 10. *Gratis accepiſtis, gratis date.* & ſtatim ſubiungitur, *nolite poſſidere aurum, neque argentum.* ſub pecunia autem comprehenditur omne id quod pecunia æſtimari poteſt. Ariſtoteles 3. *Polit.* S. Th. *quæſt.* 100. *artic.* 2. &c. Secundò, quia Eccleſia poteſt permutari cum Eccleſia, & temporalis poſſeſſio pro alia poſſeſſione. *cap. ad quæſtiones. de rerum permutat.* Eccleſia autem eſt quid ſpirituale, & ideo non eſt ſimonia. Tertiò, quia indecentia tota ſimoniæ eſt ex improportione rei ſpiritualis cum temporali, vt patet ex dictis *in cap.* 10.

6. *Rem ſpiritualem cum ſpirituali cõmutare non eſt ſimonia contra ius diuinum.*

DICO SECVNDO, non eſt ſimonia contra ius diuinum commutare rem verè ſpiritualem cum re verè ſpirituali, etiamſi commutetur ex pacto. S. Th. 4. *d.* 25. *quæſt.* 3. *artic.* 3. *ad* 8. Durand. *quæſt.* 5. *numer.* 9. Sot. *lib.* 9. *quæſt.* 5. *artic.* 2. Couarr. 1. *variar. cap.* 5. *num.* 4. Maior, Angel. & alij cum Suarez *num.* 5. ratio eſt, quia vbi non eſt emptio, nec venditio, non eſt ſimonia contra ius diuinum; vbi autem non datur pretium, nec eſt emptio, nec venditio; probatum eſt autem præcedente q. rem ſpiritualem non poſſe eſſe pretium; ergo, &c. Confirmatur vſu Eccleſiæ & piorum hominum, qui ſpirituales ſatisfactiones, vt ieiunia, flagellationes, & deprecationes inter ſe commutant; Parochi etiam inter ſe ſeruitia Eccleſiarum, functiones ſpirituales, Miſſas, & huiuſmodi. Dixi *rem verè ſpiritualem*, &c. quia ſpiritualia annexa temporalibus, ſæpe commutari non poſſunt abſque

Annexũ ſpirituali commutare cum re verè ſpirituali, poteſt eſſe ſimonia.

ſimonia, vel cum re verè ſpirituali, vel inter ſe: non cum re verè ſpirituali, quia exceſſus in re temporali compenſaretur cum ſpirituali: vt ſi quis coronam alicuius pretij commutet cũ multis Miſſis, vel vas ſacrum cum conſecutione Eccleſiæ: non cum alia re connexa ſpirituali tum ob eandem rationem, quia ſcilicet exceſſus rei temporalis in vna compenſaretur per ſpiritualem, vt coronæ ex ſuccino cum alia vili habente multas Indulgentias. tum quia non ſeruetur proportio inter vnum annexum & aliud, vt quia adnexum antecedenter commutetur cum adnexo conſequenter, vt vas aureum ſacrum cum beneficio; ſed bene poſſet calix ſacer cum pixide, vel beneficium cum beneficio ex vi iuris diuini; & ratio eſt, quia in adnexo antecedenter, principale eſt temporale, nempe materia; in adnexo verò conſequenter principale eſt ſpirituale quod per ſe datur, quare commutaretur temporale pro ſpirituali, ideóque eſſet ſimonia, vt pluribus Suarez *numer.* 8.

Quare ad argumenta pro prima ſententia reſpondendum. 7. *Soluuntur argumenta contraria.* Ad primum non ſufficere ad ſimoniam, quòd non ſimus domini, niſi etiam res ſpiritualis æſtimetur vt temporalis: vt omittam habere nos dominium aliquid rei ſpiritualis ſaltem ratione libertatis eius faciendæ, vel non; item laboris & operis, quod ſatis eſſet vt poſſet commutari. Ad ſecundum non fit iniuria vel irreuerentia rei ſpirituali, ſi pro alia detur, iuxta id Ioan. 1. *Gratiam pro gratia.* Ad tertium illa obligatio reputatur quid ſpirituale; ideóque non eſſe pretio æſtimabilem, computatur enim tanquam vnum quid cum re ſpirituali tradenda. Quomodo autem Calix ſacer non poſſit commutari cum beneficio, iam dictum eſt; id verò nihil officit noſtræ concluſioni.

8. *Promiſſio operum temporalium Deo pro aliqua gratia non eſt ſimonia.*

Ex his patet in oblatione & permiſſione operum temporalium quæ fit Deo pro gratia aliqua obtinenda, vel obtenta, non committi ſimoniam, tum quia id quod offertur ſemper eſt quid ſpirituale, nempe obſequium ipſum rei naturalis, vt eleemoſyna, flagellatio, ieiunium. tum quia Deus eſt dominus omnium, nec ea ab hominibus offeruntur in pretium, ſed in cultum religioſum, vt rectè Suarez *numer.* 9.

9. TERTIO QVÆRO, an in permutatione ſpiritualium poſſit eſſe ſimonia contra ius Eccleſiaſticum.

In permutatione ſpiritualium poteſt eſſe ſimonia contra ius poſitiuum.

RESPONDEO, & DICO PRIMO, poſſe eſſe, ſuppoſito quòd permutatio eiuſmodi prohibeatur intuitu Religionis, & ad vitandam omnem ſpeciem mali. Id probatum eſt generaliter ſuprà *cap.* 1. *quæſt.* 12. & in materia beneficiorum docent communiter Canoniſtæ ex Suarez *cap.* 31. *numer.* 3. Theologi cum S. Th. *quæſt.* 100. *artic.* 1. *ad* 5. Sot. *lib.* 9. *quæſt.* 5. *artic.* 2. Nauarr. *cap.* 23. *numer.* 110. *verſic.* 2. & alij. Decimò patet in beneficiis, permutatio enim eorum priuata auctoritate non eſt ſimonia contra ius diuinum, ſuppoſito quòd purè fiat, & ſine adiectione vel reſeruatione alicuius temporalitatis; & tamen eſt ſimonia contra ius Eccleſiaſticum; quia prohibita eſt intuitu Religionis, & ad vitandam omnem ſpeciem mali, vt infrà dicetur. Secundò in aliis rebus ſpiritualibus, etiamſi non ſit prohibitio, vt infrà *quæſt.* 5. tamen ſi abuſus aliquis introduceretur, etiam fieri poſſet, vt rectè Suarez *numer.* 5. præcipuè tamen periculum abuſus eſt in rebus mixtis, & annexis rebus corporalibus, dum quod eſt in vno ſpiritualitatis commutaretur pro alterius temporalitate, ideóque in beneficiis vbi eſt eiuſmodi temporalitas, facta iam eſt prohibitio.

10. *Sic eſt in permutatione beneficiorum.*

DICO SECVNDO, permutatio vnius rei ſpiritualis pro alia in Eccleſiaſticis beneficiis, & his quæ ea concernunt, prohibita

Digitized by Google

eſt ſi propria auctoritate fiat, & eſt ſimonia contra ius Eccleſiaſticum tantùm. Prior pars conſtat ex iuribus *in c. quæſitum, c. cùm olim. de rer. permut. c. maioribus. de præb.* in quibus etiamſi de ſola permutatione dignitatum ſermo ſit, tamen aliis iuribus extenditur ad omnia beneficia. In *c. vlt. de pact.* omnis pactio prohibita eſt in beneficiis, permutatio autem ſine pacto non fit. Poſterior autem, quòd ſcilicet talis permutatio facta ſine Prælati auctoritate contra prohibitionem ſit ſimoniaca contra ius Eccleſiaſticum tantùm, eſt ſatis communis inter DD. vt Palud. Richard. Maior. Sot. Vict. & alios citatos in præced. concluſione, vt docet Suar. *n.* 8. Probatur ex *d. c. quæſitum. de rer. permut.* iis verbis, *præſertim pactione præmiſſa, quæ circa ſpiritualia, vel connexa ſpiritualibus, labem ſemper continet ſimoniæ.* vbi non eſt ſermo de ſimonia contra ius diuinum, vt ſi daretur aliquid temporale pro ſpirituali; ſolum enim quæſitum fuit de commutationibus præbendarũ; reſpõſio autem proportionata debet eſſe interrogationi. dictum eſt autem, *præſertim paſſione præmiſſa*; quia dupliciter fieri poſſunt, primò re ipſa, & ſolo facto. Secundò per pactionem cum mutua obligatione in futurum: vtroque modo illicitæ ſunt eiuſmodi permutationes, ſed poſteriori modo, deteriores. Tertiò, quia ſimonia eſt quædam irreligioſitas circa res ſacras, ſeu ſacrilegium: per iniuſtam negotiationem, aut ſpeciem eius circa illas; permutatio autem & pactio illicita in materia ſpirituali contra Religionem, irreligioſitas quædam eſt, & ſacrilegium per quamdam negotiationem, quæ fit voluntaria pactione, & non auctoritate ſuperioris; ergo erit ſimonia quædam.

11. Hinc eſt, vt ſi de facto prohibita eſſet ab Eccleſia pactio & commutatio inter aliqua merè ſpiritualia, idque intuitu religionis, vtique talis commutatio eſſet mala, quia prohibita, & ſimoniaca; quia contra debitum modum tractandi res ſacras; maximè autem id accideret, quando commutatio prohibita eſſet ad vitandam ſpeciem & occaſionem ſimoniæ; vt accidit in beneficiis: quæ ſatiùs explicat Suar. *numero* 11. *&* 13.

Et in aliis quæ prohibentur ſub Eccleſia intuitu Religionis.

12. QVARTO QVÆRO, an permutatio ſacra in prouiſionibus beneficiorum ſit ſimonia contra ius Eccleſiaſticum.

In permutationibus beneficiorum, accidit ſimonia contra ius eccleſiaſticum.

RESPONDEO & DICO PRIMO, ſatis id colligi ex hactenus expoſitis, verùm confirmabitur adhibitis nonnullis exemplis. Primum eſt de duobus electoribus, qui ita paciſcantur inter ſeſe: Tu elige hunc, & ego eligam illum; vel ſi elector dicat confirmatori, tu confirma Titium, & ego eligam Seium; vel ſi elector dicat collatori, tu confer beneficium Titio cum conſanguineo meo, & ego eligam Seium nepotem tuum; vel ſi patronus offerat præſentationem Titio in curatum, ſi ipſe renunciet beneficium ſimplex in fauorem ſuum. Hæ enim omnes permutationes ſunt cum pactiore illicita & prohibita iure; ideóque ſimoniacæ ſunt. Et ratio eſt, quia licèt videantur commutari functiones ſpirituales pro ſpiritualibus, vt electio pro electione; electio pro collatione, præſentatio pro reſignatione, &c. tamen reuera ſunt medium & via ad lucra temporalia adnexa beneficiis, ideóque iure optimo prohibitæ ſunt. Suar. *n.* 14.

DICO SECVNDO, idem dicendum de pactionibus in omnibus ſpiritualibus quæ habent adnexa temporalia conſequenter, etiamſi propriè beneficia non ſint; talis eſſet commutatio beneficij pro Vicaria amouibili ad nutum, electio ad beneficium pro electione ad illam, præſentatio ad beneficium, pro collatione illius, & ſimilia. patet ex *c. quæſitum, cit.* vbi dicitur eſſe prohibita pacta omnia, in his etiam quæ ſpiritualibus adnexa ſunt, quod maximè locum habet in adnexis conſequenter. Idem dicendum de permutatione beneficij pro iure inchoato ad aliud beneficium, quod fit per præſentationem, vel per nominationem, vel per electionem; tale eſſet, ſi quis daret Titio beneficium, vt cedat præſentationi factæ de ipſo ad aliud, vel nominationi, vel electioni. Denique idem dicendum de permutatione ſimilium iurium inter ſe, vt ſi quis cedat ſuæ præſentationi, vt alter cedat ſuæ electioni, vel nominationi; quamuis enim qui illa habẽt, nondum habent ipſa beneficia, tamen quia illa ſunt medium & via ad beneficia, & concernunt ipſa beneficia, ideo illa etiam permutare propria auctoritate ſimonia eſt; ſecus ſi fiat auctoritate Prælati: in quo conueniunt DD. vt Abb. Io. And. Feder. de Senis, Franchus, Nauar. & alij ex Suarez *n.* 17. quamuis aliam rationem eius rei afferant minùs probabilem. 13.

Idem in pactionibus rerum ſpiritualium, quæ habent adnexa temporalia.

QVINTO QVÆRO, an extra beneficia permutatio ſpiritualis cum ſpirituali ſit ſpecialiter prohibita. 14.

RESPONDEO negatiuè, ex gloſ. *c. quam pio. 1. q. 2. verſ. Pactio.* declarat enim per illa verba, *dummodo ceſſet omnis pactio*, prohiberi inho neſtas pactiones, quæ ſcilicet ſunt inter rem temporalem & ſpiritualem; ſequitur Præpoſ. Turrecr. & alij. Tum, quia non inuenitur in iure prohibitio generalis. Nec *c. quàm pio. c. vlt. de pact.* & alibi, continetur generalis prohibitio, ſed ſemper diſtinguunt id quod datur pro rebus ſpiritualibus ab ipſis ſpiritualibus; illud autem temporale quid eſt. Inter ſpiritualia autem quædam ſunt purè talia, inter quæ etiam comprehenduntur functiones ſacræ, quibus adnexum eſt aliquid materiale concomitanter, & hæc tantùm prohibentur vendi *c. ad noſtram. de ſim.* & alibi. commutare autem non inuenitur prohibitum, immo *in c. ad quæſtiones. de rer. permut.* approbatur commutatio vnius Eccleſiæ pro alia; exigitur autem auctoritas Prælati, vel quia Parochialis non poteſt vniri conuentuali abſque Prælati auctoritate, vel quia ſimul interuenire ſolet permutatio beneficiorum. Quædam ſunt mixta, & adnexa temporalibus antecedenter, vt vaſa ſacra; & hæc ſi commutantur cum rebus eiuſdem ordinis, hoc eſt, cum aliis vaſis ſacris, vel rebus adnexis ſpiritualibus antecedenter, commutari poſſunt, vt patet experientia & vſu communi in Eccleſia: vt rectè Suarez *n.* 21. *&* 22. 15.

Extra beneficia permutatio ſpiritualium non eſt prohibita.

Varia genera ſpiritualium.

SEXTO QVÆRO, an Prælati auctoritas neceſſaria ſit ad euitandam ſimoniam in beneficiis. 16.

RESPONDEO & DICO PRIMO, neceſſariam eſſe ad hoc vt licitè fiat, & abſque ſimonia. probatur ex *c. quærenti, c. cùm olim, & c. cùm vniuerſorum. de rer. permut.* in quorum vltimo dicitur, *licèt ipſi per ſe de iure non poſſint Eccleſiaſtica beneficia commutare.* & ratio eſt, quia

Auctoritas Prælati tollere poteſt ſimoniam in beneficiis.

Digitized by Google

quia aliquando neceſſaria eſſe poteſt, vel vtilis talis permutatio, tum Eccleſiæ, tum ipſis beneficiatis, ideóque nó erat omnino prohibenda. Ex alia parte non debuit relinqui proprio arbitrio permutantium ob multa inconuenientia, quare auctoritate ſuperioris id omne peragendum fuerat. An autem in tali caſu fiat permutatio beneficiorum, vel tantùm mutua tranſlatio perſonarum, rectè docet Suarez *cap.* 32. *numer.* 4. iure concedi permutationem ipſorum beneficiorum, conſequenter poſtulat per ſe vt fiat inter duos, & per modum contractus ex ipſorum conſenſu; vt ſentiunt omnes DD. ex *eod. loc. cit.*

17. *Tractare licet de permutatione, & concludere in ordine ad cõſenſum ſuperioris.* DICO SECVNDO, volentibus permutare licitum eſt priùs tractare de negotio, & etiam concludere quantum eſt ex parte ipſorum, præſtando mutuum conſenſum, ſed in ordine ad conſenſum Prælati. hæc eſt probabilior ſententia ex Suarez *num.* 7. Qui enim negant licitum eſſe tractare, nimis ſcrupuloſè loquuntur, vt quidam Canoniſtæ; tum quia nullibi id prohibetur, tum quia tractare dicit ſolùm præparationem ad actum conſummatum, actus autem permutandi vel paciſcendi tantùm abſque ordine ad Prælatum prohibitus eſt. & præterea *c. cum vniuerſorum. de rer. permut.* non improbatur tractatus, ſed permutatio.

Qui verò excludunt à tractatu concluſionem, ſiquidem loquantur de concluſione abſoluta, & ſine ordine ad auctoritatem Prælati, nobiſcum ſentiunt, & bene dicunt; ſi verò etiam id negent de concluſione cum relatione ad conſenſum Prælati, & quodammodo conditionata, ſic rem dicunt moraliter difficillimam, & contra conſuetum modum, & praxim eiuſmodi tractatuum; niſi enim concludant & paciſcantur modo dicto, nunquam venirent ad finem permutationis. Ex alia verò parte id non reperitur prohibitum, & quotieſcumque non paciſcantur abſolutè, ſed in ordine ad conſenſum Prælati, non apparet vlla ſpecies mali; alioqui fruſtrà poſtularetur conſenſus Prælati, ſi illo præſtito partes poſſent retrocedere; atque ita pluribus docet Suarez *loc. cit.* ex Zabarel. *in cap. vnic. de rer. permutat.* ibi, *ſua beneficia permutare volentes.* citante Paul. & Card. ſic etiam intellexit Sylueſter *permutatio* 2. *quæſt.* 5. Rebuff. *in praxi benef. tit. de permutat. num.* 52. & 53.

18. SEPTIMO QVÆRO, an liceat ſe mutuò obligare ad perſeuerandum in conuentione, donec ſuperior deneget conſenſum.

RESPONDEO, aliquos excludere eiuſmodi obligationem, ita vt liberum ſit volentibus permutare, donec res eſt integra, reuocare priorem conuentionem. Verùm ſi intelligunt non

19. *Poſſunt ſe mutuo obligare ad perſeuerandum in conſenſu.* oriri tantam obligationem ex mutuo conſenſu permutandi, niſi exprimatur, *vltrò damus*; ſi verò eſt expreſſa, contendant eſſet ſimoniam, ſic contrarium ſentimus cum Feder. ſen. *tract. de permutat. benef. quæſt.* 38. *num.* 64. & 65. & Card. apud Suar. *num.* 8. quos ipſe ſequitur. & meritò; quia neque eiuſmodi pactio per ſe mala eſt, quia tantùm in ea exprimitur propria voluntas & libertas ita ſe obligandi, neque eſt prohibita, cùm non ſit de permutatione beneficij niſi iuxta iuris conceſſionem, & tantùm vt diximus oſtendat mutuam ſtabilitatem in concordia facta, quantum erit ex parte ipſorum; quod nullibi prohibitum reperitur, vt teſtatur Suarez *loco citato.*

Vinc. Fillincij Tom. 3.

OCTAVO QVÆRO, quis ſit ſuperior, cuius auctoritate facienda permutatio eſt. 20.

RESPONDEO, ſi ſermo ſit de permutatione ſimplici, & nullo adiecto onere: vel penſione ex altera parte, ſic docent communiter DD. pertinere ad proprium Epiſcopum. *cap. quæſitum. de rerum permutat.* ibi, *ſi autem Epiſcopus.* idem *cap. vnic. eodem in* 6. iis verbis, *in manibus tuis ipſa reſignant.* conſequenter ſi duo Epiſcopi velint permutare aliqua beneficia quæ ipſi poſſiderent, Archiepiſcopus ipſorum, vel Primas, vel Patriarcha eſſet is ad quem pertineret eam approbare, is enim eſt eorum ſuperior. *Simplex permutatio fieri poteſt coram Epiſcopo.*

Nomine autem Epiſcopi intelligitur qui habet iuriſdictionem Epiſcopalem, etiamſi non habeat dignitatem: vnde Abbas vel alius habens præſcriptam iuriſdictionem ad hunc effectum, ſatis eſſet, vt ex gloſ. *in Clement. vnic. de rerum permutat. v. concedantur.* Zabar. *ibi*, & Rebuff. *in praxi de permutat. numer.* 2. & *ſeqq.* docet Suarez *numer.* 10. & 11. & ratio eſt, quia fundamentum huius actionis quæ eſt permutatio beneficij: non aliud eſt quàm Epiſcopalis iuriſdictio; quare quicumque hanc habet, ſatis erit. nec Epiſcopi nomen reſtringendum eſt ad dignitatem, non enim ratione dignitatis id illi competit, ſed ratione iuriſdictionis. 21. *Nomine Epiſcopi quis intelligatur.*

An autem Prælati Epiſcopis inferiores quoad iuriſdictionem, interdum hoc poſſint, duplex ſententia eſt, vna negatiua; ideóque quamuis ad eos pertineat poteſtas conferendi ea beneficia, tamen approbatio permutationis ad Epiſcopum pertinet ſecundùm eos. Altera affirmat eum ſuperiorem ad quem pertinet collatio, poſſe etiam approbare dictam permutationem; Ang. Sylueſter, Sot. & alij. Dicendum tamen, in praxi permutationem faciendam eſſe apud proprium Epiſcopum; ſi tamen præſcripta conſuetudo alicubi introduxiſſet, vt fieret etiam apud eum inferiorem, penes quem ſit poteſtas ea conferendi, tunc eam poſſe ſecum reſeruari: vt pluribus expoſuit Suar. *d. cap.* 32. *n.* 14. 22. *Etiam inferiores Prælati poſſunt, ad quos collatio pertineat, modò conſuetudine ſit ita inductum.*

NONO QVÆRO, an aliquando licitè fieri poſſit, abſque auctoritate ſuperioris. 23.

RESPONDEO, recenſeri ſententiam Innocent. *in cap. quæſitum. de rerum permutat.* poſſe fieri quando permutarentur præbendæ eiuſdem Eccleſiæ inter ſe, dummodo alterius collatio non pertineat ad inueſtitutam alicuius, tunc enim requireretur ipſius conſenſus. ſequitur gloſ. *ibi. v. Epiſcopus.* & alij.

Alij tamen communiter nullam exceptionem admittunt, ex Suarez *numer.* 16. nam iuris prohibitio generalis eſt, & abſque vlla exceptione; & ratio eſt, quia præbendæ ſolæ permutari non poſſunt abſque titulo cui annexæ ſunt; cum titulo autem permutari non poſſunt abſque auctoritate ſuperioris, ex toto titulo *de renunciat. & de reg. iur. in* 6. Permutatio etiam bonorum adnexorum titulo propria auctoritate facta prohibita eſt in iure, ideóque vniuerſalis regula nullam habet exceptionem, vt pluribus idem *loc. cit.* 24. *Non fit licitè abſque ſuperiore.*

DECIMO QVÆRO, an beneficia permutari poſſint cum penſione, & quis poſſit facere hanc permutationem. 25.

T 3 RESPON

Beneficiũ cum pẽſione erectã in titulũ, permutari poteſt.

RESPONDEO, & DICO PRIMO, ſi penſio ſit erecta in titulum beneficij, vt diximus eſſe factum in præſtimoniis, ſic poteſt permutari de iure communi coram Epiſcopo. Probatur, quia eadem ratio eſt, quæ de permutatione beneficiorum inter ſe; ſunt enim talia præſtimonia vera beneficia, ita Suar. *cap.* 33. *n.* 2. & apud eum Io. Andr. Feder. Sot. Card. & alij; nec vlla difficultas eſt.

26. *Cum penſione ſpirituali, poteſt auctoritate Papæ.*

DICO SECVNDO, ſi penſio ſit ſpiritualis, permutari poteſt cum beneficio Papæ auctoritate, non inferioris Prælati, de ſtilo Curiæ ſaltem. Quòd primò poſſit auctoritate Papæ, nõ eſt dubium, nam penſio eiuſmodi ſpiritualis ponitur, quæ nimirum clericatum ſupponit, & officium ſpirituale recitandi officium B. Virg. atque adeò permutatur vna res ſpiritualis cum alia. Quòd ſecundò non poſſit auctoritate inferioris, ex eo maximè probatur, quia licèt penſio hæc ſpiritualis ſit, tamen nec eſt beneficium, nec eſt perpetua, nec ſua natura transfertur in alium; at inferioribus Prælatis tantùm conceſſum eſt, vt poſſint facere permutationes beneficiorum, & conuentiones permutare volentium, valeãt approbare; ergo iura non ſunt extendenda ad permutationem beneficij cum penſione; præſertim quia materia permutationum odioſa potius eſt, quàm fauorabilis, continet enim relaxationem quandam antiqui rigoris, & veluti diſpenſationem quandam iuris communis de vitandis pactionibus in ſpiritualibus, ideóque non eſt extenda niſi ad ea quæ in proprietate verborum continentur nomine beneficij. Dixi *ſaltem de ſtilo Curiæ*; quia inter DD. res eſt controuerſa, vt videri poteſt apud Suar. *c.* 23. *n.* 4. & Leſſ. *c.* 35. *n.* 86. Stilus autem Curiæ ſecutus eſt partem negantem inferioribus Papa eiuſmodi auctoritatem, ideóque iam fecit legem; vt hæc permutatio beneficij cum penſione tantùm ad Papam pertineat, vt etiam docet Leſſ. *loc. cit. n.* 87.

27. DICO TERTIO, ſi penſio temporalis ſit, permutari non poteſt cum beneficio abſque ſimonia contra ius diuinum, alia tamen ratione poteſt Papa idem efficere, quòd haberetur per permutationem.

Non cum penſione temporali.

Prior pars communis eſt inter DD. ex Suarez *num.* 9. & ratio eſt, quia in tali permutatione venderetur beneficium pro re temporali, hoc enim ipſo quòd penſio merè temporalis eſt, erit pretio æſtimabilis, & vendibilis, atque adeò ſi pro beneficio permutetur, habebit rationem pretij, atque adeò ſimonia erit contra ius diuinum.

Niſi pẽſio daretur ex paterna prouidentia in ſuſtentationem.

Poſterior verò ex eo conſtare poteſt, quia Papa poſſet vni date beneficium, & alteri penſionem, non tanquam pretium & in commutationem, pro beneficio, ſed pro ſua paterna prouidentia & munere, in ſubſidium ſuſtentationis. Item poteſt nolle dare beneficium vni, niſi renunciet penſioni, quia non vult illum habere tot reditus; renunciata autem penſione, poteſt illam Papa dare alteri vt ex eo viuat; idque ex officio ſuo, non ad inſtantiam partis, aut renunciantis cum clauſula, *non aliter nec alio modo*; id enim fieri non poſſet, vt rectè aduertit Suarez *numer.* 10. ſed propoſito tantùm Papæ deſiderio ſuo, & neceſſitate; vt ipſe pro ſua paterna prouidentia conſtituat quod melius ei videbitur.

28. *Beneficium cum commẽda militari.*

Ex his patet, ita dicendum de permutatione commendæ militaris, aut temporalis cum beneficio, non poſſet enim fieri niſi modo prædicto, penſionis temporalis cum beneficio, atque adeò non eſſet propria permutatio, vt rectè Suarez *numer.* 11. ex Victorino & Adriano.

VNDECIMO QVÆRO, an permutatio inæqualium beneficiorum poſſit fieri facta temporali recompenſatione abſque ſimonia. 29.

Beneficia inæqualia quatuor modis.

Pro reſponſione notandum beneficia poſſe eſſe inæqualia, primò vt vnum ſuperet aliud, in omnibus tam ſpiritualibus, quàm temporalibus: in ſpiritualibus, quia ſit dignius, habeat maiorem iuriſdictionem ſpiritualem, & ſimilia; in temporalibus, quia habeat plures reditus. Secundò vt ſe habeant ſicut excedens & exceſſum, vnum ſiquidem excedit in ſpiritualibus, aliud in temporalibus. Tertiò, quòd ſint æqualia in ſpiritualibus, ſed in temporalibus differant. Quartò è contra ſint in temporalibus æqualia, inæqualia in ſpiritualibus. His poſitis,

DICO PRIMO, quando exceſſus eſt in ſpiritualibus, certum eſt non licere illum ſupplere dando pecuniam, vel aliquid æquiualens temporale. ratio, quia tunc eſſet ſimonia contra ius diuinum, venderetur enim ſpirituale pro temporali ſaltem ex parte. Conſequenter nec etiam Prælati auctoritate conhoneſtari poteſt; vt bene Syluest. *Permutatio. q.* 6. cum Archidiac. quem ſequitur Suar. *c.* 24. *n.* 3. 30.

Exceſſus in ſpiritualibus nõ poteſt ſuppleri re temporali.

Quòd ſi beneficium dignius & tenuius permutaretur cum minus digno & pinguiori, præſumptiuè quidem, & in foro externo, pro ſimoniaca haberetur talis permutatio; ſi tamen fieret ſimpliciter, & recta intentione, renunciatione facta purè in manibus Prælati, non modò in foro interno conſcientiæ licitum eſſet, verùm etiam in foro exteriore præſumi poſſet bene factum; vt Suarez *ibidem.* Nec obſtaret motiuum temporalis commodi ad faciendam permutationem, ita vt ſine illo permutatio facienda non fuiſſet; ſi enim intentio fuiſſet non emere ſpiritualem rem pro temporali, hæc liberaret permutantem à ſimonia. 31.

Dignius & tenuius cum pinguiore & minus digno.

DICO SECVNDO, quando exceſſus eſt in temporalibus, tunc etſi duplex ſententia recenſeri ſoleat DD. vna quòd liceat interueniẽti Prælati auctoritate compenſare exceſſum præſenti pecunia; altera quòd non liceat, attamen abſolutè & moraliter loquendo, tenendum cum ſecunda quæ eſt Adrian. Panorm. Card. Imol. & Anchar. Nauar. *cap.* 23. *num.* 100. *verſ. tertiò.* Couarr. 1. *variar. cap.* 5. *num.* 8. Sot. *lib.* 1. *q.* 5. *a.* 2. & aliorum cum Suarez *n.* 6. & patet primò, quia exceſſus ille emeretur pecunia tanquam pretio; atque adeò cùm ille exceſſus ſit fructuum beneficij, & conſequenter rei adnexæ ſpirituali pro pretio; ideóque ſimonia contra ius diuinum. Secundò, quia eadẽ ratione liceret renunciare alteri beneficium, recipiendo ab illo recompenſationem fructuum, in pecunia numerata, ſaltem quatenus illi fructus excedunt congruam ſuſtentationem; id autem eſſet vendere beneficium etiam quoad ſpirituale ob connexionem; idem ergo erit ſi fiat in parte. Atque hæc probant abſolutè, non poſſe fieri ſaltem priuata auctoritate; an autem interueniente Prælato poſſit aliquo modo cohoneſtari, dicetur *n. ſeq.* 32.

Exceſſus in temporalibus, nõ poteſt ſuppleri pecunia.

DVODECIMO QVÆRO, an ſi compenſetur exceſſus pecunia; poſſit fieri interueniẽntia ſuperioris auctoritate. 33.

RESPON

Nec etiam auctoritate Prælati inferioris Papa.

Respondeo & dico primo, ſi Prælatus ſit inferior Papa, fieri non poteſt abſque ſimonia contra ius diuinum. Ratio patet ex præcedenti quæſt. quia compenſatio illa eſſet quidam emptio rei ſpiritualis pro pecunia: at hæc eſt ſimonia contra ius diuinum ex ſupradictis; ergo nec Prælati inferioris Papa auctoritas illum cohoneſtare poteſt; quia nullus talis poteſt ſeparare rem temporalem, hoc eſt, fructus beneficij ab ipſo beneficio, hoc eſt, titulo ſpirituali & officio, cui adnexi ſunt conſequenter: at ſine ſeparatione cohoneſtari non poteſt, quia ſemper alioqui remanent res ſpiritualis, hoc eſt, annexa ſpiritualibus, ac propterea inuendibilis iure diuino; vt ſuprà probatum eſt; ergo, &c. Confirmari poteſt ex iuribus *in c. cum pridem. de pact. c. nemini.* 19. *q.* 7. & alibi.

34\. *Papa mutatione materia, & instituendo nouũ ius poſſet.*

Dico secundo, probabile eſt fieri poſſe auctoritate Papæ non per modum propriæ permutationis, nec diſpenſationis in iure diuino; ſed mutatione materiæ, inſtituendo nouum ius ex parte ipſarum rerum. Primò, quòd non ſit propria permutatio, ex eo patet, quia ad eam requireretur, vt ille exceſſus fructuum compenſaretur pecunia manente annexione illorum beneficio; at id eſſet ſimonia contra ius diuinum, ex dictis ſuprà, quæ etiam Papæ prohibita eſt, vt rectè Suar. *numer.* 12. Secundò quòd nec diſpenſando id facere poſſit, ſupponimus, quia directè non poteſt diſpenſare in iure diuino; & alioqui emptio rei ſpiritualis etiam per adnexionem res eſt intrinſecè mala. Tertiò, quòd alia ratione poſſit honeſtari, patet tum quia Papa tamquam ſupremus diſpenſator poteſt ſeparare partem illam fructuum quæ excedit alterius tenuioris beneficij fructus, & applicare illam in ſuſtentationem eius qui beneficium tenuius recipit, & concedere vt fructus ſic ſeparati pecunia compenſentur; tum quia poteſt permittere, vt alter qui recipit beneficium pingue, det aliquid alteri non in compenſationem, ſed in ſuſtentationem eius: quæ omnia prolata fuſiùs ſunt ſuprà *cap.* 5. *q.* 7. 8. & 9. & declarat pleniùs Suarez *numer.* 12. & 13. reſpondendo argumentis contrariæ ſententiæ; quæ videri poterunt apud illum.

35\. Decimotertio quæro, an permutatio beneficiorum imponendo alteri penſionem, ſimoniaca ſit.

Inferior Papa non permutat beneficium imponendo penſionem.

Respondeo & dico primo, ſi fiat propria auctoritate etiamſi permutatio fiat auctoritate Epiſcopi, ſimonia eſt contra ius diuinum, quia datur ſpirituale, nempe beneficium, pro temporali, qualis eſſet eiuſmodi penſio impoſita propria auctoritate; vt rectè Suar. *cap.* 34. *numer.* 15. Si verò fiat auctoritate Prælati inferioris Papa, eodem modo ſimonia erit, quia cùm ipſe non habeat auctoritatem imponendi penſionem, ſed tantùm faciendi permutationes purè & ſimpliciter, ex *cap. vni. de rer. permut.* & tradit Maudoſ. *de ſig. grat. tract. de Permut. in fine.* neque etiam poſſit ſeparare partem fructuum à beneficio, conferre enim debet abſque diminutione, vt *tit. vt beneficia ſine diminutione*, &c. ſequitur permutationem talem eius auctoritate fieri cum compenſatione rei ſpiritualis, nempe exceſſus illius fructuum qui ſpirituales ſunt, vtpote annexi rei ſpirituali pro temporali, qualis eſſet penſio illa impoſita beneficio, vel perſonæ beneficiatij.

36\. *Papa poſſit.*

Dico secundo, ſi fiat auctoritate Papæ, licitè fit abſque vlla ſimonia. Eſt communis DD. ex Suar. *numer.* 17. & præter quotidianam praxim in Curia, ea potiſſima ratio eſt, quia quatenus id eſſet contra ius commune, Papa non tenetur illo, ſed poteſt ſecum diſpenſare, quatenus contra diuinum, deficit ratio in ipſo; tum quia penſio ab eo conſtituta ſpiritualis eſſe poteſt, vtpote adnexa ſpirituali officio, & ita non compenſatur ſpirituale pro temporali, ſed pro ſpirituali; quod ſi merè temporalis ſit, poteſt eam ſeparare à beneficio, & concedere alteri in ſuſtentationem & ſubſidium vitæ; tum quia non confertur penſio ex voluntate permutantium, ſed ex pendenti arbitrio, & prouidentia Papæ, quo pacto diſpenſari poſſunt reditus Eccleſiæ; inferiores autem Prælati non conferunt ad arbitrium ſuum, ſed iuxta conceſſionem eis factam per ius commune; vt pluribus Suar. *loc. cit.*

37\. *Dignius in ſpiritualibus permutari poteſt imponendo penſionem ex Papa auctoritate.*

Ex quibus patet primò, ſi beneficium ſit dignius in ſpiritualibus, etſi imponendo penſionem videatur imponi temporale pro ſpirituali, & præ ſe ferat ſimoniæ ſpeciem, tamen ex honeſta cauſa poteſt Papa abſque ſimonia illam imponere, vel reſpectu habito ad perſonæ, quæ minus dignum beneficium habet, dignitatem maiorem, vel neceſſitatem, vel alia ſimili de cauſa; vt idem docet *n.* 18.

38\. *Sed permutationem abſque ſimonia; conditiones quatuor requiſita.*

Infero ſecundò conditiones quatuor requiſitas ad permutationes beneficiorum abſque ſimonia. Prima, vt res ſua natura permutabiles ſint, & non ſint prohibitæ iure Eccleſiaſtico permutari. Secunda, vt permutatio fiat auctoritate Prælati, Epiſcopi vel Papæ, ad quem de iure ſpectat. Tertia, vt nullum onus imponatur abſque auctoritate Papæ, neque fiat vlla exactio. Quarta, vt nullum pactum priuatim fiat inter partes, niſi in ordine ad conſenſum Prælati, vel Papæ. Vnde pactum vt vnus ſoluat omnes expenſas, vel expediat ſuis ſumptibus Bullas ad vtrumque pertinentes, niſi declaretur Papæ, & ipſe conſentiat, ſimoniacum eſt. Nau. *conſil.* 50. 51. *de ſimon.* & Leſſ. *n.* 94. ex Pariſ. *lib.* 14. *q.* 7. Hæc ſatis.

CAPVT VIII.

De Simonia in penſionibus, & reſignationibus beneficiorum.

Circa penſiones primò inquirimus de penſionibus quæ dari ſolent laicis, an ſint materia ſimoniæ. Secundò de penſionibus Clericalibus, an ſint materia eiuſdem ſimoniæ. Tertiò, an ſint redimibiles propria auctoritate abſque ſimonia. Quartò, de penſionibus Clericalibus quæ dantur pro munere ſpirituali, an redimi poſſint. Quintò de penſionibus quæ dantur pro beneficio, an vendi & redimi poſſint. De reſignationibus verò quæremus in ordine. Sextò, de reſignatione pura & abſoluta; & de pura, ſed ſub conditione ſuſpenſiua. Septimò de eadem, an contineat ſimoniã contra ius diuinum, vel humanum tantùm. Octauò, an Epiſcopus poſſit acceptare illam reſignationem abſque ſimonia, & quid agere debeat, ſi illam acceptet. Nonò de reſignatione pura, ſed ſub conditione in vim modi. Decimò, an reſi-

Digitized by Google

gnationes reciprocæ habeant locum coram ordinariis. Vndecimò, an liceat fingere permutationem, vt reſignatio acceptetur. Duodecimò, de reſignatione facta cum onere penſionis. Decimotertiò, an qui beneficium habuit litigioſum, & fecit in eo multas expenſas, poſtea pacificè poſſidens poſſit reſignare, cum pacto vt promiſſus ſoluat expenſas.

1. *Duplex penſio.* PRIMO QVÆRO de penſionibus quæ dantur laicis, an ſint materia ſimoniæ. Pro reſponſione ſupp. dari duplicis generis penſiones, quaſdam laicales, quæ ſcilicet conferuntur laicis, vel ſine expreſſione clericatus, vel poſtulatione talis conditionis, vel quæ dãtur propter rationem aliquam de ſe temporalem, & humanam, vt ſi certa penſio aſſignetur Decano Parafrenariorum Papæ, vel Cardinalis, Barbitonſori, Chirurgo, & ſimilibus, item pro Theſaurario, ſeu Sacriſta, pro pulſatore campanarum, pro præfecto infirmorum, &c. Quædam verò ſunt clericales, quæ conferuntur clericis vt talibus, vel quia illa conditio expreſsè poſtulatur, vel ex modo & ratione conceſſionis ſupponi intelligitur; vel quia propter munus aliquod ſpirituale conferuntur. In hac quæſt. de prioribus agimus, an ſint materia ſimoniæ.

2. *Penſio Laicalis non eſt materia ſimoniæ contra ius diuinum.* RESPONDEO & DICO PRIMO, penſiones laicales non eſſe materiam ſimoniæ contra ius diuinum, communis ſententia ex Suarez *cap.* 26. *numer.* 4. & ſic antiqui Canoniſtæ qui penſionem abſolutè dixerunt non eſſe rem ſpiritualem, intelligendi ſunt de his eſſe locutos, quos citat Suarez *numer.* 1. Ratio eſt, quia ſunt quid merè temporale, & quamuis ſit portio quædam ſumpta ex fructibus beneficij, tamen non dicitur eſſe illi adnexa; quin potiùs ſeparata eſt à ſpirituali titulo illius beneficij quantùm ad illum cui collata eſt, vnde nulla eſt annexio illius temporalis ad ſpirituale; quod confirmari poteſt exemplo decimarum, vel pactis earum, quæ aliquando conceduntur Regibus, vel Reipublicæ; quamuis enim ſint penſiones quædam beneficiorum, tamen non ſunt ampliùs illis adnexæ, ſed res merè temporales, vnde vendi poſſunt abſque ſimonia ſaltem contra ius diuinum, quicquid contrà videatur ſentire Rebuff. *de pacif. poſſeſſ. n.* 34.

3. *Nec contra ius humanũ probabiliter.* DICO SECVNDO, penſiones laicales probabile eſt non eſſe materiam ſimoniæ contra ius poſitiuum, probabilius tamen ex ſtilo Curiæ, eſſe. Primum tenet Caiet. *tom.* 1. *opuſc. tract.* 31. *reſp.* 10. Sot. *lib.* 9. *quæſt.* 7. *art.* 2. & Leſſ. *cap.* 35. *dub.* 22. & ratio eſſe poteſt; quia totum eiuſmodi ius profanum eſt, & temporale, & alioquin non apparet prohibitio vlla ex lege Eccleſiaſtica ad occurrendum ſpeciei ſimoniæ alicuius. Secundùm verò aſſerit Azor *tom.* 2. *lib.* 8. *cap.* 10. *quæſt.* 10. citans Gigantem, Gambarum, & Paul. Roni. Ratio autem non eſt, quia penſio ſit ius quoddam quaſi ſpirituale, vt ait Azor, tum quia non eſt ita vt probatum eſt, tum quia ſic eſſet materia ſimoniæ contra ius diuinum; ſed quia ſtilus Curiæ obſeruat vt non redimatur niſi Romani Pontificis

4. *At probabilius eſt ex Curiæ ſtilo.* auctoritate; meritóque hic vſus introductus eſt vt euitetur omnis ſpecies ſimoniæ, quæ ratio etiam tangitur ab Azor. *loc. cit.* & Leſſius etiam *in fine dub.* 22. ob eandem docet vendi non poſſe, ſed bene redimi; ſed non video quomodo poſſint redimi, ſi vendi non poſſunt, ſic enim penſionarius venderet illud ius quod habet, beneficiario pro præſenti pecunia, redemptio enim conſiſtere non poteſt abſque venditione. Dicendum ergo nec redimi poſſe, nec vendi abſque auctoritate Papæ ex ſtilo Curiæ, qui ſtilus facit legem; atque adeò prohibitionem, ne eæ vendantur, conſequenter eſſet ſimonia contra ius humanum eas vendere, vel redimere propria auctoritate.

SECVNDO QVÆRO de penſionibus Clericalibus, an ſint materia ſimoniæ. 5.

RESPONDEO & DICO PRIMO, ſi ſpectetur ſolum ius antiquum, & natura talis penſionis, non videtur eſſe materia ſimoniæ, eſt communis DD. ex Suarez *numer.* 7. & Leſſ. *dub.* 22. *numer.* 124. Ratio eſt, quia ea ratione ſpectata, nec datur ob ſpiritualem titulum, ſed præcisè ad ſuſtentationem, nec ob officium ſpirituale: Clericatus autem ſolùm requirebatur vt conditio, vel diſpoſitio ex parte ſubiecti; ſicut eleemoſyna quæ fieret Clerico in honorem clericatus, non ideo fieret ſpiritualis, vel adnexa rei ſpirituali; tunc autem reditus tẽporalis dicitur propriè adnexus ſpirituali, quando tale eſt, vt ſecum afferat ius ad temporale, non ita erat Clericatus, ſed immediatè penſio dabatur perſonæ liberali donatione temporali, quamuis requireretur tanquam conditio, vel diſpoſitio qualitas illa ſpiritualis Clericatus, vt pluribus explicat Leſſ. & Suarez *locis citatis.* *Penſio Clericalis ex iure antiquo non eſt materia ſimoniæ.*

DICO SECVNDO, de iure nouo Pij V. in Bulla *Ex proximo.* 138. penſiones eiuſmodi ſpirituales factæ ſunt, aut ſaltem ſpiritualibus adnexæ, ideóque inuendibiles ſunt; & continent materiam ſimoniæ contra ius diuinum. Suarez *numer.* 8. & Leſſ. *numer.* 129. Ratio eſt, quia iam dantur cum obligatione officij ſpiritualis, nempe officij B. Virg. & Clericalis muneris; atque adeò ex tali officio ſpirituali naſcitur ius ad illam penſionem, & ſic penſio eſt adnexa rei ſpirituali. Supponimus autem legem ex illa Bulla obligare, & eſſe receptam ſaltem in Italia, & Hiſpania; nam de Belgio indicat Leſſ. non eſſe in eo receptum, nec aliis in locis vicinis. Quamuis autem ſupponatur inſtitutio Eccleſiæ quoad eam adnexionem temporalis ad ſpirituale, tamen ea ſuppoſita res fit natura ſua inuendibilis, ſicut dictum eſt de beneficiis, ideóque continebunt materiam ſimoniæ contra ius diuinum; vt Suar. *num.* 8. *in fine.* 6. *Eſt de iure nouo Pij V.*

DICO TERTIO, qui facultatem habet à Papa transferendi in alium penſionem ſuam, ſimoniacus eſt ſi illum transferat pro pecunia, vel cum reſeruatione fructuum in vita, aut ad aliquod tempus. Infertur ex præcedenti, nam hoc ipſo quòd eſt aliquid ſpirituale gratis transferri debet, vnde ſi pro pecunia, eſſet venditio rei ſpiritualis pro temporali; ſi item transferatur cum reſeruatione fructuum, non transferretur gratis, ſed pro re temporali pretio æſtimabili. Poſſet tamen qui licentiam habet transferendi totam penſionem, transferre tantùm partem, & aliam ſibi retinere, retento titulo in ſe; poſſet etiam transferre in alium omnes fructus abſque vlla licentia, retento titulo & obligatione penſionis in ſe; id enim non eſt transferre penſionem, ſed fructus, qui res temporalis ſunt; & locari poſſunt ad vitam, & donari 7. *Non poteſt transferri in alium pro pecunia.*

Digitized by Google

& donari ad libitum penſionarij, vt rectè Suar. *num.* 9.

8\. TERTIO QVÆRO, an ſint redimibiles propria auctoritate abſque ſimonia.

Clericalis redimi non poteſt propria auctoritate abſque ſimonia.

RESPONDEO & DICO PRIMO, ſi ſermo ſit de Clericalibus, certum eſt poſt Pium V. redimi non poſſe propria auctoritate abſque ſimonia contra ius diuinum, vbi receptum eſt illius Breue. Ratio patet ex dictis, quia talis penſio eſt res ſpiritualis, conſequenter penſionarius illam non poteſt nec alteri tradere pro pretio, nec extinguere, id enim eſt contra excellentiam rei ſpiritualis: emi autem etiam dicuntur ea quæ non transferuntur in emptorem, ſed extinguuntur: vt ſi quis det pretium alteri vt ſcripturam comburat, vel extinguat centum, vel ius quod alter habebat contra eum. Confirmatur, quia poſtquam penſio facta eſt res ſpiritualis; nemo poteſt habere illius temporale commodum, abſque onere dicendi officium, cui illud adnexum eſt; at redemptione, penſionarius recipit temporale commodum æquiualenter, reiecto à ſe onere dicendi officium contra inſtitutionem penſionis; non ergo poteſt illam reuendere abſque auctoritate Papæ, ſicut neque conſtituta eſt abſque eius auctoritate. Dixi, *vbi receptum eſt illius Breue*; quia vbi non eſſet receptum, aliud ius ſequendum erit, de quo in ſeq. concluſione.

Requiritur Papæ auctoritas.

9\. *Nec ante Pij V. redimebantur propria auctoritate.*

DICO SECVNDO, ante Bullam Pij V. neque redimi poterant penſiones Clericales ex ſtilo Curiæ, & eas propria auctoritate redimere, fuiſſet ſimonia contra ius poſitiuum. Nauarr. *capit.* 23. *numer.* 111. contra Caiet. etiam ante adnexionem factam à Pio V. ex Suarez *cap.* 26. *numer.* 10. & colligi poteſt ex Gigante & aliis ſuprà citatis *in quæſt.* 1. *concluſ.* 2. Et quidem quòd Curiæ ſtilus vigeret etiam ante Bullam Pij V. patet auctoritate DD. præfatorum, qui ſcripſerunt ante illam. Quòd eas redimere propria auctoritate fuiſſet ſimonia, deducitur ex dictis, quia prohibitum id erat non alia de cauſa, niſi ad vitandam ſpeciem ſimoniæ. Quòd denique fuiſſet tantùm ſimonia contra ius poſitiuum, inde conſtat, quia, cùm non eſſet adnexa adhuc ſpirituali titulo, res erat ex ſe vendibilis, vtpote res merè temporalis, ob prohibitionem tamen quam ſufficienter declarabat Curiæ ſtilus, erat res mala, quia prohibita: atque adeò cùm fuiſſet ſimonia, ſequitur talem ſimoniam fuiſſe contra ius poſitiuum, non diuinum, vt cum Caiet. Tolet. & aliis ſentit etiam Suar. *n.* 10.

Idque ex Curiæ ſtilo.

10\. *Nec laicalis redimi poteſt abſque Papæ auctoritate.*

DICO TERTIO, ſi ſermo ſit de penſionibus laicalibus, iam diximus ſuprà *quæſt.* 1. nec eas poſſe redimi ſine Papæ auctoritate, ex ſtilo Curiæ, redemptionem tamen factam propria auctoritate tantùm fore ſimoniam contra ius poſitiuum. Tam autem hæ, quàm Clericales locari poſſunt, & vendi quoad fructus ad vitam penſionarij, modò ſpiritualis titulus remaneat in penſionario ſimul cum obligatione, vt pluribus docet Suarez *n.* 17. & 18.

11\. QVARTO QVÆRO de penſionibus Clericalibus, quæ dantur pro munere ſpirituali, an vendi poſſint.

Clericalis ſtipendiaria nec vendi poteſt, nec redimi propria auctoritate.

RESPONDEO & DICO PRIMO, talem penſionem ſolere dari in ſtipendium ſuſtentationis pro munere quod quis exercet, vt ſi detur penſio titulari Epiſcopo, qui ſcilicet habet titulum in partibus abſque actuali iuriſdictione; ad hoc vt ſit adiutor alterius Epiſcopi in Pontificalibus muneribus: idem ſi daretur Vicario Epiſcopi, Viſitatori, &c. Vnde vocari poteſt ſpiritualis penſio ſtipendiaria; & hæc proculdubiò nec vendi poteſt, nec redimi, vt ex Soto docet Suarez *numer.* 19. Et quidem ſi ſit propria penſio poſita ſuper Epiſcopatum, vel aliud beneficium ad hoc vt ſit in ſtipendium Vicarij, vel Viſitatoris pro tempore, vel quamdiu is vixerit, patet vendi non poſſe, quia ſic venderetur ſpirituale miniſterium cui eſt adnexa, nec etiam redimi poteſt, quia non poteſt extingui obligatio ad tale munus: quamuis poſſet penſionarius paciſci de tota penſione retento munere, & illam vendere pro vita Epiſcopi, quod eſſet locare fructus, & illos vendere pro pecunia ſoluta anticipatè.

12\. *Vendi poſſunt fructus penſionis retento munere.*

Si verò ſit tantùm perſonalis, hoc eſt, impoſita ſuper perſona Epiſcopi, & aſſignata Vicario in ſtipendium, tunc & miniſter eam poteſt exigere in ſtipendium ſuſtentationis, & Epiſcopus eam promittere, & paciſci de ea, augere etiam & minuere ad libitum, ſi ipſe eam ſibi impoſuit, nec adſtrinxit ad certam menſuram; ſi verò eſſet à ſuperiore impoſita, & taxatum iam ſtipendium pro officio, tunc eam minuere non poſſet. Simoniam etiam committeret, ſi aliquid acciperet à Titio, vt eum potius quàm alium in Vicarium aſſumat; vt ex Vgol. docet idem Suar. *n.* 21.

13\. *Accipiens pretium à ſacerdote, vt ſibi potius det ſtipendium miſſæ, quàm alteri, non eſt ſimoniacus.*

DICO SECVNDO, qui tenetur dare certum ſtipendium pro Miſſis, ſimoniam non committit, ſi ab aliquo ſacerdote pretium accipiat, vt ei potius quàm alteri det illud ſtipendium. de hoc dictum à nobis eſt *tract.* 5. *de Miſſa.* Quòd non committat ſimoniam, ex eo patet, quia ſicut poteſt fieri pactum de ſtipendio Miſſæ abſque ſimonia; ita poteſt conduci aliquis ad eam dicendam pro minori ſtipendio quàm ipſe conductor receperit. Iniuſtitia verò committi poterit ſi minus iuſto ſtipendium tribuatur, ſi extorqueatur à pauperibus ſacerdotibus, & ſimilia.

14\. QVARTO QVÆRO de penſionibus quæ dantur pro beneficio, an vendi, & redimi poſſint.

Penſiones pro beneficio, triplicis generis.

RESPONDEO & DICO PRIMO has duplices eſſe, quædam dātur in titulum beneficij, ſiue ſint ad ſeruiendum & iuuandum parochum, & dicuntur Capellaniæ, ſiue ad ſeruiendum tantùm in choro, vel officiis diuinis, & hæc ſunt propria beneficia, quamuis retineant fortè nomen pēſionis, quia reditus eorum ſuper beneficium aliquod impoſiti fuerunt, at poſt inſtitutionem iam vera beneficia ſunt: atque ita certum eſt eas nec poſſe vendi, nec redimi.

Quædam impoſitæ ſunt pro beneficio, non ſunt autem beneficium, vt primò, ea quæ datur renuncianti beneficium cùm illud pacificè poſſideret, & poſſet etiam ei commodè inſeruire. Secundò ea quæ pro beneficio litigioſo contigit vni ex litigantibus ob tranſactionem & arbitrium iudicis, alteri verò firmatum eſt beneficiū cum ea diminutione. Tertiò ea quæ datur Parocho ſeni dimiſſo ſuo beneficio, cui non poteſt amplius inſeruire. De his ergo

15\. *Hæ iuxta antiquum ius non poterant vendi nec re-*

DICO SECVNDO, ſi loquamur iuxta antiquum ius, eadem ratio eſt de his quam diximus *q.* 2. & 3. de clericalibus penſionibus; neque enim erant ex natūra rei inuendibiles, ſed ad

dami Curiæ ſtilo.

ad ſummum ſuppoſito Curiæ ſtilo id prohibente, vendi non poterant, nec redimi propria auctoritate, abſque labe ſimoniæ contra ius poſitiuum; ſi verò ſit ſermo iuxta nouum ius Pij V, ſic videntur eſſe inuendibiles, ſunt enim ſpiritualibus officiis & miniſteriis adnexæ, & propterea redimi non poſſunt propria auctoritate abſque ſimonia contra ius diuinum, vt etiam ſentit Suar. *num.26.* quicquid iuxta propriam ſententiam de penſionibus alij DD. ſenſerint, vt videri poteſt apud eundem *n.24.& 25.*

Nunc ſunt inuendibiles tanquam res ſpirituales.

16. SEXTO QVÆRO de reſignatione pura & abſoluta, & de pura, ſed ſub conditione ſuſpenſiua. Pro reſponſione ſupponendum ex *præced. tract.* reſignationem eſſe voluntariam abdicationem beneficij proprij, quæ fit interdum cauſa permutationis, aliquando cauſa ſui, & dicitur renunciatio ſimplex, quæ vt valida ſit, fieri debet in manibus Prælati, vt eam acceptet. Poteſt autem fieri quatuor modis. Primò purè, hoc eſt, ſine onere penſionis; & abſolutè, hoc eſt, abſque deſignatione perſonæ cui conferatur. Secundò purè, ſed non abſolutè, quia cum conditione, vt conferatur Titio. Tertiò nec purè, nec abſolutè. Quartò abſolutè, ſed non purè, hoc eſt, cum onere penſionis. Hoc poſito in hac q. dicimus de primo modo, & ſecundo in parte.

Reſignatio quid.

Quatuor modis fit.

17. DICO PRIMO, renunciatio pura & abſoluta nullo modo eſt materia ſimoniæ, eaque fieri poteſt non modò in manibus Papæ, ſed etiam inferiorum Prælatorum, exceptis Epiſcopatibus & ſimilibus, quæ ſunt Papæ reſeruata. Dixi non eſſe materiam ſimoniæ, quia illa vt ſic non pertinet ad ſimoniã; ſi autem in ea facienda interueniat pecunia, proculdubio tunc ſimoniaca erit, ſed id eſt per accidens, non autem ex ratione & natura talis renuntiationis; vt rectè Suarez *c.35.n.1.*

Pura & abſoluta non eſt materia ſimoniæ.

18. DICO SECVNDO, renunciatio pura, ſed ſub conditione, non continet ſimoniam contra ius diuinum, eſt Sot. *lib.9. quæſt.7. a.2.* Couar. 1. *var. c.5. n.3. & 5.* Syluest. *Renunciatio, q.6.* & alij quos ſequitur Suarez *num.2.* Ratio, quia non datur in ea ſpirituale pro temporali, ſed datur gratis certæ perſonæ. quod per ſe malum non eſt, ſed ad ſummum malum, quia prohibitum, quia non poteſt quis ſe ſpoliare beneficio ſine auctoritate Prælati. *c. niſi cum pridem. de renunc.* nec conferre alteri niſi per Prælatum.

Pura ſed ſub conditione non continet ſimoniam contra Ius diuinum.

19. DICO TERTIO, renunciationem ſub conditione ſuſpenſiua non poſſe fieri niſi in manibus Papæ; ab inferioribus verò admittenda ea non eſt. eſt communis ex Suar. *num.6.* Antequã probetur aduertẽdum duobus modis poſſe intelligi conditionem appoſitam illi reſignationi. Primò vt retineat naturam rigoroſæ conditionis, quæ eſt ſuſpendere actum, & ita inducit obligationem Prælato vt non poſſit dare beneficium alicui, niſi implendo conditionem. Secundò vt ſe habeat tanquam modus ſeruandus in prouiſione beneficij poſt reſignationem; qui deinde poteſt eſſe vel obligatorius, vt ſcilicet Prælatus obligetur ad illum ſeruandum, vel tantùm inductiuus Prælati ad illum ſeruandum, quantum eſt ex parte reſignantis. de hoc ſecundo modo dicetur *q.9.* quid iuris; hic de primo. Iam igitur probatur concluſio ea potiſſimum ratione, quia ex perpetua conſuetudine & traditione relata à DD. vt Abb. *in c. ex parte 1. de off. deleg. num.4. & c. non ſatis. de ſimon.* Arch. *d.c.* *quicunque 1. q.1.* Redoan. 1. *p.c.25.* Nauar. *c.23. n.107.* & aliis apud Suar. *num.3.* inferiores Prælati non admittunt tales reſignationes, vel eis non obligantur; ex qua declaratur Papam ſibi eam reſeruaſſe, tum ob periculum fraudum ac deceptionum, & ſimoniæ, nullus enim præſumitur ſponte renunciare alteri, nec facere gratis; tum etiam in odium imaginis hæreditariæ cuiuſdam ſucceſſionis à patruis ad nepotes.

Sub conditione ſuſpenſiua non fit, niſi in manibus Papæ.

SEPTIMO QVÆRO, an peccatum commiſſum contra eiuſmodi prohibitionem contineat ſimoniam contra ius diuinum, vel humanum tantùm. 20.

RESPONDEO diſtinguendo, vel enim præcedit pactum cum Epiſcopo, vel alio inferiori, in cuius manibus fit reſignatio, quòd ipſe acceptabit reſignationem, & conferet beneficium perſonæ deſignatæ; vel non præcedit, ſed tantùm reſignans temere intentat talem modum renuntiationis: ſi primum, tunc erit ſimoniaca renũciatio, quia interuenit pactio prohibita generalibus regulis iuris, atque ita eſſet ſimonia contra ius humanum, vt omittam obligationem illam dãdi deſignatæ perſonæ ex parte Epiſcopi, eſſe onus quoddam, vel obſequium pretio æſtimabile. Quod ſi ita eſſet, ex hac parte cenſeri poſſet ſimonia contra ius diuinum; vt rectè Suar. *num.3.* Si ſecundum, non erit propriè ſimoniaca, quia non adeſt commutatio vnius pro alio, ſed voluntas tantùm donandi limitata ad deſignatam perſonam, & ad ſummum erit iniuſta in materia Religionis quæ ſacrilegium includit, volens vſurpare iuriſdictionem diſpenſandi beneficia contra iuris diſpoſitionem.

Si fiat reſignatio in manibus Epiſcopi cum pacto vt det certa perſonæ, eſt ſimonia.

Nec obſtat, quòd hoc ipſum videatur quoddam onus in Epiſcopo, vt non det alteri, ſed determinatæ perſonæ. Reſpondeo enim, non obligare ſimpliciter Epiſcopum, quia poteſt non acceptare illam reſignationem; deinde ſi acceptet, illa limitatio poteſtatis ad deſignatam perſonam non tam eſt obligatio ipſi impoſita, quàm modus talis reſignationis, vnde etiam habet locum in Papa, cui tamen nulla obligatio imponitur; nec eſt onus pretio æſtimabile ex parte Prælati, ſi deſignata perſona alioqui digna ſit, ſed ſolùm eſt vſus quidam legitimus ſpiritualis poteſtatis.

OCTAVO QVÆRO, an Epiſcopus poſſit acceptare illam reſignationem abſque ſimonia; & quid agere debeat, ſi illam acceptet. 21.

RESPONDEO, & DICO PRIMO, non fore ſimoniacum ſi acceptet & conferat beneficium perſonæ deſignatæ, dummodo id non faciat ex obligatione & pacto, ſed tantùm liberè conſentiens temeræ reſignationi. Patet, quia ſicut reſignãs hoc modo, hoc eſt, non ex pacto, ſed tantùm cum illa conditione vt declaratum eſt præced. q. non eſt ſimoniacus, ſed tantùm ſacrilegus iniuſtè, ita nec Prælatus conſentiens illi, erit ſimoniacus; nec aliam nouam ſimoniam ipſe committit, quia non confert ſpirituale propter aliquid temporale, vt ſupponimus. Suar. *n.9.*

Reſignatio in manu Epiſcopi ſine pacto, non eſt ſimoniaca etiamſi detur perſona deſignata.

DICO SECVNDO, Prælatum inferiorem non poſſe licitè acceptare talem reſignationem abſque licentia Papæ, & dare beneficium iuxta modum appoſitum à reſignante, etiamſi id non faciat ex vi illius, ſed ex libera voluntate ſua. eſt communis DD. ex Suar. *num.11.* qui talem 22.

Non poteſt tamen fieri licitè.

talem reſignationem damnant vt ſimoniacam, eſto verè non ſit. Ratio potiſſima ea eſt, quia talis reſignatio in manu inferioris Papa prohibita eſt, omnes etiam reſignationes cum modo Papæ reſeruatæ ſunt; erit ergo non ſolùm illicita, ſed etiam nulla defectu iuriſdictionis ex reſeruatione. Et quamuis dicatur, non operari cum vi conditionis appoſitæ, tamen ipſa reſignatio fit cum modo, & cum effectu ipſa acceptatur, quod eſt prohibitum.

23. *Nec Epiſcopus poteſt illum acceptare tanquam abſolutã reiecta conditione.*

Dico tertio, Prælatum inferiorem Papa non poſſe acceptare illam reſignationem tanquam abſolutam reiecta conditione. Rebuff. *in Praxi. tit. de reſig. cond. num. 7. & ſeqq.* Ratio eſt, quia actus factus cum aliqua adiectione & modo non poteſt acceptari quoad vnam partem, & non quoad aliam. *l. Aurelius. §. idem quæſitur.* vbi Bart. *ff. de lib. leg.* Alex. *conſil. 87. vol. 1. & conſ. 30. vol. 7.* Felin. *c. cùm inter. coll. 4. de re iud.* Reſignatio autem, de qua loquimur, fit cum adiectione per modum vnius, vt patet; ergo, &c. Confirmatur, quia ſicut in permutatione non valet actus niſi beneficia conferantur permutantibus, ita in reſignatione conditionali. Ideóque infert Rebuff. nec Papam poſſe iuſtè talem reſignationem admittere reiecta conditione, quia aliàs priuaret reſignantem inuitum ſuo beneficio abſque iuſta cauſa, quod approbat Suar. *n. 13.*

24. *Nec conferre tale, beneficiũ ſic reſignatũ, alteri.*

Dico quarto, Prælatum talem non poſſe licitè nec validè conferre beneficium alteri. Sequitur ex præcedenti. & ratio eſt, quia beneficium per talem reſignationem non vacat ante impletam conditionem, voluntas enim renunciantis non fuit abſoluta, ſed ſuſpenſa; cùm ergo non habuerit effectum, nec impleatur conditio, remanebit beneficium apud reſignantem; non ergo Prælatus poterit illum priuare ſuo iure contra voluntatem ipſius.

Nec poteſt id facere in pœnam, tum quia ſaltem cauſa examinanda eſſet, & ferenda ſententia, tum quia nullo iure cauetur, vt talis priuetur ſuo beneficio. Nauar. *c. 23. n. 105. in fine.* & Suar. *n. 14.*

25. Nono qværo de reſignatione purè, ſed ſub conditione in vim modi.

Reſignatio pure, ſed ſub conditione in vim modi, valet.

Respondeo & dico primo, talem reſignationem ſi ab Epiſcopo acceptetur, ſtatim valere, & habere effectum ſuum. ratio eſt, quia, vt explicatum eſt *q. 6. concl. 3.* talis reſignatio abſoluta eſt, non conditionalis, nec ſuſpenſiua, quia modus non ſuſpendit effectum. Dixi, *ſi ab Epiſcopo acceptetur*, quia liberum eſt illi eam acceptare, & ſeruare eum modum, vel non ſeruare, vt iudicauerit expedire. Suarez *n. 15.*

26. *Reſignans eo modo poteſt non peccare.*

Dico secvndo reſignantem poſſe eo modo reſignandi non peccare ſtando in iure communi; ſi nimirum non intendat obligare Epiſcopum, ſed tantùm inducere liberè illum vt conferat tali perſonæ; ſuppoſito quòd aliàs perſona illa digna ſit. Id enim nullo iure communi prohibitum eſt, vt teſtatur Suar. *num. 16.* nec conſuetudo contraria obſtat; quia ex communiore reſignans purè & abſolutè poteſt rogare Epiſcopum vt det beneficium tali perſonæ, nec peccare etiamſi ab initio reſignaſſet ea ſpe, vt Nau. *d. n. 107.* Redoan. *d. c. 25.* apud quos alij. Quare etiamſi in ipſa reſignatione exprimat eiuſmodi animum, modò non faciat pactum, nec apponat conditionem ſuſpenſiuam declarari ſolitam iis verbis, *non aliter, nec alio modo*, non erit damnandus peccati.

Dico tertio Epiſcopum in tali caſu, poſſe liberè conferre beneficium cui voluerit, atque adeò etiam illi, quem nominauit reſignans; cùm enim reſignatio abſoluta ſit re vera, nec potuerit obligari Epiſcopus ad eum qui nominatur, ſequitur poſſe conferre cui voluerit. Ex alia parte non apparet cur deterioris conditionis ſit is qui nominatus eſt à reſignante, cùm id prohibitum non reperiatur iure communi; an autem alio iure prohibitum ſit, dicetur *ſeq. concl.* 27.

Et Epiſcopus poteſt conferre nominato à reſignante.

Dico qvarto, iure nouo Pij V. in Bulla *Quanta* 58. prohibitum eſt deſignari futuros beneficiarios à reſignantibus. Patet iis verbis, *Caueant autem Epiſcopi & alij prædicti, itémque omnes electores, præſentatores, & patroni tam Eccleſiaſtici, quàm laici, quicunque ſint, ne verbo quidem aut nutu futuri in huiuſmodi beneficiis & officiis ſucceſſores ab ipſis reſignantibus, aut aliis eorum ſignificatione, vel hortatu deſignentur, aut de his aſſumendis promiſſio inter eos, aut intentio qualiſcunque intercedat.* 28.

Iure nouo futuri beneficiarij non poſſunt deſignari à reſignantibus.

Additur etiam prohibitio, ne collatores talium beneficiorum ea conferant ſuis, aut reſignantium conſanguineis, affinibus, aut familiaribus. Quicquid autem contra id atteſtatum fuerit, irritum decernitur & inane. Atque huic iuri iam ſtandum eſt, iuxta quod non licebit reſignare beneficia in manibus inferiorũ Papa, nec ſub conditione ſuſpenſiua, nec ſub modo; ſpe autem, aut intentione vt conferantur alicui in ſua menſe deſignato, modò hæc ſpes aut intentio non exprimatur exteriùs, prohibitum non videtur; vt etiam cenſet Suar. *n. 18.* & nos alibi diximus. 29.

Atque adeò nec reſignatio ſub conditione in vim modi, licita eſt.

Decimo qværo, an reſignationes reciprocæ habeant locum coram ordinariis. Suppono vocari reciprocas quæ fiũt à duobus reſignantibus in fauorem aliorum duorum ab ipſis nominatorum: vt ſi Petrus renunciet in fauorem nepotis Pauli, vt Paulus renunciet in fauorem nepotis Petri. 30.

Respondeo ergo coram ordinariis fieri non poſſe, quamuis enim videatur eſſe permutatio quædam, tamen non eſt pura, ſed mixta in fauorem tertij. Ordinarij autem tantùm approbare poſſunt permutationes puras & ſimplices, quæ ſcilicet fiunt inter ipſos permutantes, vt alibi dictum eſt.

Reciproca permutatio nõ habet locum coram ordinario.

Idem dicendum de permutationibus triangularibus, quæ ſcilicet fiunt inter tres, vt ſi Petrus renunciet Canonicatum Paulo, & Paulus Curatum Ioanni, & hic ſimplex Petro, ex conuentione habita intra ipſos. Quamuis enim æquiualeant duabus permutationibus quæ purè fieri poſſent inter ipſos permutãtes; vt ſi Petrus permutaret cum Ioanne, & deinde Paulus cum Petro; tamen ſi fiant ſimul, & cum mixtione vnius cum altera ob multas pactiones quæ intercedunt, prohibitæ ſunt fieri coram ordinariis; vt nos etiam aliàs diximus, & docet Leſſ. *c. 35. n. 88.* 31.

Nec permutatio triangularis.

Vndecimo qværo, an liceat fingere permutationes vt reſignatio acceptetur. verbi gratia, Petrus nullum habet beneficium, ſed fingit ſe habere, vt poſſit permutare cum Paulo qui renunciat ſuum Petro; & quia tanquam reſignatio cùm ſit in fauorem tertij, non admitteretur ab ordinario, fingit 32.

permutationem, vt ſic admittatur.

Ficta permutatio ad reſignationem inualida.

RESPONDEO enim non licere, & eſſe inualidam permutationem. Vel enim Paulus bona fide renunciat, ſuum putans ſe permutare cum benef. Petri, & tunc, quia grauiter decipitur, & eſt inuoluntaria, inualida erit; vel mala fide & ex certa ſcientia quòd Petrus non habeat beneficium, & tunc licèt neuter patiatur iniuriam ab altero; Eccleſia tamen patitur iniuriam ab vtroque, dum per fictam permutationem fit vera renunciatio in fauorem tertij contra prohibitionem, atque adeò cùm ordinarius grauiter decipiatur, & inuoluntariè admittat, erit etiam illa permutatio inualida, vt rectè Suarez *n.* 20.

33. DVODECIMO QVÆRO de reſignatione facta cum onere penſionis.

Reſignatio in fauorem tertij cum onere penſionis, eſt materia ſimoniæ.

RESPONDEO & DICO PRIMO, ſi reſignatio fiat tertio modo expoſito *q.* 6. nec abſolutè, nec purè; quia ſcilicet fiat in fauorem tertij, & cum onere penſionis; erit materia ſimoniæ contra ius diuinum facta coram inferiore Papa; ratio eſt, quia daretur res temporalis, nempe penſio pro reſignatione ſpirituali; nec verò ille admittere poteſt eiuſmodi renuntiationem duplici ex capite, primò, quia non fit abſolutè, ſed conditionatè in fauorem tertij; ſecundò, quia non fit purè, ſed cum onere penſionis. quod idem dicendum eſt de qualicunque renunciatione oneroſa, ſeu vt vocatur qualificata. Dixi *coràm inferiore Papa*; quia coram ipſo ſimoniaca non eſt; tum quia pactiones ipſo ſciente purgantur, & non ſunt prohibitæ, tum quia ipſe imponere poteſt penſiones, & concedere tanquam ſtipendium ſuſtentationis, & poteſt diuidere beneficium, quæ non poſſunt inferiores Papa, niſi fortè Legatus ex priuilegio ipſius; vt indicat Leſſ. *n.* 91. ex Rebuffo.

Niſi fiat coram Papa.

34. DICO SECVNDO, ſi reſignatio fiat quarto modo, hoc eſt, abſolutè, ſed non purè; erit eodem modo materia ſimoniæ contra ius diuinum facta in manibus ordinarij; non autem in manibus Papæ. Ratio eadem eſt; quia reſpectu Epiſcopi & ordinarij eſſet commutatio rei temporalis pro ſpirituali, penſio enim reſpectu illius res eſt purè temporalis, vt rectè Suarez *n.* 22. non ita reſpectu Papæ, qui dat ei ſuſtentationem, & poteſt beneficium diuidere; vt ſuprà diximus.

Item reſignatio facta abſolutè cum onere penſionis eſt materia ſimoniæ.

Niſi fiat in manibus Papæ.

35. DECIMOTERTIO QVÆRO, an qui beneficium habuit litigioſum, & fecit in eo multas expenſas, poſtea pacificè poſſidens poſſit reſignare cum pacto vt prouiſus ſoluat expenſas.

Reſignans cum pacto vt prouiſus ſoluat expenſas factas, eſt ſimoniacus.

RESPONDEO negatiuè, ratio quia pactio huiuſmodi eſt contra ius, & quidem diuinum, quia onus ſoluendi tales expenſas non eſt adnexum beneficio, ſed extrinſecum & accidentarium, & non exigitur niſi quia datur beneficium; quare exigitur temporale pro ſpirituali.

Nec obſtat quòd reſignans tantùm intendit ſe indemnem ſeruare, alias gratis dat beneficium. Reſpondeo etiam expenſas illas fuiſſe factas in vtilitatem & commodum reſignantis, & earum nullo modo fuit cauſa is cui poſtea beneficium reſignari intenditur; quare iniuſtè ab eo exigerentur, qui nec damnum earum fuit, nec debet ob annexionem quam habeant cum ipſa reſignatione, vt eſſent expenſæ ipſius reſignationis.

36. Hinc eſt, vt nullus inferior Papa poſſit admittere talem reſignationem, cum eo pacto, abſque ſimonia contra ius diuinum; Papa autem poteſt, non quidem ex eo capite, ſed quia reſignans pauper ſit, & alioqui ex paterna prouidentia debetur ei aliqua ſuſtentatio, & ita vel imponendo penſionem; ſi illius capax ſit, vel permittẽdo vt detur aliquid in eius ſuſtentationem, poſſet eam reſignationem admittere, vt cenſet Suarez *n.* 26. Hæc ſatis.

Niſi fiat in manibus.

CAPVT IX.

De tertia item diuiſione ſimoniæ ex parte pretij.

EXpoſita materia ſimoniæ, & re illa quæ per modum pretij in ea interuenit, agendum de pretio, & quandónam id quod datur habere exiſtimetur rationem pretij: quod his potiſſimum quæſtionibus explicabitur. Primò, quibus modis abſque ſimonia, temporalis res dari poſſit. Secundò, qua ratione id quod datur conſtituatur in ratione pretij in foro interiori. Tertiò, qua ratione in foro etiam exteriori. Quartò, de diuiſione pretij in munus à manu, à lingua, & ab obſequio; an ſit ſufficiens. Quintò, an datio beneficij ob timorẽ, ſimonia ſit. Sextò, de tribus aliis quæſtionibus ad idem facientibus. Septimò, quid intelligatur per munus à manu. Octauò, quid per munus à lingua, an dare beneficium ob preces ſimonia ſit. Nonò, an dare ob alia genera verborum ſimonia ſunt. Decimò, quid intelligatur per munus ab obſequio, & quid iuris de obſequio tẽporali. Vndecimò, quid iuris de obſequio ſpirituali. Duodecimò, an ſpirituale obſequium poſſit adnecti temporali.

PRIMO QVÆRO, quibus modis abſque ſimonia, temporalis res dari poſſit. 1.

Res temporalis abſque ſimonia duobus modis dari poteſt.

RESPONDEO duos eſſe præcipuos, ad quos alij reduci poſſunt. Primus ſi temporalis res gratis detur, excluditur enim ſaltem ſimonia contra ius diuinum. *c. quam pio.* 1. *q.* 2. *c. ſicut Epiſcopus. eod.* Et quamuis in iis ſermo ſit de re temporali quæ detur gratis poſt officium ſpirituale acceptum, tamen eadem ratio eſt de re data gratis antea, ex *c.* & *ſi quæſtiones. de ſim. c. placuit* 2. 1. *q.* 1. *c. dilectus* 2. *eod.* gloſ. & DD. *in c. tua nos. eod.* & *c. cum illi. de conſtit.* vbi Abb. *n.* 26. Felin. *n.* 19. Ratio, quia hoc ipſo quòd res temporalis gratis datur, iam deſinit eſſe pretium, ideóque non erit ſimonia ſaltem contra ius diuinum: an autem contra Eccleſiaſticum, dicetur infrà. Præſumi tamen poſſet in foro externo, præcipuè in materia iuſtitiæ diſtributiuæ, vel commutatiuæ exercenda. Eodémque modo, ſi poſt temporale donum, detur res ſpiritualis ex gratitudine, nec etiam erit ſimonia. Nau. *c.* 23. *num.* 106. Couar. 1. *var. c.* 20. *num.* 4. Suar. *c.* 36. *num.* 2.

Secundus modus, ſi detur temporalis res in ſuſtentationem perſonæ, & tanquã ſtipendium debitum ex iuſtitia operarum. Ratio, quia ſic non fit commutatio, ſed ſpirituale gratis datur; obligatio verò temporalis oritur ex natura rei ad perſonam, quia hæc eget, & ratio poſtulat vt is qui recipit ſpiritualia, det temporalia indigenti. Idem docent omnes. S. Thom. *q.* 100. *a.* 2. ex

Digitized by Google

ex Suar. *num.* 3. & vſus Eccleſiæ ſatis confirmat. Ad hunc modum reuocantur omnes piæ oblationes, quamuis iam debeantur ex conſuetudine, pertinent enim ad ſtipendia clericorum. Item leges Eccleſiaſticæ diſponentes aliquid dari pro certis muneribus.

2\. SECVNDO QVÆRO, qua ratione id quod datur conſtituatur in ratione pretij in foro interiori.

Ratio pretij eſt, vt detur res temporalis in commutationem ſpiritualis.

RESPONDEO & DICO PRIMO, rationem pretij conſiſtere, vt detur res temporalis pro re ſpirituali, & in commutationẽ eius. ſic iura vtuntur particula *pro*, ad ſimoniam exprimendam. *c. placuit.* 1. *q.* 1. *c. non ſatis. ibid. & c. cùm in Eccleſia. de ſim.* Ratio etiam confirmat, quia emptio & vẽditio dicit commutationem rei pro pretio, & extenditur ad omnem commutationem rei ſpiritualis pro alia quæ ſit loco pretij: ſimonia autem definitur per commutationem talem; id ergo conſtituet rationem pretij. Et demum in ea apparet irreuerentia quæ ſit rei ſacræ, commutando rem ſacram pro temporali, vt rectè Suar. *n.* 4.

3\. *Ex intentione pendet ſimonia in foro interno.*

DICO SECVNDO, quoad forum interius, malitia ſimoniæ magna ex parte pendet ex intentione operantis. *c. tua nos. de ſim.* iis verbis, *ſi tamen is qui talem donationem facit, ea intentione ducatur.* Non eſt autem neceſſe talem intentionem haberi formaliter & directè, dandi ſcilicet rem temporalem pro ſpirituali, ſed ſufficit virtualiter & ſecundùm moralem imputationem, dando videlicet rem temporalem pro ſpirituali ſine interuentu alicuius motiui honeſti, ob quod temporale poſſit dari, vt ob gratitudinem, vel ſtipendium ſuſtentationis perſonæ; ſi enim eiuſmodi motiua nõ adſint, & nihilominus temporale detur intuitu obtinendæ rei ſpiritualis, id ſufficiet ad veram rationem pretij, & ſimoniæ etiam coram Deo. Quid autem dicendum ſit in ordine ad forum externum vide *ſeq. q.*

4\. TERTIO QVÆRO, qua ratione res temporalis conſtituatur in ratione pretij in ordine ad forum externum.

In foro autem externo quatuor conſideranda.

RESPONDEO & DICO PRIMO, quatuor conſideranda pro foro externo. Primum, an datio & acceptio in tali materia, & tali modo prohibita ſit intuitu Religionis. ſi enim ita ſit, erit ſimonia ſaltem contra ius Eccleſiaſticum. Secundum, an pactum interceſſerit, præſumetur enim ſimonia, quamuis hoc non ſatis eſt ad damnandam actionem, poteſt enim eſſe pactum honeſtum ad ſecuritatem ſtipendij, ad compenſationem accidentalis laboris, vel alia de cauſa. Tertium, an in pacto interuenerit cauſa, quæ honeſtet largitionem temporalium, ſi enim interuenerit, non eſt præſumenda ſimonia, factum enim proximi interpretandum in meliorem partem ſi fieri poſſit: quòd ſi ex aliis coniecturis contrarium colligatur, rectè procedet præſumptio. Quartum, in dubio de interpretatione in bonum & malam partem coniecturis vtendum in vtroque foro.

5\. *Regulæ tres ad vtendum rectè coniecturis.*

DICO SECVNDO. Ad vtendum rectè coniecturis hæ regulæ adhiberi poſſunt. Prima quando intercedit probabilis titulus honeſtus inducens obligationem, præſumi poteſt, temporale donum ex tali cauſa datum eſſe, non pro beneficio vel re ſpirituali, quod etiam valet pro foro interno. Secunda, quando tantum dubium eſt de datione gratuita, cõiecturæ ad præſumendam dationem non gratuitam primò eſt pactio, ſecundò taxatio rei temporalis tribuendæ; quæ ſemper ſupponit conuentionem vniuersè prohibitam *in c. tua nos. de ſimon.* Tertiò exactio rei temporalis, per *Extrau.* 1. *de ſimon.* Tertia quãdo non ſunt talia indicia, ſeruanda inſtructio iuris *in c. & ſi quæſtiones. de ſimon.* Spectanda enim quatuor, primò perſona dantis, ſecundò qualitas accipientis, tertiò quantitas muneris, quartò occaſio largitionis. ad has enim ferè reduci poſſunt aliæ, vt pluribus explicat Suarez à *n.* 12. *vſque ad fin.*

QVARTO QVÆRO de diuiſione pretij in munus à manu, à lingua, & ab obſequio, an ſit ſufficiens. 6.

Sufficiens diuiſio.

RESPONDEO & DICO PRIMO ſufficientem eſſe propoſitam diuiſionem. Ratio eſt, quia nullum eſt pretium ſufficiens ad ſimoniam quod non poſſit reduci ad aliquod mẽbrũ eius, bona enim humana & temporalia inter homines vel ſunt externa, & comprehenduntur ſub pecunia & manu, vel ſunt humanæ actiones quæ per membra corporis exercentur, & continentur ſub obſequio, vel ſunt fauores, interceſſiones, & ſimilia, & reducuntur ad verba & ad linguam. Ad hæc pertinent obligationes & promiſſiones earundem rerum, in iure enim æquè prohibentur promiſſa pro ſpiritualibus rebus, ſicut donata de præſenti. Item mala contraria vel onera illis repugnantia, quæ aliquis voluntariè ſuſcipit ratione alterius, vt non accipere munera à manu, priuare ſe obſequio, non adhibere fauores; hæc enim omnia æſtimabilia ſunt eodem pretio, quo ipſa bona; vt patebit ex dicendis.

Dare beneficium ob conſanguinitatẽ non eſt ſimonia.

DICO SECVNDO, conſanguinitatem non eſſe ſpeciem pretij diſtinctam, quæ ſimoniam efficiat. eſt contra aliquos, qui cenſuerunt conſanguinitatem ſi ſit ratio dandi beneficium, v.g. eſſe ſufficientem ad ſimoniam, ex *c. nemo. de ſimon.* ſed contraria eſt cõmunis. S.Thom. *q.* 100. *a.* 5. *ad* 3. Victor. *d. relect. n.* 16. Soto *q.* 7. *a.* 3. *ad* 2. & aliorum cum Suarez *c.* 37. *n.* 6. Ratio eſt, quia nec eſt ſimonia contra ius diuinum; nam qui dat beneficium conſanguineo, nil temporale ab eo recipit pro ſpirituali; & ad ſummum eſt dare rem ſpiritualem ob inferiorem quendam finem & motiuum, quod tantùm dici poteſt largè ſimonia, quatenus omnis indigna prouiſio, vel acceptio perſonarum in ſpiritualibus dici poteſt æquè verè ſimonia; nec contra ius humanum, quia nulla inuenitur talis prohibitio in iure. In *c.* autem *nemo, cit.* vltima illa verba, *quia ſimoniacum eſt vtrunque*, non referuntur ad priorem partem, vbi dictum fuerat, non eſſe crimen proximi Epiſcopo occultandum propter reſpectum conſanguinitatis, ſed ad poſteriorem; ſi quæ verò alia iura ſunt quæ videantur facere difficultatem, rectè illis reſpondet Suar. *numero* 7. Vnde dare beneficium conſanguineo alioqui digno ſimpliciter, nullum eſt peccatum, etiamſi præferatur ſolùm ratione conſanguinitatis, vt Couar. 1. *Var. c.* 5. *num.* 4. quod eſt intelligendum præciſo ſcandalo, & ſuppoſito, quòd ſufficientia & dignitas publicè conſtet, ſi prouiſio publica ſit; vt rectè limitat Suar. *num.* 8.

QVINTO QVÆRO, an datio beneficij ob timorem ſimonia ſit. 8.

Dare beneficium ob timorem non eſt ſimonia.

RESPONDEO & DICO PRIMO, nec datio beneficij, nec factio operis ſpiritualis ex

Digitized by Google

ex metu imminentis mali, eſt ſimonia per ſe. Ang. *ſimonia* 3. *numer*. 38. Victor. *loco cit*. Leſſ. *dub*. 21. Sot. *quæſt*. 7. *artic*. 3. & alij cùm Suar. *num*. 10. ratio, quia nec eſt ſimonia contra ius diuinum, nam operari ex metu non eſt operari pro pretio, hoc enim eſt in commutationem; illud verò ex timore tãquam motiuo; & quamuis inducatur ex illo, non operatur pro aliqua re, quæ habeat rationem pretij; nec contra ius humanum, quia nullum eſt ius, quod ponat metum inter pretia ſimoniæ. Immo iura non improbãt actiones rerum ſpiritualium factas ex metu, ſed potiùs fauent eis, qui ex iuſto metu ſic operati ſunt, vt patet ex *c. ad audientiam. de iis quæ vi*, &c. & *c. ad aures. ibid*.

9. *Dare beneficium inimico ne officiat, quando ſit ſimonia.*

Dico secundo, multis modis poſſe contingere, quòd detur beneficium inimico ne officiat, & aliquando non erit ſimonia; aliquando poterit eſſe. Primò ergo ſi abſque pacto detur res ſpiritualis malefactori, vel comminanti malum, ea intentione vt ceſſet, & beneuolus reddatur, nulla eſt ſimonia. nam ſi fiat ſola intentione interna, certum eſt non eſſe conuentionalem; nec etiam eſt mentalis, quia intentio non eſt de recipiendo pretio, ſed de beneuolentia concilianda illo medio. Secundò, ſi intentio verbis præferatur, & incipiat à malefactore, qui cõminetur, v. g. mortem; niſi beneficio alter renunciauerit, vel contulerit, tunc ſi comminatio iuſtè fiat, euaſio mali non intenditur vt pretium, ſed vt effectus conſequens ex actu ſpirituali tanquam ex neceſſaria cõditione; ſi fiat iniuſtè, quia incutitur metus ad extorquendũ munus ſpirituale, tũc alter moraliter non tam donat, quàm permittit ab alio ſurripi, nec ipſe cenſetur aliquid recipere, quia non eſt bonum æſtimabile pretio quod cõfert is hoc ipſo quòd ceſſat iniuriam inferre. Tertiò, ſi exprimatur intentio ab eo qui patitur metum, offerendo aliquid ſpirituale vt ceſſet, tunc ſi malum iniuſte inferatur, & non intercedat pactum dandi vnum pro alio, non eſt ſimonia, ſed redemptio vexationis temporalis per medium ſpirituale, quæ fit dando gratis rem ſpiritualem, vel promittendo, vt alter amicabiliter inducatur ad ceſſandum à vexatione. Quartò ſi pactum faciat cum alio obligando illum in futurum, & ex vi pacti ad non inferendum malum, & ipſe ad beneficium propter hoc cõferendum, tunc erit ſimonia etiam de iure diuino, quia obligatio illa ex vi pacti ad non inferendum malum eſt pretio æſtimabilis, vt rectè Suar. *num*. 16. ex Victor. & S. Th. Idem Leſſ. *dub*. 21.

10. Sexto qværo de tribus aliis quæſtionibus ad idem facientibus: Ex dictis inferri poteſt ſolutio aliarum dubitationum. Et primò, an liceat dare beneficium ad petitionem Principis.

Dare beneficium ad petitionem Principis non eſt ſimonia ſi abſit pactum.

Respondeo enim, ſi pactum intercedat, quo Princeps obligetur ad promouendum collatorem ad maiorem dignitatem, erit clara ſimonia; ſi verò non ſit pactum, nec intentio de obtinendo lucro illo maioris dignitatis pro re ſpirituali conferenda, ſed tantùm de vitanda immediatè offenſione Principis, à qua ſperat augmentum dignitatis, non erit ſimonia; poterit verò eſſe aliud peccatum ex circunſtantiis, vel nullum.

In quo notanda differentia damni imminentis, & lucri ceſſantis, quòd illud expreſsè poſtulari poteſt ſi ſit iniuſtum, nihil enim petitur æſtimabile pretio, & quòd non teneatur alter facere ex iuſtitia. At verò lucrum ceſſans non poteſt poſtulari vt non ceſſet; quia perinde eſt ac ſi poſtuletur vt detur, & conſequenter vt habeatur aliquid pretio æſtimabile, ad quod alter non obligatur. Suar. *numer*. 17. ex Victor. & Soto.

Secundò, an ſit ſimonia conferre beneficium debitori ex timore non amittendi debitum, ſed vt ſibi ſoluatur. Reſpondeo eodem modo, ſi enim non fiat vllum nouum pactum, ex quo obligetur ad illa ſoluenda, non erit ſimonia; ſiquidem intendit quod ſibi debetur abſque noua obligatione; ſi verò fiat pactum, erit ſimonia contra ius Eccleſiaſticum, ſaltem ob pactum; contra ius verò diuinum eſſe poterit, ſi ex pacto accedat aliqua maior ſecuritas obtinendi ſuum debitum, id enim eſt onus pretio æſtimabile. Angelus *ſimonia* 3. *numer*. 38. exemplo vſuræ; quod non eſt efficax, & Suarez *numer*. 18. 11.

Nec debitori, vt ſoluat debitum, abſque pacto.

Tertiò, an timor iuſtæ punitionis faciat ſimoniam, vt ſi præſentetur ad beneficium filius iudicis, vt abſoluat reum, vel mitiget pœnam iniuſtè, & ſimilia. Reſpondeo enim, ſi pactum intercedat, claram eſſe ſimoniam; nam conditio illa vt abſoluat reum, vel mitiget pœnam modo dicto, eſt pretio æſtimabilis; ſi verò non ſit pactum, ſed intentio ſolius amicitiæ alterius, ordinandi illam ad iniuſtam actionem abſoluendi nocentem & reum, vel mitigandi pœnam iniuſtè; ſic non eſt ſimonia, ſed ſacrilegium; abutitur enim re ſpirituali, vt idem *num*. 19.

Nec præſentare filium iudicis, vt abſoluat reum, modò abſit pactum.

Septimo qværo, quid intelligatur per munus à manu. 12.

Munus à manu multiplex. Pecunia.

Respondeo, multa poſſe intelligi habere rationem pretij ad ſimoniam ſufficientis comprehenſa ſub munere à manu. Et primò quidem eſt ipſa pecunia, hæc enim habet propriè rationem pretij: nec requiritur vt ſemper ſit numerata, nam etiam promiſſa ſufficit. *cap. nobis. de ſimon. cap. de hoc, cap. tua nos. eodem*. omnis enim pactio pecuniæ ſufficit. Secundò quæcumque illius quantitas ſufficit, ſemper enim eſt magna irreuerentia; res enim ſpiritualis venalis efficitur, vt diximus *cap*. 1. *quæſt*. 6. Tertiò quæuis res temporalis pretio æſtimabilis comprehenditur, ſiue ſint mobilia inanimata, ſiue ſe mouentia, ſiue immobilia corporalia, ſiue incorporalia iura. *cap. totum*. 1. *quæſt*. 1. *cap. & ſi quæſtiones, cap. tua nos. de ſimon*. Eadem enim deordinatio eſt in commutanda re ſpirituali pro re pecunia æſtimabili, quæ eſt in eadem pro pecunia. Quartò debitum remiſſum, aut ex promiſſione remittendum eodem modo comprehenditur ſub munere à manu, datur enim res ſpiritualis ſub oneroſo contractu. *cap. veniens, cap. penult. de ſimon*. Huc etiam ſpectat promiſſio in præſentato ad ordines quòd non petet reditus donantis, eſt enim pactio ſimoniaca. Nauar. *cap*. 27. *n*. 158. Idem ſi Canonicus promitteret electoribus dimidiam partem præbendæ, ſi ſe eligant, aut Parochus promitteret ſe remiſſurum decimas patronis qui ipſum præſentauerint. *cap. talia. de ſimon*. Quintò mutuatio pecuniæ pro accipiendo beneficio, vel alia re ſpirituali, vel collatio beneficij ſub conditione pecuniæ mutuandæ. Nauarr. *cap*. 23. *n*. 101. *in fine*. & *conſ*. 14. & 23. *de ſimon*. Leſſ. *c*. 20. *dub*. 9. tum quia omnis pactio prohibita eſt, atque ita erit ſimonia cõtra ius

In quacunque quantitate.

Res pretio æſtimabilis.

Remiſſio debiti.

Mutuatio pecuniæ.

Digitized by Google

ius Eccleſiaſticum, tum quia commutatur res ſpiritualis cum materiali, quæ moraliter multũ appetibilis eſt ob vtilitatẽ temporalem, & conſequenter erit etiã ſimonia contra ius diuinũ; de qua re pluribus Suarez *cap.* 38. *num.* 7. 8. & 9. Sextò penſio, quam ſibi, vel conſanguineo reſeruaret is qui dat beneficium; eſt enim res pecunia æſtimabilis, vel promiſſio ſoluendæ certæ pecuniæ. Huc refertur promiſſio & conſenſus in penſionem ab alio imponendam, vt à Papa, ante collationem beneficij; niſi id deinde Papæ manifeſtaretur. Suppoſita autem in Epiſcopo, verbi gratia, poteſtate reſeruandi fructus, licet conſtituere ad tempus penſionem, & cõferre beneficium ſic oneratum abſque vllo pacto; non tamen licet ex conuentione cum eo qui beneficium recepturus eſt, vel cum mediatore, illam imponere, vt pluribus Suarez *num.* 10. Huc etiam ſpectat conuentio, quam prætentor beneficij facit cum Curiali, vt ſibi auxilium ferat ad obtinendum beneficium ſub conditione ſoluendi illi penſionem, de quo Nau. *conſil.* 47. *de ſimon.* Item is qui cum aulico paciſcitur, vt ſibi de vacantibus beneficiis notitiam præbeat, promittens ſe conſenſurum penſioni in fauorem eius; de quo Nauarr. *conſil.* 57. *de ſimon.* Septimò omne donum quod iure poſitiuo prohibitum eſt dari pro re ſpirituali, comprehenditur ſub munere à manu, modò conſiſtat in iure aliquo habente emolumentum temporale, etiamſi ſit ſpirituale habens adnexum temporale, vt ſi detur beneficium pro beneficio; dicitur enim munus temporale æſtimatione iuris; vt idem *n.* 11.

Penſio.

Omne donum iure poſitiuo prohibitum.

13. OCTAVO QVÆRO, quid intelligatur per munus à lingua, & an dare beneficium ob preces ſimonia ſit.

Munus à lingua.

RESPONDEO, & DICO, per munus à lingua intelliguntur preces vel aliæ ſupplicationes & interceſſiones poſtulatæ à collatore rei ſpiritualis in ſuam vtilitatem, vel ſuorum conſanguineorum, aut amicorum; ſic enim habent rationem rei temporalis pretio æſtimabilis, & conſequenter rationem pretij diſtinctam à munere à manu, vel obſequio: ſi enim habeant promiſſionem expreſſam vel tacitam de alio munere, vt pecunia, vel obſequio, iam motiuum dandi non erunt preces, ſed munus à manu, vel ab obſequio: quòd ſi in iis contineatur comminatio aliqua mali extrinſeci ad preces, reducetur ad metum, de quo diximus ſuprà. Ex his

14. DICO SECVNDO, preces quibus poſtulatur à Prælato vt conferat ſibi vel alteri beneficium, ſecluſo alio pacto, vel promiſſione, non inducunt ſimoniam, eſt communis ſententia ex Suarez *cap.* 40. *numer.* 3. nec in ea diſcrepant auctores citati ab eo in prima & ſecunda ſententia. ratio eſt, quia dare beneficium ob preces, nec eſt ſimonia contra ius diuinum, cùm preces non excludant gratuitam donationem, ac propterea non habeant rationem pretij; nec contra ius humanum, quia nullibi reperitur quòd ius humanum prohibeat dari beneficia, vel alias res ſpirituales ad preces aliorum, immo inuenitur expreſſa approbatio *cap. tua nos. de ſimon.* nec preces porrectæ collatori beneficij, vel ordinatori habent rationem muneris, cùm nihil donent, ſed potiùs ordinentur ad recipiendam donationem ab eo, cui porriguntur.

Preces ſecluſo pacto non faciunt ſimoniam.

15. Ex his ſequitur primò etiam preces pro ſe oblatas ad obtinendam aliquam rem ſpiritualem, vel beneficium, non facere ſimoniam, ob eaſdem rationes; & quamuis poſſit ambitioſus quis eſſe, vel præſumptuoſus, petendo pro ſe dignitatem, vel beneficium ad quod non ſit aptus; tamen ſimoniacus non erit, vt pluribus Suar. *n.* 3. & 4. qui etiam dicit non peccare eum qui pro ſe petit curatum, ſi moraliter & abſque temeritate ſe reputet dignum.

Nec pro ſe oblatæ.

Sequitur ſecundò nec eſſe ſimoniam ſi preces offerantur pro indigno ad beneficium; quamuis enim petitio eiuſmodi iniuſta & ſacrilega poſſit eſſe, & re vera ſit, non tamen ſimoniaca ex ſe; quia preces non ſunt pretium. quòd ſi S.Th. 4. *d.* 25. *q.* 3. *artic.* 3. *ad* 3. dixit factum eſſe ſimoniacum dare beneficium indigno pro precibus; intelligitur quoad præſumptionem, cùm enim collator non moueatur dignitate perſonæ, videtur moueri ob aliquod aliud intereſſe, quod poſſit habere rationem pretij; idémque dic ſi preces adhibeantur pro conſanguineo, vel amico, vt Suar. *n.* 8. 16.

Nec pro indigno.

Sequitur tertiò nec eſſe ſimoniam, precibus inducere potentem virum, vel familiarem Epiſcopi vel Papæ ad impetrandum beneficium pro ſe, vel pro altero; nam ſi preces pro beneficio non inducunt ſimoniam, multò minus inducent preces precum pro beneficio, & verò paſſim id vſurpatur etiam apud doctos, & timoratos viros: eſſet autem ſimonia, ſi pecunia conduceretur aliquis ad exhibendas preces pro beneficio; tunc enim emeretur moraliter, eſſet enim pecunia cauſa moralis adeptionis beneficij, & ſic ſimonia, quamuis collator id ignoraret, vt infrà. 17.

Nec ſi precibus inducatur vir pro ſe ad impetrandum beneficium.

DICO TERTIO, quando per collationem beneficij aut alterius rei ſpiritualis, collator intendat obligare alium ad preces adhibendas pro ſe, vel preces adhibitæ ſunt ſub pacto & promiſſione dandi beneficium, tunc eſt ſimonia. eſt communis ex eod. Suar. *num.* 11. præcipuè videndi Caietan. *ſimonia. quintò nota.* Victor. *relect. de ſimon. à numer.* 36. ratio patet, quia iura Canonica & omnes DD. ponunt inter pretia, munus à lingua, nullus autem eſt alius modus, quo poſſit id veriùs intelligi; munus enim à lingua in eo eſſe debet qui cenſetur ratione illius committere ſimoniam, aliàs non ipſe emeret, ſed alius: preces autem conferentis rem ſpiritualem tunc ſunt munus, quando pro illo adhibentur, non quando illi offeruntur; ergo, &c. Denique tunc ſunt quid pretio æſtimabile, & adhibentur in vtilitatem & lucrum eius qui confert rem ſpiritualem. Idem habet locum, quando preces antecedunt, quia videlicet collator rei ſpiritualis vt Epiſcopus beneficij petat ab aliquo vt pro ſe intercedat apud Principem, promittens pro hoc beneficium, tunc enim eſt ſimonia conuentionalis, & iis adhibitis & beneficio collato, fit realis, vt rectè Suar. *n.* 13. 18.

Collator beneficij intendens obligare ad preces, ſimoniacus eſt.

NONO QVÆRO, an dare rem ſpiritualem ob alia genera verborum, ſimonia ſit. Pro reſponſione notandum alia genera verborum eſſe, v.g. interceſſiones, adulationes, laudes, ſigna beneuolentiæ, & honoris. de his ergo idem quærimus quod de precibus. 19.

RESPONDEO ergo, & DICO PRIMO, ſi interceſſio abſolutè fiat abſque vllo pacto, vel promiſſione obtinendæ rei ſpiritualis pro illa, non inducit ſimoniam. patet ex 2. *concl. præced. q.*

Nec dare ob alia genera verborum eſt ſimonia ſecluſo pacto.

Digitized by Google

eſt enim eadem ratio cum precibus eodem modo ſi quis voluntariè aſſumat officium laudandi Prælatum apud alios, vt ita beneuolum ſibi reddat, ſperans inde ſe conſecuturum beneficium abſque alio pacto, quamuis ſit quoddam munus à lingua, tamen quia nulla adeſt conuentio, non habet rationem pretij, & conſequenter non inducit ſimoniam, vt rectè Suar. *c.40. n.14.*

20. DICO SECVNDO, ſi interceſſio, vel laus, vel alia genera verborum fiant ex pacto, vel promiſſione cum collatore in fauorem eius & vtilitatem, erit ſimonia, patet ex *concl. 3. præced. q.* Ratio eſt, quia hæc omnia ſunt pretio æſtimabilia, vnde ſi hæc exigantur ex pacto, vt coram aliis fiant ad acquirendam famam apud illos, & ſic expreſsè, vel tacitè promittatur beneficium, vel ſpirituale donum pro illis, clara eſt ſimonia: idem dic ſi collator daret illuſtri viro beneficium, vt recognoſceret ſe tanquam conſanguineum. Et quamuis hoc videatur quoddam genus obſequij, tamen dicitur ſpecialiter munus à lingua, quia non per modum ſeruilis obſequij, ſed rei, quod etiam à dominis, & nobilibus fieri ſolet, exercetur; vt Suar. *n.15.*

21. DECIMO QVÆRO, quid intelligatur per munus ab obſequio, & quid iuris de obſequio temporali. Pro reſponſione notandum primò duplex obſequium; temporale, & eſt actio hominis ordinata ad commoditates corporis, vel animæ ſpectatæ in ſua naturali perfectione; & ſpirituale, & eſt functio ſpiritualis quæcunque, de qua *c.2. 3. & 4.* Primum eſt pretio æſtimabile, non ſecundum, ideóque illud ex ſe ſufficiens ad ſimoniã, hoc autem nequaquam, ſi ex natura rei ſpectetur; quia tamen iure Eccleſiaſtico prohibentur commutationes inter ſpiritualia tanquam ſimoniacæ, ideo declarandum quando, & quomodo committi poſſit ſimonia ob obſequium ſpirituale impoſitum, vel ſolutum in retributionem rei ſpiritualis, vt beneficij, &c. Notandũ ſecundò beneficium, v.g. duobus modis dari poſſe propter obſequia, vno propter obſequia præcedentia; alio propter ſubſequentia. obſequium etiam eiuſmodi vel poteſt adnecti beneficio tanquam onus quoddam, ob quod detur beneficium, vt ob legendam Grammaticam, vel Theologiam; vel imponi ipſi perſonæ, tribuendo beneficium cum tali onere, ad quod alioqui non obligaretur ex beneficio, vt ad docendam Grammaticam, vel Theologiam, &c. Hoc poſito,

Munus ab obſequio.

22. RESPONDEO, & DICO PRIMO, ſi beneficium detur propter obſequium temporale iam factum, in eius recompenſationem, & ſolutionem debiti ex iuſtitia ad mercedem iuſtã, erit ſimonia; ſecus ſi ex ſeruitijs moueatur collator ad dandum gratis beneficium vltra debitum. eſt communis ex Suarez *c.39. n.5.* S.Th. *q.160. a.5.* Sot. *lib.9. q.7. a.3.* Victor. *relect. de ſim. n.36.* & alij. Ratio patet; quia ſicut dare beneficium in remiſſionem debiti pecuniarij ſimonia eſt, vt diximus *q.7.* ita idem dare in ſolutionem debiti; hinc eſt vt tam in obſequiis honeſtis, quàm turpibus locum habeat, tam in temporalibus, quàm in ſpiritualibus, ſi debitum inde reſultans ſit de dando competenti ſtipendio ſuſtentationis, vt ſi Vicario loco ſalarij det Epiſcopus beneficium.

Dare beneficium ob facta obſequia in ſolutionem debiti, ſimonia eſt.

23. Quòd ſi ex ſeruitiis moueatur collator ad dandum gratis beneficium, non eſt ſimonia, quia tūc obſequia non habent rationem pretij, ſed tãtùm conciliant beneuolentiam, ex qua deinde oritur collatio beneficij gratuita. Ad id autem, moraliter loquendo debet primò famulus à domino habere iuſtam recompenſationem temporalem ſui obſequij. Secundò non debet præceſſiſſe pactum neque expreſſum, neque tacitum de beneficio dando ob obſequia. nil autem refert quòd obſequia ſint honeſta, vel turpia, in publicam, vel priuatam vtilitatem, in temporale commodum, vel ſpirituale, vt Caiet. *d. a.5.* Sot. & Victor. *locis citatis.*

Si collator mouetur ex ſeruitiis ad dandum gratis beneficia, non eſt ſimonia.

Non obſtat quòd aulici multi inſeruiant Cardinalibus, aliiſque Prælatis abſque vlla mercede, ſpe tantùm beneficij, vel fauoris ad illud; Prælati verò eo collato, vel penſione, ſatisfaciunt ſuæ obligationi, nec reſpiciunt, an obſequia præſtita condigno ſtipendio compenſata ſint, nec ne; non ergo neceſſe eſt ad vitandam ſimoniam, vt obſequia condigno ſtipendio compenſentur.

24. Reſpondeo enim obſequia quæ fiunt ſine vllo pacto expreſſo, vel tacito inter aulicos & Prælatum, ita vt in Prælato nulla obligatio ex iuſtitia oriatur ad dandam mercedem, illa poſſe præſtari & remunerari beneficiis; vel fauore ad illa, abſque ſimonia; at illa quæ ſolent etiam ſtipendio certo compenſari ex pacto ſaltem tacito, non poſſunt ſola ſpe beneficij præſtari, nec compenſari; debent enim Prælati ſaltem minimum ſtipendium intra iuſtum tribuere, & deinde ſi dent beneficium inſuper, iam apparebit dari gratis, non in recompenſationem ex iuſtitia; atque ita ferè contingit: omnes enim aulici nobiliores contenti ſolent eſſe victu ſolito, quam dicunt, partem, quæ poſita eſt in menſura ſufficienti panis & vini, & Iulij ſingulis diebus; aliqui etiam minuunt quartam partem Iulij, alij addunt duas; his verò ſolent procurari beneficia & penſiones veluti ex obligatione antidorali ob impenſas quæ fiunt ab aulicis in veſtitu conuenienti ac decenti; officiales verò inferiores etiam ſtipendium recipiunt vltra partem, & circa hos non adeſt obligatio illa antidoralis procurandi penſiones, etiamſi aliquando his quoque tribuantur; vnde ſi his auferretur ſolita ſtipendia, & compenſarentur beneficiis vel penſionibus, probabilis ſcrupulus eſſet ſimoniæ, vt rectè Suar. *n.7.* 25.

Quæ obſequia remunerari poſſint beneficiis abſque ſimonia.

Aulici contēti ſunt parte, ſed remunerari ſolent penſionibus & beneficiis.

26. DICO SECVNDO, ſi beneficium detur cum onere exhibendi obſequium temporale nõ adnexum beneficio, ſimonia erit; ſecus ſi detur cum ſpe ſola habendi illum beneuolum, & ex beneuolentia etiam obſequium temporale. Prima pars ſequitur ex præcedenti concluſione, nam tunc obſequium reſpicitur vt pretium ſaltem promiſſum in futurum, & iura etiam id prohibent. *c. cum eſſent. de ſim.* Secunda patet, quia ſola ſpes abſque pacto non facit mentalem ſimoniam, vnde nec ſi poſtea illud obſequium præſtetur, erit ſimonia realis; vt rectè Suar. *numero* 8.

Dare beneficium cū onere ſeruiendi eſt ſimonia. Secus ſi detur cum ſpe ſeruitij.

27. DICO TERTIO, ſi beneficium habeat adnexum aliquod obſequium temporale, non eſt ſimonia illud dare cum onere illius. Ratio, quia reditus beneficij non ſolùm dari poſſunt ad miniſteria ſpiritualia, ſed etiam ad temporalia, poſſunt enim reditus eſſe vtrique rei proportionati; ſi ergo beneficium habeat adnexum id onus, poterit dari ſub expreſſa cõditione illius oneris; nec propterea ſubit id onus rationem pretij, ſed

Vel beneficiũ habeat adnexũ onus ſeruiendi.

Digitized by Google

ſed tantùm eſt corpus quoddam pro quo ſimul cum ſpirituali miniſterio datur ſtipẽdium. Hinc eſt vt ſi beneficium vacat, licitum ſit eidem addere aliquod onus de nouo, & ſic dare acceptanti ſub illa conditione oneris, & non aliàs. Debet autem id fieri ab eo qui poteſt addere eiuſmodi onus, qualis eſt Papa pro tota Eccleſia, & Epiſcopi in ſuis diœceſibus in caſibus iure vel conſuetudine illis conceſſis. Denique eiuſmodi onera quæ adnectuntur, non habent locum niſi in rebus ſpiritualibus quæ habent adnexa commoda temporalia, vt ſunt beneficia; vt latiùs Suar. *n.* 10.

28. VNDECIMO QVÆRO, quid iuris de obſequio ſpirituali.

Obſequium ſpirituale exhibitum non inducit ſimoniam.

RESPONDEO, & DICO PRIMO, ſi ſpirituale obſequium iam exhibitũ ſit, non inducit ſimoniam, niſi vel reſoluatur in temporale, vel pactum præceſſerit ab Eccleſia prohibitum. Patet, quia ſi exhibitum eſt gratis, nulla eſt ſimonia, cùm non poſſit ea ratione habere rationem pretij; ſi verò cum onere aliquo, iam vel pactum interceſſit, & ſic ſecluſa prohibitione Eccleſiaſtica; quia commutare ſpirituale cum ſpirituali non eſt ſimonia ex natura rei, neque etiam hic aderit; vel non interceſſit, ſed ſpirituale obſequium exhibitum priùs eſt cum conditione naturali iure ibi contenta recipiendi ſtipendium ſuſtentationi debitum; hoc autem ſi quis vellet compenſare beneficij collatione, iam reſolueretur ſpirituale in temporale; vt rectè Suar. *c.* 39. *n.* 11.

29. *Obligari pro beneficio ad obſequiũ ſpirituale, illicitum eſt.*

DICO SECVNDO, pro ſpirituali beneficio obligari ex pacto ad obſequium ſpirituale quod beneficio coniunctum non eſt, iure Eccleſiaſtico prohibitum eſt. ratio, quia ſpiritualia abſolutè conferenda ſunt, non autem ſub modo, aut ſub obligatione perſonali. gloſ. *cap. tua nos. de ſimon. verb. conuentio.* Abb. *c. ſignificatum. de præb. n.* 7. Victor. *relect. de ſim. n.* 36. Nau. *c.* 27. *n.* 113. & alij apud Suarez *n.* 13. Ita ſi patronus beneficij præſentet aliquem cum onere dicendi tot Miſſas, ad quod beneficium non obligat, vel collator conferret beneficium ſub conditione recitãdi quotidie coronam, vel litanias pro ſe, & ſimilia, ſimoniacus eſſet. Idem ſi patronus præſentet imponendo onus eligendi conſanguineum; vel electores conueniant, vt ſibi inuicem obſequãtur, nunc vnius amicum eligentes, deinde verò alterius, vt conſtat ex *c. de hoc. de ſim.* & omnibus iuribus, quæ prohibent pacta, & conuentiones. Dixi *quod beneficium coniunctum non eſt*, quia onus quod beneficio coniunctum eſſet antea, vel adijceretur quando vacans eſt ab eo qui ad id haberet poteſtatem, non induceret ſimoniã, vt dictum eſt etiam de onere ſimili temporali, & in fortiori valet in ſpirituali, vt Suar. *n.* 16. Dixi, *iure Eccleſiaſtico prohibitũ eſſe*, quia iure naturali permutatio ſpiritualis cum obſequio ſpirituali, non eſt prohibita, ſicuti neque permutatio iurium ſpiritualium inter ſe; vt ſuprà diximus.

30. DVODECIMO QVÆRO, an ſpirituale obſequium poſſit adnecti temporali. quod eſt quærere, an res temporalis, Eccleſiæ relinqui poſſit cum onere præſtandi aliquid ſpirituale.

Poteſt relinqui res temporalis Eccleſiæ cum onere præſtandi ſpirituale aliquid.

RESPONDEO, affirmatiuè, primò ex vſu Eccleſiæ, frequentes enim videmus donationes fieri Eccleſię fundi alicuius vt ibi ſacellum ædificetur; vel cenſuum, vt tale anniuerſarium fiat, vel ſi non fiat, detur pauperibus, vel hæredibus, & ſimilia. Secundò ratione; quia nec eſt ſimonia contra ius diuinum, cùm non emátur ſpirituale per temporale; ſed potiùs donetur temporale ad certum vſum ſpiritualem, quem licitè habere poteſt: quiſque verò habet ius relinquendi bona ſua, & donandi ſub quauis conditione, & modo honeſto; ergo, &c. neque contra Eccleſiaſticum, quia tantùm prohibet pacta de contractu emptionis, non de ſtipendio. nam dare ſtipendium in eleemoſynam vt Miſſæ dicantur obligando ex iuſtitia clericum qui pecuniam recepit ad facienda ſacra, nulla eſt ſimonia, vt dicetur infrà. Immo multis iuribus approbantur; vel ſupponitur eſſe licita; vt *cap. olim. de reſtit. ſpol. c. verum. de cond. appoſ. cap. vlt. de teſtam. & cap. ex parte* 3. *de rer. ſignif.* & hæc eſt communis ſententia ex Suar. *n.* 20. quamuis ex eodem *n.* 18. Innoc. & aliqui Canoniſtæ contrarium ſenſerint; ſed potiùs eſt in modo loquendi, refugiunt enim dicere obſequia ſpiritualia adnecti rebus temporalibus; ſed meliùs dici poteſt, temporalia relinqui vt ſint adnexa, & per Prælatos Eccleſiæ adnectuntur ſpiritualibus, ſiue vt talia acceptantur; quod nos dicimus. Non obſtat, quod dicat S. Th. *q.* 100. *artic.* 3. *ad* 2. ſi autem huiuſmodi pacto interueniente fiant, vel intentione emptionis & venditionis, committi ſimoniam. Reſpondeo enim non eſſe ſenſum, quòd interueniente pacto modo à nobis dicto; hoc eſt, pro ſtipendio, committatur ſimonia ſaltem contra ius Eccleſiaſticum, vt ſentit Syluеſter *ſimonia. quæſt.* 9. ſed ſenſus eſt, interueniente pacto, vel intentione emptionis & venditionis eſſe ſimoniam, mentalem quidem, ſi ſola intentio adſit, conuentionalem autem, ſi pactum adijciatur, vt rectè Suarez *numer.* 21.

CAPVT X.

De quarta diuiſione ſimoniæ, in mentalem, conuentionalem, & realem.

HÆc diuiſio pertinet ad explicandam rationem contractus; quæ interuenit in ſimonia, vltra materiam rei venditæ, & pretium; de quibus hactenus diximus. Hoc autem ordine explicabitur. Primò quæremus, an prædicta diuiſio ſufficiens ſit. Secundò de ſimonia ficta ad quam ſpeciem reducatur ex dictis. Tertiò de ſimonia confidentiali. Quartò de mentali, quæ intentio ſit neceſſaria ad illam. Quintò an intentio remunerationis ex pura gratitudine ſufficiat ad ſimoniam. Sextò an ſit licitum deducere in pactum antidoralem obligationem. Septimò an deducere in pactum ſtipendium ſuſtentationis pro ſpirituali functione, ſimonia ſit. Octauò an ſtipendium hoc poſſit lege taxari. Nonò, an exigere ſtipendium pro ſpirituali functione debita ex officio vel beneficio pertineat ad veram ſimoniam. Decimò an peccatum contra hanc prohibitionem commiſſum, ſimonia ſit. Vndecimò an exactiones temporalium pro ſpiritualibus honeſtentur ſola conſuetudine. Duodecimò quæ conſuetudo probanda, quæ improbanda. Decimotertiò an poſſit eſſe ſimonia realis ſine conuentionali.

PRIMO QVÆRO, an prædicta diuiſio 1.
ſufficiens ſit.

Sufficiens diuiſio, RESPONDEO, & DICO PRIMO, hanc diuiſionem habere fundamentum in iure. Mentalis enim indicatur *cap. vlt de ſimon.* iis verbis, *quæ nullo pacto, ſed affectu animi præcedente vtrimque taliter acquiruntur.* Item *cap. tua nos, eod. §. licèt.* Conuentionalis habetur *eod. cap. tua nos. in princ. & c. cùm eſſent. eod. & c. cùm pridem. de pactis.* Realis exprimitur cæteris iuribus, quæ ſimoniam puniunt, vt patebit ex *c. 12.*

2. *& aptiſſima.* DICO SECVNDO, aptiſſimam eſſe prædictam diuiſionem. ratio eſt, quia etiamſi omnis ſimonia reduci poſſit ad duo membra, mentalis & conuentionalis ſimoniæ, intelligendo per mentalem, internam, & per conuentionalem, externam, vt frequentiùs vſurpant Theologi ex Suarez *cap. 41. num. 2.* tamen in ordine ad intelligenda iura, præſertim pœnalia, quæ loquuntur de ſimonia, mentalis diuidenda eſt in internam, & externam, vt dicetur; & conuentionalis in completam & minus completam; vnde trimembris conuenientior erit, mentalis, conuentionalis & realis. Hæc ergo declaranda.

3. *Mentalis duplex.* Primò enim mentalis duplex eſt, vna ſumitur pro interno propoſito & voluntate committendi ſimoniam etiamſi nullomodo prodeat in exteriorem actum, vt alia vitia mentalia; & hoc modo non ſumitur in præſenti materia ac diuiſione, quia ſimonia vitium externum eſt quod conſumatur exteriùs, & iura de interterna tantùm non loquuntur, cùm de interioribus non iudicent. Altera ſumitur pro externa quidem actione dationis & receptionis, in qua tamen malitia ſimoniæ non appareat, ſed in mente maneat; vt qui tangeret alteri manus impudica intentione, diceretur tantùm impudicus mentaliter; quia externè non apparet in tali tactu impudicitia: & hoc modo accipitur in hac materia; ita *cap. tua nos. de ſimonia.* Hæc autem aliquando tantùm eſt ex parte vnius perſonæ, aliquando ex parte vtriuſque ſine vlla conuentione; vt ſi quis tradat Epiſcopo munus temporale, prauo animô, nempe intentione conſequendi per id beneficium, & Epiſcopus viciſſim tradit beneficium ob temporale munus.

4. *Conuentionalis,* Secundò, conuentionalis eſt illa, in qua intercedit pactum dandi rem temporalem pro ſpirituali, vel expreſſum, vel tacitum, nondum tamen eſt perducta ad executionem per traditionem, aut receptionem; ſic enim diſtinguitur à mentali & reali, ab illa quidem per additionem externi contractus, ab hac per carentiam traditionis, aut receptionis; & hæc etiam dicitur externa ſimonia.

5. *Realis, triplex.* Tertiò, Realis addit vltra conuentionem traditionem rei, de qua conuentio facta eſt; triplex autem eſſe poteſt. Primò rei ſpiritualis ſolius, Secundò rei temporalis ſolius & pretij. Tertiò vtriuſque. hoc tertio modo certum eſt eſſe realem, ſeu cōuentionalem maximè cōſummatam; Primā autem multi cenſent eſſe realem, vt Caiet. & Sotus, & nonnulli Canoniſtæ, vnde definiunt ſimoniam realem eſſe receptionem, vel largitionem rei ſpiritualis ex pacto præcedente temporalitatis. *Traditio rei ſpiritualis ſolius, non facit realem ſimoniam.* Verùm quicquid ſit de nomine & appellatione; certè quoad pœnas incurrendas non videtur eſſe realis, requiritur enim ex Nauarr. *cap. 23. numer. 103.* & Vgol. *tab. 3. & 5.* & aliis vltra traditionem rei ſpiritualis, aliqua etiam receptio rei temporalis per modum pretij, vel totius, vel partis eius; ſic enim & magis completa ſimonia eſt, & hanc tantùm pœnis ſimoniæ ſubiectam eſſe dicetur infrà *cap. vltimo.* Denique ſecunda illa ſpecies realis diuiſionis, multo minus realis eſt quàm prima; ferè enim omnes cōueniunt, quando poſt conuentionalem ſola traditio pecuniæ facta eſt, eam dicendam eſſe conuentionalem tantùm, vt ex Caiet. Nauarr. & aliis docet Suarez *cap. 41. n. 6.*

SECVNDO QVÆRO, an ſimonia ficta diſtincta ſpecies ſimoniæ ſit, an verò ad prædictas referenda. 6. Pro reſponſione nota, ad cognoſcendam ſufficientiam prædictæ diuiſionis, duo diſcutienda eſſe; primum an ſimonia ficta faciat diuerſam ſpeciem; eſt autem ſimonia ficta, quando ſit exteriùs promiſſio rei temporalis pro ſpirituali abſque animo implendi promiſſum, aut ſe obligandi. *Simonia ficta, quæ.* Secundum de confidentiali; in hac ergo q. agendum de prima, in ſequent. de ſecunda.

RESPONDEO ergo, & DICO, triplicem eſſe ſententiam. 7. *Triplex ſententia.* Primam Caietan. *tom. 2. opuſc. tract. 9. quæſt. 2.* Sot. *lib. 9. quæſt. 8. artic. 1.* Tol. *lib. 5. cap. 90. numer. 4.* & aliorum, fictam ſimoniam non comprehendi ſub prædicta diuiſione, nec tamen eſſe inſufficientem, quia talis ſimonia non eſt vera, ſicut fictum aurum non eſt aurum, nec eſt ſimonia mentalis vbi deeſt intentio vendendi vel emendi; nec denique contractus vllus factus abſque intentione verus contractus eſt. Secunda ſententia eſt Nauarr. *cap. 23. n. 106. §. ad 3.* eſſe veram ſimoniam, & reduci ad conuentionalem; quia licèt promiſſio fuerit ficta; tamen commutatio rei ſpiritualis pro temporali fuit vera; & quamuis circa vnum pretium, nempe pecuniæ dandæ, ſit fictio, tamen circa alterum, nempe circa actionem promittendi, quæ temporale quid eſt, & pretio æſtimabile, non eſt fictio, verè enim illa fit; & verè largitio illa rei ſpiritualis non eſt gratuita, ſed ſub onere promittendi, & ſicut qui pro veris aureis promiſſis, intentione tamen dandi ex aurichalco, daret ex aurichalco, ſimoniam cōmitteret; quia re vera daretur, & reciperetur aliquid temporale pro ſpirituali, ita, &c. Tertiò eſt Suarez *cap. 42. num. 3.* dicentis tria. 8. Primò cùm fictio eſt ex parte dantis rem ſpiritualem, non eſſe ſimoniam, quia non intenditur datio rei ſpiritualis pro temporali, conſequenter nec eſt animus faciendi verum pactum; quare nec in mente, nec exteriùs erit ſimonia. *Si fictio ſit ex parte dantis rem ſpiritualem non eſt ſimonia.* Erit ergo tantùm peccatum mendacij pernicioſum, & ſacrilegum, iniuſtum etiam ſi intendat illo medio pecuniam rapere ab altero. Ex parte verò alterius qui promittit temporale, animo verò implendi erit ſimonia quidem mentalis vera; ſed non conuentionalis, quia cùm conuentio debeat eſſe inter duos, & ex parte vnius non ſit vera; neque etiam erit vera ex parte alterius. *Ex parte recipientis eſſe poteſt.*

Secundò dicit, cùm fictio eſt ex vtraque parte, multo magis non eſſe verā ſimoniam, quia defectus intentionis eſt in vtroque, & ſic ad ſummū erit ſimonia ex cōſcientia erronea, vterque enim exiſtimat decipere aliū, & inducere ad ſimoniā. 9. *Si fictio eſt ex vtraque parte non eſt ſimonia.*

Tertiò quamuis fictio procedat tātùm ex parte promittentis pecuniam, non eſſe veram ſimoniam, quia non eſt vera conuentio, & conſequenter nec vera emptio & venditio: nec ſecundùm illud pretium actionis promittendi quæ re vera fit, intenditur à dante rem ſpiritualem pro re temporali tanquam pretio, ſed 10. *Nec etiam ſi ſit tantum ex parte promittentis pecuniam.*

beno

bene primum illud, nempe pecunia, quæ re vera non promittitur; nec intenditur tradi in commutationem rei ſpiritualis. Quod autem addebatur, largitionem rei ſpiritualis non eſſe gratuitam, ſed ſub onere promittendi, verum quidem eſt ex parte dantis, ſed procedit ex falſa exiſtimatione, ideóque cùm ex parte recipientis ſit verè gratuita, quia non habet animum dandi quicquam pro illa, non conſtituet veram ſimoniam conuentionalem, vt pluribus Suar. *n.5*

Ex quibus etſi Nauarri ſententia probabilis vtcunque ſit, magis vera videtur prima & tertia ſententia, vel potiùs tertia, quæ non diſcrepat in primo modo explicato.

11. TERTIO QVÆRO de ſimonia confidentiali, an comprehendatur ſub prædicta diuiſione.

Materia confidentialis ſunt tantum beneficia.

RESPONDEO, & DICO PRIMO, materiam huius ſimoniæ eſſe tantùm beneficia Eccleſiaſtica, quæcunque illa ſint, non penſiones, licèt enim hæ poſſent renunciari in fauorem alterius ex priuilegio, & confidentia quòd penſionarius donabit ſibi fructus, vel eorum partem, tamen Bullæ quæ de hac confidentia agunt, tantùm loquuntur de confidentia in materia beneficiorum, vt diximus *tract. præced.*

12. *Debet eſſe confidentia circa beneficia vel fructus.*

DICO SECVNDO, duplex pretium poſſe hîc interuenire; primò idem beneficium quod renunciatur, vel confertur, quia videlicet eidem vel alteri reſtituendum ſit. Secundò, fructus eiuſdem beneficij, vel partem, quia eidem vel alteri conferendi ſint: ſi de aliis rebus reddendis vel renunciandis fiat, non erit ſimonia confidentialis, de qua loquuntur Bullæ, etſi poſſit eſſe confidentia illicita, & ſimonia: fructus autem etiamſi reſeruentur ſibi renuncianti committitur ſimonia confidentialis, vt rectè Suarez *numero* 3. quicquid alij ſecus ſentiant.

13. *Cum pacto expreſſo, vel tacito.*

DICO TERTIO committi poſſe hanc confidentiam in renunciationibus ex prouiſionibus beneficiorum, & acceptationibus cum aliquo pacto, expreſſo ſcilicet, vel tacito illius confidentiæ. In permutationibus verò ſimilis confidentia non conſtituit ſimoniam confidentialem, vt pluribus Suar. *n.11.* lex enim pœnalis extendenda non eſt, vt etiam ſenſit Nauar. *conſ. 77. de ſim.*

14. *Confidentialis, triplex eſt.*

DICO QVARTO, ſimoniam confidentialem non facere quartum membrũ diuiſionis ſupradictæ, ſed tres modos eius poſſe reperiri in ſimonia confidentiali; primò enim ſi nulla pactio intercedat inter reſignantem & reſignatarium, vel collatorem, ſed interiùs ſit mala intentio, erit ſimonia confidentialis, mẽtalis tantùm, debet autem intentio eſſe imponendi alteri obligationem, & quòd eam alter intelligat etiamſi nulla pactio exterior fiat: hæc tamen ſimonia non damnatur in Bullis. Secundò erit conuentionalis, quando pactum exterius fiat expreſſum vel tacitum. Tertiò realis denique erit, quando pactum fuerit ex vtraque parte completum: ſi verò ex vna parte cœpit, vt quia renunciatio beneficij facta eſt, & beneficium in confidentiam receptum, nondum verò eſt ſecutus effectus reſtitutionis, etſi realis non ſit, tamen ſubiecta eſt pœnis ſimoniæ confidentialis, de quibus dictum eſt præcedenti tractatione.

Etiam conuentionalis ſubiicitur pœnis.

15. QVARTO QVÆRO, quæ intentio neceſſaria ſit ad mentalem ſimoniam. Pro reſponſione notãdũ primò materiale obiectum ſimoniæ mentalis externæ debere eſſe donationem rei ſpiritualis cum habitudine ad acquirendam rem temporalem, vel largitionem rei temporalis relatam ad obtinendum aliquid ſpirituale, vnde neceſſaria erit intentio accipiendi aliquid temporale pro ſpirituali, vel è conuerſo; qualis autem ea debeat eſſe, dubitatio eſſe poteſt. Notandum ſecundò multos tam ex Canoniſtis, quàm ex Theologis dicere, intentionem dandi ſpirituale pro temporali, vel è contra, debere eſſe principalem; hoc eſt, principaliter debere intendi temporale ob ſpirituale. gloſ. *c. vnico, de cler. non reſid. in 6. v. receperit.* Nauarr. *c. fratres, de pœnit. d. 5 num. 56.* Couar. *1. var. c. 20. num. 2. & 5.* Caiet. *ſimonia. §. circa tertium.* & alij apud Suarez *c. 44. n. 2. & 3.* Notandum ſecundò diſtinguendam eſſe rationem pretij, & rationem finis principalis, etſi enim aliquando coniungi poſſint, vt cùm vendens aliquid principaliter intendit pretium; tamen ſeiunguntur ex ſua naturæ. ſic ſumens potionem amaram, ſumit illam ob ſanitatem tanquam finem principalem, non tamen ob pretium: operans propter honorem, vt finem principalem, non reſpicit illum vt pretium, ſed vt præmium; petens eleemoſynam reſpicit pecuniam vt finem principalem ſuæ petitionis, non tamen vt pretiũ. Notandũ tertiò finem tantùm dicere reſpectum ad appetitum; finis autem poteſt eſſe principalis, primò ſimpliciter, vt quia vltimus eſt; ſecundò, quia proximus in aliquo genere; hic autem vel eſt principalis reſpectu operis, vt docendi eſt illuminare auditorem; vel reſpectu operantis, vt docendi eſſe poteſt pretium & lucrum, & hic vel principalis totaliter, vel ex æquo; vel partialiter. Ratio verò pretij non poſtulat vt per ſe intendatur, ſed in eo conſiſtit, vt res ſpiritualis detur in commutationem pro temporali, vel è contra; & conſequenter vt per illud ſoluatur obligatio orta ex re accepta, vel opere præſtito, vel è contra vt per datum pretium oriatur obligatio in altero dandi rem ſpiritualem. His adnotatis

Materiale obiectum ſimoniæ mentalis.

Alia eſt ratio pretij, alia finis principalis.

Finis multiplex.

16. *Per quid conſtituatur ſimonia mentalis externa.*

RESPONDEO & DICO PRIMO, ſimoniam mentalem externam conſtitui per propoſitum, vel intentionem dandi rem temporalem tamquam pretium pro re ſpirituali, ſiue res temporalis intendatur vt finis principalis operantis, ſiue non. Sotus *lib. 9. q. 1. a. 1. §. Poſtremum dubium.* Victor. & Valent. ex Suar. *num. 8.* Ratio eſt, quia ſimonia mẽtalis quoad malitiam internam eſt eiuſdem ſpeciei coram Deo cum reali. hæc autem conſiſtit in eo quòd res temporalis detur in pretium rei ſpiritualis; dicitur autem mentalis externa, quia imperat externam dationem & receptionem.

17. *Non eſt neceſſe pretium principaliter intendi.*

Quòd autẽ non ſit de ratione eius vt pretium principaliter intendatur, patet, quia ſi miniſtrãs rem ſpiritualem intendat temporalem, tãquam pretium, etiamſi minus principaliter ſimoniacus eſt; nam ſemper mala eſt illa intentio, & non niſi ſimoniaca: poteſt autem intendi vt pretium & ſecundaria; ſicut miles intendit ſtipendium vt pretiũ ſuæ operæ, & tamen poteſt principaliter militare ob defenſionem patriæ; & miniſtrans infirmis ob pretium, poteſt principaliter moueri à charitate.

18. DICO SECVNDO, ſi temporale commodum principaliter intendatur per miniſterium

Digitized by Google

Temporale commodum intentum, tanquam ſtipendium, non facit ſimoniã.

rium ſpirituale tamquam finis operantis,at non vt pretium,ſed vel tanquam ſtipendium ſuſtentationis, vel tamquam eleemoſyna, non eſt ſimonia. Patet in faciente ſacrum qui ſit in peccato mortali, vel non ieiunus, in concionatore habente pro fine ſuum concionis honorem & vanam gloriam; ille enim principaliter intendit ſtipendium, non cultum Dei & honorem, ſic enim non ſacrificaret in peccato mortali; hic verò honorem ſuum & dignitatem; & tamen nemo dicet eos propterea eſſe ſimoniacos. Sic etiam qui dat ſtipendium pro Miſſa,principaliter intendit Miſſam, quæ eſt res ſpiritualis, & tamen quia non dat vt pretium, ſed in ſuſtentationem,non eſt ſimoniacus,plura Suar. *num.* 11. ex Victor. Syluest. Caiet. & Nau. Addit autem poſſe quidem committi aliud peccatum ob intentionem illam principalem, vt ſacrilegium mortale, ſi ſtipendium ſit vltimus finis operantis; ſi verò ſit tantùm proximus, non erit peccatum mortale,vt idem *n.* 12.

Ex his colligitur primò non habere locum ad inferendam ſimoniam,diſtinctionem de cauſa finali, & impulſiua. Doctores autem,qui eam vſurparunt, non ſunt locuti de ſimonia rigoroſè; ſed vel de propria, quando intentio eſt de re temporali tanquam pretio,vel impropria,quando de illa tanquam fine principali, ſacrilegium enim longè dici poteſt ſimonia quædam. Vel certè locuti ſunt de fine non tantùm operantis, ſed etiam operis; quaſi ſit illi commenſuratus, hîc autem eſt pretium, vt explicat Suar. debere intelligi S.Thomam.

19. *Committitur etiam in materia mala, quæ prohibita.*

Colligitur ſecundò ſimoniam mentalem externam non tantùm poſſe committi in materia mala ex ſua natura,vt ſi quis intendat ob dationem rei temporalis, habere rem ſpiritualem, vt ordines,vel ſacramenta; verùm etiam in materia mala, quia prohibita ab Eccleſia, vt ſi quis intendat emere Eccleſiaſticum officium prohibitum emi, vel permutare beneficium abſque auctoritate ſuperioris, cum alio beneficio,vt rectè Suar. *num.* 16.

20. QVINTO QVÆRO, an intentio remunerationis ex pura gratitudine ſufficiat ad ſimoniam mentalem.

Intentio remunerationis ex gratitudine non ſufficit ad ſimoniam mentalem.

RESPONDEO & DICO PRIMO, nec dare rem temporalem intentione ſpiritualis ex gratitudine, nec ex huiuſmodi intentione contempta,dare munus aliquod vel obſequium abſque alia externa obligatione,eſt ſimoniacum, aut illicitum. eſt communis, ex Suarez *c.* 45. *n.* 4. Ratio, quia obligatio gratitudinis neceſſaria eſt, & naturalis, conſequens ex ipſa natura beneficij; qui ergo illam intendit, non imponit vllum onus de nouo, ſed quod adnexum eſt ipſi beneficio & muneri gratis collato; conſequenter non erit ſimoniaca; nec etiam illicita ex ſe, quia obiectum illius intentionis non eſt malum cùm ſit potiùs proprietas quædam beneficij, ideóque ſi beneficium vel obſequium honeſtum ſit, gratitudo etiam ex illa, & huius intentio honeſta erit.

21. *Siue detur res temporalis, ſiue ſpiritualis.*

DICO SECVNDO, nec dare rem ſpiritualem aut beneficium Eccleſiaſticum, temporali benefactori ex gratitudine, eſt ſimonia, nec illicitum ex ſe. eſt communis ex Suar. *n.* 6. Caiet. præcipuè *ſimonia.* Sot. *lib.* 9. *q.* 7. *a.* 1. & 3. Nau. *c.* 23. *n.* 106. *ad* 4. Ratio patet ex præcedenti, quia tam emere quàm vendere rem ſpiritualem ſimonia eſt. Vt ergo dare rem temporalem ex gratitudine pro ſpirituali non eſt ſimonia; ita nec dare donum ſpirituale ex gratitudine ob donum temporale receptum; illud enim ad emptionem pertineret, hoc ad venditionem; ſicut ergo primum licet ex præcedenti, ita ſecundum licebit. Confirmatur, quia donatio antidoralis ſimpliciter eſt res gratuita; cùm ergo detur ſpirituale ad diſſoluendam obligationem antidoralem ex temporali, ſimpliciter dabitur gratuitò; ac propterea non erit ſimonia. Nec etiam illicitum per ſe, quia non eſt illa lege prohibitum, dummodo in aliis ſeruetur iuſtitia & reuerentia debita rebus ſpiritualibus.

DICO TERTIO, ſi temporale donum detur gratis ante receptionem ſpiritualis, etſi poſſet petere gratitudinem in recipiente, vel recognitionem ſuæ obligationis antidoralis non ſit ſimoniacum, abſtinendum tamen ab eo ob ſpecimem pactionis ſimoniacæ. Quòd non ſit ſimoniacum, patet primò ex S.Thom. *q.* 78. *a.* 2. *ad* 3. agente de vſura, *ſi munus*, inquit, *ab obſequio, vel à lingua, non quaſi ex obligatione rei exhibetur, ſed ex beneuolentia, quæ ſub æſtimatione pecuniæ non cadit, licet ſuum accipere & exigere.* Sicut ergo in vſura peti poteſt abſque vitio, ita in hac materia. Secundò ex praxi piorũ alioqui, & eorum qui timorati viri ſunt; dant enim eleemoſynam, & exigunt preces à paupere, vel Religioſo: qui etiam beneficia temporalia recipiunt, promittunt ſe fore grates in orationibus. Denique licitum eſt ab alio petere quod ipſe facere tenetur ex naturali obligatione; at eſſe gratum quiuis tenetur ex naturali obligatione. 22.

Dato temporali, petere ſpirituale ex gratitudine ſuſpectum eſt ſimoniæ.

Quòd verò cauendum ſit ob ſpeciem ſimoniæ, nemo non videtur, præſertim ſi petatur res ſpiritualis habens adnexam vtilitatem temporalem, vt eſt beneficium Eccleſiaſticum, quod habet maximè locum in foro exteriori: vt rectè Suar. *n.* 8.

SEXTO QVÆRO, an ſit licitum deducere in pactum antidoralem obligationem. 23.

Deducere in pactum antidoralem obligationem, non licet.

RESPONDEO & DICO PRIMO, non licere cum ſpeciali promiſſione implendi illum, vel non dando rem temporalem niſi cum conditione illam adimplendi. S.Thom. *q.* 78. *a.* 2. *ad* 2. & 3. in materia mutui, & eadem eſt ratio in ſimonia. ſequitur Caiet. *ibi*, & Sot. Ratio, quia pactum inducens nouam obligationem poſitiuam, ex voluntate nimirum contrahentium, vltra naturalem eſt res pretio æſtimabilis, inducit enim onus dicendi rem illam, de qua pactum initum eſt, ex beneficentia autem non oritur obligatio ciuilis, nec ſpecialis, ſed antidoralis tantùm, & generalis; at id eſt illicitum & ſimoniacum ex ſupradictis, & præſertim in materia beneficiorum Eccleſiaſticorum, in quibus omnis pactio reprobatur.

Nec obſtat, quòd talis promiſſio illicita ſit, quando tamquam ex iuſtitia debita exigatur; at ſi poſtuletur ſolùm ex beneuolentia, non apparet aliquid mali; vt enim gratis promiſſio fieri poteſt, ita etiam poſtulari tanquam gratis ex beneuolentia conferenda. Reſpondeo enim ſi poſtuletur poſt factum gratis beneficium, non eſſe illicitum ſecluſa palliatione iniquæ intentionis, etſi ordinariè ad id non obliget gratitudo; at ſi poſtuletur ante præſtitum obſequium, & vt conditio neceſſaria, ſine qua beneficium non dabitur, etiamſi liberaliter poſtuletur, eſt 24.

aperta

Digitized by Google

aperta ſimonia, eſt enim pactio, & contractus, *faciam ſi feceris*, & licèt addatur, *niſi facias liberaliter*, tamen eſt falſa propoſitio, & ſeipſum deſtruit; hoc enim pacto aperiretur via ſimoniis omnibus, & vſuris, vt pluribus probat Suar. *n.* 11. & 12.

Dare ſpirituale intentione explẽdi antidoralem obligationem, non eſt ſimonia.

25. Dico secvndo, poſt receptum temporale donum liberaliter, ex quo conſurgit obligatio antidoralis, ſi detur ſpirituale, vel beneficium intentione explendi illam obligationem, vel verbis illam exprimendo, non eſt ſimonia. Nau. *c.* 23. *num.* 106. Couar. Vgol. & Maior ex Suar. *num.* 13. Ratio, quia ſicut ex beneficio ſequitur antidoralis obligatio, ita per donum datum ea intentione extinguitur; quamuis ergo hic effectus & intẽtio exprimatur, non additur aliquid quod de iure non inſit, & nil petitur æſtimabile pretio, conſequenter nihil eſt, quod inducere valeat ſimoniam, vt conſtat ex dictis.

26. SEPTIMO QVÆRO, an deducere in pactum ſtipendium ſuſtentationis pro ſpirituali functione, ſimonia ſit conuentionalis.

Conuentio de re temporali tãquam pretio, eſt ſimonia. Secus ſi tanquam ſtipendio.

Pro reſponſione ſupponendũ primò cõuentionẽ de re temporali pro ſpirituali tamquam pretio, ſimoniam eſſe propriè, & contra ius diuinum, & humanum; ſi verò fiat conuentio de re temporali danda tanquam ſtipendio pro re ſpirituali, dubitatio eſt. Et quidem miniſtrantibus ſpiritualia licitè dari ſtipendium ſuſtentationis, & accipi, certum eſt ex *Matth.* 10. 1. *Cor.* 9. & vſu Eccleſiæ expreſſo in iure 1. *q.* 1. 2. & alibi; & congruè, quia dignus eſt operarius cibo ſuo, & nemo militat ſuis ſtipendiis; hoc tamen ſtipẽdium non obſtat, quominus ſpiritualia gratis miniſtrentur; neque enim datur ratione rei & tanquam pretium commenſuratum miniſterio, ſed ratione perſonæ & conditionis eius, quia indiget ſuſtentatione.

Triplex ſententia.

Supponendum ſecundò de hac dubitatione, an tale ſtipendium in pactum deduci poſſit, eſſe tres ſententias. Prima negat. S. Thom. *q.* 100. *a.* 3. *ad* 2. ſequitur S. Antonino Syluest. & alij ex Theologis & Canoniſtis, vt refert Suarez *c.* 46. *n.* 3. Secunda diſtinguit de miniſtro paupere, & diuite; ille enim poteſt facere pactum, non diues. gloſ. *c. ſuam. de ſimon. ver. pro exequiis*. Innoc. Hoſt. & alij. Tertia tale pactum per ſe non eſſe ſimoniacum ſi recta intentione fiat, ſiue miniſter pauper ſit, ſiue diues. His ergo ſuppoſitis,

Exigere ſtipẽdium ſuſtentationis ex pacto non eſt ſimonia.

27. Respondeo & dico primo, non eſſe ſimoniam, exigere ſtipendium ſuſtentationis etiam præmiſſo pacto. eſt communis ſententia hoc tempore ex Suar. *num.* 4. gloſ. *c. ſignificatum. de præb.* Abb. *ibi num.* 8. Caiet. *d. a.* 3. Sot. *q.* 6. *a.* 2. Nauar. *c.* 23 *num.* 106. & alij ex eodem. Ratio eſt, quia nec eſt ſimonia contra ius diuinum, cùm non interueniat ratio pretij, non obſtante enim pacto, ſtipendium retinet naturam ſuam, nec ex vi pacti additur aliquid quod non inſit ex natura rei, nam ſtipendium ſuſtentationis debitum eſt ex iuſtitia, 1. *Corinth.* 9. pactum autem ad ſummum determinat quantitatem, quæ cùm ex natura rei determinata non ſit, nec lege taxata, vt ſupponitur, nil prohibet quominus fieri poſſit. Nec eſt ſimonia contra ius humanum, nam neque in ſpecie extat in iure prohibitio, neque generalis ſufficit, conſuetudine contrarium interpretante, & iure, quia tale pactum non repugnat cum gratuita ſpiritualium adminiſtratione, nec eſt de re quæ iure non inſit; & verò aliàs inter homines exerceri non poſſet hæc datio temporalium per modum ſtipendij, vt rectè explicat Suar. *numero* 5.

Tam in paupere, quam in diuite.

Dico secvndo, habere locum quod dictum eſt præcedenti concluſione tam in pauperibus, quàm diuitibus, ſiue diuites ſint ex temporalibus bonis, ſiue ex Eccleſiaſticis, dummodo horum ratione non teneantur ex officio exhibere gratis talia miniſteria. Eſt eorundem DD. quos diximus præcedente concluſione. Primum patet, quia etiamſi diues faciat pactum de ſtipendio, non propterea eſt ſimoniacus contra ius diuinum, tum quia non paciſcitur de pretio, ſed de ſtipendio ſuſtentationis, tum quia ſic etiam eſſet pauper clericus: nec eſt turpe lucrum in diuite, vt dixerunt Riccar. Ang. Syluest. & Caiet. quia nec eſt contra iuſtitiam, cùm nemo etiam diues teneatur ſuis ſtipendiis militare, nec contra veritatem, quia petendo ſtipendium non propterea profitetur ſe eſſe pauperem, nec propterea eſt auarus, quia bono fine id facere poteſt; aliàs qui pinguia beneficia habent, vel præbendas, non poſſunt ſumere quotidianas diſtributiones, quod eſt falſum. 28.

Nec eſt ſimoniacus cõtra ius humanum, quia non reperitur id prohibitum, immo *c. vlt.* 1. *q.* 2. vniuerſaliter dicitur clericos omnes conſequi ſtipendia debita ſeruitio. Quòd ſi alibi contrarium innuatur, vel ſermo eſt de ſtipendiis iuxta morem antiquum diſtribui ſolitis, cum reditus in communi poſſidebantur, & diſtribuebantur iuxta indigentiam magis, quàm iuxta laborem, vel admonent non tam de malo quod per ſe interueniat, quàm de periculo, quia in tali ſtatu facile committi poteſt.

Quod autem ſecundo loco additur in concluſione, dummodo miniſteria non debeãt gratis ex officio exhiberi; dictum eſt propter Parochos & alios Eccleſiæ Paſtores, qui cùm teneantur ex officio Sacramenta miniſtrare, & ſacrificia aliquando offerre pro omnibus ſuis, non poſſunt pro iis miniſteriis iterum paciſci de ſtipendio; eſſet enim præſumpta ſimonia, & aliquando vera propter Eccleſiæ prohibitionem, vt rectè Suar. *n.* 9.

OCTAVO QVÆRO, an eiuſmodi ſtipendium poſſit lege taxari. 29.

Poteſt lege taxari ſtipendium.

Respondeo & dico primo, poſſe, tum quia quod poteſt priuato pacto definiri, poteſt etiam publica lege taxari, tum quia licèt ſtipendium non ſit pretium, tamen in eo ſeruari debet æquitas ſecundùm proportionem ad ſuſtentationem competentem; vnde etiam conſuetudine taxari poteſt; hæc enim declarat communem æſtimationem, ſi lex non adſit.

Dupliciter fieri poteſt.

Dico secvndo, hæc taxatio dupliciter fieri poteſt; primò quoad augmentum, ita quòd maior ea quantitate non poſſit exigi. Secundò quoad diminutionem, vt non detur minus, vel accipiatur. Primo modo certum eſt, congruè fieri, ſic enim ſpiritualia minori onere miniſtrantur, & præſcribitur certa quantitas, vltra quam non poſſit aſcendi. Secundo verò modo, ſi tantùm reſpiciat dantes, nec ſimoniacum, nec illicitum eſt; non ſimoniacum, quia nihil præcipitur dari tanquam pretium, non illicitum, quia ſicut fieri poteſt licitè tale pactum inter partes, ita poterit etiam lex determinare; ſi verò reſpiciat accipientes. poſſet eſſe dubitatio, ſed non hoc modo taxatur, & relinquitur illis liberum, vt poſſint minus accipere, & cedere iuri 30.

Digitized by Google

iuri ſuo; aliàs præcluderetur via gratis impendendi officia pietatis; non eſſet tamen ſimoniacum ſi hoc modo taxaretur, ſed contra charitatem, vt rectè Suar. *n.* 15.

31. NONO QVÆRO, an exigere ſtipendium pro functione ſpirituali debita ex officio, vel beneficio pertineat ad ſimoniam conuentionalē. Aduertendum pro reſponſione, certum eſſe, non poſſe quidquam exigi tamquam pretium functionis ſpiritualis. Dubitatio eſt, an tanquam ſtipendium poſtulari poſſit; poteſt autem id quod exigitur vel eſſe iure permiſſum, aut conceſſum, vel prohibitum, vel neque conceſſum, neque prohibitum; ex his

Poteſt exigi ſtipendium pro functione ſpirituali, ſi iure conceſſum ſit.

RESPONDEO & DICO PRIMO, ſi iure conceſſum ſit, exigi poteſt abſque ſimonia. Ratio, quia Eccleſia habet poteſtatem ſtatuendi debitam ſuſtentationem ſuis miniſtris; ſi ergo ſtatuta ſit ex decimis, primitiis, & oblationibus, iuſtè poterit à miniſtris exigi tanquam debita. Id autem Eccleſia duobus modis agere poteſt, primò imperando hæc onera temporalia, vt olim pendebatur Epiſcopis tributum cathedraticum, de quo 10. *q.* 3. & ſynodaticum pro cogenda Synodo, ex *c. conquerente. de off. ord.* Huc refertur procuratio dari ſolita Epiſcopis in viſitatione. *c. cùm Apoſtolus, c. procurationes. de cenſibus*. Secundò acceptando ſpontaneas fidelium oblationes, & conſtituendo ſecundùm illas ius oblationum, vt factum eſt. *c. ad Apoſtolicam. de ſimon.* conſequenter confertur ius miniſtris, eas exigendi, ſed non extorquendi, niſi per Prælatos; quòd ſi priuata auctoritate facerent, pertineret ad vſurpatam iuriſdictionem, non ad ſimoniam, niſi ratione ſcandali, vel præſumptionis, vt ex Caiet. notat Suar. *c.* 47. *num.* 1.

32. *Si prohibitũ, non licebit.*

DICO SECVNDO, ſi iure prohibitum ſit, erit graue peccatum, niſi contraria conſuetudine ius abrogatum ſit. Primum patet, quia Eccleſia habet ad id poteſtatem, & alioqui ratio prohibitionis ad Religionem pertinere poteſt. ita in *c. cùm in Eccleſia. de ſimon.* prohibetur, ne quid exigatur pro benedictione nuptiarum, vel aliis Sacramentis conferendis. & *c. ſicut pro cetero. eod.* prohibentur exactiones turpes, & taxationes de iis quæ danda ſunt pro conſecrationibus Epiſcoporũ, &c. & *c. Iacobus. eod.* exactio prandij in receptione noui Canonici. & alibi, de quo Suar. *num.* 5. Dixi, *niſi contraria conſuetudine*, &c. nam ſi derogatum ſit, iam non eſt ius illud ſeruandum, ſed conſuetudini ſtandum.

33. *Obligati ex officio non poſſunt exigere aliud ſtipendium.*

DICO TERTIO, ſi nec iure approbetur, nec reprobetur exactio temporalis commodi ab his qui tenentur ex officio miniſtrare ſpiritualia, iniuſta erit & ſimoniaca ſaltem præſumptiuè, niſi iuſta cauſa adſit approbata publica auctoritate. eſt communis ex Suar. *n.* 9. Ratio, quia iure generaliter prohibita eſt, & cùm miniſtrantes ex officio habeant ab Eccleſia conſtitutos reditus ſuæ ſuſtentationis, ſi plus extorquerent per modum ſtipendij, iniuſtè agerent. & cùm non habeant alium iuſtum titulum, quàm ratione ſtipendij, conuincuntur id agere pro miniſterio ſpirituali, atque adeò eſſe ſimoniaci ſaltem præſumptiuè. Dixi, *niſi adſit iuſta cauſa.*

Niſi adſit iuſta cauſa.

Vt ſi reditus eſſent nimis tenues, vel ſint deperditi, vel onus creuerit; tunc autem lege aliqua, vel ſtatuto Epiſcopi id declarandum erit, vel eius, qui ad id habeat auctoritatem: vt pluribus Suar. *num.* 11. ex Trid. *ſeſſ.* 24. *c.* 14. *de refor.*

DECIMO QVÆRO, an peccatum contra prohibitionem Eccleſiæ commiſſum in eiuſmodi exactionibus, pertineat ad ſimoniam. 34.

Tale [...] eſt ſimonia [...] præſumpta [...] vltra [...] tiam.

RESPONDEO, & DICO PRIMO, eſſe ſaltem ſimoniam præſumptam, vltra iniuſtitiā. Quòd ſit iniuſtitia, patet ſuppoſito quòd exigatur vt debitum, neque enim adeſt vlla iuſta cauſa pluris exigendi. Quòd ſit ſimonia præſumpta, ſequitur ex dictis, quia cùm ſit iniuſtitia in materia Religionis, præſumi poteſt illud quod pluris exigitur, exigi pro functione ſpirituali, & ita ſimoniacum erit. Addit Suar. *n.* 6. probabile etiam eſſe, quòd ſit ſimonia vera ex natura rei, quia ſi denegetur ſpirituale debitum, niſi detur temporale, practicè ſignificatur intentio vendendi.

DICO SECVNDO, non poſſe eiuſmodi exactiones honeſtari per ſtatuta Epiſcoporum, vel prouinciarum, ſtante iure communi contrario, & abſque antecedente conſuetudine. Ratio eſt, quia inferior non poteſt ſtatuere contra ius ſuperioris, quod ſi faciat, erunt inualida ſtatuta. Dixi *ſtante iure communi*, quia ſi conſuetudine abrogatum ſit, iam eſſet alia ratio, & poſſent tunc habere locum eiuſmodi ſtatuta: deberent autem ad hoc vt eſſent inualida, contraria eſſe iuri communi, quia ſi tantùm eſſent diuerſa, & non præciperent exactionem, ſed tantùm præſcriberēt quid recipiendum ſit, ſi populi ſponte dare aliquid velint, poſſent habere locum, & honeſtare acceptionem; vt ex Innoc. aliiſque DD. docet Suar. *n.* 8. 35.

Statuta [Epi]ſcopalia [...] iuſtificant [...] les exa[ctio]nes.

VNDECIMO QVÆRO, an exactiones temporalium pro ſpiritualibus, honeſtari poſſint conſuetudine. Pro reſponſione aduertendum primò non poſſe dari conſuetudinem quæ honeſtet dationem temporalem pro ſpirituali per modum pretij, id enim eſt intrinſecè malum, vt conſtat ex dictis. Per modum autem ſtipendij, non requiritur conſuetudo ad eam honeſtandam, ius enim diuinum id approbat, ex ſupradictis, *gratis date*, & *dignus eſt operarius cibo*; declarare tantùm conſuetudo poteſt, tale ſtipendium eſſe iuſtum. 36.

Conſuetud[o] non vale[t] iuſta[re] exactio[nem] temporalis pro ſpiritu[ali] per modum pretij.

Aduertendum ſecundò ſimplices miniſtros, qui ſcilicet abſque obligatione ex officio miniſtrant, poſſe ratione conſuetudinis plus vel minus exigere, ſequi etiam toleratam conſuetudinem; qui verò ex officio miniſtrant, acquirere poſſunt conſuetudine ius ad extraordinarias fidelium oblationes. *c. ad Apoſtolicam. de ſimon.* ſeruanda tamen eſt præſcripta forma, de qua ſuprà *q.* 9. Id autem ſolùm fit mutatione materiæ iuris, fit enim per conſuetudinem, ſtipendium id, quod abſque ea non fuiſſet, & quidem in voluntariis oblationibus ad diuinum cultum immediatè, vel mediatè ſuſtentando miniſtros, ædificando templa & huiuſmodi, habet locum conſuetudo, ex *c. ad Apoſtolicam*, *cit.* An verò habeat locum in aliis, dubitatio eſt.

RESPONDEO & DICO, PRIMO, non omnem conſuetudinem, quæ circa id eſſet, reprobandam eſſe. eſt communis DD. ex Suar. *c.* 48. *num.* 5. Ratio eſt, quia materia talis conſuetudinis non eſt intrinſecè mala, ſupponimus enim quòd temporale non petatur vt pretium, ſed vt ſtipendium debitæ ſuſtentationis, vel pro expenſis, quæ fierent. Confirmatur, quia poteſt 37.

Non omnis conſuetudo reprobanda.

talis

Digitized by Google

talis conſuetudo eſſe pia & honeſta, vt ſupponitur à Trid. *ſeſſ.24.c.14. de refor.* non ergo reprobanda erit, ſed retinenda.

38. *Aliqua poteſt eſſe iniqua & ſimoniaca præſumptiuè.*

Dico secvndo, ſæpe talem conſuetudinem, iniquam eſſe poſſe, & ſimoniacam præſumptiuè ſaltem in foro externo. eſt eorundem DD. Ratio eſt, quia ſæpe poſſet eſſe exactio iniuſta, cùm Eccleſia deputauerit ſufficientes reditus pro ſuſtentatione miniſtri; & conſuetudo reprobata per legem non poteſt vires reſumere, nec præualere contra legem, ex Couar. 3.*var. c.13. num.*4. Hinc ergo fiet, vt ob ſpeciem ſimoniæ ex turpi auaritia, quæ maximè ab Eccleſiaſticis perſonis fugienda eſt, in foro externo reputari poſſit ſimonia; ideóque niſi purgetur ex circunſtantiis, quæ poſſent occurrere, condemnari poterit pro tali. Supereſt tantùm vt explicetur quæ conſuetudo pia & approbanda, quæ verò reprobanda ſit.

39. *Conſuetudo non derogat iuri, quando prohibet per ſe malum, vel habens ſpeciem mali.*

DVODECIMO QVÆRO, quæ cõſuetudo probanda, quæ verò reprobanda ſit.

Respondeo & dico primo, conſuetudinem hanc tanquam iuri contrariam non poſſe præualere ad derogandum ipſum ius. Ratio eſt, quia ius non prohibet in hac materia, niſi quod vel eſt per ſe malum, vel magnam habet ſpeciem mali; ſi ergo conſuetudo fuerit per ſe mala, patet non poſſe præualere; ſi verò habuerit ſpeciem ſimoniæ, ratione ſcandali & periculi ſemper vitanda erit, atque adeò non derogabit iuri, vt rectè Suar. *c.*48.*n.*8.

40. *Secus ſi tollat malitiam ex obiecto.*

Dico secvndo, ſi conſuetudo ob circunſtantias occurrentes malitiam auferat ex obiecto, & purget ſufficienter ſuſpicionem mali, non erit reprobata per legem; ratio, quia tunc non eſt ratio cur reprobetur. Quòd ſi retinuerit malitiam, vel eius ſpeciem, ſemper erit reprobata, quia retinet cauſam reprobationis; patet id ex præced. q. & Trid. *ſeſſ.*24. *c.*14. iis verbis, *ingreſſus eos, qui ſimoniacæ labis, aut ſordidæ auaritiæ ſuſpicionem habent, fieri non permittant*; & infrà, facta exceptione laudabilium conſuetudinum, addit, *reliquas vt prauas ac ſcandaloſas reiiciant, & aboleant.*

41. *Conditiones tres bonæ conſuetudinis.*

Dico tertio, ad bonitatem conſuetudinis in hac parte tria requiruntur, primò vt petitio rei tẽporalis iuſtè reduci poſſit ad ſtipẽdium debitum ſuſtentationi, idque ratione ſuæ originis, quia ab initio ſic eſt cœptum ob indigentiam miniſtrorum. Secundò vt talis impoſitio facta ſit ſufficienti poteſtate, ad quod conſuetudo iuuare poteſt, illa enim ſufficiens teſtis ſolet eſſe, & ita præſumi debet. Tertiò, vt exactio non ſoleat fieri modo prohibito in iure, vt eſſet ſi negarentur ſpiritualia, niſi priùs temporalia dentur, vel certa cautio eorum. His conditionibus exiſtentibus, conſuetudo poterit admitti, dummodo priùs ab Epiſcopo examinetur & admittatur, ex Trid. *loc.cit.* quod etiam approbat Suar. *n.*11. Ex quo etiam patet, ſtatutum etiam habens prædictas conditiones admitti poſſe, quia tunc non erit contra ius commune, ſed illi conforme.

42. DECIMOTERTIO, QVÆRO, an poſſit eſſe ſimonia realis abſque conuentionali. Hæc dubitatio pertinet ad tertiam ſpeciem ſimoniæ quæ eſt realis, aliæ enim hactenus excitatæ ad conuentionalem, & mentalem referuntur. Et quidem ſi ſpectetur ſimonia ex ſola rei natura, & ſecluſa prohibitione Eccleſiæ, non poteſt eſſe ſimonia realis ſine conuentionali, quia vt ſit realis eo modo, debet res temporalis habere rationem pretij: hanc autem habere non poteſt, niſi adſit conuentio ſaltem tacita. Dubitatio eſt, an ex prohibitione Eccleſiæ, aliqua largitio & acceptio rei temporalis facta occaſione ſpiritualis miniſterij, ſit verè ſimonia, quamuis nulla pactio intercedat. Hoc poſito

Simonia realis ex rei natura non poteſt eſſe ſine conuentionali.

43. *Eccleſia poteſt prohibere largitionem aliquam tanquam ſimoniam.*

Respondeo & dico primo, poſſe aliquam largitionem gratuitam factam intuitu rei ſpiritualis, prohiberi ab Eccleſia tamquam ſimoniacam. Ratio eſt, quia poteſt talis largitio habere vmbrã & ſuſpicionem pretij; & ex hoc motiuò prohiberi ab Eccleſia & conſtitui actio in materia ſimoniæ. Sic prohibentur aliquæ exactiones temporalium pro ſpiritualibus, etiamſi non petantur vt pretia, ſed tanquam ſtipendia, vt pluribus Suarez *c.49.n.5. & 6.*

44. *Modo fiat intuitu Religionis.*

Dico secvndo, non omnem prohibitionem gratuitæ donationis facere actionem ſimoniacam, ſed eam tantùm quæ fit intuitu religionis in materia ſpectante ad commutationem rerum ſpiritualium cum temporalibus; idque cum iniuria rerum ſpiritualium. Quòd non omnis prohibitio faciat, ex eo patet. nam *c. primo de cenſibus in 6.* prohibetur viſitatoribus Eccleſiaſticis & eorum familiaribus, ne aliquid accipiant vltra debitas procurationes, & tamen id non pertinet ad ſimoniam, quia pro ratione redditur, *vt non quæ ſua ſunt videantur quærere ſed quæ Ieſu Chriſti*, quod non pertinet ad ſimoniam. Idem *in c.ſtatutum.de reſcript.* dũ prohibentur iudices recipere munera. Quòd verò ea tantùm quæ fit intuitu Religionis, patet tum ex *c. ſicut Epiſcopus.*1. *q.*2. vbi prohibetur petitio à conferente ordines; tum ex *c. placuit.*1.*q.*1, & alibi; tum denique ex dictis *c. primo*, in definitione ſimoniæ, in cuius definitione particula vt ſit venditio, intelligenda eſt, aut vera ſi ſit ſimonia contra ius diuinum, aut reputata per legem quoad ſimoniam prohibitam; vt pluribus Suarez *loc. ſuprà citato.* Hæc ſatis.

CAPVT XI.

De nonnullis aliis modis pactionum qui excuſare poſſunt à ſimonia.

OMnes modi hactenus explicati in præcedentibus capitibus, reuocari poſſunt ad illum, quia non pretium, ſed ſtipendium accipitur honeſto modo, & ſine repugnantia legis. Alij duo ſuperſunt ad redimendam vexationem, & ad componendam litem, de quibus in hoc capite. & primò, quæ regulæ aſſignentur pro cognoſcẽda ſimonia in paciſcendo, vel tradendo aliquid temporale pro ſpirituali ad redimendam vexationem. Secundò, quid iuris de prima regula. Tertiò, quid iuris de ſecunda. Quartò quantum extendatur ſecunda regula in beneficialibus. Quintò an patiatur exceptionẽ in iure nõdum quæſito. Sextò an liceat ſubornare vt dignior eligatur. Septimò an in aliis actibus præter electionẽ prohibeatur redemptio vexationis. Octauò de ſecundo modo, an tranſactio ad terminandam litem habeat locum in ſpiritualibus abſque ſimonia. Nonò de tranſactione in qua ius ſpirituale remittitur pro temporali. Decimò de tranſactione in materia

ria

Digitized by Google

ria non beneficiali, cùm compenſatur per largitionem iuris ſpiritualis proportionati. Vndecimò de tranſactione in materia beneficiali. Duodecimò an Epiſcopus poſſit facere eiuſmodi tranſactionem. Decimotertiò, an alij ab Epiſcopo id poſſint.

1. PRIMO QVÆRO, quæ regulæ ſint ad cognoſcendam ſimoniam in paciſcendo, vel tribuendo aliquid temporale pro ſpirituali.

Regulæ duæ ad ſimoniam agnoſcendam.

RESPONDEO duas, prima poſt ius acquiſitum in beneficio, vel alio ſpirituali dono, non eſt ſimonia redimere vexationem iniuſtam quæ pro illo tollendo infertur, vel probabiliter timetur. communis regula ex S. Thom. Caiet. Sot. Palud. gloſ. Innoc. Abb. & aliis apud Suarez c. 56. *num.* 2. & probari poteſt ex *c. dilectus*. 1. *de ſimon. & c. quæſitum* 1. *q.* 3. & ratione, quia ſic redimens nec dat pro re ſpirituali, nec aliquid acquirit ſpirituale, ſed dat pro vitanda iniuria quod temporale quiddam eſt, & pretio æſtimabile. Secunda regula, ante ius acquiſitum in beneficio vel alia re ſpirituali non licet redimere vexationem, quæ impedit ius acquirendum, committeretur enim ſimonia. DD. iidem, qui in prima regula ex Suar. *n.* 18. probari poteſt ex *c. Matthæus. de ſimon.* nam ibi propter redemptam vexationem dicitur commiſſam eſſe ſimoniam, non de iure acquiſito ex prima regula; ergò ob ius acquirendum; ratione etiam, quia licèt immediatè detur pecunia non pro re ſpirituali, ſed pro vexatione, tamen mediatè acquiritur ius media pecunia, atque adeò emitur illud pro pretio, quod eſt ſimonia. quæ ratio locum habet in vexatione non iniuſta, ſublatum enim eſt impedimentum media pecunia; at quando vexatio eſt iniuſta, nonnullam habet difficultatem, vt dicetur *q.* 4.

2. SECVNDO QVÆRO, quid iuris de prima regula.

Conditiones requiſitæ ad redemptionẽ vexationis.

RESPONDEO, & DICO PRIMO, ad hoc vt ſit licita redemptio vexationis in iure acquiſito, requiruntur quatuor conditiones. Prima eſt, vt ius ſit certum & indubitatum, quod tunc eſt, quando perit in tali ſcientia, ſic communiter iudicant; tunc enim erit præcipuum, & conſequenter in dubio debetur habenti illud. Si item eſſet dubium vno titulo, & alius impugnaret altero iniuſtè, diceretur iniuſta vexatio; eodémque modo ſi ſit dubium, v. g. vt vnum vel duo; & alius impugnet tanquam dubium, vt 6. vel 8. etiam diceretur iniuſtà, ex Suar. *num.* 12.

Secunda conditio, vt ius ſit plenum, non autem ex parte tantùm: vt, v. g. ſi quis eſſet tantum electus ad beneficium, non autem confirmatus, non diceretur habere ius plenum. Item ſi fuiſſet electus in multis, ſed non à maiori parte, vel omnibus, non haberet ius plenum; de qua re plura infrà.

Tertia conditio, vt vexatio ſit iniuſta, non autem iuſta; quod ſolet alio modo dici, vt ſit vexatio de facto, non de iure; nam ſi ſit de iure, non erit iniuſta.

Quarta vt res quæ datur pro tollenda vexatione, ſit res temporalis, ſi enim eſſet ſpirituale donum, iam redimeretur vexatio quæ temporale quid eſt æſtimabile pretio, per donum ſpirituale; quod eſſet ſimonia.

Hinc patet non eſſe neceſſariam quintam quam aliqui addunt, vt redemptio vexationis ſit moraliter neceſſaria; ſatis enim eſt quòd ſit expeditior via, ſecluſo ſcandalo, vt dicetur infra.

DICO SECVNDO recipiens pecuniam vt deſiſtat à vexatione inferenda, non eſt ſimoniacus, niſi materia vexationis ſpiritualis ſit. Primum patet, quia vt ſic nil ſpirituale vendit, ſed deſiſtentiam à vexatione quæ eſt quid temporale; ſecus eſſet ſi cederet alicui iuri ſpirituali, tunc enim dans & recipiẽs ſimoniacus eſſet; hic quia cedit iuri ſpirituali ob pecuniam, ille quia emeret idem ſpirituale ius media pecunia; atque adeò non eſſet vexatio de facto, vt diximus requiri ad licitam redemptionem, ſed de iure. Hinc ſequitur eum qui vexatur, ſi det quid ſpirituale, ſimoniacum eſſe, quia vendit rem ſpiritualem pro re temporali, hoc eſt, pro deſiſtentia à vexatione. Sic vexatus in pingui beneficio, ſi det vexanti tenue quod vexatus habet, vel procuret aliud beneficium, vel promittat facere ſuum Vicarium, ſi vexatus eſſet Epiſcopus, ſimoniacus eſſet. 3. *Non eſt ſimoniacus recipiens pecuniam, ut non vexet.*

Secundum verò, quòd recipiens pecuniam ſimoniacus ſit ſi materia vexationis ſit ſpiritualis; vt ſi negaret abſolutionem à cenſura, vel diſpenſationem ab irregularitate, vel ordines, vel aliud ſpirituale ius, ex eo conſtat, quia tunc pro re ſpirituali pecuniam accipit, nempe pro conferenda abſolutione, pro cõcedenda diſpenſatione, pro dandis ordinibus, vel alio iure ſpirituali, quod ſimoniacum eſt. 4. *Niſi materia vexationis ſpiritualis ſit.*

Quamuis autem recipiens ſimoniacus non ſit, quando materia vexationis non eſt ſpirituale ius, tamen ſemper eſt iniuſtus & ad reſtitutionem tenetur; quia ſupponimus vexationem iniuſtam eſſe, atque adeò per iniuriam pecuniam extorquet; & alius dat inuoluntariè & coactus per iniuriam; vt DD. cum gloſa *in c. dilectus* 1. *de ſimon.* ſi quæ autem difficultas ſit in eo textu explicando, vide Suarez *n.* 16. 5. *Vexans iniuſtè ſemper tenetur ad reſtitutionem.*

Non obſtat contra primam regulam *c. Matthæus. de ſimon.* vbi quidam electus, & conſequenter habens ius, ob pecuniam datam quibuſdam electoribus, ne ſe vexarent, cenſetur ſimoniacus. Reſpondeo enim, illum non habuiſſe plenum ius, vtpote nondum confirmatum, & quia poterat vexari in eo, ideo rectè ſimoniacus iudicatus eſt, quia dedit pecuniam pro confirmatione, quam nondum habebat, vt pluribus Suar. *n.* 8. ex Innoc. Bellam. & aliis.

TERTIO QVÆRO, quid iuris de ſecunda regula. 6.

RESPONDEO & DICO PRIMO, quando vexatio iuſta eſt, ſimonia committitur per redemptionem eius ab eo qui non habet ius acquiſitum. Ratio eſt, quia tunc verè non eſt vexatio, ſed iuſta cauſa impediens acquiſitionem rei ſpiritualis, quare dant pecuniam, per illam facit ſibi planiorem viam ad acquirendum ius ſpirituale, atque adeò emit illud ius pecunia. Sic primò tribuens pecuniam concurrenti ad beneficium in oppoſitione, ne ſe opponat, ſimoniacus eſt. Secundò illegitimus, vel irregularis, vel aliàs inhabilis ad beneficium, dans pecuniam, ne talis defectus denuntietur. Tertiò habens defectum ætatis, ſi corrumpat teſtes, vt falſo teſtimonio remoueant impedimentum, & ita conſequatur ordines, vel beneficium, vt docet Nauar. *conſ.* 59. *& ſeqq. de ſimon.* *Redimens vexationem iuſtam ante ius acquiſitũ, ſimoniacus eſt.*

DICO SECVNDO, quando vexatio eſt iniuſta, tũc diſtinguendum eſt ad ſoluendas 7. *Si vexatio iniuſta.*

das difficultates. Aut enim eſt ab eo qui tantùm poteſt obeſſe, & non prodeſſe: aut ab eo qui etiam prodeſſe poteſt; ſi à primo, tunc redemptio iniuſtæ vexationis etiam ante ius acquiſitum, non eſt ſimoniaca. Ratio, quia id nec eſt intrinſecè malum, eſt enim ſola emptio liberationis ab iniuria; vel ceſſationis ab illo prauo affectu, in quo oritur violentia & iniuria, quod in omni materia licitum eſt ex rei natura, vt pluribus Suarez *num.* 19. *&* 20. Nec eſt emere rem ſpiritualem, hoc ipſo quòd tantùm emitur prædicta ceſſatio, nec eſt neceſſe quòd affectus redimentis extendatur ad rem ſpiritualem, ſed ſolùm ad temporalem illam, nempe ceſſationem praui affectus: nec vllum adeſt ius Eccleſiaſticum, quod id prohibeat, nam *c. Matthæus.* ſermo eſt de electoribus, qui poterunt etiam prodeſſe ſuo voto, & habent ius impediendi confirmationem: alia autem iura non loquuntur de hoc caſu, vt teſtatur Suarez *num.* 23. Si verò vexatio ſit ab eo qui poteſt obeſſe & prodeſſe, tunc in materia quidem beneficiali, vel in officiis Eccleſiæ acquirendis, non licet eam redimere, quia tunc per pecuniam paratur via ad beneficium directè & per ſe; quod licèt non adeò irrefragabile ſit, vt reſponſionem non admittat, tamen ſuppoſita praua ſpecie ſimoniæ, ad vitandas eius creationes & ſcandala, potuit ab Eccleſia eo fine prohiberi, & ſic erit ſimonia ſaltem contra ius Eccleſiaſticum. ita colligitur factum in *c. Matthæus, c. ſicut tuis, & c. de hoc. de ſimon.* Confirmat id conſuetudo, & ſtilus Curiæ, & communis vſus & ſenſus Eccleſiæ, quæ talem redemptionem vexationis, ſimoniacam cenſet. Cùm autem dicimus ab eo qui poteſt etiam prodeſſe non poſſe redimi, intelligitur dummodo vexet tamquam talis, habens ſcilicet poteſtatem non eligendi, ſi ſit elector, non conferendi ſi ſit collator, & ſimilia; ſi enim vexet inducendo malitiosè alios electores, vel infamando, &c. tunc poſſet ab eo redimi, ſicut ab alio priuato, non enim tunc vexat formaliter vt talis tamquam is qui prodeſſe poteſt; ſed materialiter, vt cum Leſſio notat etiam Suar. *n.* 28.

Subornator ſubornari poteſt.

Ex his patet licere ſubornatorem ſubornare, dando illi pecuniam, vt deſiſtat à corrumpendis electoribus, dummodo redemptio ſiſtat in eo tantùm, vt non corrumpantur electores, nec progrediatur ad inducendum illum ad contrarium officium, inclinandi ſcilicet electorem ad fauorem dantis pecuniam, vt aduertit Suar. *numero* 25. ex Valentia, Leſſ. & aliis.

8. QVARTO QVÆRO, quantum extendatur hæc ſecunda regula in beneficialibus. Senſus eſt, an à nullo eorum qui prodeſſe poſſunt ad ius aliquod conferendum in beneficio redimi poſſit vexatio; an verò ab aliquibus tantùm redimi non poſſit, ab aliis verò poſſit. Vnde cùm primò alij ſint qui concurrant ad electionem, ſeu præſentationem, ſeu nominationem, ſeu poſtulationem. Secundò alij ad confirmationem, inſtitutionem, aut collationem. Tertiò alij ad poſſeſſionem: de his omnibus dubitatio eſſe poteſt.

9. *Non poteſt redimi vexatio ab habentibus ius adiuuandi ad beneficium.*

RESPONDEO ergo, & DICO PRIMO, de primis & ſecundis certum eſſe, ad eos regulam extendi, & non poſſe redimi vexationem ab eis ante ius illis correſpondens, acquiſitum. Nam primò per electionem confertur ius ſpirituale, & proprium, ante quod eligendus nullum ius proprium habet, niſi quamdam idoneitatem perſonæ, quæ non dat vllum ius ad rem. Secundò per inſtitutionem, vel collationem, eadem ratio eſt, quia per illa confertur ius ſpirituale poſt electionem, vel præſentationem. Tertiò per confirmationem, licèt aliqui dubitant, tamen ſuppoſito ſaltem iure Canonico, per eam etiam confertur ius ſpirituale, ſolidat enim ius electionis, & ſæpe habet vim collationis.

An ab habētibus ius ad dandum poſſeſſionem.

DICO SECVNDO, de poſſeſſione etſi controuerſia ſit inter DD. tamen ita componenda eſt, vt poſſeſſio poſt plenum ius acquiſitum in beneficio, & proprietatem, tamquam factum quoddam corporale tantùm & pendens ex titulo ſpirituali, non ſit ius ſpirituale, ideóque liceat redimere iniuſtam vexationem ab eo etiam, qui prodeſſe poſſet; at quando ius ipſum in dubium vocaretur, & ideo non daretur poſſeſſio, tunc non liceret; quia redimeretur vexatio non à ſola poſſeſſione, ſed ab ea vt adnexa iuri ſpirituali, & conferente ad ius quod vocatur in dubium. Ad vitandam autem ſuſpicionem omnem ſimoniæ etiam in foro exteriori, non eſſet redimenda eiuſmodi vexatio, niſi quando ſuperior difficile conueniri poſſet, vt ipſe ſua auctoritate vexationem auferret, vt ex Anania, Præp. Vgol. & Rebuf. aduertit Suar. *numero* 32. Multóque magis licebit auferre iniuſtam vexationem, eámque redimere, quando habita poſſeſſione poſt certum ius in beneficio, ab ea per fraudem aut vim deiiceretur; quicquid contrà Vgol. vt ex gloſ. Felin. Summa Piſana & aliis infert Suar. *n.* 34.

QVINTO QVÆRO, an ſecunda regula patiatur aliquam exceptionem in iure nondum acquiſito. Senſus eſt, an liceat dare pecuniam ad redimendam vexationem indignæ electionis alicuius quæ facienda eſſet, niſi vexatio redimeretur; & caſus communis eſt de Summo Pótifice eligendo, qui indignus eſſet, vel euidenter minus dignus, an liceat eam vexationem redimere pecunia, vt electio iuſtè fiat. 11.

Non eſt ſimonia dare pecuniam, ne indignus eligatur.

RESPONDEO ergo, & DICO, ſuppoſita vexatione & neceſſitate illius tollendæ, non eſſe ſimoniam in eo caſu dare pecuniam electoribus, vt non eligant indignum. Ratio eſt, quia in tali caſu non datur pecunia pro re ſpirituali, nec pro vſu poteſtatis ſpiritualis, nec pro non vſu eius ſimpliciter; ſed pro ceſſatione & deſiſtentia ab iniuſtitia, quod licitum eſt & iuſtum. Caiet. *opuſc. tom.* 2. *tract.* 9. *q.* 3. ex profeſſo. Suar. *c.* 50. *n.* 35. ex Sot. & aliis.

Non obſtat, quòd ita licitum eſſet dare pecuniam pro eligendo digno, vel digniori in communi. Reſpondeo enim ita eſſe quoad rem, idem enim eſt non eligere indignum, quod eligere dignum, ſuppoſito quòd electores determinati ſint ad aliquem eligendum; ſic autem non datur pecunia pro exercitio ſpiritualis muneris, ſed tantùm pro determinatione, vt dicunt Theologi; quoad ſpecificationem, vt pluribus explicat Suarez *n.* 36.

SEXTO QVÆRO, an liceat ſubornare aliquem, vt dignior eligatur. 12.

Emptio rei ſpiritualis nunquam licet.

Respondeo & dico primo nunquam licitam eſſe emptionem rei ſpiritualis, vel Pontificatus, quia eſt intrinſecè mala, at redemptio vexationis licita eſt; vnde ſi multi ſint æquè digni, non eſt licitum dare pecuniam pro vno ex illis determinatè, quia non eſt vexatio eligere alium hoc ipſo quòd omnes digni ſunt; ſi verò inter dignos duo ſint cæteris digniores, licitum eſt dare pecuniam vt non eligatur minus dignus; fieret enim iniuria Eccleſiæ, ſi minus dignus eligeretur.

13. *Si vnus tantùm dignus ſit.* *Si plures.*

Dico secvndo, ſi inter omnes eligibiles vnus tantùm dignus ſit, licet vexationem redimere; ne eligatur indignus, & conſequenter vt eligatur dignus, & Petrus in particulari non vt Petrus, ſed vt dignus. Quòd ſi plures eſſent digni, & inter eos vnus cæteris dignior, licitum eſt redimere vexationem, ne eligatur minus dignus, & conſequenter vt eligatur digniſſimus omnium, quia ſupponitur vnum tantùm eſſe cæteris digniorem. Moraliter autem loquendò nunquam licet redimere vexationem ita vt determinatè eligatur hæc perſona quæ eſt Petrus, id enim non vacat ſuſpicione ſimoniæ; ſed bene poſtulari poteſt, vt dignior eligatur, vt pluribus Suar. *num.* 41.

14. *In electione Papæ ſpecialis ratio eſt.*

SEPTIMO QVÆRO, an in aliis electionibus, & in actibus præter electionem, prohibeatur redemptio vexationis, vel non.

Respondeo & dico primo de electione Papæ ſpecialem rationem eſſe debuiſſe; tum ob ſupremam eius poteſtatem, tum ob neceſſitatem eius electionis faciendæ, ne interim Eccleſia damnum patiatur, tum denique ob inemendabilem errorem eius electionis, ideóque ſatis eſt in ea ſeruari ius diuinum, & ea quæ ſpecialiter prohibita non ſunt.

15. *In aliis etiam ſeruandũ ius Canonicum.*

Dico secvndo, in aliis electionibus ſpiritualium præbendarum, vt Canonicatuum, Epiſcopatuum, & ſimilium, præter ſtatuta de iure diuino, ſeruandæ etiam ſunt leges Canonicæ, ideóque primùm non licet vti remedio redemptionis, quando recurſus patet ad ſuperiorem. Secundò ſæpe nulla erit electio ob pactionem, & interuentum pecuniæ, ex parte enim electoris ſaltem ſimoniaca eſſet, etiamſi concedatur excuſari ex parte dantis ob vexationem; quia verò procurare electionem nullam, licitum non eſt; niſi excuſaret magna neceſſitas vitandi damnum Eccleſiæ, tunc enim ſpe obtinendi beneplacitum Papæ, procurari poſſet, ideo regulariter cauendum eſt ab eiuſmodi redemptione vexationis, vt rectè Suar. *cap.* 50. *num.* 42.

Ob pactionem ſimul cum pecunia ſæpe, nulla electio.

16. *In aliis actibus ſæpe redimi poteſt vexatio.*

Dico tertio, in aliis actibus præter electionem non ſemper prohibetur redemptio vexationis quando ſit coniunctum ſpirituale detrimentum, vt eſſet ſi denegaretur abſolutio à cenſuris iniuſtè illatis, vel iniuſtè negata, vel impedita per vim & potentiam. Ratio eſt, quia id non eſt intrinſecè malum, nec iure prohibitum, & honeſtari poteſt ex iuſta cauſa, & neceſſitate talis redemptionis; vt ex Abb. Felin. Præpoſ. Hoſt. & aliis docet Suar. *numer.* 43. quicquid contrà Vgol. *tab.* 1. *cap.* 44. § 1. *numer.* 5. de abſolutione a cenſura, de quo etiam ſupradictum eſt.

17. OCTAVO QVÆRO de ſecundo modo, an tranſactio ad componendam litem habeat locum in ſpiritualibus abſque ſimonia. In hac q. præmittenda ſunt aliqua ad rem totam cognoſcendam neceſſaria.

Tranſactio quid ſit.

Et primò tranſactionem eſſe pactionem non gratuitam ſub incerta lite conſtitutam, vnde ad eam tria requiruntur, vt colligi poteſt ex dictis à nobis *tract.* 39. Primum vt res ſupra quam ſit tranſactio, incerta ſit, & ſaltem probabili exiſtimatione vtriuſque partis dubia. Secundum vt conuentio ſit cum aliquo onere vtriuſque partis. Tertium vt ſit in ordine ad dirimendam litem, ſiue iam intentatam, ſiue intentandam mota controuerſiæ.

Secundò certum eſt, in materia ſpirituali poſſe litem eſſe, vt circa beneficia, circa iuriſdictionem, & ſimilia; & quidem per voluntariam compoſitionem partium quæ concordia dicitur, finiri ſæpe poteſt, itaque expedit, & conſequenter licitè abſque ſimonia debet fieri poſſe; ſed declarandus eſt modus. 18. *Circa beneficia lis eſſe poteſt.*

Tertiò compoſitionis fundamentum, eſſe ius circa rem aliquam ſpiritualem incertum & dubium, vt dictum eſt; ſi enim alter haberet ius certum, & alter moueat litem per vim, aut fraudem, habere poſſet locum redemptio vexationis, non autem tranſactio, vt conſtat ex eius definitione allata. 19. *Compoſitionis fundamentum, quod ſit.*

Quartò tribus modis inſtitui poſſe compoſitionem de re ſpirituali. Primò altero ex litigantibus cedente gratis & liberè totum ius, in gratiam alterius. Secundò diuiſione facta rei, vel iuris inter litigantes iuxta prudens arbitrium eius qui componit. Tertiò re tota vni applicata; & alteri facta recompenſatione ex bonis illius. 20. *De re ſpirituali compoſitio fieri poteſt tribus modis.*

Quintò circa primum modum, conſtat inter omnes non interuenire ſimoniam; quia non ſit pactio oneroſa, ſed donatio gratuita; & dici ſolet amicabilis compoſitio. *cap. ſuper eo. de tranſact.* tunc autem auctoritas Prælati neceſſaria non eſt, ex Abb. *dicto cap.* ſi ſola compoſitio ſpectetur; ſi autem interuenire debeat aliqua renunciatio, vel inſtitutio poſt arbitrium, tunc vtique requiritur Prælati auctoritas. 21. *In amicabili compoſitione non intercedit ſimonia.*

Sextò de aliis duobus modis dubitatio eſt, in quibus interuenit tranſactio & pactio oneroſa. Duo autem diſtinguenda. Primum materia, quæ debet eſſe aliquo modo ſpiritualis, vel merè, vel ita vt annexum habeat aliquid temporale ſicuti eſt beneficium, vel ita vt ſit adnexum rei ſpirituali, & retineat annexionem factam per Eccleſiam, vel denique ita vt non retineat adnexionem factam, vt ſunt decimæ, vel commendæ quæ à laicis poſſidentur. Secundum, res quæ datur in compenſationem, vel enim poteſt eſſe aliquid ſpirituale eiuſdem rationis, vel aliquid adnexum ſpirituali, vel aliquid merè temporale. Hæc ergo omnia animaduertenda ſunt, & iuxta illa iudicandum. Sed pro faciliori intelligentia diſtinguenda in ſequentes quæſtiones. 22. *Duo diſtinguenda.*

NONO QVÆRO de tranſactione in qua ius ſpirituale remittitur pro temporali. 23.

Tranſactio, in qua remittitur ius ſpirituale pro temporali, ſimoniaca eſt.

Respondeo eiuſmodi tranſactionem ſimoniacam eſſe. eſt cõmunis ex Suarez *c.* 51. *n.* 6. Canoniſtæ *in c. ſuper eo. de tranſact.* & Summiſtæ *v. tranſ.* habetur expreſsè *in c. cum pridem. de pact. & cap.* 1.

Digitized by Google

cap. 1. & 2. de tranſact. Ratio eſt, quia qui remittit ius eo modo, vendit ius ſpirituale, & qui illud retinet dato temporali, emit illud ſpirituale. Hinc ſequitur ſimoniam eſſe primò in tranſactione de iuriſdictione ſpirituali, dare pecuniam. Secundò ſi litigantes de beneficio, componant ita, vt reus det actori pecuniam vt deſiſtat: vel accipiat ab eo pecuniam, & relinquat illi beneficium. Tertiò ſi de iure præſentandi lis eſſet, & vnus daret pecuniam vt alter deſiſteret ab actione. Vel ſi de Reliquiis eſſet controuerſia, non liceret tranſigere data vel accepta pecunia. Quartò de aliis rebus ſacris quæ ſunt adnexa ſpiritualibus antecedenter, vt vaſa ſacra & ſimilia. ſi enim fieret de iis tranſactio, & altiori pretio æſtimarentur ratione ſpiritualitatis, eſſet ſimonia. Quintò denique de officio Eccleſiaſtico, quod eſt adnexum ſpirituali per Eccleſiam: ſi enim prohibitum ſit vendi, & interueniente lite de eo componatur data pecunia, erit ſimonia, niſi Prælatus diſpenſet, habens in eo facultatem; neque de hac concluſione eſt difficultas inter DD.

Exempla.

24. DECIMO QVÆRO de tranſactione in materia non beneficiali, cùm compenſatur per largitionem iuris ſpiritualis proportionati: vt, v. g. ſi contentio eſſet inter Epiſcopos de iuriſdictione ſpirituali in aliquam Eccleſiam, an poſſint tranſigere, vt vnus habeat iuriſdictionem, alius prouiſionem beneficiorum; vel vt alternis annis viſitent, & ea potiantur; & ſic de aliis ſimilibus.

Tranſactio in materia non beneficiali fieri poteſt de conſenſu partium: modo compenſentur iura ſpiritualia inter ſe.

RESPONDEO ergo affirmatiuè, talem tranſactionem fieri poſſe de conſenſu partium abſque alia auctoritate Prælati, quantum eſt ex vi tranſactionis; ſiue fiat compenſatione alterius iuris ſpiritualis per donationem, vt dictum eſt: ſiue per ceſſionem alterius rei, vel iuris ſpiritualis proportionati. Ratio eſt, quia id nec eſt ſimonia contra ius diuinum, cùm non detur temporale pro ſpirituali, ſed tantùm permutantur ſpiritualia inter ſe; nec contra ius humanum, quia extra beneficia talis permutatio non eſt prohibita iure Eccleſiaſtico; vnde primò ſi controuerſia oriatur inter Epiſcopos de iuriſdictione circa aliquam Eccleſiam, poſſunt tranſigere modo dicto. Secundò ſi lis eſſet de rebus ſacris, vt de reliquiis, poſſent litigantes eas diuidere inter ſe, vel ſi non expediret diuidere, compenſari largitione alterius. Tertiò ſi lis eſſet de decimis, poſſent conuenire partes, vt vnus habeat vnam partem, alius alteram. Quartò ſi de fructibus lis eſſet inter Epiſcopum, & monaſterium ob aliquam Eccleſiam epiſcopali menſæ vnitam, poſſent diuidi inter eos; ſemper enim permutatio fit de re ſpirituali cum ſpirituali, vel de re annexa ſpirituali pro alia re annexa ſpirituali cum proportione, vt dicebamus in reſponſione ad quæſtionem. quæ omnia probari poſſunt ex iure Canonico, *in cap. ad quæſtiones. de rer. permut. cap. cùm venerabilis. de cenſib. cap. conſtitutus. de relig. dom.* & alibi. Dixi, *quantum eſt ex vi tranſactionis.* nam licèt poſſit exigi Prælati auctoritas ad hoc vt valeat tranſactio, vt ſi ad transferendam rem ſpiritualem in alium, neceſſaria eſſet eius poteſtas & conſenſus, vel vt tranſactio perpetua ſit, vel quid ſimile, tunc enim poterit quidem ea requiri, ſed non ad hoc vt vitetur ſimonia, quæ nulla eſt; ſed, vt dixi, ad valorem tranſactionis, vel eius perpetuitatem: vt rectè ex multis iuribus docet Suar. *num. 10.*

VNDECIMO QVÆRO de tranſactione in materia beneficiali. 25.

In materia beneficiali requiritur auctoritas ſuperioris.

RESPONDEO & DICO PRIMO eam non eſſe licitam ſi fiat propria auctoritate; at ſi interueniat auctoritas Prælati, fieri poterit abſque ſimonia. Prima pars ex eo conſtat, quia licèt non ſit ſimonia contra ius diuinum, vt ſi permutetur beneficium cum beneficio, & ſpirituale detur pro ſpirituali, & temporale pro temporali; tamen erit ſimonia contra ius humanum, quia talis permutatio prohibita eſt facta abſque Prælati auctoritate, vt patet ex *cap. conſtitutus. de relig. dom.* ibi enim ſermo eſt de tranſactione in beneficio, & dicitur habere ſpeciem ſimoniæ; & iure, quia quodcumque pactum oneroſum prohibitum eſt factum propria auctoritate; vnde omnis pactio & conuentio, & tranſactio cum pactis oneroſis prohibita eſt, ex regulis generalibus aliàs expreſſis. Secunda verò pars, quòd ſcilicet cohoneſtari poſſit auctoritate Prælati, dicetur *ſeq. quæſtione.*

DICO SECVNDO, hæc tranſactio tribus modis fieri poteſt. Primò ſi lis ſit de vno tantùm beneficio. Secundò ſi ſuper pluribus beneficiis à neutro ex litigantibus pacificè poſſeſſis. Tertiò ſi ſuper pluribus, & quilibet proprium poſſideat, ſed moueat litem viciſſim ſuper alterum. Si ergo primo modo, certum eſt primò non poſſe dari ſpirituale in tranſactione, quia beneficium diuiſibile non eſt; nec ſecundò imponi penſio pro vno ex conuentione partium, quia daretur temporale pro ſpirituali; ſi verò intercedat auctoritas Prælati, iam ergo non fiet propria auctoritate. nec tertiò detur aliquid ſpirituale extra materiam litis, vt tenue beneficium pro pingui quod ſit in lite: ſic fieret permutatio, quæ requirit auctoritatem Prælati, & multo magis, ſi fieret renunciatio in fauorem tertij. nec quartò pro dimiſſione litis promitti Vicariatus, vel Coadiutoria, ſi beneficium haberet ſimiles prouiſiones adnexas; ſunt enim pacta prohibita, & reducuntur ad commutationem ſpiritualis pro temporali. Si verò ſecundo modo fiat tranſactio conuenientibus partibus inter ſe, vt vnum beneficium vni detur, aliud alteri quod quiſque pacificè poſſideat, renunciando aliis; tunc etiam conuentio gratuita non eſt, ideóque propria auctoritate fieri non poterit. Si denique tertio modo accidat tranſactio, vel ambo conueniant de permutandis beneficiis, & ſic propria auctoritate, fieri permutatio non poteſt, vel quiſque contentus de proprio, cedit liti dummodo alter cedat, & ſic fieri poteſt tranſactio, quia tunc non tam fit compoſitio ſuper beneficium, quàm ſuper litem; onus autem quod imponitur non fit dato pretio temporali, ſed iure ſpirituali ceſſo proportionato, quod prohibitum non eſt, ex Suar. *numer. 15.* neque enim propterea fit permutatio beneficiorum, nec noua acquiſitio, aut renunciatio. Ex his ergo conſtat, in materia beneficiali tranſactionem priuata auctoritate fieri non poſſe. 26.

Tribus modis fieri poteſt.

DVODECIMO QVÆRO, an aucto- 27.

Auctoritas Epiſcopi ſatis eſt. auctoritati Epiſcopi poſſit fieri prædicta tranſactio.

Respondeo affirmatiuè, ex *c. 2. de tranſact.* & ratio eſt, quia permutatio beneficiorum ex cauſa honeſta fieri poteſt in manibus Epiſcopi; tranſactionis autem cauſa ſatis honeſta eſt, & æquiualet permutationi.

Dubitari autem poſſet an Epiſcopus in tali caſu tranſactionis poſſit ſtatuere vt vnus retineat, v.g. beneficium, & alteri ſoluat penſionem de illo.

28. *Ex prouidentia poteſt imponere penſionem.* Respondeo, ex mero arbitrio ſuo & prouidentia poteſt ſaltem ad vitam beneficiarij, ex *c. niſi de præb.* Abb. & Hoſt. *ibi.* Gigas *de penſ. q. 6. n. 3. & 4.* ita autem vt beneficio adhæreat ad vitam penſionarij, negant quidam, vt Azor *tom. 2. lib. 8. c. 6.* concedit Suarez *c. 51. num. 18.* ex *c. de cætero. de tranſact.* & DD. *ibi,* quod ſatis probabile eſt, niſi Curiæ ſtylus talem penſionem non admittentis contrarius ſit. Ex conſenſione autem partium per ordinem ad conſenſum Prælati etiam poteſt cùm agitur de ſpirituali penſione, nec enim eſt onus temporale; ſecus ſi de penſione merè temporali ageretur, tunc enim ab Epiſcopo talis conuentio reprobanda eſſet, vt pluribus Suar. *n. 20. & 21.* Solùm ergo arbitrio & prouidentia Prælati imponi temporalis penſio poteſt; idque propter bonum pacis, ex *c. niſi de præb.* quod bonum pacis non ſolùm eſt ſpirituale quiddam, verùm etiam temporale bonum, vtpote vtile, ideóque pecunia æſtimabile; ad quod licèt renunciatione iuris ſpiritualis aliquando perueniri poſſit, tamen id eſt per accidens, & alioqui arbiter poteſt conſiderare aliquam rationem iniuſtitiæ in beneficiario, ob quam temporale onus imponi poteſt, vel certè ad alimenta aliqua danda colitiganti, & compenſationem expenſarum, quas paſſus eſſet in proſecutione cauſæ, vt rectè Suar. *num. 22.*

29. Decimotertio qværo, an alij ab Epiſcopo id etiam poſſint.

Alij tanquam amicabiles compoſitores, id etiam poſſunt. Respondeo & dico primo, ſi id faciant tamquam amicabiles compoſitores, non eſt dubium, tunc autem deberet compoſitio eſſe gratuita; atque adeò partes amicabiliter in id conuenire, vt ſuprà dictum eſt.

30. *Tanquam iudices etiam poſſunt, ſi ſint clerici.* Dico secvndo, ſi id faciant tamquam iudices & arbitratores per modum tráſactionis, ſuppoſito quòd ſint perſonæ Eccleſiaſticæ, videntur etiam id poſſe abſque interuentu Prælati; probatur ex *c. niſi. de præb. & c. de cætero. de tranſact.* tunc enim tamquam iudices arbitri id poſſunt, adiudicando beneficium ei qui vetum titulum habet, aut præſumitur habere, & imponendo onus aliquod temporale perſonæ, non autem beneficio, id enim abſque Prælato fieri non poteſt; ſic enim erit conforme iuſtitiæ, relinquendo beneficium ei, qui ius habet in illo qualecunque, & non excedet eorum poteſtatem impoſitio oneris perſonalis, vt colligi poteſt ex dictis *q. præced.*

31. *Tanquam arbitri etiam poſſunt.* Dico tertio, ſi id faciant tamquam arbitri per amicabilem compoſitionem, tunc aliqui negant poſſe imponere onus temporale; propterea quòd ex dictis capitibus colligatur illos arbitros fuiſſe iudices delegatos; Suarez tamen *n. 25.* cenſet id eos poſſe agere tãquam arbitros tantùm, ex *c. 2. de arbitris.* quod probabile eſt, vt ex Abbate *ibi*, & dictis iuribus probari poteſt. Hæc ſatis.

CAPVT XII.

De perſonis in quas poteſt cadere vitium ſimoniæ, atque adeò de eius cauſa ſufficiente.

HÆc ſola cauſa ſupereſt exponenda; & primò de ſummo Pontifice, an poſſit vitium ſimoniæ committere. Secundò quibus modis vitare ſimoniam poſſit. Tertiò an incidat in pœnas ſimoniæ. Quartò de inferiorib. Prælatis. Quintò in particulari de Epiſcopis quomodo eã committant in exercitio Pontificalium. Sextò quomodo in iudiciis. Septimò quomodo in diſpenſationibus concedendis & gratiis voluntariæ iuriſdictionis. Octauò de clericis, quomodo ſimoniam committant. Nonò de Religioſis. Decimò de laicis. Vndecimò de perſonis myſticis, ſeu communitatibus.

Primo qværo, an ſummus Pontifex ſimoniam committere poſſit. Suppono nõ eſſe quæſtionem de poteſtate committendi eiuſmodi peccatum ex parte liberæ voluntatis; certum enim eſt, non eſſe in bono confirmatum contra hoc vitium, vt dici poſſet, eum eſſe contra hæreſim, ſed eſſe defectibilem; dubitatio ſolùm eſſe poteſt ex parte materiæ, in qua eam committere poſſit, & circa quam ſimoniam, de iure diuino, an etiam de iure humano. 1.

Respondeo ergo, & dico primo, in omni materia, in qua committi poteſt ſimonia contra ius diuinum, poteſt etiam Papa in illa delinquere, ſi illam vendat pro temporali. eſt communis ex Suarez *c. 52. n. 3.* Ratio generatim eſt; quia vendere rem ſpiritualem pro temporali res eſt intrinſecè mala, & contra ius diuinum, Papa autem illi ſubditur; ergo, &c. *In materia ſimoniæ contra ius diuinũ Papa peccare poteſt.*

In particulari verò patet primò in Sacramentis, vt ſi venderet baptiſmum, vel ordines pro pecunia. Secundò in rebus ſacris, vt ſi venderet reliquias. Tertiò in doctrina fidei, ſi definitionem illius vendere vellet. Quartò in ipſa dignitate Pontificia, ſi renunciaret illi pro pretio tẽporali. Quintò in rebus ſacris ex inſtitutione Eccleſiæ, vt ſi vẽderet Agnos Dei, vel grana benedicta. Sextò in beneficiis Eccleſiaſticis ſi vendat ſpirituale ius beneficij. *Exempla.*

Dico secvndo, Papam multis modis & iuſtis titulis poſſe pecuniam accipere, vel applicare alteri cùm confert beneficium, abſque eo quòd vendat illud; atque adeò abſque eo quòd committat ſimoniam; poſſet enim ex paſtorali ſuprema prouidentia non cum intentione pretij, omnia efficere, quæ alij non poſſunt abſque ſimonia; quo pacto intelligendi ſunt aliqui DD. qui dixerunt, non poſſe cadere ſimoniam in Pontificem; quia ſcilicet facile poteſt illam vitare, vt dicemus, dummodo tollatur ſcandalum & ſpecies labis ſimoniæ. 2. *Poteſt vitare multis modis.*

Secvndo qværo, quibus modis vitare ſimoniam poſſit. 3.

Respondeo & dico primo, in contractibus circa res ſpirituales, qui iure tantùm Eccleſiaſtico ſunt ſimoniaci, Papa facile vitium ſimoniæ vitare poteſt; ſiue quia lege illa non teneatur, pertinet enim tantùm ad inferiores ex peculiari ratione, vnde eædem leges includunt ordinariè conditionem, niſi in ordine ad conſenſum & auctoritatem *In contractibus ſimoniacis impoſitiuo, facile Papa vitat ſimoniam.*

Pontificis

Digitized by Google

Pontificis vt de renunciantibus beneficiorum ſub conditione, vel modo, vel penſione; ſiue quia dato quòd iis ligaretur, poteſt facile ſecum diſpenſare, atque ita non committere ſimoniam contra tales leges. Abb. Felin.& alij Canoniſt. *in c.1. de ſimon. & c.ex parte 2.de off.deleg.* Sylueſt. *ſimonia. q.* 4. & alij cum Suar. *c.* 52. *n.7.*

Non obſtat primò quòd leges prohibentes venditiones officiorum temporalium Eccleſiæ videantur etiã comprehendere Papam, vt *c. ſaluator. 1. queſt.* 3. Reſpondeo enim tam ex forma legis, *ſi quis Epiſcopus*, quæ non comprehẽdit Papam, quam ex materia, quia nullus ſupremus Princeps prohibetur vendere officia vendibilia ſuæ Reipub. dummodo ſeruet naturalem iuſtitiam, Papa non comprehenditur iis legibus. Vnde etiam probabile erit non eſſe receptam à Põtificibus pro ſua Curia, vt docet Suar. *num.6.* ex Hoſt. Anton. de Butrio, & Tabiena.

Non obſtat ſecundò quòd Papa poteſt non habere animum diſpenſandi in illis legibus, vel diſpenſet ſine cauſa, atque adeò non valeat diſpenſatio. Reſpondeo enim & caſum moraliter eſſe impoſſibilem, hoc enim ipſo quòd vult ſic operari ſciens ſe poſſe diſpenſare, cenſetur id facere. & quando diſpenſaret ſine cauſa, peccaret quidem contra iuſtitiam diſtributiuam ad ſummum, non autem committeret ſimoniam, quia ſtante diſpoſitione valida etiam ſine cauſa, vtpote quæ pendeat à voluntate eius, auferret obligationem legis, atque adeò tolleretur materia ſimoniæ, vt rectè Suar. *n.* 8.

4\. TERTIO QVÆRO, an ſi committeret Papa ſimoniam, incideret in pœnas contra ſimoniacos.

Si committat ſimoniam, non incidit in pœnas.

RESPONDEO negatiuè, ex communi, vt teſtatur idem *n.9.* neque enim Papa ligatur ſuis legibus coactiuis, hæ autem tales ſunt; vt alibi dictũ eſt. Vnde ſequitur, neque poſſe in hac cauſa ab aliquo iudicari, etiamſi lato modo vocari ſoleat hæreſis.

5\. An autem in Curia committatur ſimonia, & ſi quæſtio ſit inter Canoniſtas, vt refert Syluester *ſimonia. q.* 4. propterea quòd in Curia ſit Papa, & Princeps, in Curia autem Principis non habet locum lex Iulia, de ambitu. vt Abb. *in c.1. de ſimon.* & alij. Attamen primò non eſt dubium quòd poſſit in Curia Romana committi ſimonia tam contra ius diuinum, quàm Eccleſiaſticũ, immo plures orationes in ea ſunt quàm alibi ob frequentiorem vſum dandi & accipiẽdi ſpiritualia, præſertim beneficia, diſpenſationes, & alias gratias. Secũdò quòd etiam officiales ipſi Curiæ & agentes cum ipſis, poſſunt committere ſimoniam, præcipuè confidentialẽ, non interueniente expreſſa, aut tacita diſpenſatione Pontificis. Tertiò ſi ſermo ſit de ſimonia commiſſa cum ipſo Papa, ſeu ipſo cooperante, tunc verum eſt vel non committi ſi ſit tantùm contra ius Eccleſiaſticum ob tacitam diſpenſationem, & ceſſationem legis ipſo ſciẽte, vt ſuprà diximus, vel facilè poſſe vitari ſi ſit etiam contra ius diuinum, vt diximus *queſt.præced.* & hoc modo interpretandi ſunt auctores citati, ita enim cum proportione locum habet lex Iulia, de ambitu, nempe de re quæ cum ipſo Principe, vel miniſtris eius de illius conſenſu geritur, vt pluribus Suar. *n.*10. & 11.

In Curia etiã Romana cõmitti poteſt ſimonia.

6\. QVARTO QVÆRO de inferioribus generatim.

Inferiores Prælati poſſunt eſſe ſimoniaci,

RESPONDEO & DICO PRIMO, certum eſſe hos committere poſſe ſimoniam; vnde *Extrau. 2. de ſimon.* nominãtur Cardinales, Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, &c. & iure, quia ſi maximè dare & accipere ſpiritualia poſſunt, & alioqui non vacant paſſionibus & affectibus, quibus appetatur ſimonia; ſiue agatur de ſimonia contra ius diuinum, ſiue contra ius humanum; vnde etiam pœnas incurrere poterunt Eccleſiaſticis iuribus inflictas; de quibus infrà *c.ſeq.*

DICO SECVNDO, idem dicendum eſſe de miniſtris, & officialibus Prælatorũ; eos nimirum ſimoniacos eſſe poſſe, vel cooperando Prælatis miniſtrãtibus ſpiritualia accepto pretio pro miniſterio, vel per ſeipſos, ſimoniam committendo, vt quia tranſgrediantur prohibitiones ad ipſos pertinentes, vt patebit ex dicendis. 7.

& miniſtri eorum.

QVINTO QVÆRO de Epiſcopis in particulari, quomodo ſimoniam committant in exercitio Pontificalium. 8.

RESPONDEO, & DICO PRIMO, præcipuum munus Epiſcopi poſitum eſſe in conferendo ſacramento Ordinis; de quo extat ius *cap. 1. de ſimon.* non debere Epiſcopum *manum quam imponit vendere*; & ſubditur, *Pro ordinatione igitur vel vſu pallij, ſeu chartis atque paſtellis eum qui ordinatur omnino aliquid dare prohibemus.* Idem *cap. nullus Abbas, & c. ſicut Epiſcopum. 1. quæſt.* 2. & nouiſſimè Trident. ſeſſ. 21. cap. 1. *nihil pro collatione quorumcumque ordinum, nec pro literis commiſſoriis, aut teſtimonialibus, nec alia quacumque de cauſa etiam ſponte oblatum, Epiſcopi, & alij Ordinum collatores, aut eorum miniſtri quouis prætextu recipiant.*

In conferendis ordinibus, Epiſcopus ſimoniam caueat.

DICO SECVNDO, notarium Epiſcopi, ſi habet ſalarium pro officio ſuo, non poſſe aliquid accipere, venderet enim quod tenetur gratis ex officio facere; ſi verò non habet, poteſt, neque enim tenetur gratis miniſtrare; vnde Trident. *loc. cit.* permittit, vt decimam partem aurei pro literis accipere poſſit, ſi ſalarium non habet, nec eſt contraria conſuetudo. Quòd ſi recipiat, quando gratis tenetur miniſtrare, licèt aliqui tantùm dicant peccare contra iuſtitiam; alij tamen probabilius cum Durand. Syluest. & Soto, quos refert & ſequitur Suar. *numer.* 8. aſſerunt etiam peccare contra Religionem, cuius intuitu prohibitio illa facta eſt: quãuis enim actio illa ſcribendi temporalis eſſe videatur; tamen eſt adnexa muneri ſpirituali conſequenter, nempe ordini ſuſcepto, cui teſtimonium illud debetur vt commodè exerceri poſſit: hinc eſt vt ab illo ſumat æſtimationem ſuam, & conſequenter nihil poſſit accipi tanquam pretium; Concilium autem permittens aliquid accipi quando non recipitur ſalarium, intelligit illud recipi per modum ſtipendij; quo pacto recipere non poteſt contra prohibitionem; eſſet enim ſaltem ſimonia præſumpta. 9.

Notarius quãdo non poſſit aliquid accipere.

Si recipiat, ſimoniacus erit.

SEXTO QVÆRO, quomodo ſimoniam committat in iudiciis. 10.

RESPONDEO, quoad ipſum Epiſcopum nil eſt peculiare in iure de hoc miniſterio, exercendi iuriſdictionem ſpiritualem tam voluntariam, abſoluẽdo, diſpenſando & huiuſmodi, quàm inuoluntariam, iudicando, puniendo, &c.

In iudiciis poteſt eſſe ſimoniacus, vt alij.

De Aduocato primò quæri ſolet, an poſſit vẽdere ſuũ patrocinium in cauſa ſpirituali. Et reſpondetur affirmatiuè, quia nec eſt ſimonia ex natura rei, cùm tantùm ad ipſum pertineat infor

Aduocatus vendere poteſt patrocinium etiam in cauſa ſpirituali.

informare & factũ aperire, oſtendendo iura quæ mouere iudicem poſſint; id autem totum vendibile eſt, nec contra ius Eccleſiaſticum, cùm nullum ſit Canonicum ius id prohibens; immo c. *non ſanè.* 14. *q.* 5. indifferenter dicitur, licere aduocato patrocinium ſuum vendere; cui conformis eſt communis conſuetudo.

11. *Teſtis in cauſa ſpirituali, quomodo ſimoniacus.*

Secundò de teſte duo ſunt accipienda. Primũ ſimoniam committere ſi pro teſtimonio dicendo in cauſa ſpirituali pecuniam accipiat; ratio eſt, quia teſtis æquiparatur iudici, & ſicut qui corrumpit iudicem in cauſa ſpirituali ſimoniacus eſt, ita qui teſtem, mediatè enim iudicem corrumpit quoad effectum, cùm hic teneatur iudicare iuxta probata; atque ita ſentiunt Ricard. Abb. Hoſtienſ. & alij cum Suarez *num.* 10. Secundò, ſi non corrumpatur, ſed ad veritatem dicendam inducatur, etiamſi detur ei pecunia in cauſa ſpirituali, non erit ſimonia ex parte dantis, quia fit ad vexationem redimendam, teſtis enim non vult aliter teſtificari, vt Vgol. *tab.* 1. *cap.* 53. §. 1. *num.* 2. & Suar. *num.* 11. Ex parte autem accipientis certum eſt eſſe primò iniuſtitiam, ex *cap. non ſanè.* 14. *q.* 5. & S. Th. *q.* 71. *art.* 4. *ad* 3. communiter recepto; ſimonia verò erit ſi recipiat in pretium, ſecùs ſi tanquam ſtipendium ſuſtentationis, quod ei prohibitum non eſt in iure, vel tanquam mercedem ſui laboris, vt approbat Suar. *loc. cit.*

12. *In beneficiis conferendis, Epiſcopus quomodo ſimoniacus ſit.*

SEPTIMO QVÆRO, quando ſimoniam committat in conferendis beneficiis.

RESPONDEO, non eſſe ſpecialem rationem, nec difficultatem; ſi enim pro inſtitutione, collatione, reſignatione, permutatione, vel alia prouiſione, recipiat quid temporale, ſimoniam committet.

Notarij quomodo.

Quoad miniſtros primò de Notariis non eſt ſpecialis prohibitio, quòd non poſſint accipere aliquid pro expeditionibus beneficiorum, vt literarum & huiuſmodi, cauendum tantùm eſt, ne ſpiritualis materiæ creatione cariùs vendantur, ſic enim non effugient ſimoniam, quòd ſi excedant in mercede & ſalario conuento, iniuſtitiã committere poterunt; non autem ſimoniam, vt Suarez *num.* 12. Secundò de dantibus pecuniam familiaribus, aut amicis Prælator, vt per eos obtineant à Prælatis beneficium, vel aliam ſimilem gratiam, vt Diſpenſationem, Indulgentiam, &c. & ſi videri poſſint excuſatione ſimoniaca digni, propterea quòd mediatores ij ſolam gratiam poſtulent à Prælatis, hique faciant abſque vlla receptione pecuniæ; tamen communis DD. ſententia ex Suarez *numer.* 14. damnat tanquam ſimoniacos, tum quia beneficium verè media pecunia obtinetur, neque enim à ſolo collatore datur, ſed à mediatore etiam illum ob pecuniam receptam inducẽte, tum quia non ſolùm dare, ſed etiam recipere beneficium pro pecunia, ſimoniacum eſt, & quia nemo recipit pro pecunia, niſi aliquis etiam ſit qui det; ideo ex parte dantis debet etiam conſiderari mediator; qui ſuo modo, vt diximus, inducendo, beneficium dat pro pecunia: tum denique, quia iure Canonico etiam hæc ſimonia per mediatorem damnatur, vt patet ex *cap. ſtatuimus.* 1. 1. *quæſt.* 1. *& cap. præſentium.* 1. *quæſt.* 5. Quòd ſi mediator non interponat interceſſionem, ſed tantùm facilem aditum tribuat oratori, vt patet à Prælato; vel tantùm aſſumat curam informandi Prælatum de meritis oratoris, non aſſumat autem officium exhortantis & inducentis ad faciendam gratiam ob proprium meritum & obſequium; vel denique ſi detur aliquid tantùm pro labore ſuſcepto eundi & redeundi, pro damno quod ea de cauſa paſſus eſſet; vel pro lucro quod amiſiſſet; excuſant multi DD. à ſimonia einſmodi dantes, vt Adrian. Palud. & Nauarr. ex Suar. *numer.* 17. & ſequitur eorum ſententiam ipſe Suarez ex parte, & limitatè, ita vt non plus ſumatur quàm vel obſequium, vel labor, vel damnum mereatur, vel non tranſcendantur limites informantis, & ſumatur pecunia per modum ſtipendij, non autem pretij. Quibus addendum, fieri ſæpe poſſe, vt etiamſi vitetur ſimoniæ vitium, & pœna adiuncta ob rationes dictas; non vitetur excommunicatio, & nullitas gratiæ obtentæ ob incurſionem in conſtitutionem Gregor. XIII. de datis & acceptis pro gratia vel iuſtitia, de qua ſuo loco diximus.

Danies pecuniam familiaribus.

Mediator, quando liber à ſimonia.

OCTAVO QVÆRO de clericis, quomodo ſimoniam committant. 13.

RESPONDEO, & DICO PRIMO, Clerici omnes à ſacerdotio vſque ad primam tonſuram, ſimoniaci eſſe poſſunt dando temporalia pro ſpiritualibus: vt ſi ordines recipiant, etiam primam tonſuram per pecuniam. Secundò, ſi beneficia emant eodem modo pro ſeipſis. Tertiò ſi officia Eccleſiaſtica eodem modo. Quartò ſi ea quæ ordinantur ad hæc obtinenda, pari ratione emant, vt præſentationes, electiones, nominationes, poſtulationes, & ſimilia.

Clerici, quomodo ſimoniaci.

DICO SECVNDO, poſſunt etiam iidẽ ſimoniaci eſſe miniſtrando ſpiritualia pro temporalibus. Verùm de his ſuprà dictum eſt *c.* 3. 4. *&* 5. præſertim cùm de functionibus clericorum. Clerici autem primæ tonſuræ etſi quoad actus ordinis delinquere eo modo non poſſint; at quoad actus iuriſdictionis bene poſſunt. ideóque rectè omnes clerici etiam primæ tonſuræ peccare poſſunt miniſtrando ſpiritualia pro temporalibus. Atque hæc quæ dicta ſunt de clericis, intelligi debent de ſimonia quam committere ipſi poſſunt vt tales ſunt, quatenus enim laici, etiam aliis modis delinquere poſſunt, vt conſtabit ex *q.* 10. 14.

Quomodo miniſtrando ſpiritualia.

NONO QVÆRO de Religioſis, quomodo ſimoniam committant. 15.

RESPONDEO, & DICO PRIMO, Religioſos vt clericos, poſſe peccare omnibus modis, quos diximus *quæſt. præcedent.* de clericis. Primò enim ſi vendant functiones ordinum, vel emant, ſimonia ſunt, vt ſi vendat confeſſiones, conciones, ſepulturam, ſeu funus; ſi emant poteſtatem, ſeu licentiam confeſſiones audiendi, approbationem ab Epiſcopo, præſentationem ſui Prælati, & ſimilia, ſunt enim ſpiritualia, vel ad ſpiritualia ordinantur. Secundò ſi vendant, vel emant poteſtatem iuriſdictionis ſpiritualis quoad beneficia regularia quorum capaces ſunt, & vicariam, &c. Tertiò quoad officia Ordinis religioſi, vt Prælationes, Abbatias, Prioratus, de quibus *cap. non ſatis. cap. mandato. de ſimon. & cap.* 2. §. *prioratus. de ſtat. monach.* Inter quæ etiam connumerari poteſt officium Sacriſtæ, Procuratoris Ordinis, & ſimilia, tum quia aliquo modo ſunt Eccleſiaſtica; tum quia de his etiam loquitur. *cap. ſaluator.* 1. *quæſt.* 3. prohibens eiuſmodi officia vendi, vel emi, vt aduertit Suarez *c.* 54. *num.* 3.

Religioſi, quomodo.

DICO

Digitized by Google

16. *Etiam vt Religioſi poſſunt eſſe ſimoniaci.* DICO SECVNDO, Religioſos vt Religioſi ſunt, vel fiunt, poſſe etiã eſſe ſimoniacos. Primò enim ſi dent ſpirituale pro temporali, vt ſi pro pretio religioſum recipiãt, conferunt enim habitum vel profeſſionem quæ res ſpiritualis eſt. eodémque modo peccant cooperantes aliquo modo ad receptionem vel profeſſionem pro pecunia; ipſe verò qui recipitur peccat ſimoniacè recipiendo rem ſpiritualem, nempe habitum, vel profeſſionem. Secundò ſi contrà dent temporale pro ſpirituali, ſimoniaci etiã erunt, vt ſi munus aliquid, vel promiſſionem eius dent alteri vt religioſus fiat, licèt enim hîc tantùm videatur tradere perſonam quæ ſecundùm ſe pretio æſtimabilis eſt, & tantùm antecedenter connexa rei ſpirituali, vt calix; tamen quia ſolùm emitur perſona, vt faciat ſpiritualem ſui traditionem per profeſſionem, ideo ſimonia erit, vt rectè aduertit Suar. *n.4.* & conſtat ex *c. quàm pio.1.q.2.*

17. DECIMO QVÆRO de laicis, quomodo ſimoniam committant.

Laici, quomodo. RESPONDEO & DICO PRIMO, laicos adultorum, omnes poſſe ſimoniam committere vel dando ſpiritualia quæ poſſunt, vel recipiendo pro pretio. Eſt res ſatis certa, & ſolùm affero nonnullos modos, quibus id poteſt contingere: *Quibus modis.* primò ſi baptiſmum dent abſque ſolemnitate. Secundò ſi præſentent ad beneficia, vt ſi ſint Patroni. Tertiò ſi Notarius det adnexa ſpiritualibus modo ſupradicto. Quartò ſi ſua ſpiritualia bona opera quatenus talia ſunt, vendunt pro pretio. Quintò ſi res ſacras cariùs vendunt ratione ſpiritualitatis. Sextò ſi recipiant ſpiritualia pro pretio, quo pacto frequentiùs ſimonia committi poteſt à laicis. Septimò ſi vendant cooperationem ad functiones ſpirituales quatenus tales ſunt, vt miniſtrationem ad Miſſam, ad præſentationem, collationem Baptiſmi & confirmationis, veluti ſuſceptores, &c. Octauò cooperando aliorum peccatis, conſentiendo, non reſiſtendo cùm poſſunt & tenentur.

18. *Infideles etiã poſſunt eſſe ſimoniaci.* DICO SECVNDO, etiam infideles poſſe committere ſimoniam. Primò quidem in propria materia eorum, & inter ſe, ex conſcientia erronea, dando & recipiendo ſpiritualia pro pretio. Secundò cum fidelibus contrahendo, vel communicando eorum peccatis. Sic Gentilis emendo baptiſmum pro filio; vel ordinem, vt Epiſcopatum pro amico fideli; ſimoniam committeret, non tamen incideret in pœnas ordinarias ſimoniæ, ſed ad ſummum ſi eſſet ſubiectus temporaliter Principibus Chriſtianis poſſet pœna extraordinaria puniri, vt rectè docet Suar. *c.54.n.8.*

19. VNDECIMO QVÆRO de communitatibus & Capitulis, quomodo ſimoniam committant.

Communitates etiam ſimoniacæ. RESPONDEO etiam communitates, vt Capitula, Collegia, & communitates laicorum, committere poſſe ſimoniam, & capaces eſſe cenſurarum quæ pro ea inflictæ ſunt. Eſt ſatis certa, nam eæ quoque poſſunt emere & vendere ſpiritualia; & de emptione, in capitulis & communitatibus Eccleſiaſticis frequenter id poteſt contingere, vt ſi emant iuriſdictionem ſpiritualem, iura ſpiritualia, dignitates, & ſimilia; in laicis etiam eſſe poteſt vt ſi emant ius patronatus. De venditione eodem modo, ſi ius præſentandi, præſentationem ipſam, beneficia, & huiuſmodi darent pro pretio.

Quid requiratur. Ad hoc autem vt communitas hoc vitio delinquat, debet actio quæ fit ſimoniacè, exerceri à toto Capitulo vt ſic, hoc eſt, ab omnibus de Capitulo, vel communitate communicato conſilio, & ſimul congregatis omnibus, ita vt per modum vnius concurrant. Quòd ſi non conſentiant ſinguli, ſed maior pars, tunc ij qui non conſenſerunt coram Deo ſimoniaci non ſunt; at quoad pœnas in foro externo ob cõiunctionem cum tota communitate, participare aliquas poſſunt; vt dicetur infrà ſuo loco.

CAPVT XIII.

De variis pœnis ſimoniæ.

AGetur de pœnis Eccleſiaſtico iure inflictis. & primò an pro ſimonia in quacunque materia incurratur aliqua pœna. Secundò an pro quocunque modo ſimoniæ incurratur pœna. Tertiò an ſit neceſſe ad incurrendas pœnas, vt ſimonia committatur per largitionem rei temporalis, an verò ſufficiat etiam permutatio rei ſpiritualis pro ſpirituali, quæ prohibita ſit. Quartò quæ cenſuræ incurrãtur per ſimoniam. Quintò quæ priuationes incurrantur, & primò de irritatione actus, ex qua oritur obligatio ad dimittendam rem ſimoniacè acquiſitam, & reddendum pretium, & primò in functionibus ſpiritualibus. Sextò de irritatione in rebus permanentibus ſacris ſeu ſpiritualibus. Septimò quomodo amplietur pœna illa in beneficiis. Octauò de priuatione aliorum beneficiorum ipſo facto, & inhabilitate ad illa. Nonò de pretio reſtituendo, quo iure, & regulis pro reſtitutione. Decimò de pretio ſimoniacè comparato, an ſit reſtituendum in conſcientia, & cui. Vndecimò de diſpenſatione circa ſimoniam.

PRIMO QVÆRO, an pro ſimonia in quacunque materia incurratur aliqua pœna. 1.

RESPONDEO, & DICO PRIMO, ante Paulum II. qui fuit anno 1465. nulla erat iure aliquo pœna lata ipſo facto contra omnes ſimoniacos. *Olim, an ipſo facto ſimoniaci incurrerent pœnam.* Probatur, quia nulla talis neque in prima cauſa Decreti, in qua agitur de ſimoniacis, neque in tit. de ſimon. reperitur, ex Suarez *c.55.n.1.* Quòd autem publicus ſimoniacus eo ipſo fuerit ſuſpenſus, ita vt nec illi celebrare, nec aliis intereſſe eius ſacro licitum eſſet, ex *c. præter. §. verum. d.32.* Reſpondendũ eſt, neque illam fuiſſe pœnam propriam ſimoniacorum; ſed quorumcunque enormium peccatorum, qui publici eſſent; neque propriam cenſuram, aut irregularitatem; ſed indecentiam quamdam conſequentem ſtatum publici peccati, vt diximus cùm de publico concubinario *in tract. de ſuſpenſione.*

DICO SECVNDO, poſt Extrauagantem Pauli II. non incurritur pœna ipſo iure ex parte materiæ pro ſimonia, niſi in ordine, beneficio & ingreſſu Religionis. 2. *In qua materia, pœna incurrantur.* eſt communis DD. qui poſt ipſum ſcripſere, vt Ang. Syluest. Redoan. Caiet. Nauar. & aliorum quos refert & ſequitur Suar. *num.5.* & quidem quòd in illis tribus incurrantur pœnæ, patebit ex dicendis infrà; quòd in aliis non incurrantur, patet, quia nec ante illam Extrauagantem lata eſt pœna aliqua ipſo

 facto,

Digitized by Google

facto, vt diximus concluſione præcedente; nec per ipſum; quamuis enim initio eius confirmentur, & innouentur omnes cenſuræ latæ contra ſimoniacos, & extendantur ad omnes cuiuſcunque ſtatus, aut eminentiæ fuerint, tam publicos, quàm occultos, & addatur, *quas ipſo facto eos incurrere volumus*; attamen, vel eiuſmodi verba non ſunt vſu communi recepta cum illo vigore, ſed ita vt egeant iudicis ſententia, vel conſuetudo ita illa interpretata eſt; vel ſolùm per illam facta eſt ampliatio pœnarum ad ſimoniacos occultos, vt notauit Felin. *in c. de ſimoniacè. de ſimon. in fine*; atque adeò voluit tantùm vt quæ ſententiæ latæ erant pro ſimoniacis publicis, nunc etiam ipſo facto comprehenderent occultos.

3. *Excommunicatio incurritur, in ordine, beneficio, & ingreſſu Religionis.*

Eodémque modo dicendum eſt, excommunicationem quæ infligitur ipſo facto contra vniuerſos & ſingulos, qui quomodolibet dando, vel recipiendo ſimoniam commiſerint, intelligendam eſſe iuxta ſubiectam materiam, de ordine, & beneficio; eius enim intentio fuit punire hæc duo genera ſimoniæ, in ordine, & beneficio; ideóque expreſſit verbum illud *huiuſmodi*, in nonnullis clauſulis illius Bullæ; quod etiam confirmari poteſt ex eo, quòd *in Extrau. etſi Dominici. 1. de pœn. & remiſ.* idem Paulus II. ſolam ſimoniam in ordinatione & beneficio ponit caſum reſeruatum; idémque declarauit Six. IV. *Etſi Dominici de ſimon.* & Pius V. in Bulla *cum primum*, quinta, iis verbis, *& delinquentes tam in ſacrorum ordinum, quàm in beneficiorum aſſecutione ſtatutis etiam inferiùs pœnis affici volumus.* Denique ſi quæ aliæ Extrauagantes referantur, vt Martini V. Eugenij IV. illæ quidem tantùm tractant de ſimonia in ordine, & beneficiis; quæ verò ſub nomine Eugenij refertur, eadem eſt cum illa Pauli II. & per æquiuocationem attributa eſt Eugenio; vt aduertit Suar. *n. 6.*

4. SECVNDO QVÆRO, an pro quocunque modo ſimoniæ incurrantur pœnæ. Senſus eſt, an pro ſimonia mentali, vel conuentionali etiam incurrantur pœnæ in ordine & beneficio, ſicut dicemus incurri pro ſimonia reali.

Pro mentali non incurritur pœna.

RESPONDEO & DICO PRIMO, pro ſimonia mentali non incurri. Et quidem ſi ſermo ſit de mentali purè interna, nullo opere externo ſubſecuto, certiſſimum eſt; quia cenſuræ tantùm comprehendunt actus externos; nec iuriſdictio humana extenditur ad actus purè internos, vt alibi dictum eſt. Si verò de mentali prodeunte in actum externum, dando vel recipiendo, hæc neque comprehenditur ex *c. vlt. de ſim.* vt infrà; probabile tamen eſt, poſſe tale factum puniri ab Eccleſia.

5. *Nec pro conuentionali pura.*

DICO SECVNDO, pro ſimonia conuentionali pura, hoc eſt, abſque reali adiuncta, probabilius eſt, non incurri de facto pœnas latas contra ſimoniacos. eſt communis ſententia Theologorum, & Iuriſtarum, ex Suar. *n. 12.* & probatur, tum quia iura punientia ſimoniam non vtuntur verbis quæ ſolas conuentiones ſignificent, ſed dationes & receptiones ex conuentionibus ſecutas; ita *in Extrau. 2. de ſim.* dicitur, *qui ſimoniacè ordinati fuerint*, & infrà, *qui quomodolibet dando vel recipiendo ſimoniam commiſerint.* eodémque modo alia iura antiqua, *c. Preſbyter. 1. q. 1. c. reperiuntur. c. ſi quis Epiſcopus. eod. & c. Saluator. c. ex multis, 1. q. 3.* & alibi. Ergo ex vi talium iurium non incurruntur pœnæ per ſimoniam purè conuentionalem; pœna enim lege impoſita, non incurritur, donec actio quæ lege punitur, compleatur: tum quia leges pœnales reſtringendæ ſunt, & non eſt attendenda ſola malitia actus, ſed etiam effectus illius conſummatus; verba autem ex dictis non tantùm ſignificant culpam, verùm etiam poſtulant actiones quæ vltra conuentionem dicant executionem; ergo, &c.

Non obſtat, quòd ſimonia conuentionalis puniri poſſit, conuentionalis autem vtpote vera ſimonia comprehendatur ſub lege puniente veram ſimoniam, vt refertur ſenſiſſe Tancred. à gloſ. *in c. tua nos. de ſimon. v. culpabiles*; & ſequitur Redoan. *4. p. c. 9. n. 2.* Reſpondeo enim, leges non punire de facto omnem veram ſimoniam externam, ſed eam ſolùm, quæ executioni dando vel recipiendo commiſſa eſt, vt diximus; non ſufficit autem, eam poſſe puniri ab Eccleſia.

DICO TERTIO, non ſufficere vltra conuentionem, proceſſum eſſe ad dandum pretium pro re ſpirituali nondum accepta. Ratio eſt, quia id non excedit ſimoniam conuentionalem, realis enim nondum eſt: at per conuentionalem non incurruntur pœnæ ex præcedenti concluſione; ergo & iura etiam quæ de punibili ſimonia loquuntur, ſemper requirunt traditionem rei ſpiritualis; qua perficitur irreuerentia, & ſacrilega acquiſitio eius. An autem ſufficiat datio rei ſpiritualis ante pretij receptionem, infrà diſcutietur, eam tamen neque ſufficere ſine pretij ſaltem aliqua parte, probabilius tenemus, & verò ita in praxi res ſe habet in S. Pœnitentiaria, Prætoria, &c. 6. *Nec ſufficit pretium eſſe datum, non accepta re ſpirituali.*

TERTIO QVÆRO, an ſit neceſſe ad incurrendas pœnas, vt ſimonia committatur per largitionem rei temporalis, an verò ſufficiat etiam permutatio rei ſpiritualis prohibitæ pro re ſpirituali. v. g. an in permutatione beneficiorum abſque legitima Prælati auctoritate, incurrantur pœnæ ſimoniæ. 7.

RESPONDEO incurri, ita vt regula generalis ſit, pœnas generatim latas contra ſimoniam comprehendere omnem ſimoniam ſiue iure diuino, ſiue Eccleſiaſtico tantùm prohibitam, niſi ex verbis legis aliud conſtet. Ratio eſt, tum quia *c. de hoc. de ſimon.* punitur perpetua depoſitione ſimonia contra ius Eccleſiaſticum, promiſſio nempe beneficij pro ſuffragio in electione ad Epiſcopatum. & *Extrauag. 2. de ſimon.* non ſolùm damnetur ſimonia contra diuinū ius, verùm etiam ea quæ eſt contra Eccleſiaſticum; & pro ea ſubiiciuntur pœnæ; tum quia talis eſt vera ſimonia, & ſimpliciter talis; ergo comprehendetur ſub generali lege puniēte ſimoniam, vnde quamuis controuerſia ſit, an pecuniam exigere pro beneficio, ſit ſimonia contra ius diuinum, vel humanum, tamen certum eſt illam eſſe propriam ſimoniam, & ſubiectam eſſe pœnis ſimoniæ. Atque hæc ſententia eſt probabilis & recepta communi praxi etiā in S. Pœnitentiaria, eámque pluribus confirmat Suarez *num. 20.* & probat eam eſſe Nauar. quamuis ſoleat in contraria ſententia citari, vnà cum Arrog. & Pet. Nauar. qui ex eo quòd eiuſmodi ſimonia videatur minus grauis, vtpote contra ius Eccleſiaſticum tantùm, & leges pœnales reſtringendæ ſint; intulerunt pœnas contra ſimoniam; tantùm comprehendere ſimo- *Etiam pro ſimonia de iure humano incurruntur pœnæ.*

niam

Digitized by Google

niam contra ius diuinum; ſed iam contrarium dictum eſt, & quicquid ſit de minori grauitate quoad culpam, certè eodem modo quoad

8. *Niſi aliud ex verbis conſtet.*

pœnas, vtraque punita eſt. Dixi, *niſi ex verbis legis aliud conſtet*, quia tunc ſignum eſſet legiſlatorem noluiſſe comprehendere talem ſimoniam. Sic rectè dicitur, legem punientem ſimoniam in beneficiis non comprehendere venditionem penſionis; quia hæc propriè beneficium non eſt. Non ita ſi detur beneficium pro penſione priuata auctoritate; hæc enim ſimonia eſt in beneficio. Sic etiam lex prohibens & puniens ſimoniam in beneficiis, probabile eſt quòd non comprehendat ſimoniam in venditione officij temporalis, vt œconomi, &c. quia non eſt beneficium Eccleſiaſticum. & vendens ius patronatus non punitur pœna vendentis beneficium. Poteſt etiam aliquando contingere vt puniatur lege ſimonia contra ius canonicum, & non contra diuinum, vt in pœna excommunicationis contra ſimoniam confidentialem, vel contra renunciantes beneficia aliter quàm præſcriptum ſit à Pio V. in Bulla *Quanta*. nec mirum, quia ſæpe puniuntur grauius aliqua delicta contra ius humanum ex eo quòd frequentiora ſint, vel perniciosiora communitati, quàm contra ius diuinum.

9. QVARTO QVÆRO, quæ cenſuræ incurrantur per ſimoniam.

Excommunicatio maior incurritur. Per ſimoniam in ordine.

RESPONDEO & DICO PRIMO, incurri maiorem excommunicationem Papæ reſeruatam. Et primò per ſimoniam in ordine incurri excommunicationem, patet ex Bulla Paul. II. *cùm deteſtabile*. comprehendi autem etiam primã tonſuram probabilius eſt; quia per eam conſtituitur quis in ordine clericorum, & ſicut incurruntur aliæ pœnæ per ſimoniam in prima tõſura; ita etiam par eſt incurrere excommunicationem; vt cum Vgol. ſentit Suar. *c.56. num.5.* licèt contrarium putet Leſſ. *c.35. dub.25.* non ita comprehenditur Notarius, qui pro literis dimiſſoriis, vel ſigillo aliquid accipit contra prohibitionem in Trid. *ſeſſ.21. c.1.* quia verè ordinatus ordines ſuſcepit abſque ſimonia.

10. *Beneficio.*

Secundò per ſimoniam in beneficio etiam incurri expreſſum eſt d. conſtitutione, *deteſtabile*. & confirmatum in Bulla Pij V. de qua ſuprà. extenditur autem ad quoſcunque conferentes beneficia & acquirentes. Item ad mediatores, ſicut etiam extenditur in ſimonia in ordine. Caiet. *excommunicatio. c.72.* non tamen extenditur ad ſcientes & non reuelantes; hi enim ſimoniaci non ſunt, etſi faciant contra præceptum, quod tamen non videtur receptum, vt alibi diximus.

11. *Ingreſſu Religionis.*

Tertiò incurri per ſimoniam in ingreſſu Religionis, patet *Extrau. 1. de ſimon.* de qua diximus ſuo loco cùm de excommunicationibus reſeruatis Papæ. Addendum, incurri tantùm à Religioſis aliquid exigentibus pro ingreſſu, non ab ingrediente, ſi quid exigat à Monaſterio, vt ingrediatur. quamuis enim committat ſimoniam, non tamen punitur excommunicatione, quia non eſt hic caſus expreſſus in ea Extrau. vt adnotauit Suar. *num.7.* Probabile item eſt, non incurri niſi quando fit profeſſio, tunc enim cõſummatur traditio rei ſpiritualis; etſi probabilius & in ingreſſu, & in profeſſione incurri, ſi per ſimoniam vtraque actio fiat.

12. *Et præterea ſuſpenſio aliqua.*

DICO SECVNDO, incurri ſuſpenſionem aliquam per ſimoniam in tribus materiis dictis. Primò ergo ſuſpenditur Capitulum ab omni actu Capitulari quod requirat iuriſdictionem, vel adminiſtrationem Eccleſiaſticam. Secundò recipientes ordines ſimoniacè ipſo iure ſuſpenſi ſunt ab executione ſuorum ordinum. *Extrau. 1. de ſimon.* vt diximus cùm de ſuſpenſione. Ex vi autem Bullæ Pij V. Ordinatus ſimoniacè, pro decennio caret ſpe diſpenſationis, intellige de ſimoniaco declarato tali per ſententiam. Tertiò conferentes ordines ſimoniacè, etſi probabile ſit iure antiquo non incurriſſe ſuſpenſionem niſi quando ſimonia erat publica; tamen iure nouo Six. V. in Bulla contra malè promotos, incurrunt ſuſpenſionem à collatione quoruncunque ordinum, etiam primæ tonſuræ, & ab executione omnium munerum Pontificalium: & quamuis Clemens VIII. reduxerit eam Bullam ad terminos iuris communis, tamen excepit pœnas contra ſimoniacos inflictas; vt pluribus Suar. *c.56. numero 15.* Additur etiam ſpecialis pœna interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ, & ſi contra ſuſpenſionem, aut interdictum fieret, incurreretur ſuſpenſio ab adminiſtratione Eccleſiæ, & à perceptione fructuum omnium ſuorum beneficiorum.

Non incurritur autem propter collationem, vel receptionem beneficij ſimoniacam, aliqua ſuſpenſio ab officio, vel beneficio, vt alibi diximus, & docet Nau. *c.23. n.111. ad 14.* ex communi Canoniſtarum, & Suar. *loc. cit. num.16.* Solùm receptio talis nulla eſt, & conſequenter neque fructus illius acquiruntur, vt idem *n.19.* Nec etiam per ſimoniam in ordine incurritur ſuſpẽſio ab officio & beneficio, ſed tantùm ordinatus ſuſpenſus eſt ab executione ſuorum ordinum, vt idem *n.18.* quòd ſi exequatur, incurretur irregularitas.

DICO SECVNDO, non incurri aliam pœnam canonicam, vt irregularitatem, infamiam, vel depoſitionem. & primò de irregularitate ita accipiendũ eſt, eam nõ incurri immediatè, & per ſe, quia nullibi expreſſa eſt, teſte Suar. *c.56. num.20.* Mediatè enim & ratione violationis cenſuræ, vt excommunicationis, vel ſuſpenſionis, vel interdicti modis dictis, vtique incurri poterit. Secundò de infamia canonica, quæ ſcilicet ſit pœna iuris, & inducat impedimentum canonicum irregularitatis, conſtat ex omnium DD. ſententia apud Suar. *num. 21.* & ex *c. ſanè. 15. q. 3.* non incurri eam ipſo facto, ſed per ſolam iudicis condemnationem. Infamia autem quæ ſit facti, ſi factum publicum ſit, incurri poterit, ſicut per alia publica delicta enormia; ſed hæc non eſt pœna, ſed effectus tantùm proueniẽs ex publica actione. Tertiò de depoſitione eodem modo dicendum, non incurri ipſo iure; ſed imponendam eſſe per ſententiam iudicis, vt pluribus Suar. *num.22.* 13. *Alia pœna canonica non incurritur.*

QVINTO QVÆRO, quando incurrantur hæ pœnæ quas diximus, excommunicationis & ſuſpenſionis. 14.

RESPONDEO & DICO PRIMO, incurri ſtatim atque conſummatũ eſt delictum ſimoniæ, ſiue publicum, ſiue occultum ſit. Et quidem primò per mentalem non incurri, conſtat ex *q. 2.* etiãſi ſecuta ſit datio & receptio externa. Secundò per conuentionalem puram neque incurri, patet ex *eadem q.* Tertiò, per realem inchoatam ſolutione pretij, ſed non executam datione rei ſpiritualis. probatur, quia ſuſpen- *Statim ac ſimonia commiſſa eſt, incurruntur pœnæ.*

Digitized by Google

ſuſpenſio non habet locum niſi in ordinato, vel ordinante, atque adeò neceſſe eſt ordines aut receptos ab ordinatis, aut contuliſſe eos qui ordinantes ſunt. Excommunicatio etiam non incurritur niſi dando & recipiendo, vtique ordines, aut beneficia, atque adeò per dationem rei ſpiritualis. Dubitatio tantùm eſt, an quando præceſſit datio rei ſpiritualis cum promiſſione pretij, ſed nondum ſoluti, eæ incurrantur ſtatim.

15. *Traditio ſola rei ſpiritualis inducit ſimoniam ex probabili ſententia, & quoad pœnas.*

DICO SECVNDO, quamuis de rigore iuris probabilis ſententia ſit, ſufficere traditionem rei ſpiritualis ſub promiſſione pretij, ad incurrendas cenſuras, tamen de æquitate & praxi Romanæ Curiæ, & ſacræ Pœnitentiariæ ſic interpretante ius probabilius etiam videtur nõ incurri, niſi perfecta, & conſummata traditione etiam rei temporalis. Prima pars eſt de mente aliquorum ex Theologis, vt S.Thom. Caiet. Riccar. Gabr. & Palud. apud Suarez *c.56. n.26.* Iura enim tantùm videntur requirere dationem rei ſpiritualis, *omnes qui ſimoniacè ordinati fuerint, à ſuorum ſint ordinum executione ſuſpenſi*, ita in Bulla de ſimonia: at qui ordinantur cum promiſſione, ſimoniacè ſunt ordinati; ergo,&c. Idem de excõmunicationis pœna; tantùm enim ad eam requiritur, vt *quomodolibet dando vel recipiendo* ſimonia committatur, ex *eadem Extrau.* vt qui recipit ſpiritualia cum promiſſione pretij, recipiendo ſimoniam committit; ergo.quod confirmat Suar. à *n.* 30. multis aliis rationibus pro hac ſententia adductis.

16. *Probabilius & magis receptum, acquiri etiam traditionem rei temporalis.*

Secunda verò pars confirmari poteſt;tum primò auctoritate præcipui cuiuſque ex recentioribus, vt Nauar. *c.23. num.*103. Couar. *reg. peccatum.* 2. *p.* §.8. *num.*7. & 8. Vgol. *tab.*3. *c.* 5. Salſed. *in Pract.* Diaz *c.*91. §*ſexto.* Leſſij *c.*35. *n.* 149. Azor. *lib.*12. *c.*20. Suar. *num.*33. qui citat etiam Gomeſ. & Caſſad. tum ſecundò, quia etiam in proprietate verborum ſimonia illa cõuentionalis eſt; & ſic eam appellat Gomeſ. *in reg. de Trien. q.*12. & refert ita ſenſiſſe Rotam; realis enim completa non eſt, niſi ex vtraque parte ſecuta ſit traditio & receptio; tum denique tertiò ex Curiæ ſtilo & conſuetudine ita interpretante iura, & Bullas de ſimonia: Curiæ autem ſtilus facit legem, ſupponitur enim conſenſus Pontificis, qui ſolus ſufficeret ad derogandum rigori iuris, ſi quæ contraria eſſent.

17. *Cenſura non retrotrahuntur.*

DICO TERTIO, cenſuras quæ incurruntur ſtatim poſt traditionem pretij promiſſi,iuxta dicta præced. concluſione, non retrotrahi ad diem commiſſi criminis per traditionem rei ſpiritualis ſub promiſſione. Suarez *n.*34. contra Nauarrum *loc.cit.* & alios qui eum ſequuntur. Ratio eſt, quia nec habet fundamentum hæc retrotractio in Extrauang. hæc enim non inducit pœnas niſi in ſimoniam realem vtrinque completam; nec in aliquo alio iure,aut conſuetudine, vel Curiæ ſtilo, neque enim is qui ordines eo modo recepit ſimoniacè, reputatur propterea fuiſſe excommunicatus, vel ſuſpenſus à tempore ordinationis, ſi poſt hebdomadam,v. g. vel menſem pecuniam promiſſam ſoluit; vnde nec irregularitatem reputatur incurriſſe,nec fructus non feciſſe ſuos, nec actus iuriſdictionis inualidos exercuiſſe; quamuis poſſit quoad fructus condemnari in die ordinationis,vel beneficij recepti.

18. Ex his ſequitur, in poteſtate ſimoniaci eſſe non incurrere cenſuras poſt ordinem, vel beneficium acceptum; nam ſi pretium promiſſum non ſoluat, ſimonia non fiet realis, & conſequenter non incurretur cenſura; neq; propterea datur liberior poteſtas peccandi ſimoniacè, ſed tantùm non tam rigoroſè delictum punitur; quod iuſtis aliis rationibus fieri potuit.

In poteſtate ſimoniaci eſſe non incurrere cenſuras poſt beneficium acceptum.

19. SEXTO QVÆRO, quæ priuationes incurrantur, & primò an actio ſacra,& functio ſpiritualis valida ſit.Pro reſpõſione aduertendũ, res quæ poſſunt eſſe materia ſimoniæ, alias eſſe actiones ſeu functiones ſpirituales, quæ vel relinquunt poſt ſe effectum, vt ordinatio ſacerdotum,conſecratio Epiſcoporum,& aliarum rerum ſacrarum, remanet enim res illa conſecrata; vel non relinquunt, vt benedictio nubentium, vel ciborũ,oratio, & ſimiles. Alias eſſe res ſacras permanentes,quæ transferuntur de vno in aliũ, vel cùm antea vacarent, alicui de nouo conferuntur, vt ſunt beneficia, & aliæ res ſacræ, vt Calices, Reliquiæ, & ſimilia. In hac q.agimus tantùm de functionibus ſacris.

Variæ actiones, ſunt materia ſimoniæ.

20. *Actiones ſacræ ſimoniacè factæ, validæ ſunt.*

RESPONDEO ergo,& DICO PRIMO, generaliter actiones & functiones ſacræ,etiamſi factæ ſint ſimoniacè; tamen validæ ſunt, & habent ſuos effectus; niſi ſint irritabiles, & de facto lata ſit lex, eas irritas reddens. Ratio eſt, quia non eſt maior ratio cur ſimonia illas faciat inualidas, quàm alia peccata: hæc autem non reddunt illas inualidas, vt ſi ordinatio,aut conſecratio ſit facta ambitioſè, luxurioſè, auarè & ſimili modo.ergo,&c. Dixi,*niſi ſint irritabiles*,&c. actiones enim iuriſdictionis, vel adminiſtrationis Eccleſiaſticæ quæ ordinantur ad conferendum beneficium, vel officium Eccleſiaſticum, irritæ ſunt ipſo facto; quia irritabiles ſunt, & lata eſt lex de facto illas irritas reddens, vt dicetur infrà.

21. *Quæ actiones validæ ſint in particulari.*

DICO SECVNDO, in particulari ſequentes actiones etiamſi factæ ſint ſimoniacè, validæ ſunt. Primò ordinatio, nam quoad ſubſtantiam & effectum characteris valida eſt,nec poteſt per Eccleſiam irritari; quoad executionem verò & vſum irritari poteſt,hoc eſt, ſuſpendi, vt aliàs diximus. Secundò collatio omnium Sacramentorum valida eſt, & habet omnes illos effectus qui non pendent à gratia ſanctificãte. Pœnitentia poteſt eſſe inualida ex praua diſpoſitione Pœnitentis committentis ſimoniam, ſed id eſt per accidens; & ſi ponamus fieri ſimoniam à tertio dante pecuniam, erit valida; & quamuis poſſit irrita reddi ob iuriſdictionem quæ requiritur & pendet ab Eccleſia, tamen de facto non eſt lata lex irritans, vt pluribus Suar. *c.*57. *n.*4. Tertiò conſecratio Eccleſiæ, vel altaris valida eſt,& ſic de aliis conſecrationibus; neque enim ſunt irritabiles ab Eccleſia, cùm pendeant tantùm à poteſtate ordinis, vt alibi. Quartò actiones Eccleſiaſticæ iuriſdictionis præter prouiſiones beneficiorum, non ſunt inualidæ; quamuis enim irritabiles ſint, tamen de facto non eſt facta talis irritatio, vt teſtatur Suar. *num.*6. Quintò Profeſſio Religionis valida eſt, vt conſtat ex *c. de regularibus,de ſimon. c. quoniam, de monial. & c. veniens. eod.* Nauar. *com.* 4. *de Regul. num.*25. Vgol. *tab.*1. *c.*4. §.2. Solum additur pœna relegationis à monaſterio in quo facta eſt, ad aliud, ſed non obligat in conſcientia, donec per ſuperiorem legitimè imponatur, vt Suar. *n.*8. ex Vgol. ex Leſſ. *c.*35. *dub.*23. licèt Nauar. etiam obliget in conſcientia, quod reprobatur à Suar. *loc.cit. num.* 9. Sextò actiones iuriſdi

Digitized by Google

iuriſdictionis ordinatæ ad conferendum beneficium, vel officium Eccleſiaſticum, irritæ ſunt per *Extrau. 2. de ſimon.* ſed de hoc dicendum *in ſeq. quæſt.*

22. SEPTIMO QVÆRO de irritatione in rebus permanentibus ſacris & ſpiritualibus.

Res ſacra acquiſita per ſimoniam validè poſſidentur.

RESPONDEO & DICO PRIMO, res ſacræ & ſpirituales permanentes, quæ per ſimoniam acquiſitæ ſint, validè acquiruntur, niſi per ius Eccleſiaſticum facta ſit irrita talis acquiſitio. Ratio generatim eſt, quia ſuppoſito quòd qui tradit rem ſpiritualem habeat ius illam validè in alterum transferendi, quotieſcunque liberè illam tradit, & alius acceptat, valida eſt collatio, etiamſi peccaminoſa ſit, atque adeò ſimoniaca; nam ex natura rei nil deeſt tali translationi ad valorem eius. Hinc eſt, vt primò emptio Calicis, Reliquiæ, granorum quæ ſint benedicta, & aliorum huiuſmodi etiamſi qui vendit augeat pretium ratione benedictionis & rei ſacræ quæ in illis eſt, valida ſit; nam ex natura rei non eſt irrita, & nullum eſt ius Eccleſiaſticum, quod illam translationem irritauerit, vt pluribus Suar. *n.* 12.

Exempla.

Secundò emptio iuris patronatus etiamſi facta ſit ſimoniacè valida eſt, eadem ratione. Idem de penſione etiam Clericali, & de Vicaria quoad tempus, quæ beneficium non ſit. Tertiò emptio officij Eccleſiaſtici merè temporalis, vt Procuratoris, OEconomi, Aduocati, defenſoris bonorum Eccleſiaſticorum, de quibus *in c. Saluator, 1. q. 3. & c. ex multis. eod.* non eſt irrita, quamuis ſimoniacè fiat. Ratio, quia licèt ſit prohibita, tamen non adeſt verbum irritans talem emptionem; nec vi dictæ Extrauag. irritatur, quia tantùm loquitur de beneficiis & officiis Eccleſiaſticis habentibus aliquam ſpiritualem iuriſdictionem; qualem non habent prædicta officia temporalia; vt docet Suar. *n.* 14. ex Nau. Quartò beneficia Eccleſiaſtica eodem modo acquiſita per ſimoniam, ſecluſo iure Eccleſiaſtico, validè acquirerentur, iure ſcilicet naturali, & diuino, vt ex communi DD. Palud. Syluestr. Caiet. Victor. Redoan. Rebuf. & aliorum probat Suarez *n.* 16. & ratio eſt, quia nec ex parte conferentis, nec recipientis eſt illa incapacitas, & alioqui ſupponimus conferentem habere ius conferendi & voluntariè conferre; peccatum autem ſimoniæ intercedens, non habet ex rei natura, nec iure diuino talem effectum, vt irritet, ſed tantùm vt inquinet culpâ. Nec verba illa *gratis date*, prohibent ſubſtantiam dationis, ſed modum tantùm, vnde etiam in mutuo, ſi quis illud emat ſoluendo vſuras, validè acquirit: alioqui, ſi iure naturali vel diuino irrita eſſet emptio ſimoniacè facta; qui per ſimoniam tantùm mentalem recepiſſet beneficium, teneretur illud reſignare, & qui Calicem, aut grana benedicta emiſſet ratione conſecrationis & indulgentiæ, teneretur à ſe illa abdicare; quod nemo dixerit. Quintò eadem beneficia ex iure Eccleſiaſtico, inualidè acquiruntur ſi realis ſimonia intercedat. communis Theologorum & Canoniſtarum ex Suar. *n.* 22. Ratio, quia expreſsè eorum acquiſitio taliter facta irritatur *in Extrau. de ſimon. & in Bulla Pij V.* & meritò, vt in eo quis puniatur in quo deliquit. Eiuſmodi verò pœna in iure antiquo Decretorum non eſt expreſſa, ita vt ipſo facto incurratur, eſt autem etiam in Decretalibus ex *c. Mattheus. & vlt. de ſimon.*

OCTAVO QVÆRO quomodo amplietur eiuſmodi pœna in beneficiis. 23.

Nullitas acquiſitionis in beneficiis, vt ampliatur.

RESPONDEO ampliari multipliciter. & primò vt teneatur ſimoniacus beneficium dimittere cum omnibus fructibus perceptis, vel ſua culpa ſponte non perceptis, ante omnẽ ſententiam, & in conſcientia, deductis expenſis neceſſariis in iis colligendis, vel factis in vtilitatem beneficij: quotidianæ diſtributiones etiã reſtituendæ ex tutiori, neque enim reſpondent labori ſoli, ſed vt fundato in tali titulo; qui nullus ſupponitur. Cætera emolumenta occaſione beneficij, vt ſtipendia Miſſarum, funerum, & ſimilia, non ſunt reſtituenda: & quidem ſi fiat compoſitio per viam S. Pœnitentiariæ, vel Datariæ, reddenda pars conuenta iis officiis; ſi non fiat, reddenda omnia Eccleſiæ beneficij; non ſucceſſori, niſi vbi talis vigeret conſuetudo. Secundò vt hæc pœna habeat locum etiam in occultiſſima ſimonia, modò realis ſit, patet ex verbis Extrau. *& eorum quemlibet tam manifeſtum, quàm occultum.* & id ſequitur ex irritatione acquiſitionis. Nec propterea cogitur ſimoniacus ad ſe prodendũ, poteſt enim aliquo quęſito prætextu vel colore renunciare liberè in manibus ſuperioris, vel quærere diſpoſitionem à S. Pœnitentiaria. Tertiò vt habeat locum etiamſi ſimonia per tertium commiſſa ſit: & ſiquidem ſciente prouiſo & non reſiſtente nõ eſt dubium ſi reſiſtat; neſciat autem largitionem eſſe factam deinde, nihil ei nocet, ex *c. ſicut tuis. de ſimon.* ſi reſciat, non excuſatur, vt Suar. *numero 39.* ex eod. c. iis verbis, *& te penitus ignorante*; ſi ergo ſciat, non excuſatur. Quare ſi neſciat ſimoniam interueniſſe, & ob ſuſpicionem eius repugnarit & contradixerit quantum in ipſo eſt, firma erit prouiſio, ſaltem in foro conſcientiæ; non in foro externo præſumi poſſet inualida, præſertim ſi pecunia data eſſet à conſanguineo. Quòd ſi reſciat prouiſus poſt prouiſionem, ſimoniam interueniſſe, & approbet conſentiendo, & ſoluendo, vel reddendo pecuniam ſolutam, erit quidem ſimoniacus quoad malitiam, non tamen erit acquiſitio irrita, vt Suar. *n.* 32. ex Tancredo & aliis; ſed irritanda. Si denique ſimonia contingat ignorante illo, qui conſequitur beneficium, & non contradicente, quia nullam ſuſpicionem eius rei habuit, tunc ſi pecunia à tertio data eſt in fauorem eius, tenetur ſtatim atque id reſcierit, relinquere beneficium, & fructus reſtituere; ſiue quia ſtatim atque cognouit vitium, amiſit illa, vt Nauar. *conſ. 95. de ſimon. num.* 3. ſiue quia, vt verius videtur, & pluribus docet Suar. *n.* 35. *& ſeqq.* ipſa acquiſitio iam inde ab initio nulla fuit, ſed excuſauit ignorantia, vnde non ſolùm beneficium, ſed etiam fructus omnes à die obtenti beneficij tenetur reſtituere, eos quidem quos recepit vſque ad diem ſcientiæ tamquam bonæ fidei poſſeſſor, alios à die ſcientiæ tamquam poſſeſſor malæ fidei. Quartò ampliatur, vt habeat locum tam in ſimonia contra ius diuinum, quod nemo negat, quàm in ſimonia contra ius Canonicum, vt communis ſentit ex Suar. *num.* 42. licèt Patiſ. contra cenſuerit, cuius fundamentum ſoluit Suar. *n.* 43. Quintò vt locum habeat in omnibus beneficiis Eccleſiaſticis, & ſolis illis; in omnibus quidem, quia ſic expreſsè habetur in Bulla *& quibuslibet beneficiis.* ſolis autem, quia verba legis pœnalis ſtrictè intelligenda ſunt; vnde excluduntur primò penſiones etiam

Cleri

Clericalis, vt Nau. *c.23.n.111.& conſ.60.& 63. de ſimon.* Vgol. *Tab.4.c.5.* & Suar.*n.45.* Secundò officia quædam Eccleſiaſtica quæ beneficia non ſunt, vt Auditoratus & Clericatus Cameræ Apoſtolicæ, officium Inquiſitoris, & ſimilia. Tertiò beneficia Regularia, & officia quæ habent ſuo modo præbendam, comprehenduntur, vt inter Clauſtrales Abbatiæ, Prioratus, Generalatus, Prouincialatus, & ſimiles; non ita crediderim de ſuperioritatibus mendicantium, & ſimilium, neque enim recenſentur inter beneficia. Sextò ampliatur ab aliquibus ad ſimoniam etiam Conuentionalem inchoatam traditione beneficij; ſed iam diximus comprehendi ſolam realem completam, & conſummatam: ea enim collatio valida eſt, licet infirma & pendens à ſolutione promiſſi pretij; ſi enim hæc ſequatur, ſtatim incurrentur pœnæ, ſi non impleatur promiſſio, collatio ſemper valida perſeuerat, & immunis eſt à pœnis, vt Suar. *num.54.* Septimò ampliatur, vt etiam electio ſummi Pontificis ſimoniacè facta, ipſo iure nulla ſit; ita enim ſtatuit Iul.II. in Bulla, *Cùm tam diuino. 2.* Sed non fuit recepta ſaltem quando ſimonia occulta eſſet, & præualuit ſtatutum *in c. vbi periculum. de elect. in 6.* vt ſcilicet contra electionem Papæ canonicè factam nulla exceptio admittatur; & præterea per Bullam Pij IV. octuageſimam quintam in ordine derogatum intelligitur illi Iulij II. vt aduertit Suar.*n.57.*

24. NONO QVÆRO de priuatione beneficiorum, quæ antea ritè obtenta eſſent; & de inhabilitate ad illa.

Beneficiis obtentis nō priuatur ipſo iure, ſed per ſententiam.

RESPONDEO & DICO PRIMO, committens ſimoniam in ordine, vel beneficio non priuatur ipſo iure beneficiis antè obtentis, ſed tantùm per ſententiam à iudice faciendam. eſt ſententia communis Theologorum & Iuriſtarum ex Suarez *c.58. n.4.* & primò quidem non priuari ſimoniacum ipſo facto beneficiis obtentis, ita vt ipſe obligetur in ſeipſo illum exequi ante ſententiam declaratoriam criminis certum eſt, nam pœna quæ priuat poſſeſſione bonorum acquiſitorum, non ſolet per legem ferri cum tanto rigore; & quamuis hæc compatetur cum pœna hæreſis, neque etiam hæreſis punitur priuatione bonorum antea poſſeſſorum, ante ſententiam declaratoriam criminis, vt aliàs diximus. Secundò nec etiam priuari beneficiis poſſeſſis per legem aliquam Eccleſiaſticam, quæ lata ſit generaliter, ita vt poſt ſententiam declaratoriam criminis incurratur ea pœna ipſo facto, etiam patet, quia excepta ſimonia confidentiali, & ſimonia commiſſa ab examinatoribus in examine ex Trid. *ſeſſ.24. c.18. de refor.* non reperitur talis priuatio ipſo facto incurrenda, lata generaliter contra ſimoniacos, teſte Suarez *c.58. num.3. & 4.* nullum enim Decretum eſt, in quo talis pœna feratur, addito verbo, *ipſo iure*, vel *ipſo facto*, vt pluribus perſequitur Suar. *loc.cit.* Neque *in Extrau. 2. de ſimon.* quatenus renouat pœnas ſimoniæ in antiquis Decretis, & diſponit vt ipſo facto incurrantur, colligitur contrarium, tum quia oportuiſſet id ſpecialiter declarari, ſicut declarauit de beneficiis ſimoniacè acquiſitis, tum quia non debet intelligi cum tanto rigore ex vſu communi, qui ſic eam interpretatus eſt, teſte Suar. *n.6.* & ſic tenet Nau. *conſ.92. de ſimon.* & Vgol. *Tab.4.c.6.§.6.n.3.*

25. DICO SECVNDO, nec etiam per ſimoniam commiſſam in aliqua actione ordinata ad beneficium obtinendum, irritatur prior actio ritè facta, ſed manet rata donec per iudicem annulletur: vt, v.g. ſi confirmatio ſimoniaca ſit, non propterea electio præcedens ritè facta nulla erit, & ſi collatio vel inſtitutio ſimoniaca, non propterea præſentatio ritè facta, irrita cenſebitur. Ratio eſt, quia nullo iure id expreſſum reperitur, vt teſtatur Suar.*n.7.* & alioqui ſubſequens ſimonia non priuat iuribus antea legitimè acquiſitis, ex præced. concluſione, ergo, &c. ſecus ſi ſimonia committeretur in actione priori, vt in electione, tunc enim etiam confirmatio nulla eſſet, quia hæc valida eſſe non poteſt abſque illa; vt alias diximus. Ex his infertur ſimoniacum in vno beneficio non teneri reſtituere fructus perceptos ex beneficiis antè legitimè poſſeſſis; niſi per ſententiam ad id condemnaretur in pœnam, vt poteſt in aliam pecuniariam, quæ iuſta ſit, & proportionata delicto; vt rectè Suar. *num.8.*

Confirmatio ſi ſit ſimoniaca, non facit irritam electionem.

26. DICO TERTIO, ſimoniacum in beneficio fieri inhabilem ad obtinenda alia beneficia. & primò quidem de ipſo beneficio ſimoniacè obtento certum eſt, neque enim illud retinere poteſt etiam per nouam conceſſionem, ni ſi priùs diſpenſetur in inhabilitate *c. penult. de elect.* vbi DD. *& c. de ſimoniacè. de ſim.* Secundò de aliis beneficiis, conſtat ex Bulla Pij V. expreſsè enim de acquirente dignitates, & beneficia ſimoniacè, addit, *Illis ſit ipſo iure priuatus, & perpetuò ſit inhabilis ad ea; & quæcunque alia beneficia Eccleſiaſtica obtinenda.* & quamuis Nau. *conſ.91. & 39. de ſimon.* cenſeat non incurri ipſo iure, donec aliquis condemnetur; tamen contrà ſunt alij, vt Vgol. & Suar. *n.10.* & Azor *c.21. q.13.* quibus accedit praxis & vſus S. Pœnitentiariæ, addens diſpoſitionem etiam ad alia beneficia obtinenda: an verò requiratur ſaltem ſententia declaratoria criminis, in rigore iuris non videtur requiri, vt docet Suar.*n.11.* & ſupponit Azor *loc.cit.* Nauarrus tamen *conſ.92. de ſimon.* cenſet requiri, additque non eſſe vſu receptam illam pœnam alio modo; quod veriſimile etiam videtur ipſi Suarez; in contrarium tamen eſt vſus ſacræ Pœnitentiariæ, quæ in formula abſolutionis à ſimonia, etiam addit diſpenſationem ad alia beneficia in poſterum obtinenda; atque adeò ſupponit aliàs fore ad illa inhabilem ob delictum commiſſum ſimoniæ in beneficio.

Simoniacus in beneficio eſt inhabilis ad alia obtinenda.

DECIMO QVÆRO de pretio reſtituendo, quo iure reſtituendum, & de regulis pro reſtitutione. 27. Ex duplici capite obligatio reſtituendi tale pretium oriri poteſt, ex iure naturali, & ex Eccleſiaſtico: in hac q. agimus de iure naturali, in ſeq. de Eccleſiaſtico. & primo loco ſupponendum eſt hanc quæſtionem habere locum in ſimonia reali ex vtraque parte completa; nam ſi pretium ſolutum non ſit, qui rem ſpiritualem dedit, ad nil obligatur; ſi ſolutum pretium & res ſacra tradita non ſit, reſtituendum ex iuſtitia ei qui dedit, ſi ſtatuat non tradere rem ſacram, vt tenetur ad non tradendam, ne compleat ſimoniam, & ne incidat in cẽſuras. De reali tres ſententiæ recenſentur à Suar. *cap.59. n.4. & ſeqq.* Prima vendentem ſimoniacè rem ſacram, teneri ad reſtituendum pretiũ. S.Thom. Caiet. Med, Couar. Nauar. Secunda non teneri vniuerſaliter loquendo, communis Canoniſt. *c. vlt. de ſim.* ſequitur Syluest. Victor. Armil. & alij. Tertia affirmat teneri in ſimonia contra ius diuinum, negat in ſimonia contra ius humanum.

Tres ſententiæ.

Digitized by Google

manum. Aug. Hoſt. & alij Hispoſitis

28. *In venditione iniuſta, ſimoniacus tenetur reſtituere pretium de iure naturæ.*

RESPONDEO & DICO PRIMO, quando venditio fit cum iniuſtitia, ſimoniacus tenetur iure naturali reſtituere pretium. eſt euidens & certa; vt enim diximus cùm de reſtitutione *tract.* 32. ex iniuſtitia oritur obligatio reſtituendi iure naturali, quare tunc etiam ſimoniacus obligabitur, non quatenus ſimoniacus, ſed quatenus iniuſtus. Hinc ſequitur primò obligatum ex iuſtitia ad functionem ſpiritualem, teneri ad reſtitutionem ſi pro ea pretium accipiat. ſic Parochus pro miniſtrandis ſacramentis, Epiſcopus pro concedendis diſpenſationibus, conſecrationibus, & ſimilibus. Secundò Prælatum vendentem beneficia, vel officia Eccleſiæ, quorum non eſt dominus, ſed diſtributor, teneri ad reſtitutionem, quia contra iuſtitiam peccat, vendit enim rem non ſuam, vt œconomus ſi venderet officia domus, quorum diſtribuendorum habet poteſtatem gratis à patrefamilias, vel hæres ex voluntate teſtatoris obligatus ad dandas dotes virginibus, vel legata piis locis; quod vt ſatis probabiliter dicitur, ita non eſt certum, ſunt enim qui functiones ſpirituales quæ non habent adnexum aliquod commodum temporale concedunt cadere ſub ea obligatione; non eas quæ temporale commodum adiunctum habent, vt eſt collatio beneficij. nam conferre huic, vel illi alioqui habili, poſitum eſt in ſua libertate; & tenetur gratis conferre ita vt peccet non conferendo eo modo; ſed non ita vt teneatur ad reſtitutionem; quod improbabile non eſt. Tertiò ſequitur non obligatum ex iuſtitia ad functionem ſpiritualem teneri etiam ad reſtituendum pretium iure naturali, ſi recepit pretium ob effectum ſpiritualem tantùm quem confert, quia nulla eſt iuſta ratio illud accipiendi, ſola enim ſpiritualitas actionis, non facit eam pretio æſtimabilem, cùm ſit alterius rationis & ordinis. Dixi *ob effectum ſpiritualem tantùm*; quia ſi recipiat pro labore, vel in ſtipendium, ſemper enim eiuſmodi functiones habent adiunctum aliquid laboris, non erit obligatio reſtituendi, ſi non excedat æſtimationem laboris; vt pluribus Suar. *numer.* 16. *& ſeqq.* Idem dicendum in venditione rerum ſacrarum permanentium, vt vaſa ſacra, grana benedicta, & ſimilia; ſi enim vendantur pluris ratione eius quod ſacrum eſt, reſtituendum erit, vt idem *n.* 21. Quartò ſequitur eum qui recipit pecuniam datam ſimoniacè ob vexationem teneri ad reſtituendum, quia data eſt inuoluntariè, & conſequenter non modo apto ad transferendum dominium, vt alias diximus.

29. *Et reſtituendum ei, qui dedit ſecluſo contrario iure poſitiuo.*

DICO SECVNDO, quando reſtitutio hoc modo facienda eſt, ſcilicet ex iure naturali, tunc facienda eſt ei qui dedit, ſecluſo iure poſitiuo, priuante eum qui dedit in pœnam, & tribuente pauperibus. Ratio eſt, quia ei qui dedit, facta eſt iniuria, & inæqualitas. Pauperes autem nullum ius habent ad illud pretium; niſi ſuppoſita lege poſitiua priuante in pœnam ſimoniæ eum qui dedit, & applicante pauperibus; hic autem nos loquimur ſecluſa hac lege, & ſtando tantùm in terminis iuris naturalis & diuini. ita Suarez *n.* 23. ex Sot. Nau. & Bannez, & reſpondet argumentis in contrarium.

Non obſtat quòd qui dedit rem ſpiritualem noluit dare niſi ob cauſam, vt videlicet fieret pecuniæ dominus; ſi ergo tenetur reddere pecuniam ei qui dedit, tenebitur etiam qui habuit rem ſpiritualem, eam reddere; cùm enim aliquid datur ob cauſam quæ de iure non poteſt habere effectum, non cenſetur voluntariè, & conſequenter nec validè datum, ex *cap. etſi neceſſe. de donat. int. vir. & vx.* Reſpondeo enim dationem rei ſpiritualis tenere non obſtante illa datione quodammodo conditionali; ratio eſt, quia conditio illa turpis eſt, & habetur pro non adiecta, ſecus ſi eſſet honeſta, tunc enim non valeret donatio, vt dicitur *in d. cap.* pretium autem reſtituendum, quia iniuſtè acceptum eſt; vt pluribus declarat Suar. *n.* 31. 32. 33. *&* 34.

DICO TERTIO, quando ſimonia interuenit abſque propria iniuſtitia contra commutatiuam inter vendentem & ementem, non eſt obligatio reddendi pretium ex natura rei. Ratio eſt, quia obligatio reſtituendi poſito contractu mutuo conſenſu celebrato, non oritur niſi ex iniuſtitia commutatiua in eo commiſſa; ſi ergo hæc non interuenerit, neque etiam aderit obligatio reſtituendi. 30. *Si venditio non eſt iniuſta, non eſt obligatio reſtituendi pretium ex natura rei.*

Hinc ſequitur primò vendentem officium temporale Eccleſiæ tanquam proprium, cui ſit adnexum commodum temporale, quāuis ſimoniam committat, non teneri reddere pretium; quia ſpoliat ſe re pretio æſtimabili ob eam cauſam, & alter illam acquirit. Suar. *n.* 36.

Secundò ſequitur, beneficiarium vendentem ſuum beneficium, non obligari ex iure naturali ad reddendum pretium, quia vendit rem pretio æſtimabilem ratione commodi temporalis annexi, quamuis malè faciat, & committat ſimoniam; debet autem ſeruari moderatio in pretio, habita ratione non tantùm valoris beneficij, verum etiam laboris & expenſarum, quæ in eo debeant fieri, ſi enim excedat iuſtū pretium, iam lege naturali tenebitur ad reſtitutionem.

Tertiò monaſterium recipiendo ſimoniacè aliquem ad religionem, non teneri ex natura rei pretium reſtituere. ratio, quia licèt receptio ſpiritualis ſit, habet tamen adiunctum onus temporale, ſuſtentandi religionem, quod æſtimabile pretio eſt.

Quartò vendentem fundum in quo ſit ius patronatus & carius quàm ſi illud non eſſet adiunctum, idque propter emolumentum temporale, non teneri iure naturæ ad reſtitutionem, ob eandem rationem.

Quintò ſequitur ſimoniam mentalem non obligare ad reſtitutionem, quando pretiū abſque iniuſtitia accipitur, quia nec obligaret ſi realis eſſet; contrà verò, ſi pretium cum iniuſtitia acceptum eſt, obligat etiam mentalis opere ſubſecuto: & multo magis, ſi ſpirituale non traderetur, vt diximus initio quæſtionis. Quòd ſi ſpirituale traderetur, & pretium promiſſum non eſſet datum, non eſſet obligatio ex rei natura ad reddendum ſpirituale, quia hoc debet conferri gratis, vt ſuprà diximus, etiam in ſimonia reali, & pluribus docet Suarez à *n.* 47.

VNDECIMO QVÆRO de pretio reſtituendo ex vi iuris Eccleſiaſtici, an ſit reſtituendum ante ſententiam, & cui. Pro reſponſione aduertendum hanc quæſtionem habere tantùm locum in ſimonia Ordinis, beneficij, & ingreſſus in Religionem; in iis enim ſolis materiis iure Eccleſiaſtico eſt obligatio reddendi pretium per modum pœnæ: nam vbi eſſet obligatio ex iure naturali modo explicato in præcedenti q. ſatis conſtat eſſe reſtituendum ante omnem ſententiam. Hoc poſito 31.

31. *Reſtituendum pretium ex iure Eccleſiaſtico.*

RESPONDEO & DICO PRIMO, pretium acceptum pro venditione beneficij ſeu actionis ad id ordinatæ, vt electionis, præſentationis & ſimilis, reſtituendum eſt ante ſententiam, & in foro conſcientiæ. eſt communior DD. vt S. Thom. *q.100. a.6. ad* 4. Syluest. *Simonia.q.20.* Nau. *c.17.n.32.* & aliorum, quos refert & ſequitur Suar. *c.60.n.3.* Ratio præcipua ſumitur ex *c. de hoc. de ſim.* vbi dicitur temporalia ſic recepta pro dando aſſenſu electioni Eccleſiaſticæ, non poſſe ſine graui ſalutis periculo retineri; vnde conuincitur lege Eccleſiaſtica impediri acquiſitionem dominij talis pretij in pœnam delicti.

Non obſtat, quòd talis obligatio non oriatur ex ſimonia, ſed ex iniuſta receptione bonorum Eccleſiaſticorum, vt dixit Vgol. *Tab.4. c.2.§.1.* Reſpondeo enim, id non fundari in textu, ſed voluntariè dici; immo verba illa, *ſi qua receperunt*, vniuerſalia ſunt; & non eſt quòd reſtringantur ad bona Eccleſiaſtica, quæ nondum is qui dederat, conſecutus erat; ſed media datione pecuniæ obtinuit. Hinc ſequitur, tantùm habere locum eiuſmodi obligationem in materia beneficiali, de hac enim tantùm ſermo eſt illo in loco.

32. *Et reſtituendum Eccleſiæ beneficij.*

DICO SECVNDO, pretium eiuſmodi reſtituendum eſſe Eccleſiæ beneficij, in cuius iniuriam ſimonia commiſſa eſt. DD. communiter ex S. Thom. *q.62. a.5. ad* 2. Caiet. *ſimonia.* Syluest. *q.20.* Nau. *c.17. n.36.* & alij ex Suarez *n.* 8. ſumitur ex eodem *c. de hoc*, vbi expreſsè dicitur reſtitutionem faciendam eſſe Eccleſiæ; & ratio ea eſt, quia dans pretium ex vi contractus debuit habere voluntatem illam à ſe abdicandi, & transferendi in alium, ſecuta receptione beneficij, nam Eccleſia ex *d.c.* impedit tranſlationem in eum qui dat beneficium, non impediuit autem abdicationem pretij in dante; ſed potiùs acceptauit in pœnam eius, & attribuit Eccleſiæ iniuriam paſſæ. Dixi *reſtituendum eſſe Eccleſiæ beneficij*, &c. Id enim de iure communi ita ſe habet. Pauperibus autem dicunt aliqui etiam poſſe reſtitui ſaltem illius Eccleſiæ;

33. *Pauperibus etiam, ex conſuetudine.*

quod crediderim, vbi conſuetudo inualuit. Ordinariè curati ſolet compoſitio cum S. Pœnitentiaria, quando delictum occultum eſt; vbi autem publicum eſſet, Prælatis Eccleſiarum ſolet dari, iique diſtribuunt in vſus pios; niſi compoſitio fieret cum Dataria Romani Pontificis.

34. *Receptum in ingreſſu religionis non eſt reſtituendum ante ſententiam.*

DICO TERTIO, pretium receptum in ſimonia commiſſa in ingreſſu Religionis non eſt reſtituendum ante ſententiam. Ratio, quia in iure non eſt expreſſum in hac materia, & alioqui iure naturæ non eſt obligatio. Et quidem ſi detur pretium à monaſterio ipſi ingreſſuro, vt velit ingredi, & ſe tradere Religioni, non eſt ius vllum in contrarium obligans ad reſtitutionem, vt teſtatur Suar. *numero* 9. nec tenetur ex iure naturæ, vt *q. præced.* Si verò det ipſe pecuniam monaſterio vt eum recipiat, tunc quamdiu Religioſus permanet in eo monaſterio, non tenetur ad illam reſtituendam, ſubrogatur enim loco alterius, in cuius bonum ipſi reſtituendam præcipitur *in c. veniens. de ſimon.* Quòd ſi ad aliud pergere velit, tenebitur reddere in gratiam monaſterij, ad quod transfertur, vt pluribus idem *n.11.* ex *eod.c.& Extrau.1. de ſimon.*

35. DICO QVARTO, pretium acceptum in aliis materiis vltra dictas, etiamſi fit in ordine, non eſt reſtituendum in conſcientia ex iure Eccleſiaſtico ante ſententiam: ratio eſt, quia nullo iure id exprimitur, vt teſtatur Suar. *numero* 13. Dixi, *ex iure Eccleſiaſtico*; quia ſi iure naturali, iam patet ex præced. q. reſtituendum ante ſententiam. Non obſtat *c. vlt. de ſimon.* tantùm exprimens, non eſſe obligationem in mentali ſimonia, quare in reali ſupponit adeſſe. Reſpondeo enim, in aliqua reali ſupponit, ſed non in omni, cùm pœnæ ſint reſtringendæ. In *c.* autem *audiuimus. eod.* vbi præcipitur duplicata reſtitutio; nec ſermo eſt de obligatione in conſcientia, ſed poſt ſententiam, nec de omni ſimonia, ſed tantùm de ea quæ interueniret in iniuſta extorſione Epiſcoporum in inſtitutione Parochorum, ingreſſu Religionis, & ſepultura apud Religioſos, tunc enim Eccleſiæ reſtituendum eſſet, cui ea iniuria facta eſt, vt pluribus Suar. *numero* 13. Aliæ ergo ſubſunt iudicio condemnantis. *Idem in aliis materiis vltra dictas.*

DVODECIMO QVÆRO de diſpenſatione circa ſimoniam. 36.

Diſpenſatio quoad culpã non datur.

RESPONDEO, & DICO PRIMO, diſpẽſationem quoad culpam non dari ſi ſit ſimonia contra ius naturale, ſi contra ius Eccleſiaſticum tantùm, ſolus Papa concedere poteſt, non quidem faciendo vt ſit ſimonia, & non ſit culpa, id enim præſtare non poteſt, ſed faciendo vt emptio & venditio quæ durante lege, ſimoniaca eſſet; & ſublata, talis non ſit; non ſolet tamen, quia non ſunt eiuſmodi diſpenſationes neceſſariæ, vel vtiles, poteſt enim aliis modis idem efficere, dando in ſuſtentationem perſonæ, ex paterna prouidentia concedendo temporalem rerum penſationem, ac ſimilibus modis ſuprà explicatis.

37. *Quoad pœnam, in quibus materiis habeat locũ.*

DICO SECVNDO, diſpenſationem quoad pœnam, ſolùm habere locum in ſimonia pertinente ad ordines, beneficia, & ingreſſum Religionis, in his enim tantùm inuenitur pœna ſimoniæ, vt ſuprà dictum eſt. Et primò quidem à cenſura excommunicationis ipſo iure latæ contra ſimoniacos in ordine, beneficio, & ingreſſu Religionis, abſoluit ſolus Papa, cui reſeruata eſt; & ij quibus eadem poteſtas commiſſa eſt per Bullas, Concilia, vel priuilegia, in quibus concedũtur caſus Papæ reſeruati. Secũdò in ſuſpenſione quæ ſpecialiter imponitur contra ſimoniacum in ordine *in Extrau.2. de ſim.* etiamſi ibi non reſeruetur, tamen ob reſeruationem factam antè *in c. penult. de ſim.* ſolus Papa diſpenſat vt in ordine ſimoniacè accepto miniſtrare, & conſequenter vt ad ſuperiores ordines aſcendere poſſit, quoad vſum verò inferiorum antea legitimè acceptorum, quia fertur *in d. Extrau.* 2. ſuſpenſio ſimpliciter pro commiſſo delicto, & conſequenter in puram vindictam, ideo ſolus etiam Papa in ea diſpenſat, accedente etiam reſeruatione Sixti V. in ſua Bulla contra malè promotos, in omni rigore etiam quoad forum conſcientiæ, quæ reſeruatio nõ eſt ſublata per Clem. VIII. excepta enim eſt ſimonia; & eius pœna, vt rectè Suar. *c.61. numero* 6. Inde in hac neque priuilegiati, qui tantùm habent facultatem abſtruendi à cenſuris reſeruatis Papæ quicquam poſſunt; cùm ad eam tollendam opus ſit diſpenſatione, non tantùm abſolutione, vt diximus cùm de abſolutione à ſuſpenſione lata in pœnam. Idem dic de ſuſpenſione quam incurrunt

Digitized by Google

incurrunt ordinantes, olim quidem ex *cap. penult. de ſimon.* triennali tantùm; nunc autem vi Extrau. dictæ, etiam perpetua & cum eadem reſeruatione. De ſuſpenſione autem impoſita Conuentui Regulari ob ſimoniacam receptionem, idem dicendum, eſt enim reſeruata ſoli Papæ, & eget diſpenſatione. Pœna denique ſimoniacè ingreſſi, expulſionis ab illo monaſterio, cùm non incurratur niſi per ſententiam poſt condemnationem, non eget diſpenſatione, niſi poſtquam lata erit, tunc autem egebit diſpenſatione Papæ, cui reſeruata eſt, niſi in caſu ignorantiæ, juxta formam præſcriptam *in cap. de regularibus. de ſimon.* vel neceſſitatis, ex *c. quoniam. eod.* Tertiò quoad interdictum, hoc fertur in duobus caſibus. Primò contra ordinantes ſimoniacè à Six. V. cum eadem reſeruatione qua diximus de ſuſpenſione. Secundò contra recipientes beneficia quæcunque, vel penſiones, & ſimilia in confidentiam, & reſeruatur Papæ ſimpliciter; vnde priuilegiati poſſunt ab eo abſoluere; vtrobique autem fertur interdum perſonale ab ingreſſu Eccleſiæ.

38. *Quoad alias pœnas diſpenſatio ad Papam ſpectat.*

Dico tertio diſpenſationem quoad alias pœnas ad ſolum Papam pertinere. Primò enim eſt irritatio collationis, & obtentionis beneficij; quod conualidare ſolius Papæ eſt, etſi quidem occulta ſit ſimonia, per S. Pœnitentiariam conualidari poteſt; ſi publica, ad Datariam ſpectat. Secundò eſt inhabilitas ad idem beneficium obtentum per ſimoniam, cuius etiam diſpenſatio reſeruata eſt Papæ eodem modo quo dictum eſt de nullitate; ſi tamen qui beneficium recepit, ſimoniam ignorauit, Epiſcopus poſt liberam eius renunciationem, poteſt eidem conferre ſi ſimplex ſit, ſecus ſi duplex, ex *cap. penult. de elect. & cap. de ſimoniacè. de ſim.* vbi DD. & Suarez *n.* 10. Tertiò eſt inhabilitas ad alia beneficia; in qua etſi iuxta antiquum ius probabile ſit, Epiſcopum diſpenſare poſſe quando ſimoniacus voluntariè renunciat beneficio malè acquiſito ante condemnationem, tamen ex conſtitutione Pij V. & declarationibus Congregationis ſuper Trid. quas refert Suarez *num.* 11. Epiſcopus diſpenſare non poteſt, etiamſi occulta ſit, & ita obſeruatur in praxi S. Pœnitentiariæ. Et quamuis Trid. *ſeſſ.* 24. *cap.* 3. *de refor.* det facultatem Epiſcopis diſpenſandi in omnibus irregularitatibus ex delicto occulto, præterquam homicidio voluntario, hæc autem inhabilitas, irregularitas quædam videatur; tamen verius eſt, non comprehendi ſub irregularitate, vt ex iiſdem declarationibus conſtat; præterquam quòd reſeruatio hæc facta eſt per Tridentinum, & à Six. V. ſpecialiter Papæ reſeruata; vt ſuprà dictum eſt.

Dices primò, an Papa diſpenſet in reſtitutione pretij ſimoniacè accepti. Reſpondeo quando debetur certæ perſonæ ratione iniuriæ, non diſpenſat, niſi priùs priuaret illam ea pecunia in pœnam; quando verò debetur paupetibus, diſpenſat, vel media S. Pœnitentiaria componit, aut Dataria.

Dices ſecundò, an ſeruari debeat certa verborum forma in diſpenſatione. Reſpondeo non eſſe neceſſariò ſeruandam; ſatis eſt vt ſufficienter declaretur voluntas diſpenſandi; & quidem inferiores Papa debent id facere cauſa cognita; Papa verò etiam conferendo beneficium ei quem ſcit fuiſſe ſimoniacum, ipſo facto cenſetur diſpenſare, vt pluribus Suarez *numer.* 13.

Dices tertiò, an Papa vendens beneficium, cenſeatur diſpenſare cum emptore. Reſpondeo affirmatiuè tam quoad pœnas nullitatis, quàm cenſurarum, deeſt enim contumacia contra legem Papæ hoc ipſo quòd cum ipſo committit actum lege prohibitum; an autem peccet, dic ſi ſit ſimonia contra ius diuinum, proculdubio peccare; niſi excuſaretur per mutationem materiæ; ſi verò contra ius humanum, cenſeri poteſt Papam tunc diſpenſare in ipſa lege id prohibente, & ſic non peccare; vt Suar. *n.* 15.

39. *Papa vendens beneficium cenſetur diſpenſare cum emptore.*

Dices quartò, an per conſuetudinem induci poſſit diſpenſatio in ſimonia. Reſpondeo propriè loquendo non poteſt; at conſuetudine poteſt abrogari lex poſitiua ſimoniam inducens, & ſic tollere rationem culpæ; vel manente lege quoad vim obiectiuã, abrogari quoad pœnam, & tunc etiam tolleret neceſſitatem quærendæ diſpenſationis. Hæc ſatis de tota materia ſimoniæ, ad gloriam Dei omnipotentis, & eius Ampliſſ. Mat. Virg. Mariæ.

40. *Conſuetudine non inducitur diſpenſatio in ſimonia.*

FINIS.

Digitized by Google

m
s-
51
52
ſa.
53
d.
.1
.4
ex
19
un
35
37
.&
53
in-
54
56
in
57
.11
tis.
2.1
d.2
88.
&2
eſt
.67
.78
2.2
.13
.88
54
am
94
1.7

In beneficiis habentibus adnexum ordinem ſacrum. ibid.

Ad dignitates & perſonatus quibus non eſt adnexa cura animarum. ibid.30

Quæ radices egerunt. ibid.2.3

Quæ excidi prohibitæ. ibid.9

Cæduæ. 179.1.11

Arborum cæduarum inciſio. ibid.12

Quibus prohibita. ibid.13

Digitized by Google

INDEX
RERVM ET VERBORVM NOTABILIVM.

Primus numerus paginam, ſecundus columnam, tertius marginalem eiuſdem columnæ numerum deſignat.

A.

ABBATIA. 4.1.11
Abbatia ſæcularis. 9.2.31
Abbatiarum ſæcularium genera duo. 10.2.36
Actiones variæ. 250. 2.19
Sacræ ſimoniacè factæ prohibitæ ſunt. ib.20
Validæ in particulari. ib.21
Actus ordinum. 202.2.1.374.5.6
Varij in funere. 303.2.9
Virtutum vt ſunt in vtilitatem proximi. 204.1.11
Spirituales qui ſoli operanti vtiles. ib.12
Varij iuriſdictionis fori externi. 207.1.37
Quibus conceditur iuriſdictio. ib.2.38
Iuriſdictionis voluntariæ. ib.40
Iuriſdictionis contentioſæ & inuoluntariæ. 208.1.42
Adiutor parochi. 7.1.21
Adnexum ſpirituali. 211.1.8
Adnexi ſpirituali commutatio cum re verè ſpirituali. 219.1.6
Adnexa antecedenter quæ. 210.2.3. quæ conſequenter. ibid.4.& ſeq.
Concomitanter quæ. 211.1.7
Adnexorum genera tria. 210.2.2
Adnexio rerum cum rebus ſpiritualibus. 210.2.1.
Adquirenda ipſo iure ad Eccleſiam tranſeuntia. 181.2.34.
Adquirendi modi iuris in re. 34.1.89
Ad rem. ibid.2.94
Adquiſita illicitè. 119.2.22.121.1.33.132.1.1. ibid.2.5.
de Adquiſitis illicitè an teſtari liceat. 121.1.34
Aduocatus. 217.2.21
Vendere poteſt patrocinium etiam in cauſa ſpirituali. 245.2.10
Ætas requiſita ad beneficia. 49.2.27
Ad Canonicatum. ibid.28
Ad parochiales. ibid.29
In vicariatu perpetuo, & adiutore parochi. 50.1
In beneficiis habentibus adnexum ordinem ſacrum. ibid.
Ad dignitates & perſonatus quibus non eſt adnexa cura animarum. ibid.30
Ad dignitatem principalem in collegiata: item ad Decanatum, Præpoſituram & Archipresbyteratum. ibid.31
Ad Epiſcopatum. ibid.32
Ad Cardinalatum,
In Diacono Cardinali, Abbatiſſa & Prioriſſa. ibid.
In præſentatore. ibid.2.33
In Coadiutoria.
Ex quo numeranda. ibid.
Alienatio prohibita ex iure ciuili. 135.1.1
Ex iure Eccleſiaſtico. 136. 1.4
Ad quam faciendam Pontifex non tenetur ex iuſtitia. 149.2.19
Merè gratuita, & non compenſatiua rerum immobilium Eccleſiæ, facta à Pontifice. 151.1.22.
Compenſatiua ſine titulo oneroſo. 157.1.35
Bonorum vnius Eccleſiæ in alteram. 158.2.37
Facta à Pontifice valida, & inualida, iuſta, & iniuſta. 164.1.53
Valida, iuſta & licita: valida tantùm, licèt iniuſta. 165.2.54
Rei prohibitæ alienari. 167.2.56
Bonorum Eccleſiaſticorum ſine cauſa facta in laicos. 169.1.57
Sine aſſenſu Apoſtolico. 186.1.11
Inualida ex defectu cauſæ vel ſolemnitatis. 188.2.11.
Alienationis nominis ſumtio. 138.2.1
Illius ſpecies. ibid.2
Alienationis inualiditas ex defectu cauſæ. 188.2.9.11
ex Alienatione bonorum Eccleſiaſticorum facta à Pontifice ad quid teneantur ij in quos eſt alienatum. 171.1.67
Alternatiua. 33.1.78
Amicus perpetuò. 43.2.4
Amicitiæ cauſa quid dati poteſt. 204.1.13
Annalis & triennalis poſſeſſio. 64.2.88
Annatæ. 61.1.54
Annus intra quem cauſa vſque ad ſententiam proſequenda. 65.1.94
Arbores quæ ſolo cohærent. 178.1.7
Quæ radices egerunt. ibid.2.3
Quæ excidi prohibitæ. ibid.9
Cæduæ. 179.1.11
Arborum cæduarum inciſio. ibid.12
Quibus prohibita. ibid.13

Digitized by Google

Archidiaconatus. 8.1.27
Archiepiſcopus. 10.1.34
Archipresbyter duplex. 9.1
Curam animarum habebat iure communi. ibid.
Archipresbyteri partes. 8.2.28
Archipresbyteratus. ibid.
Dignitas eſt. 9.1
Perſonatus tantùm pleriſque in locis. ibid.
Aſſenſus Papæ in emenda penſione, aut aliter contrahendo. 111.1.13
Aſſenſus Apoſtolicus in materia alienationis. 184.2.9
An præter illum aliquid aliud requiratur. 185.1.1.
Auctoritas Papæ in redimenda penſione ſpirituali. 110.2.8
In penſione mixta. 111.1.9
Prælati, quid valeat in beneficiis. 210.2.16
Epiſcopi, in tranſactione materiæ beneficialis. 241.1
Auctoritatis nomine quid veniat, & cuius auctoritas requiratur in alienatione. 185.1.11
Auditoratus Cameræ. 207.2.39. & Clericatus. 213.1.17

B.

BAALAM. 194.1.22
Baptiſmum dare nolens ex odio, ad id faciendum induci pretio poteſt. 200.2.15
Beneficium quid, & vnde. 1.1.1.2 211.2.10
Beneficium regulare. 2.2.5
Manuale. 4.2.12
Sæculare. ibid.13
Simplex. ibid.14
Patrimoniale. 6.1.17
Curatum inferius. 7.1.19
Parochiale. ibid.
Iuriſpatronatus mixti. 31.2.65
Ex reditibus Clerici. ibid.66
Relictum præfectis fabricæ Eccleſiæ. ibid. 67
Quod vacauit in menſe Apoſtolico. 32.1.72
Vacans in Epiſcopatibus Cardinalatui annexis. ibid.2.75
Sufficiens. 69.2.19
Beneficium an vendi poſſit de facto. 211.2.12
Locari non poteſt niſi per triennium: at fructus vendi poſſunt per totam vitam. 214.1
Beneficium cum penſione erecta in titulum. 222.1
Cum penſione ſpirituali. ibid.26
Cum penſione temporali. ibid.27
Cum commenda militari. ibid.28
Beneficij requiſita. 2.1.3
Definitio. ibid.4
Diuiſio. 2.2.6 3.1.7
Beneficij regularis ſpecies. 4.1.12
Beneficium poſſidens ſine iuſto titulo, vel inualidè reſignatum. 106.1.5
Beneficia regularia quid & vnde. 3.2
Quomodo dentur, & quibus. ibid.9
Quo iure inſtituta. 11.2.1
Beneficia inferiora. 17.2.30
Electiua. 23.2.1
Comprehenſa in mandatis Apoſtolicis. 26.2.17
Vacantia. ibid.19
Requirentia certum ordinem. 48.2.23
Incompatibilia. 69.1.16
Compatibilia. 74.1.36
Vacantia per acceptionem alterius. 75.2.42
Simul permutanda. 81.1.12
Dimittenda per reſignationem. 88.1.34
Quæ aggrauari regulariter poſſunt penſionibus. 104.2.3
Inæqualia quatuor modis. 222.2.29
Cenſentur etiam res ſpirituales. 192.1.7
Beneficia vendere priuatis perſonis illicitum. 213.2.23
Beneficiis obtentis non priuatur ipſo iure, ſed per ſententiam. 252.1.24
Beneficiarius ſimplex. 49.1.24
An teneatur ſoluere penſionem ante poſſeſſionem beneficij. 105.2.1
An cùm fructus non percipiuntur. ibid.3
Quid ſi obligatus penſionem ſoluere de fructibus beneficij, poſtea reſignauerit, an teneatur ad illam ampliùs ſoluendam. ibid.9
Beneficiarius grauatus ære alieno. 107.1.15
Non ſeruiens, ſed de beneficio ſimplici ſine vlla aſſiſtentia prouiſus. 115.1.8
Cui aliunde ſiue ex patrimonio, ſiue ex propria induſtria ad commodam ſuſtentationem & ſtatui congruentem ſufficit, ibid.2.9
Qui fructus omnes ſui beneficij quaſi bona patrimonialia poſſidet. ibid.10
Donans in infirmitate. 132.2.9
Sub mortem donans, & aſſerens quod donat licèt ſit ex reditibus Eccleſiaſticis, poſſe tamen donare. 133.2.16
Beneficiarij quantum peccent arbores incidendo. 180.2.16
An ſecare poſſint arbores non cæduas vt reponant vtiliores. ibid.17
An incidere arbores dum nocent fundo. ibidem 18
Beneficiati. 6.1.17
Bigamus. 45.2.10
Bona patrimonialia. 114.1.1
Quænam illa ſint. ibid.2
Quaſi patrimonialia quæ. ibid.3
Eccleſiaſticorum quæ inter illorum quaſi patrimonialia cenſenda. 115.2.12
Quæ ſuperſunt ex reditibus beneficij adhuc intacta. 116.2.1
Quæ ex reditibus beneficij comparata & empta ſunt. ibid.2
Quæ conſanguinei vel amici beneficiarij dum viueret ex reditibus ipſius liberaliter acceperunt. 117.1.5
Morientium in Curia. 119.1.16
Religioſorum qui extra clauſtra viuunt, & decedunt. 124.1.8
Adquiſita negotiatione illicita. 132.1.2
Adquiſita ex prædiis conductis, operâ Clerici cultis. ibid.2.6
Bona non reſidentium. 134.2.21
Locorum piorum. 181.1.19
Mobilia. ibid.2.22
In emphyteuſim dari ſolita an ſine ſolemnitate concedi poſſint denuo. 183.1.36
Bulla Iulij III. in fauorem morientium in Curia. 119.1.16

C.

CANONICVS. 49.2.26
Canonicus vel beneficiarius cuius reditus conſiſtunt in ſolis diſtributionibus. 134.1.19

Canonici

Digitized by Google

Canonici. 6.1.18
Canonicatus regularis. 41.1.11
Canonicatus, præbendæ & dignitates collegiatæ. 17.1.16
Canonicatus & præbendæ doctorales & magiſteriales. ibid.2.29
Capellanus maximus. 8.1.25
Capellania. 5.1.15
Capita ex quibus Pontifex teneatur non alienare de iuſtitia. 148.2.18
Capitulum ſimoniacum. 247.1.19
Capituli ius in beneficia Sede vacante. 19.2.40
Cardinalis non conferens infra ſex meſes. 32.1.71
Cardinales an legibus de non alienando comprehenſi. 175.2.79
An teneantur ratione iuramenti priuari. 176.1.80
De cæteris Eccleſiaſticis quid. ib.2.81
Cardinalium beneficium. 11.1.38
Officium, ibid.
Inſignia. ibid.
Cardinalatus. 11.1.38
Cauſa in conferente penſionem requiſita. 103.2.1
Cauſa quæ, vt dominus non abſolutus iniuſtè non alienet. 151.1.27
Cauſa pietatis qualis & quotuplex. 184.2.5
Cauſæ in vniuerſum imponendæ penſionis quæ. 103.2.2.
Cauſæ lucratiuæ quæ. ibid.3
Quæ oneroſæ. ibid.4
Cauſæ quibus penſio finiatur priuatione. 108.1.4
Requiſitæ in alienatione. 183.2.1
Cenſuræ ex ſimonia. 249.1.9
Cenſurati. 46.2.15
Ceſſationis penſionum modi. 108.1.1
Ceſſiones iurium, actionum, &c. 141.1.28
Clauſula, *etiamſi fructus percipiantur*. 106.1.6
Dummodo penſio medietatem non excedat, aut, *dummodo remaneant centum*, &c. ibid.7
Clericus non ſacerdos. 49.1.25
Clerici. 113.2.1
Clerici concubinarij notorij. 47.2.17
Quomodo ſimoniaci. 246.2.53
Clericis prohibita per Canones. 133.1.11
Clericatus & ordo. 48.1.21
Coadiutoria. 215.2.6
Cognati defuncti ſuccedentes ab inteſtato. 133.2.17
Collatio. 25.1.10
Collatio quæ fit indignis. 42.1.172
Quæ dignioribus. ibid.176
Quæ digniſſimis. ibid.2.177
Collatio facta ante excommunicationem. 47.1
Collator beneficij intendens obligare ad preces. 231.2.18
Collegium ſimoniacum. 247.1.19
Collegij Cardinalium ius in beneficia. 14.2.18
Commenda primùm incerta. 74.2
Quid, & quotuplex. 214.2.1
Commendæ clericales. ibid.2
Militares ſpectatæ per ſe. ibid.4
Commendatio. 37.2.126
Commendatarius patriarchalis. 49.1
Commodum temporale in tantum, tanquam ſtipendium. 236.1
Communitas ſimoniaca. 247.1.19
Comparatio conſtitutionum inter ſe, & alia ad eas pertinentia. 96.1.23
Comparata & emta per ipſos reditus, donata ante mortem. 118.1.9
Compoſitio in re ſpirituali. 241.1.20
Compoſitio amicabilis. ibid.21
Compoſitionis fundamentum quod. ibid.19
Computatio. 62.1.60
Conciliorum generalium ius in beneficia. 14.1.13
Conditiones requiſitæ ad redemptionem vexationis. 240.1.2
Conferendi poteſtas. 23.1.63
Conferens penſionem in regulari. 102.2.10
Confidentia in beneficiis. 91.2.1
Confidentia pactionalis. 93.2.19
Mentalis. 94.1.12
Confidentia in penſionibus & aliis rebus. 96.1.21
Confidentia ſimoniaca quando committatur in penſione cedenda, transferenda, conferenda, &c. 112.1.18
Confirmatio ſi ſit ſimoniaca, non facit irritam electionem. 252.1.25
Coniugati. 47.2.18
Conſenſus beneficiarij in imponenda penſione. 105.1.8
Conſenſus Apoſtolicus an ſuppleat cauſas requiſitas ex iure communi. 186.1.12
Conſilium dans ad iuſtitiam ob pretium in foro externo. 206.1.29
Conſtitutio Paulina. 136.2.8
Conſuetudo teſtandi de fructibus beneficij, & reſpectu quorum beneficiorum, ibi. 127.2.9
Qualis, & quouſque ſe extendat. ibid.10
An cenſenda legitima. 128.1.11
Conſuetudo vt ſpolia Summo Pontifici non ſoluantur, ſed cedant Eccleſiæ, vbi vigeat. 131.2.24
Conſuetudo locationis vltra triennium non requiſito aſſenſu Sedis Apoſtolicæ. 140.2.22
Conſuetudo probanda quæ, & quæ reprobanda. 239.1.39
Conſuetudinis bonæ conditiones. ibid.41
Contractus alienationis ſub conditione conſenſus Apoſtolici. 186.1.10
Contrahentes ad quid teneantur ſi contractus ſit inualidus. 188.2.10
Conuentio de re temporali tanquam pretio. 237.1.26.
Conuerſi oblati Deo in monaſteriis. 114.1.3
Conuerſionis nomine ad fidem quomodo poſſit aliquid dari. 204.1.12
Cuſtos. 7.2.23

D.

DATIO beneficij ob timorem. 229.2.8
Ad petitionem Principis. 230.1.10
Datio ſpiritualis intentione explendi antidoralē obligationem. 237.1.25
Debita beneficiarij defuncti. 124.2.11
Decanatus. 9.1.29
Decretum Commiſſarij. 185.2.15
Defenſor Eccleſiæ. 217.2.21
Deuolutio. 35.1.95
Deuolutionis gradus. ibid.2
Dignitas. 8.1.26
Dignitatis dignoſcendæ ſigna. ibid.
Species. ibid.27
Diſpenſatio & priuilegium differunt. 64.1.85
Diſpenſatio in beneficiorum pluralitate. 75.1.1.137

Digitized by Google

Diſpenſatio circa ſimoniam. 154.2.36
Diſpenſator. 117.2.21
Diſtributiones. 60.1.43
Diſtributiones quotidianæ, ibid.2.47.177.2.2
Illæ quæ dantur interuenientibus,& præſenti obſequio ſeruientibus. 115.2.11
Illæ quæ non cadunt ſub obligatione reſtitutionis, ſed præbendæ. 54.1.13
Diſtributionum genera. 60.2.46
Docere doctrinam Chriſtianam. 206.2.33
Doctrinæ ſupernaturalis nomine quid intelligendum. 205.2.25
Doctrinam vendere vt veram. 195.2.3
Dominium bonorum immobilium Eccleſiaſticorum. 141.2.1
Dominium penes Eccleſiam & communitatem. 145.1.8
Dominium abſolutum & limitatum, vel etiam adminiſtrator quid differant. 151.1.23
Dona intellectus. 195.2.1
Duplicia in homine. ibid.
Donatio. 141.1.27
Facta intentione vt donatarius faciat opus ſpirituale. 204.2.15
Donata vel relicta beneficiario ſimplici. 118.2.10
Donata à beneficiario ex reditibus non ſuis, ſed Eccleſiæ. ibid.11
Donatio à beneficiario in vltima infirmitate, in dubio an cauſa mortis fecerit. 133.2.15
Donata Eccleſiæ cum conditione. 182.1.29
Quid ſi adponatur conditio rei donatæ contraria. ibid.30
Quid ſi rei donatæ adiecta eſt pœna caducitatis. ibid.31

E.

Eccleſia parochialis. 7.1.20
Non habens parochianos. 49.1
Materialis & oratoria. 181.1.21
Eccleſiæ quocunque modo commendantur. 214.2.3
Electio. 23.2.1
Electionis forma. 24.1.6
Tempus. ib.2.7
de Electione Papæ. 242.1.14
Eleemoſynæ nomine dari poteſt. 204.1.13
Emta à beneficiario ex bonis patrimonialibus, vel quaſi. 117.1.3
Ex penſione Eccleſiaſtica. 134.2.10
Emtio rei ſpiritualis. 241.1
Epiſcopus cui datus eſt coadiutor. 38.1.32
Epiſcopus putatiuus. ib.33
Criminoſus. ib.34
Epiſcopus non poteſt vendere beneficium abſque ſimonia contra ius diuinum. 213.2.20
Nec conferre iis modis quibus Papa. ibid.21
Non imponere penſionem ſuper beneficio. ibid.22
Poteſt ſuper perſonam habentem beneficium. ibid.
Quando ſimoniam incurrat in beneficiis. 146.1.12
Epiſcopi, vel alius prælati collatoris ius. 17.2.31
Epiſcopi nomine quis veniat. 121.2.21
Epiſcopatus. 9.2.32
Epiſcoporum ius in beneficia. 16.2.24
Epiſcopatus. 48.2.23
Erectio. 36.2.111
Euchariſtia pro viatico. 200.7.17
Euchariſtię remotæ materia vendibilis, non proxima. 199.1
Exactiones ſtipendiorum. 238.2.34
Exactiones temporalium pro ſpiritualibus. ibid.36
Examen admittendorum ad beneficia. 51.1.36
Examinatores, non adprobantes dignos ob pretium. 210.1.57
Exceſſus in ſpiritualibus. 222.2.30
In temporalibus. ib.32
Excommunicatus an capax ſit penſionis de nouo obtinendæ. 101.2.4
Excommunicatus beneficium poſſidens. 106.1.5
Excommunicati. 46.2.15.47.1
Extrauagans *Ambitioſæ* Pauli II. 136.1.7

F.

Fœminæ. 43.2.1
Filia illegitima an dotari poſſit ex bonis parentis Eccleſiaſtici. 121.2.37
Filius Epiſcopi alioqui legitimus. 45.2.9
Filij presbyterorum. ibid.1.7
Forma ſeruanda in prouiſione beneficiorum. 38.2.133
In prouiſione parochialium. 38.2.134
In prouiſione ſimplicium. 40.2.162
Forma edicti ſeruanda in inſtitutione. 41.1.164
Fructus beneficiorum in excommunicatis. 47.1.16
Fructus quos percipiunt beneficiarij. 58.1.39
Vbi diminuti quid iuris ſit. 107.1.12
Fructus beneficij à beneficiario percepti, & reliquis illius bonis incorporati. 114.2.5
Fructus beneficij qui debeantur beneficiario pro eius ſuſtentatione. 115.1.6
Fructus beneficij tempore mortis beneficiarij nondum percepti, ſed illi debiti. 123.2.4
Fructus beneficiorum à die vacationis vſque ad legitimam prouiſionem, & actualem poſſeſſionem. 124.1.7
Fructus malè percepti. 134.1.18

G.

Geſtatio habitus clericalis. 54.2.14.
Giezi ſimoniacus. 194.1.21
Gratia vnionis. 148.22
Sanctificans. ibid.23

H.

Hæreditas an cedi poſſit in fauorem alterius. 183.1.35
Hæreſis. 46.1.13
Hermaphroditus. 44.1.3
Homicida. 46.2.14
Hoſpitalia. 215.2.7
Hoſpitalarij. 5.2.16
Hypothecatio, ſiue obligatio bonorum Eccleſiaſticorum. 140.2.24

I.

Iaſon & Menelaus ſimoniaci. 194.1.24
Ieroboam nonfuit ſimoniacus. ib.23
Illegitimus an capere poſſit ex patris Eccleſiaſtici bonis quoad alimenta. 121.2.36
Illegitimi. 44.1.3.5

Impedi

Impedimentum habens actuale vitæ clericalis ſuſcipiendæ an ſit regulariter incapax penſionis Eccleſiaſticæ. 102.1.5
Impedimentum habens officium recitandi an capax ſit penſionis clericalis. ibid.2.7
Impeditus per irregularitatem, aut aliter, à vita clericali, an peccet tacito impedimento penſionem poſtulans. 102.2.9
Impoſitio ſeruitutis. 141.1.26
Incapaces ad beneficia iure naturali, vel diuino. 43.2.1
Iure Canonico. 44.1.4
Incompatibilitas beneficij ſimplicis cum ſimplici. 70.2.24
Cum curato, dignitate, Abbatia, Epiſcopatu, Cardinalatu. 71.1.25
Duplicis curati cum curato. ib.26
Cum dignitate. 72.1.27
Abbatia,
Epiſcopatu,
Cardinalatu. ibid.
Dignitatis cum dignitate.ib.28.idem de duobus perſonatibus & officiis. ibid.2
Cum Abbatia,
Epiſcopatu,
Cardinalatu. ib.29
Abbatiæ cum Abbatia. ibid.2.30
Cum quocunque alio. ibid.31
Epiſcopatus cum alio Epiſcopatu.ib.32.idē in duobus Archiepiſcopatibus, Patriarchatibus, vel Epiſcopatu cum Archiepiſcopatu. 73.1
Epiſcopatus cum quolibet alio. ibid.33
Beneficiorum ſub eodem tecto. ib.2.34
Infamis. 46.2.14
Infideles poſſunt eſſe ſimoniaci. 247.1.18
Inſtitutio. 25.1.9
Facta ab ordinario ſpreto patrono. 22.2.62
Inſtitutio, confirmatio & collatio differunt. 25.1.9
Inſtrumenta ſacra per facultatem teſtandi beneficiario conceſſa. 177.1.4
Poſt mortem beneficarij relicta. 123.1.3
Intentio requiſita ad beneficia. 51.2.42
Intētio remunerationis ex gratitudine. 236.1.20
Interdicti. 46.2.15
Intruſus. 66.1.101
Irregulatis penſionēs conſequens. 102.2.11
Irregulares ex defectu. 44.1.4
Ex delicto. 46.1.12
Iudex. 217.2.21
Iuramentum & Paulina. 137.1.16
Iuramentum Pontificis de non aliendo. 174.2.74.75.76
Ius patronatus. 21.2.54.216.1.ib.2.12
Eius adquirendi modi. 22.1.55
Quomodo probari poſſit. ib.56
Ius patronatus ex priuilegio. ib.58
Ius patronatus triplex. ibid.2.61
Duplex. 24.2.8
Ius patronatus confraternitatum laicorum. 31.2.68
Ius patronatus mixtum, facta concordia de præſentatione alternis vicibus. 32.1.69
Iuriſpatronatus translationis modi. 216.2.14
Ius eligendi. 207.2.40
Ius priuatum ex iureiurando. 137.1.13
Iſtiuſmodi iuramenti conditio. ibid.14
Quare hoc iuſiurandum inductum. ib.15
Ius ſepulturæ paſſiuum & actiuum. 217.1.16
Sequeſtri in beneficia. 19.1.38
Iuris conferendi conditiones. 18.2.36
Iura, actiones & nomina debitorum. 182.1.28
Iuriſdictio fori interni. 206.2.34
Actus eiuſdem iuriſdictionis. ib.35

L.

LABOR multiplex. 208.1.44
Laicus an incapax penſionis clericalis. 101.1.6
Laicius conferendi, inſtituendi, confirmandi. 23.1.63
Laici conuerſi regulares. ibid.
Laici quomodo ſimoniaci. 247.1.17
Laicorum ius in beneficia. 21.2.54
Largitio gratuita facta intuitu rei ſpiritualis. 239.2.43
Legati à latere. 11.1.39
Licentiam docendi dare quando ſimonia ſit. 196.2.12
Quomodo contra iuſtitiam. ibid.
Litteræ requiſitæ ad poſſeſſionem beneficij. 51.1.1
Loca pia fundata auctoritate Epiſcopi. 181.1.20
Locatio rei Eccleſiaſticæ. 138.2.4
Locatio vltra triennium. 138.2.7.139.1.10
Ad tempus incertum. 139.2.14
Locationes triennales plures eodem tempore. 139.1.9.ib.2.13
Lucrata opere contra canones. 133.1.10

M.

MAGISTER ſtipendiatus vt poſſit à diſcipulis aliquid exigere. 196.2
Iniuſtè agit quando exigit, & non licet. ib.9.
non ſimoniacè. ibid.
Magiſterium Theologiæ. 206.1.28
Malitia ſimoniæ eſt illi intrinſeca. 193.1.14
Auferri poteſt mutata materia. ibid.
Abſolutè loquendo inſeparabilis eſt. ib.2.15
Religioni aduerſatur. ib.16
Mancipia, iumenta, &c. 182.1.27
Mancus. 43.2.2
Mandatum Apoſtolicum. 26.1.15.ib.2.18
Mandatorum genera. 26.1.16
Manſionarius. 217.2.21
Materia naturalis ſimoniæ duplex. 195.2.1
Materia remota ſacramenti. 199.2.8
Proxima. ib.9
Matrimonium vt ſacramentum. 199.1.6
Vt contractus & commutatio rei corporalis pro corporali. ibid.7
Matrimonij proprium, vt etiam proxima materia ſit vendibilis. 199.2.10
Mediator quando liber à ſimonia. 246.1.12
Modi adquirendi illiciti, clericis interdicti. 120.1.26
Modi quibus alienationes rerum Eccleſiaſticarum redduntur inualidæ. 188.1.8
Modi quibus dari res temporalis abſque ſimonia poteſt. 228.2.13
Monachatus. 4.1.11
Monaſterium dans temporale pro impetranda perſona in prælatum. 205.1.19
Mulieres. 23.1.63
Munus à manu multiplex. 230.2.12
A lingua. 231.1.13
Ab obſequio. 232.1.21
Mutatio. 36.1.104
Mutus. 43.2.2

N.

NECESSITAS alienationis qualis & quotuplex. 183.2.2
Negare licentiam confitendi ob pretium. 210.1.56
Negotia per alium,& inde lucrata. 132.2.5
Negotiationes Eccleſiaſticis illicitæ. 120.2.29
Negotiatus ob neceſſitatas ſuas, vel ſuorum,aut non verè negotiatus,ſed præſumtiuè tantùm. 132.2.4
Neophytus. 44.1.43
Nepotes, pronepotes. 45.2.9
Nominatio. 23.2.5
Notarius quando non poſſit aliquid accipere. 245.29.246.1.12
Quando ſimoniacus, & quando non. ibid.& 10
Nullitas adquiſitionis in beneficiis, vt amplietur. 251.2.23
Nuncij Apoſtolici ius in beneficia. 18.2.22

O.

OBLIGATIO ex iniuſta bonorum Eccleſiaſticorum alienatione in laicis. 169.2.61
Obligatio Pontificis ex iuramento. 174.2.74
An ab hoc iuramento ſe poſſit abſoluere. 175.1.75
Obligatio mutua in conuentione. 221.1.18
Obligationis antidoralis in pactum deductio. 236.2.23
Obligationes titulari penſione grauati. 105.2.
Obligatus ex beneficio ad docendum Theologiam. 206.1.29
Obſequium ſpirituale. 233.1.28
Officium. 7.2.22
Officium Sacriſtæ. 217.2.22
Primicerij. 218.1.23
Officij diuini nomine quid intelligatur. 203.2.7
Officia diuina. ibid.8
Temporalia Eccleſiæ. 217.1.17
Omiſſio actuum ſpiritualium. 209.1.50
Omiſſiones variæ. 209.2
Opera miſericordiæ vendere. 197.2.17
Opera corporalia. 117.1.18
Opinio, Deum & Chriſtum bonorum Eccleſiaſticorum eſſe duos. 143.2.6
Alia, quæ ſtatuit dominium bonorum Eccleſiaſticorum eſſe penes Pontificem. 146.1.10
Orationes priuatæ vt ſunt impetratoriæ, vel ſatisfactoriæ. 304.1.10
Ordinariorum ius in beneficia. 16.2.23
Oriundi ex Iudæis. 45.1.6

P.

ob PACTIONEM ſimul cum pecunia, nulla electio. 242.1.15
Pactiones rerum ſpiritualium, quæ habent adnexa temporalia. 220.2.13
Pactum expreſſum,vel tacitum,*ac vt factus*. 204.2.14
Papa ſeparare poteſt præbendam ab officio ſpirituali. 212.2.14
Dare beneficium cum onere ſoluendi partem fructuum. ibid.15
Accipere totum ſimul valorem penſionis. ib.16
Poteſt dare beneficium exhibenti pecuniam facta ſeparatione præbendæ. 213.1.18
Secus non facta ſeparatione. ibid.19
An poſſit committere ſimoniam. 244.2.1
Papatus. 11.2.40
Parochus cuius Eccleſia alteri æquè principali eſt adiuncta. 49.1
Parœcia. 48.2.23
Patriarchæ minores:
In Armenia & Syria,
In ſecta Cophtorum,& Iacobitarum,
In Occidente totius Hiſpaniæ,
Hiberniæ,
Angliæ,
Africæ,
& Vngariæ:
In Germania,
Gallia,
Polonia,
& Scotia. 10.2
Patriarchæ inſignia. ibid.
Patriarchatus Romanus,
Alexandrinus,
Antiochenus,
Hieroſolymitanus,
Conſtantinopolitanus,
Aquileienſis,
Æthiopicus. ibid.
Patrimonium. 1.2.5
Patronus. 24.2.8
Paulina,& alia. 182.2.33
Peccatum contra prohibitionem Eccleſiæ commiſſum in exactione ſtipendij. 238.2.34
Peccata contra iuſtitiam à titulario & penſionario circa penſiones. 110.1.1
Contra æquitatem. ib.1
Pecunia data vt eligatur indignus. 241.2.11
Pecuniam credens beneficiario ob illius neceſſitatem. 133.1.22
Pecuniam accipere pro conſilio. 197.1.15
Pecuniam dare alteri vt omittat opus bonum. ib.2.19
Penſio ſoluenda. 54.2.16
Penſio Eccleſiaſtica quid, & quotuplex. 98.1.2,3
Penſio Eccleſiaſtica laicalis. ibid.4
Clericalis. ibid.6.98.1.5,7,8
Penſio vbi poſſit conſtitui. 104.1.1
Penſio ab Epiſcopis imponi ſolita quamdiu duret. 105.1.9
Penſio an reſeruari poſſit ex conuentione partium. ibid.10
Penſio ex cauſa & titulo lucratiuo. 106.2.10
Penſio reſeruata ſuper capita vnius ad vtilitatem alterius. 108.1.3
Penſio quomodo amittatur. ibid.2.5
Quomodo expiret per ceſſionem. 109.1.6
Quomodo ceſſet per extinctionem. ib.1.13
Penſio conſtituta in caput vnius, & commodum alterius. 212.1.19
Penſio duplex. 214.1.1
Penſio laicalis. ibid.2,10
Clericalis. ibid.2.5,8,11
Penſionis ſoluendæ tempus. 54.2.16
Penſionis nomen. 97.1.1
Translatio. 109.1.7
Fructus. 225.2.12
Penſionem impetrans. 104.2.4,5
Penſiones imponendi ius. 99.2.1
Cauſæ. 100.2.8
Caſus in quibus iure antiquo imponere penſiones poſſit Epiſcopus. ib.1.3

Penſio

Digitized by Google

Penſiones an imponere Legatus poſſit. ib. 2.6
Penſiones laicales an conferri poſſint omnibus. 101.2.3
Penſionem transferendi poteſtatem habens, an id facere poſſit accepto pretio. 111.2.15
Penſionem adquirendam cedens. ibid.16
Penſiones pro beneficio. 225.2.15
Penſionum exitus. 108.1.2
Pēſionarius exigens pēſiones ſine cauſa. 107.2.1
An teneatur ad horas Canonicas. ibid.3
An ad ſoluenda onera ſuperuenientia fructibus beneficij ab eo, qui poteſt imponere. 108.1.4
An ad tonſuram & habitum clericalem. ib.5.
An liberè poſſit diſponere de commodo & vtilitate penſionis ſine labe ſimoniaca. 112.2.20.
Penſionarij ſimplices. 119.1.18
Perceptio fructuum per reſignantem poſt reſignationē factam in fauorem alterius. 87.2.32
Permutatio. 79.1.1
Eius requiſita. ibid.2
Permutatio vnius beneficij cum pluribus. 81.1.8
Permutatio beneficiorum inæqualium. ib.11
Permutatio beneficiorū cum pēſionibus. ib.2.13.
Cum iuribus. ibid.14
Permutatio quo tempore fieri debeat. 81.2.20
An poſſit per interualla. ibid.21
Permutatio fraudulenta. ibid.22
Permutatio bonorū Eccleſiaſticorum. 140.2.23
Spiritualium. 219.2.9
Beneficiorum. ibid.10
Permutatio ſacra in prouiſionibus beneficiorum. 220.1.12
Permutatio ſpiritualium extra beneficia. ibid. 2.14.
Permutatio ſimplex coram Epiſcopo. 221.2.21
Permutatio abſque auctoritate ſuperioris. ibid. 23,24
Permutatio beneficij dignioris & tenuioris cum pinguiore & minus digno. 222.2.31
Permutatio beneficiorum imponendo alteri penſionem. 223.1.35
Permutatio reciproca. 227.2.30
Triangularis. ibid.31
Ficta. 228.1
In fauorem tertij cum onere penſionis. ib.33
Permutationis iure prohibita coram ordinariis locorum. 80.2.6.
Permutationis cauſſæ. 83.1.24
Effectus. ibid.2.26
in Permutationibus ſeruanda. 82.1.19
Permutantes. 82.1.15
Quales ſint. ibid.16
Perſonæ inhabiles ad penſiones quæ. 101.2.2
Perſonæ Eccleſiaſticæ quæ. 113.2.1
Perſonæ ſpolio Eccleſiaſtico ſubiectæ. 114.1.4
Perſonæ Eccleſiaſticæ ſpeciali conceſſione exceptæ. ibid.5
Perſonæ in quas alienatur. 176.2.82
Perſonæ permutantes. 82.1.15
Quales ſint. ibid.16
Perſonarum non habilium exceptio ad penſiones Eccleſiaſticas. 101.2.1
Perſonatus. 8.1.24
Eius ſpecies. ibid.25.
Plebanus. 7.1.21
Pluralitas beneficiorum in vno eodémque beneficiatio. 66
Pœna Epiſcopi prouidentis in menſibus Papæ. 33.2.84.
Pœnæ quas incurrunt ij qui impetrato beneficio poſſeſſionem adeunt ante litteras Apoſtolicas. 53.1.4.
Pœna non faciendi fructus in conſcientia obligat. 54.1.12
Pœnæ conſtitutæ in non deferentes habitum, aut tonſuram. ibid.2.15
Pœnæ in ſuccedentem in beneficio reſignato. 55.1.17
Pœnæ conſtitutæ pro non reſidentibus. 57.2.30
Pœnæ contra pluralitatem. 75.2.41
Pœnæ confidentiæ. 95.1.16
Pœnæ non ſoluentis penſionem. 107.1.14
Pœnæ procurantium, conſulentium, verba facientium pro alienatione contra iuramentum Pontificis. 175.1.77
Qui pœnis iſtis teneantur. ibid.2.78.
Pœnæ alienantium ex Paulina *Ambitioſæ*. 186.2.1
Ex Concilio Tridentino. ibid.2
Per quos abſolui queant. ibid.3
Qui & quando pœnas illas incurrant. 187.1.4
Quid requiratur ad pœnas illas incurrendas. ibid.2.6.
Pœna priuationis beneficiorum. 187.2.7
Pœnæ ſimoniæ variæ. 247.2
Pœnitentia. 206.2.35,36
Vide *Sacramentum*.
Pontifex. 11.2.41
Pontifex cùm alienat an præſumatur iuſta cauſſa alienandi. 153.2.29
Pontifex alienans ab vna Eccleſia in aliam ſine cauſſa. 160.2.41 & quid inde. 162.1.44
An poſſit pro arbitrio beneficium vni auferre, & tribuere alteri. 162.2.49
An priuare beneficiariū inuitum bonis beneficialibus ſine aliqua ipſius culpa. 163.2.52
Pontificis ius in beneficia. 12.1.5
Portionarij. 6.1.17
Poſſeſſio annalis & triennalis. 64.2.88.
Poſſeſſio & prædium Eccleſiæ. 139.1.8
Poſſeſſor pacificus triennalis. 63.2.80
Poſſeſſoris iuris conferendi ius. 10.1.35
Poſtulatio. 23.2.2
Poteſtas ſpiritualis ſacramenta miniſtrandi, & iuriſdictionis exercendæ. 12.1.2
Eadem ad mercedem. ibid.3
In fructus beneficij ſui. ibid.4
Præbenda Lecturæ. 17.2.28
Præbendæ Eccleſiæ Cathedralis. 17.1.25
Præbendæ & dignitates collegiatæ. ibid.26
Præbendæ Pœnitentiariæ in regnis Caſtellæ, Legionis, &c. ibid.27
Præbendæ Doctorales & Magiſteriales. ib.2.29
Præceptor nolens vacare niſi ob pretium. 196.2.10
Præceptoriatus. 4.1.11
Prælatus. 11.1.37
Prælatus regularis. ibid.
Prælati inferiores poſſunt eſſe ſimoniaci. 245.1.6
Eorúmque miniſtri. ibid.7
Præpoſitura. 9.1.30
Præſentatio. 24.2.8.216.1.11
Præſentatio alicuius cum onere vt litiget, non vt defendat ſuam præſentationem. 216.2.13
Præſtimonia. 5.1.214.1.26
Præſumtio iuſtæ cauſſæ in alienatione Pontificis. 156.1.32
Preces ſecluſo pacto vel promiſſione. 231.1.14
Pretium augere ſuæ doctrinæ. 196.1.6

Digitized by Google

Pretium accipere ob exhortationem ad veritatem. 197.1.16
Pretium duplex. 218.2.1
Ratio pretij,vt detur in cõmutationem rei.ib.2
Pretium debet eſſe quid temporale in ſimonia contra ius diuinum. 219.1.5
Pretium reſtituendum ex iure Eccleſiaſtico.254.1.31.
Cui id reſtituendum. ib.32,33
Receptum in ingreſſu religionis non eſt reſtituendum ante ſententiam. ibid.34
Idem in aliis materiis vltra dictas. ib.2.35
Pretij ratio. 219.1.2
Diuiſio. ib.2.6
Primiceriatus. 8.1.25
Priores in Eccleſiis conuentualibus. 48.2.23
Prioratus ſimplex. 4.1.11
Secularis. 9.2.31
Priuationes ex ſimonia. 250.2.19
Priuilegium. 25.2.14
A reſcripto differt. ibid.
Probatio cui incumbat vbi agitur de ſpoliis faciendis ratione negotiationis illicitæ.122.1.1
Cui,vbi agitur de bonis beneficiarij defuncti, an ſint adquiſita intuitu Eccleſiæ, vel alio titulo perſonali. ib.2
Item an bona quæ Eccleſiaſticus relinquit, ſint ſpolia,nec ne. ibid.3
Cui, vbi agitur de bonis Clerici,quem notorium eſt eſſe beneficiatum. ibid.4
Vbi de bonis religioſorum beneficia poſſidentium. ibid.2.5
Probitas neceſſaria ad beneficia. 51.2.40
Profeſſio fidei facienda. 53.2.5
Prohibitio alienandi reſpectu Pontificis ex iure Canonico. 147.1.16
Ex lege naturali. 148.1.17
Promiſſio quæ fit per Papam. 25.2.13
Promiſſio locationis facienda vltra triennium. 140.1.19
Promiſſio ſub conditione ſi fiat opus ſpirituale. 204.1.16
Promiſſio operum temporalium Deo facienda pro aliqua gratia. 219.2.8
Promulgatio reſignationis. 89.2.43
Eius cauſſæ & neceſſitas. ib.44
Quorum beneficiorum facienda ſit. 90.1.45
A quibus facienda, ib.2.46
Quando, 91.1.47
Vbi. ibid.48
Proprius Epiſcopus. 48.2
Prouiſio beneficij facta ſuſpenſo ab officio, vel beneficio. 47.2.17
Facta non habenti ætatem requiſitam. 50.2.33
Prouiſionis modi. 25.2.13

Q.

QVINDENNIVM. 62.1.56

R.

RECIPERE aliquid ad onera ingreſſuri ſuſtentanda. 205.1.21
Recitatio horarum Canonicarum. 55.1.18
Reditus penſionarij illi debiti, ſed nondum exacti. 124.1.9
Reditus Eccleſiaſtici qualiter impendi iure debeant. 129.2.12
An & quomodo ſacri. 130.1.16
An quia ſacri non niſi in ſacros vſus expendi poſſint. ib.17
Reditus Eccleſiaſtici quos beneficiarij percipiũt titulo ſui officij & beneficij. 177.1.1
Reductio penſionis quomodo regulanda. 106.2.11
Per quem facienda ſit. 107.1.13
Regreſſus ſucceſſus vel ingreſſus ad beneficia. 54.2.16
Regula Cancellariæ de ſubrogandis collitigantibus. 63.2.78.
Intruſus in illa regula. 79
Regula de Annali & triẽnali poſſeſſione.64.2.88
Regulæ Cancellariæ pro infirmis reſignantibus. 91.1.49
Regulares. 114.1.2
Relicta à beneficiario regulari tempore mortis. 118.2.14
Relicta Eccleſiæ non capaci retentionis dominij. 182.1.32
Religioſi quomodo ſimoniaci. 246.2.15
Reliquiæ. 202.2
Res à quibus cauere debet beneficiarius.58.1.31
Res Eccleſiæ immobiles. 177.2.3
Res exigui aut parui valoris quæ. ib.4
An poſſint alienari à beneficiario. ibid.5
Res conſecratæ. 201.1.21,22.& ſeqq.
Res ſacræ adquiſitæ per ſimoniam validè poſſidentur. 251.1.22
Rei ſpiritualis nomine quid veniat. 218.2.5
Rei ſpiritualis cum ſpirituali commutatio. 219.1.6
Reſcripta quibus ſe tueri ſolent beneficiarij. 62.1.61
Reſcriptum, *Subinde valere*. 62.2.62
Noua proniſio. ibid.66
Differt à reſcripto *Perinde valere*. 63.1.67
Rationi congruit,ib.70,72.à reſcripto *Perinde valere* differt. ib.71
Subrogatio. ibid.74
Si neutri. 64.1.82
Si nulli. ib.
Si alteri. ibid.
Diſpenſatio. ib.
Reſidentia in beneficiariis requiſita. 56.1.25
Reſignatio beneficiariorum quid & quotuplex. 84.1.1,2,3.226.1.16
Simplex à conditionati differt. ibid.4
Reſignatio facienda per Procuratorem. 86.1.18
Reſignatio cum reſeruatione fructuum. 87.1.25
Reſignatio cum regreſſu. 87.1.28
Cum acceſſu. ib.29
Cum ingreſſu. ib.30
Reſignatio in fauorem alterius. ib.2.32
Reſignatio facta per metum. 89.1.40
Per dolum,ſeu fraudem. ibid.2.41
Reſignatio pura & abſoluta. 226.1.17
Pura,ſed ſub conditione. ibid.18
Sub conditione ſuſpenſiua. ibid.19
Reſignatio in manibus Epiſcopi cum pacto vt det certæ perſonæ. 226.2.20
Sine pacto. ibid.21
Reſignatio purè,ſed ſub conditione facta in vim modi. 227.1.25
Facta abſolutè cum onere penſionis.228.1.34
Reſignationis cauſſæ requiſitæ. 85.1.10
Reſignatio promulgationis. 89.2.43
Promulgationis neceſſitas & cauſſæ. b.44
Reſignationes reciprocæ. 227.2.30
Reſignans beneficio. 104.2.6
Reſignans cum pacto vt prouiſus ſoluat expenſas

Digitized by Google

ſas. 228.1.35
Reſignare qui poſſit. 85. 2.13.& cui.86. 1.17
Reſignatario ſeruanda. 87.2.33
Reſtitutio facienda in beneficiis. 43.1.182
de Reſtitutione ſpoliorum. 121.2.38
Reuocatio alienationum factarum à Pontifice. 173.1.72
Reges & Principes collatores. 32.2.74

S.

SACERDOTIVM vendere in pura natura. 197.2.21
Sacramenta Pœnitentiæ recuſans ex odio,induci ad id pretio poteſt. 200. 2.16. non in aliis niſi per accidens. ibid.
Sacramenta. 199.1.4
Sacramentorũ emtio in caſu neceſſitatis.ib.2.11
Sacramentalia tranſeuntia. 201.1.18
Permanentia. ibid.20
Sacriſta. 7.2.23
Scamna, menſæ,arcæ,dolia vacua,& alia ſimilia vtenſilia. 124.1.10
Scientia requiſita ad omnia beneficia in genere. 50.2.34
Ad ſimplex requirens primam tonſuram. ib. 35
Requirens ordines minores. ibid.
In Archidiacono, Præpoſito,& aliis habentibus dignitates. 51.1
In Canonico Pœnitentiario in Cathedrali. ibid.
In Epiſcopo. ibid.
In Cardinalibus. ibid.
Scholæ Magiſter. 8.1.25
Scriptura, ſeu litteræ requiſitæ ad beneficium. 53.1.1
Sententia aſſerens beneficiarios eſſe dominos bonorum immobilium beneficij. 142.2.5
Sequeſtri ius in beneficio. 19.1.38
Seruitia communia. 62.1.60
Simonia in penſionibus. 110.1.3,6,7
Simonia vnde. 191.1.2
Quid. ib.3.& ſeq.
Aliqua iure diuino prohibita. 192.1.4
Et quidem iure diuino naturali. ibid.5
Eſt contra religionem. ib.2.11
Eſt ex ſuo iure mortale peccatum. ib.12
Venialis non datur ex parte materiæ.193.1.13
Prohibita in lege veteri. 194.1.25
Simonia potuit eſſe in lege naturæ. ibid.2.26
Et in ſtatu puræ naturæ. ib.27
Simonia datur ex ſolo iure poſitiuo. 194.2.28
Quibus modis prohibita. 195.1.29
Simonia eſſet priuatæ perſonæ,petere aliquid ab eo,cui confert beneficium. 214.1.25
Simonia mentalis duplex. 234.1.3
Conuentionalis. ibid.4.235.1.14
Realis triplex. 234.1.5
Simonia ficta quæ. ib.1.6
Confidentialis. 235. 1.11. triplex eſt. ibid. 14
Mentalis externa. 235.2.16.236.1.19
Realis an poſſit eſſe abſque conuentionali. 239.1.42
Simoniam dari in materia contra religionem naturalem. 197.2.20
Simoniæ nomen. 191.1.1
Simoniæ vitium fuit etiam in lege veteri. 194. 1.20
Simoniæ mentalis obiectum materiale. 235.2
Simoniæ agnoſcendæ regulæ. 240.1.1
de Simonia non eſt datum præceptum in lege gratiæ. 192.2.8
Sed explicatum ius naturale à Chriſto. ibidem 9
Quale præceptum in verbis, *gratis date*. ibidem 10
Simoniacus non eſt ſemper iniuſtus. 193. 2. 17
Quando iniuſtus ſit. ibid.18
Simoniacus in beneficio eſt inhabilis ad alia obtinenda. 252.2.26
Solemnitas alienationis ex iure antiquo. 184. 2.6
Ex iure nouo. ibid.7
An præter alia requiratur cõſenſus Sedis Apoſtolicæ. ib.8
Spiritualium genera varia. 220.2.15
Spolium Eccleſiaſticum quid & quotuplex.113. 1.1
Eccleſiaſtici regularis, vel ſæcularis ex illicita negotiatione, vel aliter contra canones adquiſita. ib.2
Spolia Apoſtolica ſecum retinens. 133.2.13
Spolia Epiſcoporum vel aliorum beneficiariorum retinens in partibus vbi Camera Apoſtolica non facit ſpolium. ib.14
à Spoliis exemti qui. 131.2.25
Stilus Rom. Curiæ in ſoluenda pecunia pro diſpenſationibus. 207.2.41
Stipendium ſuſtentationis. 237.1.26
An poſſit lege taxari. ib.2.29
Quotupliciter. ibid.30
Stipendium pro functione ſpirituali. 238. 1. 31
Subornator ſubornari licitè poteſt. 241.1.7
Subrogatus. 63.2.75,81
Succentor. 8.1.25
Succeſſor in beneficio an teneatur in conſcientia ad penſiones decurſas tempore prædeceſſoris. 107.1.16
Suffragia mortuorum. 203.2.9
Suppreſſio. 36.2.116
Suſpenſi. 46.2.15

T.

TAXATIONES. 62.1.60
Tempus iure præſcriptum. 35.2.97
Tempus intra quod debet fieri prouiſio. 41.1. 166
Intra quod debet fieri inſtitutio, confirmatio, & collatio neceſſariò. 42.1.171
Temporale cui adnexum ſpirituale. 202.1
Temporale, dare ſub pacto operis ſpiritualis. 204.2.17
Teſtis in cauſa ſpirituali. 246.1.11
Teſtandi facultas in quaſcunque perſonas,an extendi poſſit ad filios illegitimos. 121.1. 35
Accepta à Pontifice quouſque ſe extendat. 125.1.1
Introducta per conſcientiam. 127.1.5
Theologia expoſita in actu. 206.2.32
Theologiæ functiones tres. 205.2.25
Pro docenda Theologia pretium. ib.26.
Theologiam docendi licentia. 206.1.27
Theſaurarius. 7.2.23
Tonſura. 54.2.14
non Tonſurati. 44.1.43

Tractatus in alienatione. 185.1.13
Traditio ſpiritualis ſola. 234.1.5
Tranſactio & compromiſſio bonorum Eccleſiaſticorum. 140.2.25
Tranſactio quid. 242.2
Tranſactio in qua remittitur ius ſpirituale pro temporali. 242.2.23
Tranſactio in materia non beneficiali. 243.1.24
In materia beneficiali. ibid.2.25
Transferendi facultas à quo. 109.1.8
Quibus concedi ordinariè ſoleat. ibid.9
In quos transferri poſſit. ib.10
Translatio. 38.1.108
Translatio penſionis. 109.1.7
Translatio an fieri poſſit ſub conditione. ib.2.11
An vendi, aut pro ea pretium aliquod ex pacto accipi. ib.12

V.

VACATIO beneficij. 76.2.1
Modi quibus illa contingat. ibid.2
Quibus vacat ipſo iure. ibid.3
Quibus vacat ſine delicto. ibid.4
Quibus ob delictum. 78.1.15
Quibus per ſententiam iudicis. ib.2.18
Vendere Chriſtum in Euchariſtia contentum. 198.2.1
Vendere totum Sacramentum. ibid.2
Vendere ſtatum religioſum pro re temporali data ab ingreſſione. 205.1.20
Vendens functiones officiorum. 218.1.24
Bonorum Eccleſiæ. ib.25
Venditio, donatio & permutatio rei Eccleſiaſticæ. 138.2.3
Venditio ſi non eſt iniuſta, non eſt obligatio reſtituendi pretium ex natura rei. 253.2.30
Venditionis Euchariſtiæ vt ſacramenti duplex malitia. 198.2.2
in Venditione iniuſta ſimoniacus tenetur reſtituere pretium de iure naturæ. 253.1.28
Et reſtituendum ei qui dedit, ſecluſo contrario iure poſitiuo. ibid.29
Verba, *ſpecificam & determinatam cauſam*, quid. 65.1.93
Veſtes talares. 48.2.22
Vexatio iniuſta. 241.1.7
Vexatio non poteſt redimi ab habentibus ius adiuuandi ad beneficia. 241.1.9
An ab habentibus ius ad dandam poſſeſſionem. ib.2.10
Vexationis redimendæ conditiones. 246.1.2
Vexationem iuſtam redimens ante ius adquiſitum. ib.2.6
Vicarius Epiſcopi. 10.1.33
Perpetuus. 48.2.23
Vicarius Epiſcopi non poteſt prælio conſtitui. 207.2.39
Vicarij generalis Epiſcopi ius in beneficia. 21.1.47
Vicariatus temporalis. 10.1.33
Perpetuus. ibid.
Virtutes morales. 197.1.14
Vitiati corpore. 46.1.11
Vnio. 36.2.120
Vtilitas iuſtæ alienationis qualis & quotuplex. 184.1.3
Vtilitas Eccleſiæ an ſemper reſpicienda. ibidem 4
Vtilitas euidens quæ. 185.2.14

FINIS.

BIBLIOTECA ... ROMA

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google